

BIBLIOTECA NAZIONALE
DI
TORINO


BIBLIOTECA NAZIONALE di TORINO
Pe.
d
2 3
Pedagogia



HISTORIA VNIVERSITATIS PARISIENSIS.

TOMVS TERTIVS.

HISTORIA VNIVERSITATIS PARISIENSIS.

IPSIVS FVNDATIONEM,

NATIONES, FACVLTATES, MAGISTRATVS, DECRETA, Censuras & Iudicia in negotiis fidei, Priuilegia, Comitia, Legationes, Reformationes. Item Antiquissimas Gallorum Academias, aliarum quoque Vniuersitatum & Religiosorum Ordinum, qui ex eadem communi matre exierunt, Institutiones & Fundationes, aliáque id genus cum instrumentis publicis & authenticis à Carolo M. ad nostra tempora ordine Chronologico complectens.

Authore C. E. DV BOVLAY, Eloquentiæ emerito Professore, antiquo Rectore & Scriba eiusdem Vniuersitatis.

Ab an. 1200. ad an. 1300.

TOMVS TERTIVS.



PARISIIS

Apud FRANCISCVM NOEL, viâ Iacobæâ, ad Imaginem Diui Francisci Seraphici, prope Fontem Sancti Seuerini.

M. DC. LXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





AD LECTOREM.



Istoriae nostrae volumen 3um. tibi damus, amice Lector, in quo iam facile distingues tempora, quae diximus duplicis Vniuersitatis, antiquae videlicet & nouae, & vtriusque Primarios Magistratus seu Officiarios. Indeque facile conuinces erroris eos, qui somniant primaeuam Vniuersitatem fuisse à Philippo Augusto, aut ab eius parente Ludouico institutam & erectam. Et si vis tibi rem in compendium mitti, cogita qui fieri possit vt tam multorum primariae notae Historicorum, qui Ludouico VII Philippo Augusto, Ludouico VIII. & IX. regnantibus floruerunt & scripserunt, nullus illius institutionem ad alia tempora quàm ad nonum Christi seculum, nec ad alium authorem quàm ad Carolum M. referat, eamque nemo Ludouico VII. aut Philippo Augusto adscribat? Nisi quis dicat, vno omnes ductos spiritu antiquis maluisse temporibus quàm suis laudem hanc immortalem tribuere. Vt nihil igitur commemorem de Alexandro Nekamo qui tibi suspectus esse possit, quia Angligena, Rigordus Philippi Augusti Archiater Principis sui gesta viuente & regnante ipso, quâ potuit diligentiâ conscripsit: eademque Guill Brito Petri Karloti, qui Augusti filius erat, praeceptor, Philippide suâ 12. libris distinctâ complexus est; & cum neuter ne minimas quidem partes, quas ad Augusti sui gloriam commendationemque ad posteros conferre credidit, praetermiserit, vterq; verò Scholae Parisiensis admirabilem prorsus celebritatem frequentiamque retigerit, neuter tamen eius institutionem ei adscripsit, sed ab antiquioribus temporibus deriuauit. Verum esto, nescio quo malo genio vterq; commemorare praeclarum istud factum omiserit, quid Helinandus Frigidi-montis Monachus, qui regnantibus iisdem Principibus Chronicon Magnum ab Origine mundi ad annum vsque 1210. deduxit, adeo ne fatuus & omnis rationis veritatisque fuit oblitus, vt non Philippo sed Carolo M. gloriam eiusmodi tribueret? Helinandus, inquam, qui Philippo adeo familiaris erat, vt ei saepe ad mensam assideret. Vincentius Bellouacus, qui eodem Philippo regnante Studium Parisiense frequentauit, quique postea ad Dominicanorum Ordinem tunc adhuc recentem se contulit, cum inter doctissimos & prudentissimos Ordinis sui haberetur, à Ludouico IX. quem sanctum vocamus, instituendis filiis in pietate & liberalibus disciplinis ad Curiam euocatus, Specula sua 4. suppeditante sumptus Ludouico ex scriptis Helinandi, Rigordi aliorumque vetustiorum

compilauit & composuit; quorum quod Histotiale est libris 32. comprehensum absoluit anno 1244. ausus-ne est in Aula Regia degens, & Principis sui sumptibus monumenta tam authentica posteritati consignans, auo ipsius impudenter eripere quod suum erat, vt Carolo M. daret ?aiens lib. 23 c.173. ab ipso vnum è Scotis illis Philosophis, qui cum Mercatoribus Anglis appulsi scientiam vænalem clamitabant, Clementem nomine *in Gallia, Parisius scilicet*, retentũ & residere iussum. Si non erat tum ea fama constans, aut si non ita esse credidit Vincentius, vt vulgo persuasum erat, debuit Helinandi, Rigordi, Britonis, Nekami, antiquiorumque Chronologorum scripta castigare quæ habebat præ manibus, communemque errorem emendare. At neque ipse Priores, neque ipsum Posteriores falsitatis aut erroris arguerunt: immo ne vel minimam quidem vllus authorum consequentium aliter suspicandi aut dubitãdi ansam reliquit: adeo scripserunt omnes tam ex fide priorum, quàm ex communi famâ & opinione viuentium. Obiit Vincentius an 1256. vt communiter scribitur: quo tempore Richerius Senonense Chronicon, in quo Scholæ nostræ antiquitatem prædicat, emisit in vulgus.

Hos exceperunt Martinus Polonus & Iordanus Teutonicus, iisdemque scriptis, authoritatibus & constanti famæ incumbentes, Carolo M. Scholæ Parisiensis acceptum beneficium retulerunt.

Cum igitur tam multi Authores hanc historiæ generalis partem tractauerint, regnantibus Ludouico VII. Augusto & nepotibus, nullus veró præcedentium errorem corrigere aggressus sit, aut ea de re vel leuiter dubitare videatur, luce meridianâ clarius patet, iis etiam quibus scribebant temporibus, non tabulis tantùm monimentisque publicis consignatam, sed constantem indubitatamque fuisse omnium hominum de Catolina fundatione opinionem.

Iam verò quæ fuit antiquæ illius Vniuersitatis administratio? Obscura quidem est prioribus quatuor eiusdem seculis; at quinto clara & manifesta: in qua cum nihil legatur immutatum aut accidisse noui, omnino credibile est, vt posteriora prioribus concordent, talem propemodum fuisse olim, quæ fuit initio huius seculi, administrationem. Porro certum est penes Rectorem, tanquam Reipub. litterariæ caput, & penes Procuratores 4. Nationũ, tãquã Primarios Magistratus eam fuisse; iisque munera sua exercentibus Apparitores quos vulgo *Bedellos* appellamus, tanquam Ministros apparuisse. Ipso anno 1200 Philippus priuilegio speciali vetat *Rectorem* vllius occasione criminis carceri mancipari, seu vt legitur in authẽtico, *pro vllo forefacto* IN CAPITALE SCHOLARIVM *manum mitti*. Anno 1203. *Syndici seu Procuratoris Generalis* institutio ab Innocentio III. confirmatur. An. 1206. conueniunt inter se 4. Nationes de modo eligendi Rectoris. An. 1209. idem Innocentius statuta à Magistris edita comprobans, Magistrum G. quem è consortio suo tanquam contumacem & rebellem expulerant, eadem interpretando restitui solummodo postulat. Anno 1218. Honorius III. *Procuratorum* qui à singulis Magistris & Scholaribus contributionem collectamque seu vt vocabant, Bursam exegerant ad expeditionem Nunciorum, mentio-

nem facit. Eodemque sedente Radulfus eius Pœnitentiarius respondens Menendo San-Victorino ad quæsita per Epistolam, commemorat *Bedellos* seu Seruientes in responsione ad 4^am. Quæstionem. Meminit quoque profectionis Academicæ ad San- Dionysianum oppidum, *Indictales* proculdubio *Nundinas* notans : quam consuetudinem iam tum viguisse licet suspicari. Gregorius IX. Honorij Successor in Reformatione an. 1231. Nationum meminit. Idem an. 1237. vetat excommunicari *Rectorem & Procuratores*, nec alios Magistratus aut Officiarios commemorat. Idem facit Innocentius IV. anno 1244. suoque Priuilegio *Seruientes communes* (seu Bedellos intelligas, seu minores Officiarios, quales sunt Syndicus, Scriba & Quæstor ærarii) complectitur. M. Guill. de Sancto Amore, vir Theologus & primariæ notæ respondens ad obiecta Mendicantium, negat se cum in Comitiis Vniuersitatis actum fuisset de societate Scholastica quam postulabant, retulisse quidquam ea de re, cum tunc temporis nec *Procurator esset Scholarium, nec Rector de Collegio eorum*, his verbis innuens Rectorem & Procuratores fuisse tum vnos & solos Magistratus, qui de rebus ad Academiam pertinentibus publicè referre possent. Anno 1255. Magistri omnium Artium omniumque Facultatum scribentes ad Alexandrum IV. aiunt se in consignandis suis litteris vsos *Sigillis 4. Nationum ab antiquo Parisius distinctarum.* Ex quibus omnibus liquet ad ea vsque tempora perpetuam fuisse penes Rectorem & Procuratores Vniuersitatis administrationem. Vnde cum nihil eam videamus immutatam initio huius seculi, nec consecutis etiam annis ad an. circiter 1260. euidentissimè colligimus talem propemodum semper fuisse antiquam eius administrandæ rationem.

At post annum 1260. incipit fieri mentio Decanorum in Facultatibus Theologiæ, Iuris Canonici & Medicinæ; quorum nulla prorsus antea facta fuisse legitur. Incipiunt & distingui clarius Comitia Vniuersitatis, Facultatis Artium, singularum Facultatum singularumque Nationum. Vnde non sine probabili fundamento opinamur cœpisse tunc Vniuersitatem ex septem Ordinibus seu Tribubus constitui, & prioribus quatuor quæ Nationes dicuntur, tres Facultates prænominatas accessisse tanquam nouas Tribus segregesque Ordines, propria & priuata constituentes Corpora, quæ prius in Nationibus cum aliis aliarum Artium Magistris confundebantur. Quod quâ ratione factum sit, vt habeas, amice lector, nota mecum & distingue tria momenta seu tempora huiusmodi separationis, originem, progressum, occasionem.

Origo repetenda proculdubio à Graduum Scholasticorum inuentione & institutione, de quibus fusè ad an. 1150. & in Differtat. 2. Vol. pag. 674. Tunc enim quia plurimum dignitatis in apice Doctorali reponi cœpit, qui fuerant illum consecuti, ab aliis distingui affectarunt prioremque locum occupare; quod maximè inualuit circa Gregorii IX. tempora, cum de Gradibus leges ferri cœperunt.

Accessit Doctorum numerus, sed in Theologia præsertim prope infinitus, sedentibus Romæ Innocentio III. Honorio, Gregorio, Inno-

centio IV. & Alexandro IV. Itaque quemadmodum Aluearia plena & turgida emittunt apũ examina, quæ iam capere & continere non possint: ita Nationes nimiâ illâ multitudine grauidatæ profuderunt primũ ex sese Theologos, subindeq; Canonistas & Medicos. Occasio vero ex dissidio quod cum Mendicantibus 20. prope annis ob Magisterij honorem, Cathedrarum seu Scholarum publicarum exercitium, societatemqueab iis affectatam exercuerunt, opportunè profluxit. Nam ex Academicis nonnulli Censurarum Papalium crebris fulminationibus fatigati, parendum tandem, Fratresque ad societatem admittendos esse censuerunt, cæteri Fratrizantes eiusmodi à suo consortio ablegarunt, aut certè ne Papalibus iussis omnino contradicere viderentur, sua seorsum ab illis habere Comitia cœperunt. Et sua quoq; Fratrizantes cum fratribus habuisse credibile est, donec tandem, ne istâ corporum animorumque diuisione status Academiæ conuelleretur, qui tot iam annos integer incolumisque substiterat, inter dissidentes conciliatâ pace, Theologi, non vt ante, in sinum Nationum redierunt, sed cum suis Fratribus seorsim Facultatem segregem componere permissi sunt. Vnde merito gloriantur *suam Facultatem esse primariæ agnationis seu accretionis.* Exemplo autem isto incitati Magistri Decretorum & Medicinæ, qui magno quoque erant in Nationibus numero, Corpora priuata Facultatesque similiter segreges constituere & Nationibus associari postularunt.

Hinc ergo ducenda videtur *Nouæ Vniuersitatis* compositio; videlicet, vt *antiqua* è solis 4. Nationibus, quæ nihilominus omnes Magistros omniumque Artium & disciplinarum seu Facultatum Professores complectebantur, constiterit; *Noua* verò ex ipsis 4. Nationibus & è tribus Facultatibus agnatis seu adscititiis coadunata fuerit, nec, nisi è Nationibus eductas fuisse Facultates fateamur, facile est dicere quid sit, quamobrem seruauerint Nationes quas habent prærogatiuas, creandi torius Academiæ Principis cui cæteræ Facultates nihilominus parere iubentur; clauium Tabularii publici, Nunciorum creandorum, Officiariorumque Vniuersitatis è suis solum Suppositis (vt recepto more loquamur) assumendorum. Nec, nisi eo quo dicimus tempore, eductas confitemur, aliud assignari potest conuenientius, aut causa iustior, aut occasio opportunior.

Sed hinc intelligo contra me fulmina fabricari. Fulmina dico; nam cum sit triplex hominum genus mihi aduersantium; vnum Censorum, alterum Inuidorum, tertium Coniuratorum, ne dicam furiosorũ, fateor mea culpa fecit, vt primum meruerim; votorum cœptorumq; successus & felicitas, vt secundum; tertium verò quod est implacabile, vnde mihi concitarim, non facile inuenio. Nisi forte, quod ex quo Vniuersitati quantulamcunque operam meam contuli, eius nemo hostis fuerit, qui non eodem tempore mihi quoque fuerit priuatim inimicus. Nec verò necesse est à me quenquam nominari, cum sit nemo tam ignarus rerum nostrarum qui nesciat homines esse aliquos qui suam à me alienationem & ab iis qui saluam volunt Artium Facultatem atque adeo Vniuersitatem, apud sui similes & apud degeneres optimæ paren-

ris

tis filios commendationem sibi fore arbitrantur, quique non satis ipsius hostes se putant existimari posse, nisi mihi immortale bellum indixerint, vt potè quam perire malunt, quàm me saluum esse, aut quàm pati quenquam eius saluti consulere: quod genus hominum si non est furiosum, fateor, nescio Ego quid sit esse furiosum. Rempub. enim velle perire vt hominem perdas quem aliter perdere non potes, quis furor obstinatior? quæ deplorabilior amentia? Equidem non parum mihi gloriosum est eo odio, eo furore & amentiâ dignum videri, quam experti sunt à pluribus annis fortissimi Academiæ defensores, quorum vestigiis insistere, quanquam longè impari gradu, non potest non esse commendabile.

Sed vnde tamen in me tanta desæuit rabies? huius quantum ego coniicere possum, talem fuisse suspicor originem. Iam sunt circiter anni quidecim, cum, vt ardebant Vniuersitatis dissidia de numero suffragiorum, ea existimaui facillimè posse componi, si modò competta posset haberi eiusdem Vniuersitatis institutio & antiqua administratio: sic enim ratiocinabar. Si constet 4. Nationes esse primæuæ originis, atque ex iis eductas fuisse Facultates, vt communis fert opinio, iisque processu temporis adiunctas ad constituendum totum Corpus quale nunc est Vniuersitatis, cum tam multas videamus seruasse prærogatiuas, non videtur dubitandum, quin suffragia numero totidem retinuerint pòst associationem, quot ante habebant: verisimile est enim illas tunc, cum adiunctæ sunt Facultates, non ab iis accepisse legem, sed iis potius imposuisse, præsertim cum antiqua iura longè leuioris momenti retinuerint & conseruarint. In eam ergo rem priuatus incumbere cœpi, erui è tenebris monimenta quæ potui, posteriorum cum prioribus conuenientiam consonantiamque conatus sum inuenire, eamque, postquam ego Historiæ nostræ qualecunque compendium edidi, quo satis clarè constitit fundatio Vniuersitatis, Nationum Antiquitas, Facultatum Origo, progressus & consociatio, visus sum multis inuenisse. Permouit id plurimos, & à falsâ quam conceperant contra Facultatem Artium opinione abduxit: tunc corruere cœpit Achillicum argumentum è numero Facultatum petitum: tunc labefactari triumphus in multorum mentibus, quem cecinerant aduersarii ante victoriam. Quod veró bono Ego feceram animo & vno desiderio pacis, atque vnde omnium amorem sperabam & exspectabam, id odium mihi concitauit internecinum, quod deinde nec precibus mitigari, nec communi vtilitate deponi, nec vlciscendi difficultate teneri, nec vetustate hactenus sedari potuit. Abstineo hîc commemorare quid aduersus me, appositis etiam calumniatoribus & falsis testibus, quid contra Facultatem Artium Matrem nostram, quam subigendam triumphandamque assumpserant, quid contra totius Vniuersitatis commune bonum moliti sint: quàm subdolè & flagitiosè conati Optimatum Regni animos occupare contra rem Nunciaruum; quàm perfidè, maliciosè & mendaciter suggesserint esse paucos homines in Artium Facultate, qui reditus Nunciatuum immensos absorberent & in rem suam conuerterent; quàm contra omnem honesta-

é

tem, religionem & fidem Collitigatores nostros, verius dicam hostes infensissimos & obstinatissimos, promissis amicis, opibus, pecuniâ ad perpetuandam litem animarint. Et id coniuratorum, seu potius furiosorum hominum non est! horresco plura referre; dicere sufficiat, nobis eos pœnarum satis dedisse, quod malè semper eis cesserit quod moliti sunt.

Verum aliud iam machinantur, victoriæ magis securi; armis quibus eos instruxit Vniuersitas, hoc est Censuræ mucrone nostrum Opus aggrediuntur. Cuius quidem machinationis Nos, si ex eo quod malè cœptum est, augurari finem licet, non desperamus fore eundem successum, qui fuit hactenus cæterorum moliminũ. Quippe ne proposita quidem est Historia nostra ad examinandum, contra omnem morem omnemque consuetudinem. Syndicus enim aut Decanus Libros quos Censurâ dignos putant, frequentibus Comitiis proferre solent in medium, postulantque Examinatores designari. Hîc nulla eiusmodi ratio obseruata, nihil tale propositum. Abundat quidem Theologica Facultas viris bonis, publicæ quietis amantibus, Ecclesiæ Gallicanæ iurium libertatumque fortissimis defensoribus, quorum Ego si liceret, facerem hîc mentionem valde honorabilem: sed quod malum est Democratiæ, numerantur voces non ponderantur, cum sint numero impares, expertique sint sæpe se, vbi præsertim de Facultate Artium deque concilianda pace agitur, Turbatorum clamoribus & vociferationibus fuisse superatos, vix audent illorum Decretis obsistere. Audio autem præclaræ istius censuræ, si Diis placet, tria fore capita; eorumque vnum pertinere ad bonos mores, contra quos Historiam Abaëlardi & Roberti Arbricellensis fusius explicuisse videor. Alterum, partim ad Curiam Rom. quam dixi schismaticis temporibus auaritiæ famâ plurimum laborasse; partim ad Regem Crassum, quem contra honorem decusque Regni, cuius sunt ipsi valde studiosi, certamine superatum fuisse dixi ab Anglis & fugere coactum. 3um denique, quod contra Theologicæ Facultatis honorem dignitatemque dixerim eam è Nationibus effusam fuisse, atque ab iis in societatem circa an. 1260. tantummodo adoptatam.

Habes, AMICE LECTOR, quibuscum hominibus mihi sit depugnandum. Iam accipe quâ mente quôque animo pugnaturus sim. Censores æquos, & rerum vt decet, æstimatores veneror. Ipse Ego mei ipsius censor primus fui, agnouique ingenuè reprehendi me posse in eo, in quo alium si similiter peccasset, ipsemet forte reprehendissem. Multa præter historiam & omnino parerga conscripsi & commemoraui, fateor: quæ me causa impulerit, dixi in præfatione primi voluminis; benè ne an malè id à me factum sit, tuum esto iudicium. Si quid contra historiam scripsi & veritatem, quod sciens certè non feci, censuram seu verbo, seu scripto ne dubites exercere, cum moderatione tamen, quæ Christianum deceat: vt admoneantur posteri quâ in re peccauerim, vtque si forte remandabitur typis aliquando historia nostra, castigatior in lucem redeat & repurgatior. Vnum velim excuses tantummodo, Mendorum multitudinem, quæ partim meâ, partim Typographi incuriâ exciderunt.

Quod ad Inuidos attinet, vereor ne mihi nimis ipse gratuler ablandiarque nimis, si dixero gloriosum esse & appetendum inuideri. Siquidem *eminentibus viris factisque praeclaris Inuidia comes solet adhaerere.* Faxit Deus vt ea semper praestem, quae faciant inuidiam: nihil enim vereor magis quàm vt, quem Deus singulari suâ bonitate defensum plurimisque beneficiis ornatum voluit, ad duriorem casum reseruet.

Iam verò expectas, Lector, vt dicam me Coniuratos illos, quod tertium genus est hominum mihi aduersantium, toto animo detestari. Absit. Facient illi vt circumspectius scribam, agamque cautiùs: atque vt qui mihi propofui vnam veritatem, aut vnius saltem veritatis vestigia sequi, eidem semper viae eidemque proposito insistam. Et forte dum illi videbunt me in ea re constantem, in seipsos descendent, & veritate ipsa cogente, cui nemo resistere potest interius, fatebuntur aliquando quod res est. Quod si tam obstinato pergant esse in meam perniciem animo, quàm mihi propositum est constantem esse in tuenda veritate, hoc solum precabor, *virtutem* veritatemque *vt videant, intabescantque relictâ.*

Purgatum interim me velim tam apud eos, quàm apud omnes, ne me somniasse quidem aliquid quod sit contra honorem Theologicae Facultatis. Nam quod aiunt me historias Abaëlardi & Arbricellensis paulo fusius prosecutum, potest istud quidem notari inconsiderantiae & imprudentiae, certè non infamiae. Nihil à me dico: obscoena obscoenè me non recolo vllibi scripsisse; refero quod de iis viris & contra eos dictum & scriptum est à viris Religiosis, Gaufrido Abbate Vindocinensi & Fulcone Priore Diogillensi. Refero Epistolas quas Duchesnius & Sirmundus ediderunt; nec video hactenus eis probro versum quod ediderint; aut vnde grauius peccem Ego, Historiae nostrae illas inserendo, quàm illi, eorum Operibus accensendo.

De Curia verò Romana quid dixi, quod summo Pontifici iniuriosum sit, quod ipsam etiam Curiam offendere possit? Dixi schismaticis temporibus auaritiae famâ laborasse; an id falsum est? Dixi legitimos etiam Pontifices non fuisse ausos malum istud reprimere; an id illis iniuriosum est? Retuli de Crasso, victum fuisse ab Anglorum Rege. Et quis Historicorum nostrorum non retulit? quasi verò Reges nostri habuerint semper fortunam sibi obsecundantem! Sed sit imprudentia scripsisse, censura ista Sorbonica non est, sed communis & Lectori relinquenda. Nec est quisquam, qui non videat istud esse, nodum in scirpo quaerere.

Iam verò de Theologica Facultate quid est quod senſi, dixi aut scripsi minus honorificè? Mihi ipse conscius sum, quàm ad eius laudem illustrandam omnia mea studia hactenus contulerim, & collaturum posthac confidam. Scio enim huius Academiae membrum esse nobilissimum; scio summo semper eam in honore fuisse, eandemque perpetuis temporibus magnum Franciae ornamentum, eximiam famam celebritatemque longè maximam Vniuersitati addidisse; nec scio quid contra hoc à me dictum sit, aut cogitatum. Dixisse verò in ea non fuisse institutos Gradus Scholasticos ante an. 1150. aut an-

te an. 1260. eam non constituisse Corpus seorsim à Nationibus, si crimen est, quid est quod Decretistarum & Medicorum Facultates non experior subiratas similiter, de quibus eadem assero; imò quas dico ante an. 1150. nondum fuisse natas? Quod ita scribo, non facit vt ita sit; sed quia sic se rem habere omnino arbitror, idcirco ita scribo. Authores coæuos laudo, testimonia fideliter profero; communibus argumentis vtor; si quid habent rectius isti quod opponant, subscribam lubens. Si quoquomodo descendere lubet in arenam, campus latus est, præsto adero, non vt ostentem memet, sed animo tuendæ veritatis. Iamdiu est quod nonnulli prædicant nescio quam Historiam nostræ contrariam; cui tamen audio iniectam moram, eo quod antequam prodirent priora nostra volumina, somniis illam repleuerant: puta quod Rector non sit Vniuersitatis Caput, Moderator & Princeps, sed Actor tantummodo negotiorum & Decanorum vltimus, quemadmodum inter Sacrarum Ædium Curatores, quos vulgò *Matricularios* vocant, vltimus onus subit, cæteri honorem gerunt. Quod supremam illam quam nunc habet in Vniuersitate authoritatem sibi arrogare & vsurpare cœperit circa an. 1450. maximè verò captiuo Ioanne I. Rege: id enim in diphtheris seu sacris quibusdam membranulis Facultatis Theologiæ contineri, quas more Sacrorum Bonæ Deæ nondũ licuit videre cuiquam nisi initiato. Item quod ab initio (initium autem ducunt à Philippo Augusto) fuerint 4. Facultates, quarum quæ Artium dicitur, infima est & quasi peripsema Vniuersitatis: quod in ea non sit nisi Philosophia numeranda; quod cæteræ Artes Liberales ab Academia Parisiensi olim exularent, nec ante tempora Caroli VI. fuerint hac Ciuitate litterariâ donatæ. Quod 4. Nationes non habeant nisi vnum Caput, vnam linguam, vnam vocem, quia ita dixisse fertur an. 1499. Princeps Senatus Parisiensis: id enim legi, non in Actis quidem Curiæ, non in Commentariis Vniuersitatis, aut alicucuius Facultatis, aut alicuius Nationis, sed in reconditioribus forulis Bibliothecæ Seguierianæ. His, inquam, & similibus somniis, quorum crebrâ repetitione aures nostræ quotidie obtunduntur, Historiam illam suam consarcinauerant, quam nonnullo affectato titulo *Anti Bulæanam* vocant. Sed audio Opus istud quod exire festinabat, adhuc premi, donec 3um hoc volumen emiserim. Ecce ergo tibi, Lector, emitto. Si pugnandum erit, adsis spectator & Iudex. Certantibus pro præmio labor, tibi veritas proponitur. Tu eam amplectere, vndecumque tibi obuenerit.



TABVLA

PRÆCIPVORVM CAPITVM

in III. Volumine contentorum.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

LVDOVICI XIV. Franciæ & Nauarræ Regis Christianissimi diplomate cautum est, ne quis in suo Regno locisve ditioni suæ subiectis intra decem annos à die Impressionis primæ inchoandos excudat, vendat, excudendum vendendumque curet librum, cui titulus est, *Historia Vniuersitatis Parisiensis*, operâ CÆSARIS EGASSII BVLÆI, antiqui Rectoris eiusdem Vniuersitatis. Vt amplius eodem diplomate cauetur, Dato Parisiis 15. April. 1663. Signatum, Per Regem, LE GROS.

Idem verò Bulæus ius suum transtulit in Franciscum Noël, Typographum & Librarium iuxta pactum cum eo initum.

In publicas Typographorum ac Bibliopolarum Parisiensium Societatis tabulas relatum 22. Martij 1664.

QVINTVM



QVINTVM SECVLVM VNIVERSITATIS PARISIENSIS.

AB ANNO 1200. AD ANNVM 1300.



NDENAM Seculum quintum Vniuersitatis feliciùs auspicabi-
mur & congruentiùs, quàm à singulari priuilegio, quod ei
Philippus Augustus anno 1200. indulsit? Ille enim Bestisiaci 1200.
edixit, ne deinceps Vllus Præpositus Parisiensis Iurisdictio-
nem vllam exerceret in Magistros & Scholares Academicos,
longè verò minus in Rectorem: illorumque causas & lites cu-
iuscunque generis essent, etiam Capitales ad forum Ecclesia-
sticum remitti voluit. Quod Edictum antequam proponimus, non abs re erit re-
ferre quam ob causam impetratum sit, quáque occasione: quam à Rogerio
Houedensi scriptore Anglo accipimus, sic scribente ad an. 1200. sub Ioanne
Angliæ Rege, quo regnante floruit.

Eodem anno 1200, inquit, *orta est grauis dissensio inter Scholares & Ciues Parisius, cuius origo talis fuit. Erat Parisius quidam Nobilis scholaris Teutonicus*, qui erat vnus Electorum in Episcopum *de Legis*. Huius Seruiens cum in taberna vinum emeret, verberatus est, & vas suum vinarium fractum est. Quo audito factus est concursus Clericorum Teutonicorum, & intrantes tabernam vulnerauerunt hospitem domus, & plagis impositis abierunt relinquentes eum semiviuum. Factus est ergo clamor Populi & commota est Ciuitas: ita quod Thomas Præpositus Parisius cum plebe Ciuitatis armata, armatus fecit Insultum in hospitium Clericorum Teutonicorum, in quorum conflictu nobilis ille Scholaris qui erat vnus de Electis in Episcopum de Legis (*du Liege*) interfectus est cum quibusdam suorum. *Magistri igitur Scholarum Parisius abeuntes ad Philippum Regem Franciæ, conquesti sunt ei de Thoma Præposito & de illius Complicibus qui interfecerunt prædictos scholares*: ad quorum instantiam captus est præfatus Thomas Præpositus, captique sunt Complices sui Quidam & incarcerati. Quidam autem illorum fugerunt relictis domibus & facultatibus suis. Rex quidem Franciæ iratus fecit domus illorum demoliri & vineas & arbores illorum fructiferas extirpari. De Præposito autem illo definitum est, quod ipse in carcere Regis non exiturus seruaretur, donec Iudicio aquæ vel ferri se mundauerit, & si perierit, suspendatur: & si mundus fuerit, abiuret Regnum in misericordia Regis. Attamen Scholares misertì illius supplicauerunt Regi Franciæ, vt Præpositus ille & Complices sui more scholarium in scholis flagellati, essent quieti & Facultatibus suis restituti. Sed Rex Franciæ hoc concedere noluit dicens, quod multum derogaret honori suo, si alius quam ipse vindictam sumeret de malefactoribus suis. Præterea idem Rex Franciæ timens quod Magistri Scholarum & Scholares à Ciuitate recederent, satisfecit eis statuens quod de cætero *Nullus Clericus trahatur ad seculare examen propter aliquod delictum quod fecerit*. Sed si Clericus deliquerit, tradatur Episcopo, & secundum Iudicium Cleri tractetur. Statuit etiam Rex Franciæ, quod quicunque fuerit Præpo-

ſitus Pariſius, iuret quod fidem ſeruabit Clericis ſaluâ fidelitate Regis. Præterea idem Rex dedit ſcholaribus firmam pacem ſuam,& eam eis chartâ ſuâ confirmauit. Præpoſitus autem ille cum per multos dies in Carcere Regis detentus fuiſſet, per fugam euadere propoſuit: & cum per murum dimitteretur,fractus eſt funis: & ipſe ab alto corruens in terram expirauit.

Huiuſce Hiſtoriæ miror eur non meminerint Rigordus & Cæſarius Heiſterbackenſis,ambo ſcriptores huius temporis,quorum ille Medicus erat Philippi Regis & multa de Vniuerſitate Pariſienſi refert: iſte eiuſdem Regis in Præpoſitos Parif. poteſtate & authoritate ſibi traditâ aburentes, ſeueritatem commemorat, vt ad an. 1193. retulimus. Vnde profectò patet multa quæ accidunt, ab Hiſtoricis contemporaneis aut conſultò, aut negligentiâ, aut obliuione præteriri: ac proinde non ſemper verum ac certum eſſe illorum argumentum,qui rem aliquam ideo negant factam, quod ſcriptores temporis eiuſdem factam non referant. Edictum autem & Priuilegium eſt eiuſmodi, vt in libris Rectoris & Procuratorum legitur & in Archiuis Vniuerſitatis ſeruatur.

Privilegivm Philippi Vniversitati concessvm.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Amen. Philippus Dei gratia Francorum Rex. Nouerint Vniuerſi præſentes pariter & futuri, quod propter illud enorme flagitium, quo Pariſienſes Clerici ſimul & Laïci quinque numero à quibuſdam maleficis interfecti ſunt, talem iuſtitiam faciemus,quod Thomam illum tunc Præpoſitum, de quo ſuper omnes alios, Scholares conqueſti ſunt,quia factum negat, in perpetuis vinculis detinebimus, in artâ cuſtodiâ & paupere victu quandiu vixerit, niſi forte elegerit Pariſius publicè aquæ ſubire iudicium, in quo ſi ceciderit, damnatus erit: ſi liberatus fuerit, nunquam Pariſius deinceps, vel alibi vſquam in terrâ noſtrâ propriâ Præpoſitus noſter vel Balliuus erit, nec alibi, dum id euitare poſſimus per rationem, nec Pariſius intrabit de cætero. Et ſi per bonam & legitimam inquiſitionem, quam commiſimus duobus fidelibus noſtris *Galtero Camerario* & *Philippo de Lws* ſine omni acceptione faciendam ſub abiuratione fidei, quâ Chriſtiani ſunt, quamque Nobis Domino ſuo Legitimo debent, & per iuramentum quod nobis fecerunt de honore & Conſilio noſtro intelligere potuerimus, quod amplius inde facere poſſimus aut debeamus, ſine vllo atteſtamento faciemus ſaluo honore Dei & noſtro. De aliis autem qui in Captione ſunt, pro eodem foreſacto, hoc faciemus, quod in perpetuis vinculis in Captione noſtra eos detinebimus, niſi iudicium aquæ ſubire maluerint & Innocentiam Deo teſte purgare: in quo ſi ceciderint, habebimus eos pro damnatis, niſi forte aliqui ex eis per bonam inquiſitionem Innocentes inuenti, vel in culpâ leuiore per interceſſionem Scholarium à Captione per Nos fuerint liberati. Eos autem qui fugerunt,eo ipſo pro damnatis habebimus & omnes Præpoſitos terræ noſtræ iurare faciemus, quod diligenter inquirent eos: & ſi quem ex eis capere potuerint, capient & nobis mittent Pariſius.

De Securitate autem Scholarium Pariſienſium in poſterum, de Conſilio hominum noſtrorum hoc ordinauimus, quod omnes Ciues Pariſienſes iurare faciemus, quod ſi alicui ſcholari ab aliquo Laïco iniurias fieri aliquas viderint, quod ſuper eo teſtimonium exhibebunt veritati, nec ſe ſubſtrahet aliquis ne videat. Et ſi contigerit, quod aliquis ſcholarem percuſſerit, niſi ſuper ſe defendendo, ſi ſcholaris maximè armis percutiatur, aut fuſte vel lapide, omnes Laïci qui viderint bonâ fide, comprehendent illum Malefactorem vel Malefactores & tradent Iuſtitiæ noſtræ, nec ſe ſubtrahent, ne videant, vel comprehendant, vel teſtimonium perhibeant veritati. Siue autem Malefactor captus ſit ſuper ipſum fore factum, ſiue non, Nos legitimam inquiſitionem faciemus per Fidelem, ſiue per Clericos, ſiue per Laïcos, ſeu per quaſcunque legitimas perſonas, & Præpoſitus noſter & Iuſtitiæ noſtræ idem facient. Et ſi intelligere potuerimus per bonam inquiſitionem, vel Iuſtitiæ noſtræ intelligere potuerint, quod ille cui imponitur, fecerit illud forefactum, ſtatim inde faciemus Iuſtitiam,ſiue Iuſtitiæ noſtræ hoc facient ſecundum qualitatem & modum forefacti, non obſtante quod Malefactor ille factum negabit, vel quod dicet ſe paratum eſſe defendere ſe per Monomachiam vel per Iudicium aquæ.

Præterea Præpoſitus noſter vel Iuſtitiæ noſtræ *pro nullo forefacto in Scholarem manum mittent*, nec in captionem noſtram mittent, niſi fore-factum Scholaris

tale visum fuerit, vt debeat arrestari. Et tunc arrestabit eum Iustitia nostra in eodem loco sine omni percussione nisi se defenderit, & reddet eum Iustitiæ Ecclesiasticæ, quæ eum custodire debet pro satisfaciendo Nobis & iniuriam passo. Et si forefactum grande visum fuerit, ibit, vel mittet Iustitia nostra, vt videat quid scholari fiet. Si verò se scholaris non defenderit in arrestatione illa, & iniuriam passus fuerit, Nos secundum prædictam inquisitionem & per iuramentum prædictum exinde vltionem capiemus.

Ad Hæc in CAPITALE PARISIENSIS STVDII SCHOLARIVM pro nullo forefacto Iustitia nostra manum mittet: sed si visum fuerit illud arrestandum esse, per Iustitiam Ecclesiasticam arrestabitur, & arrestatum custodietur: vt de illo CAPITALI (id. Rectore) fiat quod per Ecclesiam fuerit legitimè iudicatum. Quod si tali horâ fuerint scholares arrestati à Præposito nostro, quod non possit Ecclesiastica Iustitia inueniri, vel statim haberi, faciet Præpositus noster in aliquâ SCHOLARIVM domo eosdem sine omni iniuria custodire, sicut supra dictum est, donec iustitiæ Ecclesiasticæ tradantur.

De *Seruientibus Laicis Scholarium*, qui non debent Burgensiam nobis vel residentiam, nec viuunt de mercaturis, & inde Scholares non faciant iniuriam aliis sicut in eis erit, quod in eos manum non mittemus, nec iustitia nostra, nisi forefactum apparens fecerint, propter quod in eos debeamus manum mittere vel iustitia nostra.

Pro tenore siquidem Priuilegii quod scholaribus Parisiensibus contulimus, *Volumus vt Canonici Parisienses & eorum Seruientes in hoc priuilegio contineantur.* Sed volumus vt Seruientes tantum Parisius & eiusdem villæ Canonici eandem libertatem habeant quam eis Prædecessores nostri obseruare debuerunt, & nos eisdem obseruare debemus. Occasione autem prædictarum Conuentionum, vel occasione huius Chartæ in causam trahere non poterimus in Curiam nostram.

Vt autem hæc cautiùs custodiantur, & stabili in perpetuum iure firmentur, statuimus vt Præpositus nunc noster & Populus Parisiensis omnia prædicta in conspectu Scholarium se bona fide seruaturos iuramento confirment: & de cætero quicumque officium Præposituræ Parisiensis administrandum à nobis acceperit, inter ipsa Præposituræ suæ initia, Dominicâ scilicet primâ vel secundâ, in vna Ecclesiarum Parisiensium, postquam exinde submonitus fuerit, coram *Scholaribus* prædicta omnia se bona fide seruaturum publicè iuramento confirmabit. Quæ vt perpetuam obtineant stabilitatem, præsentem paginam Sigilli nostri authoritate & Regij nominis charactere inferius annotato præcipimus confirmari. Actum apud Bestisiacum anno Incarnati Verbi 1200. Regni verò nostri an. 21. astantibus in Palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. Signum Guidonis Buticularij. Sign. Mathæi Camerarij. Sign. Drogonis Constabularij. Data vacante Cancellaria.

Ad huiusce priuilegij intelligentiam operæ pretium est animaduertere 1. datum & concessum fuisse à Philippo occasione cædis iussu præpositi Parisiensis aut eo certè non improbante perpetratæ de Scholaribus extraneis, quos Rex iure Gentium & singulari patrocinio suo tutos & securos esse volebat. Extraneis inquam, vt accipimus ex loco supra allato Rogerij Houedensis, qui disertè notat vnum ex interfectis fuisse quendam Electum in Episcopum *de Legis* Gall. *de Lieges*: quis autem ille fuerit quanquam parum prodest scire, intelligitur ex Chronicô Alberici: notat enim post mortem Alberti de Cuick Episcopi Leodiensis diu fuisse de successore certatum. Nonnulli enim Conradum Monachum Villariensem elegerunt; Alij Henricum de Iacia Archidiaconum eiusdem Ecclesiæ; alij denique Hugonem eiusdem Præpositum. At notat ipse Conradum Abbatem fuisse Clareuallensem & postea Cardinalem; Hugonem Episcopatum obtinuisse; vnde consequens est, vt Henricus de Iacia in illo conflictu desideratus sit. Sic ipse scribit *diu pertractata fuit electio Leodiensis; & cum Quidam consentirent in Conradum Monachum adhuc nouicium de Villariis, qui post fuit Abbas Clareuallis & Cardinalis: Quidam in Henricum Archidiaconum qui dicebatur de Iacia: Quidam verò in Hugonem eiusdem Ecclesiæ Præpositum qui fuit filius Hugonis de Wasnadio, quorum mater fuit Clementia filia Comitis Witeri Reitestensis de prosapia Namurcensi, Hic Hugo factus Episcopus sedit 28. annis.*

2. Patet Vniuersitatem apud Philippum Regem conquestam fuisse de iniuriis sibi factis, Regem verò, veritum ne ipsa Parisiensem vrbem desereret, Thomam Præpositum supplicio damnasse, certè quod contra priuilegia eidem Vniuersitati concessa, & singulare Patrocinium quo Rex eam dignabatur, iniuriam Scholaribus intulisset.

3. Ne quid simile deinceps perpetraretur, omnes Vniuersitatis causas tam Capitales quàm Ciuiles ad forum Ecclesiasticum remisisse. Vnde patet ante annum 1200. Vniuersitatem Parisiensem veluti corpus laïcum subditam fuisse Prætori Vrbano seu Tribunali, vt vocant, seculari. Licet enim Cœlestinus III. ante paucos annos causas eius pecuniarias decidi voluisset ab Episcopo Parisiensi & Abbate San-Genoueſiano, credibile tamen est priuilegium eiusmodi, quia inconsulto Rege indultum fuerat, vim non habuisse, donec Philippus authoritate Regia quaslibet eius causas ad Examen Ecclesiasticum remisit.

4. Hocce priuilegio 4. personarum genera contineri. 1. *Scholares*, id. tam Magistros quàm discipulos, siquidem omnes *Scholarium* nomine appellantur: nam & Magister, *Scholaris* dicitur quia scholam habet, & discipulus *Scholaris*, quia scholam frequentat. Hinc quoque dicitur Vniuersitas *Parisiensis Studium Scholarium*. 2. Rectorem Vniuersitatis, his verbis. *In Capitale Parisiensis Study* Scholarium *pro nullo forefacto Iustitia nostra manum mittet*. Certum est enim moderatorem seu præfectum Scholæ *Caput* vulgò dici. Hinc apud Glabrum Rodulphum l. 3. c. 8. Heribertus S. Petri Puellaris apud Aureliam *Capitale* legitur *Schola* tenuisse dominium. Item & *Capischola* appellati *Scholastici* Ecclesiarum Cathedralium. 3. *Seruientes Scholarium*, qui non erant Mercatores aut Ciues Parisienses. 4. *Canonicos Ecclesia Parisiensis*, eorumque seruos Parisiis degentes, quos Philippus accenseri quodammodo voluit Vniuersitati, quia eorum plerique scholas etiam exercebant.

5. Ex his manifestè liquet Ecclesiam Parisiensem malè dici à nonnullis *Matricem* Vniuersitatis, eiusque Cancellarium Rectoris munus diu obiisse. Siquidem Philippus priuilegium suum proculdubio Vniuersitati propter Matricem concessisset, non Matrici propter Vniuersitatem, aut occasione Vniuersitatis. Nec Cancellarium, si Rector fuisset, à fori sui Iurisdictione singulariter exemisset, qui cum Sacerdos esset, lege Canonicâ liber esset debebat, & in foro Ecclesiastico iudicari.

6. Ex hocce Priuilegio sumendam esse originem Iuramenti, quod Præpositi Parisienses præstare consueuerunt Vniuersitati, de Conseruatione Regiorum Priuilegiorum, quorum nempe custodiam iis Reges nostri demandatam esse voluerunt.

Ex hocce autem priuilegio hoc quidem commodum consecuta est Vniuersitas, quod non amplius scholares aut Magistri carceribus mancipati sint, sed ad forum Episcopale remissi. At ex eo quoque nonnihil passa est detrimenti, quod Episcopus & Cancellarius hinc acceperint occasionem arrogandi sibi iuris quod ante non habebant: sic vt Cancellarius, qui sigilli custos fuisse videtur, illud sibi retinere voluerit, & pro licentiis salarium exigere: Episcopus verò vetuerit se inconsulto statuta facere: & alia eiusmodi, quæ magnarum turbarum causa fuerunt.

Eodem anno M. Petrus de Corbolio, qui nuper ad Cameracensem Cathedram euectus fuerat, ad Senonensem transfertur ab Innocentio III. Discipulo quondam suo inuitis licet & refragantibus Canonicis & toto Capitulo, qui Hugonem de Noeriis Episcopum Antissiodorensem elegerant, & per Legatos transferri depoposcerant. Quæ res non parum eorum animos offendit, vt legitur in Historia Episcoporum Antissiodorens. *Defuncto bona memoria Michaële Archiepiscopo Senonensi, concordi omnium consensu & votis ob præclara sua probitatis insignia ad regimen Ecclesiæ Senonensis adscribitur (Hugo) & apud sedem Apostolicam, vt de Antissiodorensi transferretur, ad eam ab omnibus postulabatur: sed Innocentius III. qui tunc agebat in Papatu, vir quidem voluntatis propriæ debito forte plus plerumque motum sequens, translationem ipsius pro suo arbitrio impediuit, vt Magistrum & quasi Nutritorem suum in Scholis dum esset in Francia, M. videlicet Petrum de Corbolio in illa præficeret Ecclesia, vel potius intruderet etiam renitente Capitulo;*

quod & fecit, & postulationem factam de Episcopo non tam iure quàm voluntate propria, si fas est dicere, non admisit; sicque Diuinâ factum est prouidentiâ, quod Ecclesia Antissiodorensis cum qua connuby spiritualis fœdus contraxerat, nequaquam tanti Patris diuortio vidua remaneret.

Quamobrem verò Pontifex Hugonem admittere noluit? nempe didicerat ipsum non paruisse sententiæ interdicti, quam Petrus Cardioalis tulerat in Regem & Regnum ob Regis ab vxore legitima diuortium vt ad an. 1199. retulimus. Quam in rem extat ipsius Innocentij Decretalis. *De postulatione Prælatorum* ad Decaoum & Capitulum Senonense, his verbis.

Innocentius Episcopus... Ad hæc in B. Petro... Et infra. Cumque de facili non possetis in vnum locum & propositum conuenire, sed ad Nos fuisset ab aliquibus appellarum, tandem conuenientes in vnum, Antissiodorensem Episcopum postulastis. Postulationem vestram per M.R. Præcentorem vestrum & per Abbatem S. Petri exponentes & petentes, vt faciendæ translationi pium præberemus adsensum. Verum quoniam antequam idem Magister ad sedem Apostolicam accessisset, Nobis quasi pro certo constabat quod idem Episcopus Interdicti sententiam non seruasset, quod etiam idem Magister non negauit, in fratrum nostrorum præsentia requisitus à nobis, in ipsius Episcopi excusationem allegans quod sententiam latam seruare nullatenus tenebatur, quæ ad eius notitiam nec per litteras nostras, nec per Cardinalem tunc Apostolicæ sedis Legatum, qui eandem sententiam promulgarat, nec per deputati ad hoc executoris mandatum vel litteras peruenisset. *Et infra.* Quod nec sufficit, imò nec proficit ad excusationem prædicti Episcopi, cum Cardinalis idem sententiam Interdicti præsentibus multis solemniter ac publicè promulgauit: & eadem Interdicti sententia in Regno Francorum iam à multis publicè cœperit obseruari, nec sit necessarium, cum Constitutio solenniter editur aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel litteras inculcare, sed id solum sufficit, vt ad eius obseruantiam teneatur qui nouerit eam solenniter editam aut publicè promulgatam: cum & contra quosdam qui Sardicense Concilium non seruabant, tanquam illud non habuerint aut percepetint, Canonica tradat authoritas, quod eis non facile facultas credendi tribuitur, cum idem penes illos in suis regionibus actum fuerit & receptum. Nec valet quod in Altissiodorensi Diœcesi dictus Rex terram propriam dicitur non habere, cum Nos terram totam Regis ipsius subiici mandauerimus Interdicto, & Cardinalis nostrum interpretatus mandatum in terram illam sententiam promulgauerit, quæ Regi tunc temporis adhærebat. *Et infra.* Nos igitur qui secundum Apostolum prompti sumus inobedientiam omnem vlcisci, eiusdem Episcopi Altissiodorensis inobedientiam attendentes, ne nil obedientia prodesse videretur humilibus, si contemptus contumacibus non obesset, cum iuxta Canonicas sanctiones quædam sint culpæ, in quibus culpa est relaxare vindictam, postulationi huiusmodi non propter postulantem Ecclesiam, sed propter postulatam personam repulimus vt indignam. Licet autem ex eo quod hominem qui vestro non conueniebat proposito, postulastis, cum vos interdicti sententiam seruaretis, & ipse eam contemneret obseruare, permissâ vobis facile abusi fueritis potestate: ac ideo vos ea non immeritò priuare possemus, de solita tamen benignitate concedimus vt vobis per postulationem seu Electionem Canonicam de persona congrua consulatis.

His acceptis litteris dum alij voluntati Pontificis contradicere audent, alij parendum censent; Quidam postulant M. Petrum de Corbolio Cameracensem Episcopum: quorum postulationi acquiescens Octauianus Ostiensis Legatus, eum ad Archiepiscoparum Senonensem euocat, postulataque ab Innocentio huiusce facti approbatione & confirmatione, sic rescripsit Innocentius.

Innocentius... Dilecto filio Octauiano Hostiensi Episcopo Apostolica sedis Legato... Gratum gerimus & accepimus ex litteris tuis, quod Canonicis Senonensibus, quorum postulatio nostrâ fuit authoritate cassata, licet Cassationis litteras suppressissent in fraudem, vt Canonici ad Electionem procederent, mandauisti, &c. Cumque plures eorum postulationem cassatam à nobis innouare denuo niterentur, Quidam verò Episcopum Cameracensem in Archiepiscopum postula-

„ uerunt, tu intelligens eos qui cassationem nostram quodammodo reuocare vo-
„ lebant, eligendi priuilegium amisisse: quia concessa sibi ex Apostolicæ sedis
„ benignitate abuterentur temere potestate, ac ideo ad alios licet pauciores nu-
„ mero, quantum tamen ad hoc pertinet, Concilio saniores eligendi vel postu-
„ landi deuolutam esse licentiam, prædictum Cameracensem ad eorum instan-
„ tiam in Pastorem authoritate fretus Apostolica prouidisti. Nos igitur à solicitu-
„ dine Cameracensis Ecclesiæ ipsum reddidimus absolutum, quod à te de man-
„ dato nostro factum est, authoritate Apostolica confirmantes. Huius translationis meminit Robertus Antissiodorensis in Chronico. *Idem Legatus*, inquit, *Petrum de Corbolio qui litteratura secularis & Theologia prærogatiua famosus in Scholarum regimine Parisius diu claruerat & de cathedra Magistrali ad Cameracensis Ecclesiæ Cathedram nuper assumptus fuerat, tam de assensu Regis quàm D. Papa Clero licet præter paucos, inuito in Senonensem Ecclesiam inthronizat.* Ita igitur M. Petrus de
„ Corbolio de dignitate ad dignitatem ascendens in Senonensi Cathedrâ sedit
„ per 20. annos & amplius. Antissiodorensis autem Episcopus non seruati interdi-
„ cti apud Papam accusatus Romam proficisci coactus est, ibique suam innocen-
„ tiam tueri & propugnare, vbi paulò post obiit, nempe an. 1206. & in Ecclesia
„ Lateranensi B. Ioannis quæ Constantiniana dicitur, D. Papa & Cardinalibus
„ præsentibus honorificam meruit sepulturam.

Quis autem est ille Octauianus Legatus? nempe Episcopus Ostiensis, qui cum Ioanne de S. Paulo Velletrensi Episcopo & Cardinale in Franciam ab Innocentio missus fuerat, vt de diuortio cum Rege ageret, legitimamque vxorem Ingeburgem in gratiam recipi curaret, & Franciam interdicto solueret: quâ de re sic legitur in Chronico Antissiodorensi. *Anno Dom. 1200. erat in toto Regno lugubris Ecclesiæ facies, quia nulla celebrabantur in Ecclesiis sacramenta vel Diuina Officia præter Viaticum & Baptisma. Nec modò in Ecclesiis, sed & in Monasteriis cessatum est à Diuinis, negabatur mortuis sepultura. Erat igitur vbique per Regnum mœstitia circumfusa, cum hic Ecclesiæ silerent, organa & ora Canentium Daminum clauderentur. Octauianus Ostiensis Episcopus à D. Papa legatus in Franciam Regnum absoluit, Regem ad hoc induxit, vt Reginam quam expulerat, in Regnum reducat, non tamen cum debito honore susceptam nec thoro redditam maritali.*

Non statim tamen consensit Philippus: quinimo causam suam agitari voluit à viris Doctis & Iurisperitis: in eamque rem habita est Synodus Suessionensis, in qua per quindecim dies de materia illa acerrimè hinc & inde disputatum: donec Rex in re ambigua certiorem partem amplexus, Ingeburgim de synodo secum abduxit & recessit. Rem sic narrat Rigordus. *Tunc conuocatum est Concilium Suessionis ab Octauiano & Ioanne de S. Paulo Presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legatis. Cui interfuit Philippus Rex cum Archiepiscopis, Episcopis & totius Regni Principibus mense Aprili, vbi tractatum fuit per 15. dies de matrimonio Ingeburgis Reginæ confirmando vel separando. Post varias & multas disputationes Iurisperitorum Rex longâ morâ tædio affectus, relictis ibi Cardinalibus & Episcopis cum Ingeburge vxore sua summo mane ipsis insalutatis recessit, mandans illis per Nuncios suos, quod vxorem suam secum ducebat sicut suam, nec separari tunc ab ea volebat. Quo audito solutum est Concilium stupefactis Cardinalibus & Episcopis, qui ad diuortium faciendum conuenerant. Et tunc Ioannes de S. Paulo cum nimia erubescentia penitus recessit. Octauianus autem in Francia remansit. Et sic Philippus Rex hac vice manus Romanorum euasit.*

Hæc synodus habita est sub finem an. 1200. vel initio an. 1201. vt scribit Rigordus. Paulo post verò recepta Ingeburgim, Maria quam Rex superinduxerat, obiit in quodam Cœnobio Monialium & in Ecclesia B. Corentini à Medunta sex mille passibus distante honorificè sepulta est relictis duobus liberis quos ex Philippo genuerat; & eos Innocentius ad petitionem Regis Francorum, inquit Rigordus, legitimos esse mandauit; idque postmodum litteris suis confirmauit: quod factum eo tempore pluribus displicuit. Rex autem Abbatiam 120. Virginum sub Abbatissa fundauit eo loco vbi Maria sepulta est.

Miracula Eustachii de Flay. Ad eundem annum Rogerius Houedensis historiam persequitur eorum virorum, qui Fulconi presbytero & Concionatori adhæserant, (de cuius actis ad an. 1198. mentionem fecimus) præsertim quo ad miracula quæ Eustachius Abbas de Flay operatus est in Anglia & Normania. *Eodem anno*, inquit, *vnus ex con-*

fortibus supradicti Fulconis dictus D. Eustachius Abbas de Flay venit in Angliam à partibus Normaniæ prædicare Verbum Domini, fecitque mirabilia in vita sua. Inter quæ vnum opus fuit, quod est mirabile in oculis nostris. Venit itaque prædictus Eustachius non longè à Cantuaria ad villam quæ dicitur... & benedixit ibi fontem quendam cui Dominus tantam infudit gratiam, quod Cœci visum, Claudi gressum, Muti loquelam, Surdi auditum, & quisque debilis qui ex fonte benedicto biberet, sanitatem se recepisse gauisus est. Venit igitur quædam mulier ad Abbatem illum à Dœmonibus arrepta, & vltra quam credi fas est grossa, quasi morbo hydropico inflata, & petiit ab eo sibi restitui sanitatem. Cui Abbas ille respondit, Confide filia, & vade ad Natatoria fontis de..... cui benedixit Dominus & bibe ex eo, & recipies inde sanitatem. Et abiit, & bibit & vomuit; & exierunt ab ea duo bufones magni & nigri, qui statim conuersi sunt in immensos canes & nigerrimos: & paulo post conuersi sunt in Asinos. Mulier autem stabat attonita, & aliquando cucurrit post illos furibunda volens eos apprehendere si posset. Sed quidam vir, qui deputatus erat ad fontem illum custodiendum, aspersit aquam de fonte illo sumptam inter mulierem & monstra illa; quæ statim abeuntia ascenderunt in altum relinquentia post se fœda vestigia. Mulier quidem ab illa hora salua facta est magnificans Deum, qui talem potestatem dedit hominibus. Præterea prædictus Abbas veniens ad Rumenel vbi erat aquæ defectus, ad preces populi in Ecclesia eiusdem villæ baculo suo Petram percussit, & fluxerunt aquæ, quarum haustus languoribus diuersis medetur. Ipse etiam prædicatione sua corda multorum conuertit ad vsurarum relaxationem & ad crucem Hierosolymitanæ profectionis capiendam. Londoniis autem & in aliis locis multis per Angliam prædicatione suâ effecit, quod de cætero in diebus Dominicis forum rerum vænalium nequaquam exercere præsument. Statuit etiam Londoniis & in quibusdam aliis locis, quod in singulis Ecclesiis vbi facultas expetit, erit semper lampas ardens vel aliud lumen indeficiens ante Corpus Domini. Et impetrauit prædicatione sua, quod multi ex Ciuibus & ex aliis viris sapientibus habent quotidie in mensa suâ discum Eleemosynarium, in quo condunt aliquam partem Cibariorum suorum ad opus indigentium, qui non præparauerunt sibi. His igitur & aliis operibus misericordiæ inimicus humani generis inuidens excitauit contra virum Dei Ministros iniquitatis qui dixerunt ei. NON LICET TIBI MITTERE FALCEM IN MESSEM ALIENAM. Quibus ille respondit, *Messis quidem multa, operarij verò pauci.* Itaque prædictus Abbas à Ministris Sathanæ increpatus noluit diutius Prælatos Angliæ suâ prædicatione molestare, sed reuersus est in Normaniam ad locum vnde venerat.

Rediit tamen anno sequente in Angliam & indefesso labore opportunè importunè crimina redarguit, vitia expulit, virtutum amorem inspirauit. Quid verò sigillatim egerit, narrat idem author. *Eodem anno*, inquit, *hoc est an. 1201.* Eustachius Abbas de Flay rediit in Angliam & prædicans in ea verbum Domini de Ciuitate in Ciuitatem & de loco in locum prohibuit, ne quis forum rerum vænalium in diebus Dominicis exerceret. Dicebat enim quod hoc mandatum subscriptum de obseruatione diei Dominicæ venit de Cœlo, Mandatum sanctum diei Dominicæ quod de cœlo venit in Ierusalem. Et inuentum est super altare S. Simeonis quod est in Golgotha, vbi Christus Crucifixus est pro peccatis mundi: Et mandauit Dominus hanc Epistolam, quæ apprehensa est super altare S. Simeonis: quam per 3. dies & 3. noctes homines aspicientes corruerunt in terram rogantes Dei misericordiam: & post horam tertiam erexit se Patriarcha & Akarias Archiepiscopus, & expanderunt infulam & sanctam acceperunt Epistolam Dei; quam cùm accepissent inuenerunt superscriptum istud, *Ego Dominus qui præcepi vobis vt obseruaretis diem 7. Dominicum, & non custodistis eum & de peccatis vestris non pœnituistis*, sicut dicitur per Euangelium meum. *Cœlum & terra transierunt, verba autem mea non transibunt*, &c.

Peruenit igitur D. Eustachius Abbas de Flay Eboracum, & à Gaufrido Eboracensi Episcopo & Clero & populo Ciuitatis honorificè susceptus prædicauit verbum Domini & de transgressione Dominicæ Diei & aliarum festiuitatum

„ dedit populo pœnitentiam & absolutionem &c. His ergo & aliis sancti huius vi-
„ ri monitis inimicus humani generis inuidens misit in cor Regis & principum
„ tenebrarum, quod isti præceperunt vt omnis qui prædictas traditiones custodi-
„ rent, & maximè omnes qui in diebus Dominicis forum rerum vænalium derise-
„ rant, ad Regium examen satisfacturi de obseruantia Diei Dominicæ ducerentur.
„ Sed Dominus Deus noster I.C. cui obediendum est magis quam hominibus, qui
„ natiuitate & resurrectione sua & aduentu suo & missione Spiritus S. in Discipulos
„ suos sibi hanc diem quam Dominicam vocamus, illustrauit & celeberrimam de-
„ dicauit, virtutis suæ miracula suscitauit, & in quosdam Dominicæ diei trans-
„ gressores manifestauit.

Hoc anno obiit Hugo Lincolniensis Episcopus Burgundus, moribus clarior quàm parentela, inquit Mathæus, qui ab annis puerilibus studiis litterarum addictus, decennis effectus Canonicis Regularibus traditus fuerat disciplinis cœlestibus informandus. Inter quos tam moribus quàm scientia regulariter imbutus, post curriculum 16. annorum in quadam Cella Prioris officium suscepit. Postea ad Ordinem Carthusiensem se contulit. Vocarus in Angliam, Prior fuit Carthusiensium: postremo Lincolniensis Episcopus factus, & completis in Episcopatu annis 14. in vrbe Londinensi obiit 15. Kal. Dec. Insignem eius vitam & actiones legere est apud Mathæum Paris.

Eodem anno Philippus & Ioannes Anglorum Rex pacem ineunt. Ludouicus Philippi filius Blancam Hildefonsi Castellæ Regis filiam & Ioannis neptem vxorem ducit. Ob idque Ioannes Rex Angliæ *quittauit omnes munitiones*, verba sunt Rigordi, *& Ciuitates & Castella, & totam terram quam Rex Francorum ceperat, Ludouico prædicto & hæredibus suis in perpetuum.*

1201. Anno 1201. res accidit in Vniuersitate planè mirabilis & signata miraculo, quam refert Mathæus Parisiensis de *M. Simone* de Churnay vel potius *de Tournay* celeberrimo & subtilissimo in Academia Paris. Theologiæ Professore, quamque ait se á M. Nicolao de Fuly, qui postea fuit Dunelmensis Episcopus, teste oculato didicisse. Ille enim cum de mysteriis Diuinis promisisset se dicturum, imò iactitaret se posse facilesi vellet, illa destruere, subito elinguis factus, quæ didicerat, omnia dedidicit, & litteras ipsas Alphabeticas veluti si eas numquam didicisset, pronunciare & de nouo discere exorsus est. Rem ergo sic narrat.

MIRACVLVM DE SIMONE TORNACENSI. *Ipsis quoque diebus*, inquit, *Quidam Magister Parisiensis natione Francus, nomine Simon cognomento Churnay*, ingenio capacissimus & memoriâ tenacissimus, cum per decennium *Scholas Artium* nobilissimè rexisset, *vt pote in Triuio & Quadriuio*,
„ idest *in septem Liberalibus artibus* peritissimus se contulit ad Theologiam: in qua
„ cum paucos annos desudasset, adeo profecit, quod dignissimè Cathedram ascen-
„ dit Magistralem. Legit igitur subtiliter valde & subtilius disputauit, quæstiones
„ difficillimas & inauditas soluendo & eleganter dilucidando. Tot habuit Audito-
„ res, quot amplissimum Palatium potuit continere. Vna igitur dierum cum nimis
„ profundis rationibus in medium propositis de Trinitate subtilissimè disputasset,
„ & dilata fuisset Determinatio vsque in Crastinum, omnes Theologi Schola-
„ res in Ciuitate præmuniti ad audiendum tot Quæstionum inextricabilium so-
„ lutiones, ad ipsius famosam scholam certatim ac cateruatim confluxerunt. De-
„ terminauit igitur Magister omnes Præctactas Quæstiones, & quæ videbantur
„ omnibus inenodabiles tam dilucidè, tam eleganter, tam Catholicè, vt omnes
„ Auditores redderet stupefactos. Et post Determinationem accesserunt Qui-
„ dam ipsius familiariores & ad discendum auidiores, postulantes à Magistro
„ vt eo dictante quæstiones litteris commendarent. Dixerunt namque indignum
„ esse & iacturam irrestaurabilem, si memoria tantæ scientiæ deperiret. Quibus
„ ipse elatus & maior sibi se, ait oculis subleuatis & temere solutis in cachinnum
„ *O Iesule Iesule quantum in hac Quæstione confirmaui legem tuam & exaltaui! profectò si*
„ *malignando & aduersando vellem, fortioribus rationibus & argumentis scirem illam in-*
„ *firmare & deprimendo improbare.* Et hoc dicto elinguis penitus obmutuit, non tan-
„ tum mutus, sed idiota & ridiculosè infaruatus, nec postea legit vel determinauit;
„ & factus est in sibilum & derisum omnibus qui hoc audiebant. Vir igitur intra
„ biennium dedidicit litteras cognoscere: at vltione aliquantulum mitigatâ à filio
„ suo quodam diligenter edocente vix potuit *Pater noster* & *Symbolum* discere,

retinere

retinere & balbutiendo pronunciare. Hoc igitur miraculum multorum Scholastium ſuppreſſit arrogantiam & iactantiam refrænauit. Hæc vidit M. Nicolaus de Fulij vir magnæ authoritatis, qui poſtea Epiſcopus Dunelmenſis factus fuit: ex cuius relatu & certo teſtimonio hæc litteris commendaui, ne vetuſtas tantum miraculum aboleret, eodem Epiſcopo ſuadente. Et eſt ſermo omni acceptione digniſſimus. De M. Simone diximus ad ſeculum ſuperius & in Catalogo virorum Illuſtrium.

Eandem Hiſtoriam refert Thomas Cantipratanus Dominicani Ordinis l. 2. c. 48 n. 5. his verbis. *Quàm* vera & quàm efficax ſit illa ſententia Iſaiæ, *confundentur omnes plectentes & texentes ſubtilia*, exemplo euidentiſſimo ſub noſtro fere tempore videamus. *M. Simon de Tornaco in Theologia regebat, & erat excellens illo ſuo tempore*: ſed contra decentiam talis officij ſupra modum incontinens & ſuperbus. Hic cum ſuper omnes Doctores Ciuitatis Auditores haberet, & in ſchola coram omnibus de humiliore altiſſimæ doctrinæ Chriſti Quæſtionem diſputatione præhabitâ determinaret, in fine tandem datus in reprobrum ſenſum, in execranda contra Chriſtum blaſphemiæ verba protupit. Tres ſunt, inquit, *qui mundum ſectis ſuis & dogmatibus ſubiugarunt, Moyſes, Ieſus & Mahometus. Moyſes primò Iudaicum populum infatuauit. 2. Ieſus Chriſtus à ſuo nomine Chriſtianos. 3. Gentilem Populum Mahometus.* Nec mora euerſis oculis pro humanâ voce mugitum emiſit, & epilepſia ſtatim eliſus in terram die tertio eiuſdem morbi vindictam accepit. Plaga ergo inſanabili eum percuſſit omnipotens, & omni ſcientiâ vſque ad prima litterarum elementa priuauit, & grauiori quidem in anima cum hac plaga percuſſus eſt, cum vſque in diem mortis ſuæ quaſi mutus comparatus eſt iumentis inſipientibus & in luxuriæ fœditate permanſit. Et vide ſupremæ admirationis miraculum. Alcidem fornicariam Concubinam ſuam nominare poterat & ſciebar. Boëtium verò de Trinitate qui iuxta eum ad ſpectaculum ponebatur, quem olim cordetenus ſcierat, poſt inditam plagam nec nominare poterat, nec valebat.

Eiuſdem viri meminit quidem Henricus de Gandauo lib. de ſcriptoribus Eccleſ. c. 24. eumque ait fuiſſe ſubtiliſſimum & acriorem quàm par eſſet Ariſtotelicæ doctrinæ ſectatorem: at plagam iſtam ei inflictam non commemorat. *Simon*, inquit, *Tornaci oriundus* ex Dialectico ſubtiliſſimo, imò omnium Liberalium artium fere ſui temporis peritiſſimo, *Theologicæ etiam ſcholæ Pariſius Cathedram meruit aſcendere Magiſtralem*, in qua plurimos habuit auditores. Scripſit librum quem vocauit SENTENTIARVM SVARVM. Scripſit etiam Quæſtiones ſuas, quas in ſcholis ſuis diſputatas determinauit Pariſius. Expoſuit etiam ſymbolum quod dicitur Athanaſii ſubtiliter: ſed dum nimis & in hoc & in aliis ſcriptis ſuis Ariſtotelem ſequitur, à nonnullis modernis hæreſeos arguitur.

Fuerunt & alii tunc temporis nimis arguti Diſputatores in artibus & ſubtiliores Interpretes, quos Odo Theologus & Cancellarius Pariſienſis, poſtea Cardinalis & Epiſcopus Tuſculanus factus redarguit in ſermone Dominicæ 2. poſt feſtum S. Trinitatis. *Et nota*, inquit, *quod cibo quem tulerunt filii Iſrael de Ægypto, 30. diebus vſi ſunt, manna 40. annis*, ad notandum quod in ſcientiis Philoſophorum modicum debemus morari, in Theologia omnibus diebus. Sed moderni totum tempus in ſeculari ſcientia expendunt, parum vel nihil de ſciéntia Dei curantes: ſicut Ruſticus qui ventrem ſuum ſic implet pane hordeaceo, quod ſuperaddere non poteſt de pane albo. Similiter Quidam ſemper ſtant in oſtio, & in Domo Theologiæ nunquam intrant. Sed turpe eſt, vt Machab. 2. in procemio effluere in hiſtoria ſuccingi. Procemium dico artes: Hiſtoriam, ſacram ſcripturam. Artes ſunt quaſi ancillæ: Theologia, domina. Sic pleriq; adulterantur cum ſuis ancillis, de Domina parum curantes, ſed contra præſumentes ſupra vires.

Hoc anno cum Cruce-ſignati Franci, Germani & Veneti Iaderam Dalmatiæ vrbem quæ vulgò Zara dicitur, cepiſſent contra Interdictum Innocentii, omneſque proinde excommunicationis pœnas incurriſſent, Franci Germanique pœnitentes Romam miſerunt Epiſcopum Sueſſionenſem, Martinum Abbatem & M. Ioannem Doctorem Pariſienſem, vt abſolutionem impetrarent, impetraruntque ea lege vt Eccleſiæ mandato parerent, & Regi Hungarorum propter captam Iaderam ſatisfacerent.

COLLIGIUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Item Balduinus Flandriæ Comes à Francis Venetisque Constantinopoli constitutus Imperator, Ecclesiam Constantinopolitanam Romanæ sedi subiicere conatur; qui vt Græcos eum Latinis firmius coniungeret, odiumque quod habent penitus insitum Græci, ex eorum animis deleret, misisse dicitur in Galliam quamplurimos lectos pueros Lutetiæ in artibus, moribus & exercitiis Christianis erudiendos. Quibus extructum est ad ripam Sequanæ prope Fotum Malbertinum Philippo Regnante *Collegium Constantinopolitanum seu Græcum* nomine dictum. Quâ de re sic Filesacus in suo de statutis Theologiæ libello. *Quin etiam post expugnatam* Constantinopolim à Francis & Venetis sacro fœdere iunctis Philippo Augusto Rege Lutetiæ conditum est Collegium Constantinopolitanum ad ripam Sequanæ prope forum Malbertinum, nescio an arcano Imperii consilio, vt Græcorum liberi Lutetiam venientes vnâ cum linguâ Latinâ paulatim vetus illud & patrium in Latinos odium deponerent, eorumque humanitatem & benignitatem experti ad suos reuersi non sine magno Latini nominis incremento virtutes illas passim prædicarent: an velut obsides habiti, qui si quid parentes & affines Græcâ leuitate aduersus Latinos molirentur, ipsi adolescentes Lutetiâ conclusi luerent.

M. Richardus de Wassebourg in 1. antiquitatum Galliæ Belgicæ volumine l. 7. fol. 470. pag. 2. ait de Collegio Marchiano loquens, olim duo fuisse Collegia contigua *Marchianum & Winuillaeum*: Marchianum verò fundatum fuisse eo loco, vbi olim erat Collegium Constantinopolitanum; quod cum vetustate collapsum fuisset, M. Guillelmum de Marchia ex Decreto & consensu Vniuersitatis locum emisse construendo nouo Collegio quod de suo nomine *Marchiam* appellauit. Obiit autem M. Vuillelmus an. 1420. & apud S. Victorem sepultus est. De hoc Collegio dicimus alibi.

COMMENDATIO ACAD. PARIS.

Eodem Anno Ioannes Anglorum Rex Lutetiam venit, Academiam lustrat, à Clericis seu Scholaribus festiuè excipitur. Eodemque anno habitum est Lutetiæ Concilium contra Hæreticos plurimos, ad quod complures è Magistris Parisiensibus aduocati fuerunt, teste Roberto Antissiodorensi in Chronico qui sic rem narrat. *Ioannes Rex*, inquit, *Parisius vrbem quidem egregiam ob Dignitatis Regiæ sedem, sed Doctorum in omni scientiâ præeminentium frequentiâ plus insignem venit*, & à Rege cum ingenti honore atque tripudio, Clero simul ac populo solenniter accurrente exceptus est. Euraudus Miles (*de Castro nouo* cognominatus) quem Henricus (imò Heruæus) Niuernensis Comes terræ suæ præfecerat, vir in rebus seculi versatus admodum oppressorque minorum, Hæresis illius quam Bulgarorum vocant coram Legato arguitur, & dies ei præfigitur de obiectâ hæresi se purgandi. Legatus Concilium Parisius conuocat: in quo assidentibus eum Legato Archiepiscopis & Episcopis Regni *Parisiensibusque Magistris, Euraudus* statuitur, & multis contra eum testimoniis testibusque productis, maximéque Hugone Antissiodorensi Præsule vrgentius insistente, hæreticus esse conuincitur, & expletâ definitione iudicii puniendus traditur potestati. Attamen vt dispensationis suæ redderet rationem, redditur interim Comiti Niuernensi. Dehinc Niuernis adducitur, & in conspectu omnium, quibus ob illata grauamina exosum se se fecerat, flammis exuritur.

CONTRA HÆRETICOS NIVERNENSES.

Huiusce Hæreseos peste infectus quoque erat Decanus Ecclesiæ Niuernensis & Euraudo militi pro posse fauebat, quanquam non apertè eam profiteretur. Itaque Innocentius Pontifex nascenti periculo occurrendum ratus M. Petro Corboliensi Archiepiscopo Senonensi mandat, vt Decanum illum de hæresi suspectum se purgare, eamque abiurare cogat. Sic igitur ille.

Innocentius Episcopus &c. Inter solicitudines nostras illa debet esse præcipua, vt capiamus vulpeculas quæ moliuntur vineam Domini demoliri, species quidem habentes diuersas, sed caudas admodum colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum. Hi sunt namque caupones qui aquam vino commiscent, qui virus Draconis in aureo calice Babylonis propinant, qui iuxta verbum Prophetæ, arcum rem amaram intendunt vt sagittent innoxios in occultis: quorum error serpit vt Cancer: ita quod nisi botrus in flore excidatur, fructum non solum amarum, sed etiam pestiferum germinabit. Hoc Apost. egregius prædicator in Epistola sua prophetico sermone describit, & docet omnimodis euitandos, contra quos facer-

dotes tubis argenteis clangere debent, vt conclamante populo arca fœderis præcedente muri corruant Hiericho, quæ iam fuerat perpetuo anathemate condemnata: ita quod si quis ex ea vel regulam auream furari præsumpserit, cum Achor filio Charmi lapidibus obruatur. Tu ergo sicut vir prouidus & discretus veri Pastoris adimples officium, & super grege tibi commisso purè ac plenè solicitudinem pastoralem exerces, dum & legem Christi zelaris & Hæreticorum impugnans errorem in fautores ipsorum exeris gladium Canonicæ vltionis. Vigilans enim vigilas super grege tuo, ne relicto veri Pastoris Ouili, quod est vnum, Oues aberrent post vestigia Gregum, qui non sunt ex eo temerè abeuntes, vel ne lupus eas rapiat & dispergat, quas veritas in eodem Ouili sub vno Pastore fidei Catholicæ couniuit inter præcipuos quidem vineæ Domini Sabaoth Agricolas deputatus, vulpeculas quas descripsimus, non poteris eius sepem demoliri, sed ea vel capere potius satagis vel fugare. Sanè sicut ex litteris tuæ Fraternitatis accepimus, cum ad preces venerabilis fratris nostri Altissiodorensis Episcopi ad villam quæ *Charitas* dicitur, accessisses præsentibus eodem & Venerabilibus fratribus nostris Niuernensi & Meldensi Episcopis in vnum fecisti eiusdem villæ populum congregari; vbi de Hæreticis & eorum dogmatibus inquisitione diligenti habitâ, inter alios quos super hæretica prauitate reperisti publicè infamatos, Decanum Niuernensem in communi didicisti opinione grauari, & in eo & per eum non modicum fuisse scandalum Catholicorum animis declaratum. Vnde propter vehementem infamiam & graue scandalum, ipsum ab Officio & Beneficio suspendisti apud Altissiodorum, ei diem certum assignans quo tuo se conspectui præsentaret, ab obiecto crimine se defensurus. Cumque statuto termino ad tuam præsentiam accessisset præsentibus dictis Altissiodorensi & Niuernensi Episcopis ac pluribus in vtroque Iure peritis, cum certus accusator contra eum minimè compareret, Tu ex officio tuo testes tam pro ipso quàm contra ipsum recipi ac diligenter examinari fecisti, & attestationes etiam publicari. Cumque postmodum se non ad consessum & diem tuo se conspectui præsentasset, cum facultatem ei liberam indulsisses in testes ac eorum dicta dicendi ac proponendi suas in medium rationes quibusdam propositis probationibus & allegationibus tandem renuncians sententiam postulauit. Tu verò cum venerabilibus fratribus nostris Trecensi ac dictis Altissiodor. & Niuernens. Episcopis secedens in vnum inspectis attestationibus diligenti & adhibito plurium consilio sapientium, quia Crimen contra eum liquido probatum non erat, ipsum non duxisti de hęresi condemnandum. Verum quoniam ex dictis Testium multa erat præsumptio contra eum, vt pote cum esset manifestè probatum eum familiaritatem hæreticorum non solum habuisse, sed etiam captasse scienter cum publica etiam laboraret infamia, & tantum suscitatum esset scandalũ contra ipsum quod non possit Canonica purgatione delere, nec ipsum absoluere, nec purgationem quam obtulerat, ab initio & tunc etiam offerebat, recipere noluisti, sed ipsum cum litteris tuis ad sedem duxisti Apostolicam destinandum, intelligens quòd ex concessâ nobis plenitudine potestatis citra pugnam Canonicam dispensare possimus, & vltra eam rigorem seueritatis augere. Cæterum ei postmodum in nostra præsentia constituto communem audientiam instituto Consistorio nostro concessimus, vbi se multipliciter nixus est excusare; illud præsertim allegans quod cum non apparente accusatore legitimo purgationem offerret, testes contra eum non fuerant aliquatenus admittendi. Nos igitur *litterarum scientiam & honestatem morum* in te pariter attendentes, licet Ecclesiastica Constitutio tales ab officio tantùm vsque ad purgationem Canonicam doceat suspendendos, quia tamen eum etiam à Beneficio propter immanitatem criminis suspendisti, nolumus improbare, nec illud etiam improbamus, quod licet contra eum nullus accusator legitimus appareret, ex officio tuo tamen, fama publica deferente, voluisti plenius inquirere veritatem. Attendentes autem vulgatam infamiam, graue scandalum & vehementem suspicionem ex testium dictis obortam, quæ contra Decanum facere videbantur, cum propter eorum quodlibet ei esset purgatio indicenda, & seruantes Iustitiam & mollientes rigorem, purgationem ei quatuordecim manus sui ordinis duximus indicendam. Ipsum igitur ad te remittentes, vt ibi purgetur, vbi noscitur infamatus, mandamus quatenus accitis tecum Niuernensi

„ & Parisiensi Episcopis indictam ei purgationem accipias: ita tamen vt qui ad eius
„ purgationem processerint comprobandam, sint fide Catholicâ & vitâ probati,
„ qui conuersationem & vitam ipsius non tam moderno tempore nouerint quàm
„ transacto. Purgatione verò receptâ Beneficium ei reddere non postponas. In pœ-
„ nam autem familiaritatis illius quam cum Hæreticis scienter habuisse dignoscitur,
„ eum ab officio volumus manere suspensum donec scandalum sopiatur, ita tamen
„ vt publicè familiaritatem hæreticorum abiuret. Præcipias insuper ei districtè, vt in
„ prædictâ & aliis villis circumpositis profiteatur & prædicet fidem Catholicam,
„ ac confundat & detestetur hæreticam prauitatem: sic deinceps vitam suam bonis
„ adornans operibus, vt infamia conuertatur in bonam famam & omne scandalum
„ & suspicio de Catholicorum mentibus deleatur. Quod si forsan in purgatione de-
„ fecerit, eum Ecclesiasticæ disciplinæ mucrone percellas, & ab officio & benefi-
„ cio depositum, ad agendum pœnitentiam in arctum Monasterium detrudere non omittas.

Huicce Concilio Parisiensi præsedit Octauianus Ro. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Hugo verò de Noeriis Episcopus Antissiodorensis præcipuus authur fuit sententiæ in Euraudum latæ. Sic enim legitur in Historia Episcoporum An-
,, tissiodorensium: *Idem Episcopus sicut erat Catholicorum dogmatum zelator praci-*
,, *puus & peruersitatis hæreticæ f. ruidus extirpator, in Parisiensi* Concilio ab Octa-
,, uiano Rom. Ecclesiæ Presbytero Cardinali, qui tunc legationis officio fungeba-
,, batur in Francia, Parisius conuocato multis Archiepiscopis, Episcopis & cæte-
,, ris Ecclesiasticarum dignitatum vel administrationum inferiorum personis præ-
,, sentibus ipsum de hæresi publicè accusauit, accusatum testimoniis irrefragabili-
,, bus conuicit, conuictus approbante Concilio sententiam damnationis excepit,
,, damnatus ignis concrematione profanam exhalauit, digna recipiens stipendia me-
,, ritorum & generi suo fœdam suæ peruersitatis notam imprimens & oppro-
,, brium sempiternum.

Hoc anno Innocentius III. litem quæ inter Odonem Episcopum Parisiensem & Ioannem Abbatem S. Genouefæ diu intercesserat de iure parochiæ & parochio constituendo, aliquatenus diremit præfiniendo vtrique parti iura sua. Litem enim illam M. Stephanus Tornacensis antea Abbas San-Genouefianus pene sopitam suscitarat, & Odoni Soliacensi recens ad Episcopatum Parisiensem euecto mouerat acerrimè. Quippe contendebat Ius Abbatiæ se-se extendere ad totam Parochiæ S. Stephani amplitudinem, ita vt Episcopo in eam nihil liceret. Contra Episcopus in spiritualibus sibi contendebat subiectam illam esse, nec ius Abbatis vltra veterem Burgum San-Genouefianum se extendere, qui olim in vertice Montis intra duas portas murosque continebatur, quarum vna adhuc extat prope Collegium Montis-Acuti, altera ad vicum Amygdalæum vulgò *des Amandiers*. Sic ergo edicit Innocentius.

LIS INTER EPIS. PARIS. ET ABBATEM SAN-GENOVE. SOPITA PER INNOCENTIVM.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili Fratri Odoni Parisiensi Episcopo Sal. & Apost. bened. Olim inter te nomine Parisiensis Ecclesiæ & dilectum filium Abbatem S. Genouefæ pro Abbatia sua super possessione Iuris Parochialis in Parochia de Monte quæstione subortâ, & Venerabili fratre nostro Petro de Corbolio Archiepiscopo Senonensi, tunc Parisiensi Canonico Procuratore tuo pro te, dicto verò Abbate nomine Ecclesiæ suæ accedentibus ad Apostoli-
„ cam sedem Venerabilem fratrem nostrum I. Albanensem Episcopum, & dile-
„ ctum filium G. S. Mariæ in Aquiro Diaconum, nunc vero tituli S. Vitalis
„ presbyterum Cardinalem dedimus auditores. In quorum præsentia dictus
„ proposuit procurator, quod idem Abbas super possessione Iuris Parochialis in
„ Parochia de Monte grauem tibi molestiam ingerebat, cum eam potestatem
„ vsque ad tempora tua Parisiensis Episcopus habuerit in Parochianos de Monte,
„ ac Presbyterum qui eis Diuina pro tempore ministrabat, quem etiam si esset
„ Canonicus Regularis, in curam Parochiæ committebat, & sacerdos post Curam
„ susceptam de manu Episcopi Parochianos ad nutum eius ligabat pariter & sol-
„ uebat: & si quis excommunicatus esset ab Episcopo vel etiam interdictus,
„ Presbyter eum non admittebat aliquatenus ad Diuina, qui etiam benedictio-
„ nes sponsarum, purificationes de parte surgentium & publicas pœnitentias non
„ assumebat sibi, nisi de mandato Episcopi speciali: & si forte sacerdos talis es-

set, qui non posset populo ministrare, ipsius excessum Abbati S. Genouefæ & Fratribus Episcopus nunciabat, qui cognitâ veritate, amoto indigno ad animarum curam recipiendam alium Episcopo præsentabat. Cum ergo nouissimè tu præmonuisses Abbatem, vt Capellanos suos, qui parochiis debebant deseruire, ad suscipiendam curam animarum, tibi præsentare curaret, hoc se facturum respondit, aliquos præsentauit, sed requisitus quod præsentaret illum qui debebat in præfata de Monte parochia deseruire, dixit tunc eum non posse propter absentiam præsentari, cumque hoc sæpius monitus facere non curaret, tu sub pœna excommunicationis Parochianis inhibuisti de Monte ne in Ecclesia S. Geneuefæ vel audirent Diuina, vel aliqua reciperent sacramēta, nisi ab illo presbytero qui animarū curam ab Episcopo suscepisset. Quæ sententia in eadem Ecclesia fuit præsente Parochia publicè recitata, eamque Parochiani de Monte sicut solebant iamdiu seruauerant, donec facientibus Canonicis S. Genouefæ populo conuocato in verbo sacerdotis & periculo animæ, per venerabilem fratrem nostrum Tornacensem Episcopum ipsius Ecclesiæ quondam Abbatem, fuit publicè prædicatū quod securè poterant audire Diuina: cum in eos nec Archiepiscopus, nec Episcopus vel Archidiaconus posset excōmunicationis vel interdicti sententiam promulgare, sicque ab eo inducti spiritualia receperunt. Te igitur quemadmodum præmissum est spoliato obedientiâ Parochiæ memoratæ petebat dictus Procurator tuus tibi ante omnia quasi possessionem Iuris Parochialis restitui, aduersariis tuis super his quæ aduersus te proponenda ducerent, postea plenariè responsuro: cum nec ante restitutionem respondere deberes aduersariis spoliatus. Et quod Episcopus Tornacensis & Canonici sæpe dicti de præmissis excessibus punirentur, causâ postmodum coram Delegatis Iudicibus ordine debito pertractandâ, in quorum præsentia de Iure Parisiensis Ecclesiæ plenius probaretur, quod tunc temporis propter probationum inopiam fieri non valebat. Cæterum præfatus Abbas versâ vice nouam iniuriam inferri sibi per te tunc nouum Episcopum proponebat asserens *Ecclesiam suam cum Burgo à primo fundationis tempore liberam extitisse, nec alicui vnquam in spiritualibus nisi Romano Pontifici fuisse subiectam*, quod per Rescriptum bonæ memoriæ Cælestini Papæ Prædecessoris nostri ad cautelam ostendere nitebatur, qui piæ recordationis Alexandri, Lucii & Clementis prædecessorum suorum Romanorum Pontificum exempla secutus Ecclesiam præfatam, eâ inter alia, libertate donauit, vt nullus ipsam, Canonicos vel Burgum interdicto vel excommunicationi posset supponere, nisi summus Pontifex vel Legatus ab eius latere destinatus, contra quā libertatem tu venire præsumens in alienam messem falcem tu mittere, quod nullus vnquam prædecessorum tuorum fecerat, præsumpsisti, Canonicum ipsius Ecclesiæ, qui hominibus Burgi spiritualia ministrabat, vt à te Curam animarum reciperet, tibi postulans præsentari, quod cum obtinere non posses, post appellationem interpositam, iter arreptum ad sedem Apostolicam veniendi omnes qui in Ecclesia S. Genouefæ Missam audirent Parochialem, & communicantes eis excommunicationis vinculo subiecisti cuius timore motus populus tanquam rudis ex ignorantia vel humilitate abstinuit aliquandiu à Diuinis. Sed per iam dictum Tornacensem Episcopum olim Abbatem eiusdem Ecclesiæ illuc postmodum accedentem cognitâ veritate, qui sicut Iurisperitus eis asseruit incunctanter, quod sententia tua de quâ præmisimus, tanquam à non suo Iudice lata, nullius obtinebat roboris firmitatem, ad proprium rediit populus sacerdotem: quem si etiam ex certa scientia euitasset, vt sic iure suæ Ecclesiæ priuaretur, ei non sic posset, sicut nec per Colonum Domino inscio vel inuito præiudicium generari: quando & si tu aliquid iuris haberes in eos, quod penitus negabatur, cum ex eo quod appellationi minimè detulisti, in leges commiseris, per eas non debebas restitutionis beneficium obtinere: quia is frustra leges inuocat qui committit in eas, præsertim cum fueris nunquam destitutus, vnde restitutionem petere non valebas. Quod autem eadem Ecclesia esset in possessione instituendi Canonicum, qui spiritualia populo ministraret, & quod super hominibus Burgi vtramque Iurisdictionem haberet & prædecessorum tuorum temporibus habuisset, paratum se Abbas ex abundanti dicebat incontinenti probare: postulabat proinde quidquid à te de facto fuerat post appellationem interpositā

tentatum, irritum iudicari, teque ne de cætero similia præsumeres, coerceri. Prædictis igitur & alijs rationibus per dictos auditores qui & petitiones & allegationes partium in scriptis redditas Nobis & fratribus nostris prudenter & fideliter retulerunt, plenius intellectis. *Nos attendentes* quoniam ex eo solo quod populus dictæ Parochiæ timore ipsius sententiæ per aliquot dies abstinuit à Diuinis, nullam in eos iuris Parochialis possessionem fueris assecutus, nec fuit aliquo modo probatum quod eo tempore quo sententiam protulisti, possessionem in ipsos iuris Parochialis haberes vel prius etiam habuisses, restitutionem tibi adiudicare de iure nequiuimus, cum non constiterit te fuisse aliquatenus spoliatum. Verum quia super aliis quæ proponebantur ex parte tua nobis non potuit fieri plena fides, causam ipsam dilectis filiis Vizeliacensi & Sancti Petri Antissiodorensis Abbatibus & Decano Aurelianensi sub ea forma duximus committendam, &c. Tandem ad nos gesta omnia munita sigillis Iudicum sunt remissa per dilectum filium M. N. Procuratorem tuum & iam dictum Abbatem ad nostram ob hoc præsentiam accedentes. Nos ergo præsentibus fratribus nostris gesta ipsa fecimus aperiri, quorum continentiam pleno concepimus intellectu &c. Cum igitur testes tui Parochianos de Monte ad examen Parisiensis Ecclesiæ accessisse, testes verò partis alterius eos in foro Abbatiæ referant litigasse, vt non videantur aduersa dixisse, dicta tuorum de Parochianis illius partis Parochiæ quæ sita est extra Burgum, quam tibi dictus Abbas nunc etiam recognoscit; aliorum verò dicta de Parochianis partis alterius, quæ *Burgus* dicitur, quam dictus tibi Abbas sibi vindicare conatur, possunt intelligi competenter, &c. Nos ergo attestationibus, rationibus & aliis hinc inde propositis diligenter auditis & plenius intellectis. Quoniam in duobus articulis, institutionis videlicet & destitutionis Capellani de Monte & libertatis Interdictum Parisiensis Ecclesiæ in præfata Parochia non seruandi, de possessione Abbatis legitimè constitit, cuius etiam Ecclesiæ Rescripto Apostolico indulgetur, vt nulli nisi Romano Pontifici vel Legato ab eius latere destinato liceat in Burgum S. Genouefæ interdicti vel Excommunicationis sententiam promulgare, vnde tem illicitam & tibi prohibitam attentasse videris, Abbate possessionem libertatis suæ authoritate Apostolica defendente, nec per sententiam à te latam noua tibi fuerit possessio acquisita, cum sic non debeat constitui seruitus, sed constituta potius declarari, nec in his articulis quicquam pro tua fuerit parte probatum, Abbatem ipsum & Ecclesiam suam ab impetitione tua & Parisiensis Ecclesiæ de communi fratrum nostrorum consilio super his sententialiter duximus absoluendum. Licet autem in aliis Capitulis ab vtraque parte productiones inductæ fuerint variæ ac diuersæ, quia tamen plenius & expressius est pro tua parte probatum, & Iudex credere debet quod naturæ negotii conuenit, vt confirmet motum animi sui ex argumentis & testimoniis quæ rei aptiora esse competerit & vero proximiora, & quibus potius lux veritatis assistit secundum legitimas sanctiones, nec solum petebas quasi possessionem iuris Parochialis tibi restitui, sed Abbatem & Canonicos de præmissis puniri excessibus, quos super possessione Iuris Parochialis in Parochia de Monte grauem molestiã ingerere querebaris, communicato fratrũ Consilio, in cæteris ad possessionem Iuris Episcopalis vel Parochialis in tota Parochia de Monte spectantibus, illis duntaxat exceptis super quibus pro parte altera est absolutionis prolata sententia, sæpe dictos Abbatem & Ecclesiam S. Genouefæ pro parochia sæpe dicta tibi & Ecclesiæ Parisiensi per sententiam definitiuam condemnamus. Ex his tamen quæ super possessorio in præsenti sunt iudicio proinde definita, nullum tuæ vel alteri parti circa Quæstionem proprietatis volumus præiudicium generari. Ne verò sententia nostra si effectu careat, irrisoria videatur &c. Datum Anagniæ 9. Kal. Ianuar. Pontific. nostri an. 4.

Ex hac Bulla discimus fuisse olim Burgum San Genouefianum distinctum à Parochia. Burgus iis finibus & portis continebatur quibus supra eum contineri diximus: & tunc Burgi Capella seu altare in ipsius Abbatiæ Ecclesia erat: postquam verò Philippus Rex totum illum locum quem *Vniuersitatem* dicimus, intra vrbem contineri voluit, & mœnibus circumsepiri iussit, in iis locis, vbi erant antea vineæ, domus ad habitandum ædificatæ sunt, vici ad commoditatem dispositi & parochia constituta S. Stephani. Et ipsemet Episcopus Odo Soliacensis

Clausum vocabant Brunelli in hunc ædificiorum vsum dedit. Porro huius Bullæ executionem demandauit Pontifex Abbati Floriacensi, Magistro Scholarum Aurelianensium & Cantori Carnotensi, vt patet ex his ad eos datis litteris.

Innocentius Ep... Dilectis filiis Floriacensi Abbati.. .. Magistro Scholarum Aurelian & Cantori Carnotensi Sal. & Apost. Bened. Inter venerabilem fratrem nostrum Parisiensem Episcopum & dilectum filium Abbatem S. Genouefæ super possessione iuris Parochialis in Parochia de Monte controuersia quondam mota & per delegatos Apostolicæ sedis ad nos instructa causa remissa, eam salua quæstione proprietatis curauimus sententialiter definire, sicut ex Rescripto Apostolico perpenditur euidenter. Ne autem videamur inutiliter laborasse si sententia nostra non fuerit adimpleta, executionem ipsius vobis de consensu partium duximus committendam per Apostolica scripta mandantes, quatenus vtramque partem ad patendum legitimè inducatis monitione præmissâ per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellere procuretis. Contradictores si qui fuerint vel rebelles, vt à sua præsumptione desistant districtione simili compellentes nullis obstantibus litteris si quæ apparuerint præter assensum partium à sede Apostolica impetratæ. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu fili Abba, cum eorum altero nihilominus exequaris. Datum Anagniæ 9. Kal. Ian. Pontif. nostri an. 4.

Ad hunc annum communiter referunt Historici originem & incunabula Ordinis Vallis-scholarium: quanquam aliqui anno tantum 1212. incepisse scribant in Diœcesi Lingonensi per M. Guillelmum Anglicum & M. Richardum de Narceio, adiutore Vvillielmo Lingonensi Episcopo, de Ioinuilla dicto. Sumpserunt autem illi regulam S. Augustini & habitum Canonicorum San-Victorinorum. In valle quadam primum resederunt, quæ ob accedentium ad eos Scholarium multitudinem *Vallis-Scholarium* dicta est, & Ordini nomen dedit. Primi enim huius instituti authores diu Lutetiæ studuerant & docuerant, ac multis proinde scholaribus noti, qui eorum sanctitate & proposito excitati, eorum numerum paucò post tempore vehementer auxerunt. Genebrardus ait hunc Ordinem in Campania originem sumpsisse per M. M. Guillelmum, Richardum, Eurardum & Manassem Theologiæ Professores. De iis sic scribit Albericus. *Nouus Ordo Vallis-Scholarium cœpit in Diœcesi Lingonensi per Guillelmum Anglicum & per fratrem Richardum de Narceio, cooperante illis & totum disponente Guillelmo Lingonensi Episcopo Pontificatus sui an. 3.* De iisdem præclarè Chopinus lib. 1. Monastic. *Isti quidem,* inquit, *Vallis-Scholarium Sodalitio, quod Augustiniana norma regitur, initium dedêre Lutetiani 4. Theosophiæ Professores Wilhelmus, Richardus, Eurardus & Manasses an. 1201. cœlitus inspirato eorum discessu abditam in Vallem Campaniæ Belgicæ, Lingonas versus. Queis socium pariter se Fridericus Catalaunensis Episcopus adiunxit. Nec longè post Ordinem probarunt Diœcesanus Lingonū Præsul, nempe Guillelmus de Ioinuilla Theol. Professor an. 1203. & Honorius III. R. P. Nonis Martiis an. 1218. Ast mutatis dehinc à Religiosa familia sedibus translatisque propinquam in vallem salubriorem ad Chaumontium Campaniæ oppidum nomen huic inditum est Vallis-Scholarium an. 1234.* Et aliquanto post. *Dicam obiter Monasticum illud B. Catharinæ fanum à D. Ludouico conditum fuisse an. 1229. ceu monumentum ære perennius Victoriæ aui Regis Philippi 2. quam ad Bouinas Flandriæ pagum de Othone Cæsare & Ferdinando Flandrorum Comite reportarat an. 1214* Quæ Domus Pontificio diplomate accensita est Ordini prædicto 8. kal. sextil. & 16. Kal. Septemb. an. 1229. & Priuilegiis multis nobilitata, vt Iuuentus in Academia Parisiensi commodius litteris vacaret.

Et lib. 2. de æde S. Catharinæ verba faciens hæc habet. *Ita Vallis-Scholarium* Ordo Augustinianæ regulæ exorsus est ab eius alumnis Academiæ, cœlesti Sophiâ apprimè eruditis. Quorum sectandis vestigiis illicò post destinatur Monasticæ pubi sacra Domus Catharinæ apud Lutetiam, à Scholasticis cognomen sortita. Nimirum vt cucullata totius sodalitij iuuentus publicum hoc musæum peteret, sanctioribus potissimè litteris imbuenda; sicuti anteriori lib. annotauimus, ac Pontificio Ioannis XXII. diplomate comprehensum est apud Auenionem edito Kal. sextil an. 1319. In hunc modum.

Ioannes Dilectis filijs Priori & Diffinitoribus Capituli Generalis Ordinis Vallis-Scholariũ, &c. Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod vos olim attenden-

« tes quod à nostris prædecessoribus prouidè fuerit ordinatum, vt singuli Priores « Domorum vestri Ordinis certas personas mitterent ad Domum eiusdem Ordi- « nis Parisiis existentem, vbi viguit hactenus & viget ad præsens studium Theo- « logicæ Facultatis ipsorum Priorum expensis & sumptibus in sacra pagina instru- « endas, vt eædem personæ istius paginæ fulgoribus illustratæ alios Christi fideles « valerent instruere, vt per semitas Mandatorum Domini rectè incederent, idem- « que Ordo Vallis-Scholarium personarum ipsarum posset re & nomine meritò « nuncupari &c. Verum quia huiusmodi Ordinatio huc vsque fuerat prætermissa & « requisitionem vniuersorum Priorum eiusdem Ordinis nouiter statuistis ac « etiam ordinastis, quod 12. fratres dicti Ordinis dociles & habentes animum ad « studendum à Diffinitoribus Capituli Generalis Ordinis prælibati qui pro tem- « pore fuerint, eligantur & mittantur Parisius ad studium paginæ memoratæ in « Domo vestrâ Parisiẽsi ad hoc hospitaliter deputatæ ad sumptus communes totius « Ordinis memorati; Quodque Diffinitores Ordinis sæpe fati singulis Domibus « dicti Ordinis prædictos sumptus pro rata suorum prouentuum possint imponere « & exigere à Prioribus fratribus ipsarum Domorum, eos ad id si necesse fuerit, « monitione præmissâ per Censuram Ecclesiasticam appellatione prostpositâ com- « pellendo. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati statutum & Ordinatio- « nem huiusmodi, si est ita, ratam & gratam habentes ipsam ex certâ scientia au- « thoritate Apostolica confirmamus.

Sed præstat ex Archiuis Ordinis & ex M. S. Codice primæuæ fundationis authoritatem confirmare, in quo sic legitur tom. 1. Bibliothecæ Labbei.

« In Alma Vniuersitate Parisiensi erant viri Diuinis & humanis Disciplinis ad « plenum eruditi, celeberrimi & famatissimi, Theologicæque Facultatis Professores « Magistri, Guillelmus, Richardus, Euurardus & Manasses. Quorum primum & « venerabilis senectus & morum grauitas, decor sapientiæ & humilitatis mansuetu- « do cæteros præcellere dignos reddebant. Quippe quorum omnes sermones sem- « per in gratia sale erant conditi & omnium bonorum operum erant gratia pleni. « Hi non multùm longè ab inuicem positi sedentes solitarii & studentes facti quasi « in extasi viderunt stare ante se quandam sublimem arborem & decoram, ramo- « rum & frondium ornatu mundum decorantem; cumque horâ consuetâ, quâ li- « cebat eis studia sua referre & communicare, pia inter eos contentio habere- « tur de præmiis beatorum & suppliciis damnatorum, & sicut eis moris fuerat, vt « eum familiariter colloquerentur, intulit ipse venerandus Magister Guillelmus di- « cens *Ego studens librum Ezech. prophetæ, non solum semel & bis, sed iam trina vice* « *ante me vidi stare quandam magnam arborem pulchram & fulgidam, cuius rami videban-* « *tur mundum perornare:* quod cæteri tres retulerunt similiter & similem arborem « pluries se vidisse considerantes tantam, & tam continuam arboris condensæ vi- « sionem, magnę futuræ rei signum eoidens cum gratia diuina eis ostensum esse, « habitâ maturissimâ, & grauissimâ deliberatione cum plurimis doctissimis, & « eiusdem almæ matris Vniuersitatis Parisiensis viris, & Magistris qui non possent « decipi, nec decipere voluissent, aliquem ordinem salubrius viuendi, prout de- « sursum à patre luminum eis descenderat, nouiter instituere, & incipere delibe- « rauerunt. Tunc ille omni reuerentiâ dignus Magister Guillelmus ipsos celebres « viros Conscholares suos & Contemporaneos Magistros Richardum, Euurardum, « & Manassem qui secum ab ineunte ætate nutriti laudabiliter vixerāt, allocutus est « dicens: *Ecce conscripti patres Ciuitatis supernæ ciues decreti: Ecce quomodo exhibitione si-* « *gni tanti probamur à Domino diligi; gratiam Dei in vacuum non recipiamus, vt cum Apo-* « *stolo gloriari possimus eius gratiam in nobis vacuam non fuisse. Ecce iam apud homines* « *nobilitate generis, & liberalium Artium acquisitione celebres habemur. Nunc & apud* « *Dominum nostrum Iesum Christum, & sanctos Angelos habeamur feliciores, veram sa-* « *pientiam induere festinemus, viam pœnitentiæ, quæ ducit ad vitam viriliter arripien-* « *tes, cuius quidem sapientiæ brauium apprehendere mereblmur, si Deum fidelissimè ti-* « *muerimus teste scriptura, quæ dicit:* timentibus Deum nihil deest, nec iis qui « diligunt eum in veritate. *Principium salutis nostræ timor Domini est: hinc enim est* « *initium conuersionis & virtutum custodia acquiritur, qui cum penetrauit hominis men-* « *tem, contemptum omnium rerum parit, & mundi gignit horrorem, illucque sæpe nos* « *compellit animum defixum habere, quo nos sperare debemus migraturos. Eya Charissimi,*

nostrum

nostrum genus nobile altamque parentelam nostram, etiam cætera, quæ possidemus, præter amare Christum, oblinioni tradamus; Sicut scriptum est: obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, *mundum in maligno positum, & omnia quæ eius sunt, contemnamus,* cum voluntate non repetendi, iuxta vocem Domini nostri Iesu Christi dicentis: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me,* non propriam voluntatem: & si mundus in sui exordio floruit, à sapientibus vilior & contemptibilior relinquatur. Iam in seipso aruit, apud corda sapientum vilescit, *iam securis minans interitum ad radices putridæ & siccæ arboris posita est, & in ignem exterminij velocius quàm creditur, inijcietur: fugientem fugiamus, labentem non retineamus, & si aliquando mundus nos retraxit à Deo,* nunc tantis plagis plenus est, vt ipse *iam nos innitare videatur ad Deum. Eamus igitur ab hinc & elongemur fugientes cum propheta, & maneamus in solitudine. Potens est Dominus qui suorum mirabilium thesauros suis prophetis & sanctis Patribus in figuris & ænigmatibus ostendebat, mirandæ visionis nostræ optatum facere successum, aut per nos, aut per eos, qui exemplo nostro sibi deuotè & fideliter seruient adhærebuntque.* Ac vt ille sanctæ exhortationis verba finiuit, ipsi conscholares & Magistri sibi obtemperantes, velut Christo eos vocanti leni iugo pœnitentiæ & solitudinis colla submiserunt, parati secum agere & penuriam pati & dies suos complere, dicentes. *Ergo parentes, agros & possessiones nostras sine differentia relinquamus, & nudi mecum Christum sequamur, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

Anno Domini millesimo ducentesimo primo, iter arripuerunt, & sic solam cœlestium rerum meditationem animo gerentes, Angelo salutis eos comitante, peregrè proficiscuntur. Cum denique in finibus Campaniæ versus Lingonas deuenissent, & huc illucque montes excelsos, & valles profundas conspicerent, ad quandam vallem longè à frequentatione hominum positam, potius feris quàm hominibus habitabilem, altis rupibus circumquaque vallatam, gratia reficiendi fessa labore corpora declinauerunt. At subitò de sub rupis pede fons limpidissimus emanat, qui tunc vsque hominibus nunquam visus fuerat. Quo comperto cognoscentes illum locum horroris & vastæ solitudinis diuinâ dispositione sibi esse paratum, *Reuerendissimum Patrem & Dominum Magistrum Guillelmum de Ioinuilla, sacræ Theologiæ Professorem,* tunc temporis famosæ Ciuitatis Lingonensis Episc. postmodum præclarissimæ ciuitatis Remensis Archiepisc. adeunt, lachrymosis precibus cohortantur, singultibus atque gemitibus pulsant, humiliter petunt partem illius vallis ad fundandum parietes sibi in Eleemosynam tribui: nam & ipso iure patrimonij Ecclesiastici & authoritate Episcopali sibi competebat. Suscipit Pius Episcopus peregrinos, & reficit lassos, pauperes alloquitur, visionem intelligit, directionem eorum multùm mirabilem & per visum à Deo concursum miratur, limpidi & noui fontis audit rumorem, gloriatur patriam tantis decorari patribus, Ecclesiæ Lingonensis Decanum & Capitulum consulit, largitur quod petunt, obtinent quod volunt, deuotas gratiarum actiones Domino bonorum omnium largitori referunt. Miratur Magister Fredericus Decretorum Doctor facundissimus, vir prudens, authoritate magnus, & omni honestate fultus, electus & confirmatus Episcopus Catalaunensis. Qui cùm pluribus Episcopis apud Lingonas erat benedictionis gratiam assecuturus, miratur diutius tantorum virorum singularem affectionem, quos nuper celeberrimos & eloquentissimos nominari, & à seculi maioribus salutari, & venerari audierat. Ecce conspiciunt eremi loca quærere, ciborum delicias spernere, seculi luxum calcare, visus hominum fugere & totâ mentis auiditate viam pœnitentiæ & beatæ paupertatis suscipere & amplecti. Quid agit deuotus Episcopus Catalaunensis? se cogitat esse moriturum, diem calamitatis sub corde tacita mente reuoluit, supplicia epulonis diuitis & præmia pauperis Lazari retractat & pensat; pauper Christi efficitur, omnia præter Christum contemnit, mundum relinquit & apud Catalaunum ad instantiam suam substituto pastore idonea ad antra deserti in pœnitentia victurus cum ipsis sponte se conuertit: eunt igitur ipsi quinque viri Dei gaudentes à conspectu reuerendissimi Præsulis, quoniam digni habiti sunt in nomine Domini Iesu dicatam sibi vallem obtinere: construunt exigua

„ cellarum tuguria, modicoque contenti pabulo in illa vastissima valle de-
„ morantur. Itaque sapientium & prudentium virorum freti consilio certam vi-
„ uendi formam sibi eligentes proposuerunt sub regula B. Augustini militare,
„ Officium Ecclesiasticum habentes & habitum secundum propositi & facultatis
„ congruentiam *more Fratrum S. Victoris iuxta Parisios*, quam piam electionem &
„ salubre propositum iam memoratus Dominus D. Guillelmus Lingonensis Epis-
„ copus authoritate sua ordinaria laudauit & ratificauit, & ad eius supplicatio-
„ nem Honorius III. S. sedis Apostolicæ summus Pontifex authoritate Apostoli-
„ ca confirmauit, & sui scripti patrocinio communiuit & approbauit an. Domini
„ 1218.

„ Sic ibi degentes supra nominati quinque pauperes Christi cum 37. scholaribus
„ & fratribus compleuerunt dies suos in bono & anni sui permanent in gloria.
„ Post quorum quidem venerabilium quinque & aliquorum Scholarium & con-
„ fratrum suorum felices decessus, accidit, vt aeris intemperati, grandinum &
„ aquarum ab alto & ab vtroque rupium latere torrentum inundatio & fre-
„ quens scopulorum dissolutio ruens superuenientium fratrum illic habitantium
„ cellas destrueret funditus, & eorum quorundam vitæ terminum anticiparet.
„ Placuit igitur in conspectu Domini, vt inde ad locum humanæ naturæ aptiorem,
„ qui fuerant superuenientes scholares & fratres residui transferrentur, quod &
„ factum est per reuerendum Dominum D. Robertum de Torota tunc Lingonen-
„ sis vrbis, postea Leodiensis Episcopum. Ipse enim in alia valle non longè ab
„ ipsa vastissima posita, omnibus placida, pratis pulchra, lapidibus abundante,
„ arboribus nemorosa, telluris fertilitate ditata, vbertate fructuum iucunda &
„ aëre salubri illis in honorem Dei & B. V. M. pulchram Ecclesiam cum magnis
„ ædificiis & Religiosis officinis pro ipsis superuenientibus fratribus & eorum suc-
„ cessoribus suis sumptibus iussit ædificari, & ipsos superuenientes conscholares
„ & fratres transtulit intrò, vt in hac valle commorantes in perpetuum Domi-
„ no famulentur. Translata sunt etiam ab ipsa vastissima valle in illam amœnissi-
„ mam vallem ossa corporum supra nominatorum quinque Patrum suorum iam
„ defunctorum & ibidem in medio Ecclesiæ venerabiliter tumulata. Quæ qui-
„ dem amœnissima vallis ipsorum venerabilium Patrum ob sanctitatem & super-
„ uenientem ibi Scholarium & fratrum dignam conuersationem à cunctis Vallis-
„ scholarium est denominata, & ab ipsis omnes aliæ in Ordine subsecutæ perso-
„ næ, illic & in quibuslibet aliis ipsius Ordinis monasteriis constitutæ titulum,
„ mores, & salubrem viuendi formam sumpserunt. Translati sunt ergo in eam
„ vallem, quæ nunc Vallis-Scholarium dicitur, anno Domini millesimo ducen-
„ tesimo quarto.

1202. Anno 1202. M. willelmus Roschildensis Abbas in Dania, olim è Domo San-
Genouefiana euocatus ad prædicationem fidei Christianæ, obiit 8. id. April. æta-
tis an. 98. à suscepto Abbatiæ regimine 40. Eodem quoque anno obiit celeber-
rimus ille Diuini verbi concionator Fulco Presbyter Neulliacus: de quo sic Ro-
bertus Antissiodorensis horumce temporum scriptor satis accuratus. *In ipso* an-
no, inquit, *Mense* Maio Fulco ille celeberrimus qui per diuersas prouincias præ-
„ dicando populos concitauerat, & in quo tanquam viro magnanimo ac fideli fi-
„ duciæ plurimum habebant quamplurimi, cum votiuo itineri necessaria præparas-
„ set, ægritudine correptus in villa sua Nulliaco, vbi Capellani officio fungeba-
„ tur, defungitur. Ea sanè quæ de fidelium Eleemosynis collegerat, moriens dis-
„ posuit peregrè proficiscentibus dilargiri. Iisdem diebus innumera populorum
„ millia prædicti Fulconis instantia iam annis aliquot per Gallias concitata Iero-
„ solymitanum iter aripiunt, tantaque fuit peregrinantium numerositas, vt non
„ solum præcedentibus expeditionibus æquari potuerit, sed præferri. De Flandriis
„ siquidem sexaginta rates mediæ quantitatis, quas illi Nacas vocant, necessariis
„ omnibus præmunitæ mare ingressæ sunt, & toto æstiuo tempore aurarum in-
„ temperie per fretum quod Hispanias Africamque disterminat, circumactæ, post
„ longos tandem circuitus exceptis paucis Massiliensi portui appulerunt, progredi
„ vlterius non valentes. Ludouicus Theobaldi Comitis filius Comes Blesensis &
„ Balduinus Comes Flandrensis Proceresque nonnulli magni inter suos nominis &
„ amplæ potestatis cum inæstimabili vulgarium multitudine pariter comitante

Venetias petunt vt transeant. Sed dum liberè transituros se putant, quædam inter ipsos & Venetos emergunt causæ quibus transitus impeditur. Ob hoc interim peregrini multas patiuntur molestias, alii abeunt, alii dum morantur sua prorsus expediunt, eo quod vehemens ingrueret inopia victualium; quæ non modò Italiam id est Occidentales Prouincias, sed et partes premeret transmarinas. Sed & alii quoque innumerabiles qui Massiliensem portum adierant, vel per multa discrimina transfretant, vel aduersis casibus detinentur. Vnde patet quanta abyssus Diuini consilij: quâ disponente expeditiones hæ tantæ sicut & aliæ præcedentes tam multiplici impedimento præuentæ sunt, vt sibi cuncta in contrarium cederent, nihil ad votum.

Ad eundem annum refert idem Author mortem Magni illius Vuillielmi Remensis Archiepiscopi tum Cardinalis, *ad Albas manus* vulgò dicti, filii Theobaldi senioris Campaniæ Comitis & Frater Henrici, ranropere à Galtero de Castellione & ab aliis Magistris ob suam liberalitatem laudati, qui per quadraginta annos quos in variis dignitatibus Ecclesiasticis & Regni muneribus consumpsit, de litteris & litteratis semper bene meritus est. Postrema tamen prioribus non respondisse ait idem author. Guillelmus Remensis Archiepiscopus cùm Laudunum venisset, morbo subitaneo præuentus opprimitur, & occluso linguæ officio moritur intestatus. Vir quidem nobilis genere, & qui diu floruerat tam seculari quàm Ecclesiastica prædirus potestate. Hic in primis sui Pontificatus auspiciis satis modestè se habuit, & morum enituit ornamentis, felixque proculdubio extitisset, si primis vltima respondissent, & vsque in finem merita cohæsissent. Sed cum res in contrarium versæ sint, nec fuerit concolor finis initio, & omnis pendeat laus ex fine, finali non attollimus laude, quem nimis reddidere notabilem & Munerum iniusta acceptio & prodigialis effusio. Ita vt illud ei Claudiani possit non incongruenter aptari.

——*Distantibus idem*
Inter se vitijs motus, quodcunque profunda
Traxit auaritia, luxu peiore refudit.

Post eius mortem vacauit sedes vsque ad an. 1204. quo post diuturnas altercationes Guido Paræus substitutus est.

Ad hunc quoque annum refert author Chronici Belgici magni obiisse M. Alanum de Insulis. Sic enim ille. Item an. D. 1202. apud Cistercium mortuus est hoc anno M. Alanus de Insulis Doctor ille famosus scriptor Anticlaudiani: qui in Theologia fecit artem quandam prædicandi, & contra Albigenses, Vualdenses, Iudæos & Sarracenos libellum edidit succinctum ad Vuillelmum Montispessulani Dominum, & alia quædam habentur illius opuscula. De eo multa diximus ad an. 1179. Porro idem author duos distinguit Alanos, priorem illum Insulensem, qui hoc anno viuere desiit: alterum posteriorem coæuum Doctori subtili Io. Scoto, & Ioanni Andreæ Iuristæ Bononiensi, eumque vulgò *Doctorem Vniuersalem* vocatum fuisse ait: & huiusce distinctionis authorem citat Vuernerum Collectorem Fasciculi temporum. Quam duplicis Alani distinctionem non aduertentes Trithemius & alii multi, Alanumque de Insulis cum Alano Doctore Vniuersali confundentes, illum floruisse scribunt circa an. 1300. De eo multa retulimus ad an. 1179. fecit & lib. de planctu naturæ contra Sodomitas, qui liber Manuscriptus seruatur in Bibliotheca Bailliolensi Oxoniensis Academiæ. Ex eo lib. Naudæus in quibusdam Collectionibus quas penes me habui, quosdam versus à D. Moreau Medicorum Parisiensium non ita pridem primario se habuisse scribit, sunt autem eiusmodi.

In lachrymas risus, in luctus gaudia verto:
In planctum plausus, in lachrymosa iocos.
Cum sua natura video decreta silere,
Cum Veneris monstro naufraga turba perit,
Cum Venus in Venerem pugnans illos facit illas,
Cumque sui magica deuirat arte viros

Non fraus triſtitiam, non fraudis fletus adulter
Non dolus, imo dolor parturit, imo pârit.
Muſa rogat, dolor ille iubet, Natura precatur,
Vt donem flendo flebile carmen eis.
Heu quo Natura ſeceſſit gratia, morum
Forma, pudicitia norma, pudoris amor?
Flet Natura, ſilent mores, proſcribitur omnis
Orphanur à veteri nobilitate pudor.
Actiui generis ſexus ſe turpiter horret,
Sic in paſſiuum degenerare genus.
Fœmina vir factus ſexus denigrat honorem:
Ars magicæ Veneris Hermaphroditat eum.
Prædicat & ſubicit, fit duplex terminus idem:
Grammaticæ leges ampliat ille nimis.
Se negat eſſe virum naturæ factus in arte
Barbarus, ars illi non placet, imò tropus.
Non tamen iſte tropus poterit tranſlatio dici,
In vitium potius iſta figura cadit.
Hic nimis eſt Logicus, per quem conuerſio ſimplex
Artis naturæ iura perire facit.
Cudit in incude, quæ ſemina nulla monetat,
Horret & incudem malleus ipſe ſuam.
Nullam materiam matricis ſignat in illa,
Sed magis in ſterili littore vomer arat.
Sic pede Dactylico Veneris malè iambicat vſus,
In quo non patitur ſyballa longa breuem.
Quamuis fœmineæ ſpeciei ſupplicet omnis
Forma viri, ſemper huius honore minor.
Quamuis Tindaridi vultus famuletur Adonis
Narciſeique decor victus adoret eam:
Spernitur ipſa tamen, quamuis decor ipſe periret
Et famæ deitas diſputet eſſe Deam.
Quæ Iouis in dextra fulmen langueret, & omnis
Phœbi ceſſaret otia neruus agens, &c.
Non modo Tindaridem Phrygius venatur adulter,
Sed Paris in Paridem monſtra nefanda parit.
Non modò per rimam rimatur baſia Thisbes
Pyramus. Huic Veneris rimula nulla patet.
Non modò Pelides mentitur Virginis actus,
Vt ſic Virginibus ſe probet eſſe virum.
Sed malè Naturæ munus pro munere donat,
Cum ſexum Iuni vendit amore ſuum.
A Genii templo tales anathema merentur,
Qui Genio Decimas & ſua iura negant.

Deinde apparentis ſibi Naturæ effigiem deſcribit oratione ſolutâ, à quâ diſcit omnia creata parere ſuis legibus tum animata tum inanimata, ſolum verò hominem contra omnem ire & procedere ordinem. In fine autem leguntur hi verſus.

Explicit Alanus. Pereat Sodomita profanus.
Alanum breuis hora breui tumulo ſepeliuit,
Qui duo, qui ſeptem, totum qui ſcibile ſciuit.
Tanti Terra viri ſtudio meliore potiri
Debuit, artificem ſi funus haberet amicum.

NEGOTIVM SAN-GENOVEFIANVM. Eodem anno Innocentius de negotio San-Genoueſiano varias adhuc Bullas dedit. Ad Abbatem S. Columbæ Senonenſ. & Magiſtrum Scholarum Aurelian.

Estque data Laterani 5. Id. Nouemb. an. 5. ad Episcopum & Abbatem S. Genouefæ eorumque Capitulum & sic incipit *Cum inter vos* & Ecclesias vestras. Estque data similiter 5. id. Nouemb. an. 5. Sed tandem illi de suis iuribus in Parochia de Burgo San-Genouefiano inter se conuenerunt, certis legibus & conditionibus quæ leguntur in instrumento sequente.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. Hæc est forma compositionis & pacis inter D. Odonem Episcopum & Ecclesiam Parisiensem ex vna parte, & Ioannem Abbatem & Ecclesiam S. Genouefæ ex altera. Super querelis quas dictus Episcopus mouebat de iure Parochiali in Parochia de Monte & Procurationibus quas in Parochialibus Ecclesiis Canonicorum de Monte petebat; & è contra Canonici de Monte aduersus Episcopum super Capella Ecclesiæ S. Genouefæ sita in Ciuitate Parisiensi, scilicet quod Parisiensis Episcopus habebit omne ius, seu Episcopale Parochiale in tota Parochia, de Monte, & presbyter qui illi, Parochiæ spiritualia pro tempore ministrabit, etiam si sit Canonicus Regularis, præsentabitur Episcopo & ab eo curam recipiet animarum & Parochianos ipsius Parochiæ ad mandatum Episcopi vel Archidiaconi citabit, vocabit, pariter & soluet. Chrisma & oleum ad opus Parochiæ ab Ecclesia Parisiensi recipiet, ad synodum etiam veniet, nec tamen Circatam vel synodaticum reddet. Item licebit Episcopo & Archidiacono in singulos de prædicta Parochia & omnes interdicti & excommunicationis ferre sententiam, quæ si lata fuerit, presbyter qui illi parochiæ deseruiet, excommunicatos seu interdictos de ipsa Parochia non admittet, tamen illis exclusis, in altari Parochiali quod est intra maiorem Ecclesiam nihilominus celebrabit: sed nec alios interdictos vel excommunicatos ab Episcopo vel Archidiacono vndecunque fuerint, vllo tempore ipse vel alius in altari Parochiali recipiet aliquatenus ad Diuina. Ab hac autem generalitate exceptæ erunt ab omni Iurisdictione Episcopi & Archidiaconi 20. personæ inter seruitores & garciones infra ambitum Canonicorum habitantes, comedentes, cubantes & leuantes: scilicet vnus Ianitor, duo Quadrigarij, duo Cursores, vnus Hostellarius, vnus Hortolanus, quatuor in seruitio furni, quatuor in seruitio coquinæ, vnus sarcinator, vnus vigil, vnus matricularius, vnus infirmarius: & extra septa Canonicorum sex seruitores, scilicet tres Escuerij Abbatis, vnus seruiens Capiceriis, vnus Clausarius vinearum, vnus Tonelarius. Nullus autem 26. prædictorum vicarius poterit esse vel Maior Burgi, itaut prædicta gaudeat libertate. In his siquidem prædictis 26. personis aut in illis quæ in locum eorum per Abbatem fuerint subrogatæ, nullam Episcopus vel Archidiaconus potestatem habebit, nisi de eorum matrimonio separando agatur. Illa etenim causa pleno iure ad Episcopum & Archidiaconum pertinebit. Vxores autem prædictorum sex Seruitorum in Parochia de Monte extra Canonicorum septa manentium iurisdictioni Episcopi & Archidiaconi in omnibus spiritualibus subiacebunt, eo saluo vt pro foris-factis Maritorum suorum interdici vel excommunicari non possint. Et quando in Parochia positum fuerit interdictum, liceat ipsis sicut & viris earum in altari Parochiali audire Diuina. In Prædicta autem Parochia de Monte neque Episcopo sine consensu Canonicorum, neque Canonicis sine Episcopo nouam Ecclesiam seu Capellam ædificare licebit. In augmentum verò prædictæ Parochiæ dedit Episcopus ad habitandum vineam suam de Brunello, ita vt omnes qui in loco illo habitauerint cum aliis Parchianis de Monte à presbytero Parochiæ supradictæ Diuina percipiant sacramenta, & ad Episcopum & Archidiaconum pleno iure pertineant: similiter & illi qui habitabunt in Clauso quod dicitur *Mali-vicini*, si quando illud inhabitari contigerit. Præterea Ecclesiam de Roissiaco dedit Episcopus Canonicis memoratis ad eorum vsum perpetuò possidendam cum additamento villæ quæ dicitur Vallis-Derlandi: in qua villa licebit prædictis Canonicis de Monte si voluerint, ædificare Capellam, Episcopi tamen iurisdictioni subiectam: & tam in Ecclesia de Roissiaco, quàm in Capella sicut & in aliis eorum Ecclesiis Parochialibus ad curam animarum recipiendam presbyterum Episcopo præsentabunt. De Procurationibus autem quas Episcopus in eorum Ecclesiis exigebat, ita statutum est vt Ecclesiæ de Iaussigny, Despinolio, de Vanuiis, de Nantuia, de Roosneio & S. Medardi

„ à procurationibus Episcopi liberæ sint penitus & immunes. Verum in Ecclesia „ de Roissiaco 4. libras Parisiensis monetæ accipiet prædictus Episcopus annuatim : de quibus procurationem vnam vel plures sibi parabit Episcopus in ipsa „ Ecclesia de Roissiaco, vel in qua voluerit prædictarum. Prædicti quoque Canonici S. Genouefæ, vt omnis amoueatur annuenre Domino materia seditionis & scandali, Capellam S. Genouefæ sitam in Ciuitate Parisiensi dederunt „ Episcopo & successoribus eius in perpetuum liberam & quietam, nullo sibi in „ ea iure retento, vt possit ipse vel eius successores de prædicta Capella pro sua „ voluntate disponere: Præbendam quoque & Vicariam, quas prædicti Canonici „ in Ecclesia B. Mariæ Parisiensis habebant, prædicto Episcopo & eius successoribus quittauerunt, nihil omnino sibi iuris in prædicta Præbenda seu Vicaria „ reseruantes. Hæc autem omnia ita in perpetuum seruabuntur non obstante „ sententia summi Pontificis, quam pro se Parisiensis Episcopus inducebat, & „ aliis quibuslibet munimentis ab alterutra partium impetratis vel in posterum „ impetrandis. In huius rei testimonium & perpetuam firmitatem duo scripta „ in eundem tenorem confecta sunt, quorum alterum habebit Ecclesia Parisiensis sub sigillis duobus, Abbatis videlicet & Capituli S. Genouefæ, & reliquum „ habebit Ecclesia de Monte similiter sub duobus sigillis, Episcopi scilicet & Capituli B. Mariæ Parisiensis. Actum anno Verbi Incarnati 1202. mense Iunio. Sigillatum duobus sigillis in Cera viridi, sub cordulis sericeis viridis coloris.

Ex hocce instrumento intelligimus nondum fuisse adhuc an. 1202. extructam Ecclesiam parochialem in Monte, sed Capellam tantummodo in Ecclesia San-Genouefiana. 2. Neque vicum, qui hodie S. Ioannis Beluacensis dicitur, fuisse tum ordinatum, sed adhuc fuisse ibi vineam ad Episcopum Paris. pertinentem; qui locus vocabatur *Clausus Brunelli* 3. Neque aliam partem eiusdem Montis, quæ *Mali-vicini* dicebatur, fuisse tum adhuc habitatam.

Vt autem hæc transactio atque compositio firma stabilisque deinceps foret, eam authoritate Pontificia confirmari curarunt. Itaque Innocentius rescripsit in hunc modum.

„ Innocentius..... Venerabili Fratri Episcopo Parisiensi & Dilectis filiis Abbati „ S. Genouefæ eorumque Capitulis Sal. & Apost. bened. Cum inter vos super iure Parochiali in parochia de Monte super Capella S. Genouefæ sita in Ciuitate „ Parisiensi & super Procurationibus quas infrascr. Episcopus in Parochialibus Ecclesiis tuæ diœcesis ad prædictam Ecclesiam S. Genouefæ de Monte spectantibus requirebat, fuisset quæstio diutius agitata, & post labores varios & expensas multiplices quas propter hoc sustinuistis, vtcumque mediantibus bonis viris „ salua tamen Apostolicæ sedis reuerentia amicabili fuerit compositione sopita, „ tandem vobis humiliter postulantibus vt eidem compositioni vobis & Ecclesiis „ vestris nostræ manum confirmationis apponere dignaremur, dilectis filiis H. „ Abbati S. Columbæ Senonensis & I. Magistro Scholarum Aurelian. nostris dedimus litteris in mandatis, vt si compositionem ipsam sine prauitate prouidè factam cognoscerent, & hinc inde sponte receptam, nec in præiudicium Apostolicæ sedis ad quam Ecclesia S. Genouefæ nullo mediante pertinere dignoscitur, redundaret, vice nostra eam authoritate Apostolica confirmarent, id nobis postmodum per suas litteras insinuantes, vt & nos confirmaremus eandem „ cum essemus plenius per eorum relationem instructi. Qui sicut obedientiæ filij „ legitimè in commisso sibi negotio procedentes, forma compositionis eiusdem & „ priuilegiis Ecclesiæ S. Genouefæ diligenter inspectis, compositionem ipsam „ inuenientes secundum quod præmisimus, factam & hinc inde receptam, eam „ authoritate nostra confirmari curarunt, sicut in eorum litteris plenius perspeximus contineri. Vnde pari desiderio & vnanimi voluntate nobis humiliter supplicauistis, vt eidem compositioni manum confirmationis nostræ de benignitate „ Sedis Apostolicæ apponere dignaremur.

„ Nos igitur quod per Delegatos eosdem secundum formam mandati nostri „ factum est, ratum & firmum habentes, sæpe dictam compositionem sine prauitate prouidè factam, & à nobis sponte acceptam, vt in scriptis authenticis exinde confectis plenius continetur, authoritate Apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Laterani 7. Kal. „ April. Pontif. nostri an. 6.

Hoc anno recrudnit bellum inter Francorum & Anglorum Reges propter Arthurum Comitem Britanniæ, cui Philippus Rex petebat à Ioanne Anglorum Rege restitui vniuersas terras quas tenebat in partibus transmarinis, inquit Mathæus, videlicet Normaniam, Turonicam, Andegauiam & Pictauiam. Initia belli parum fausta Francis fuerunt, capt usque est Arthurus cum 200. militibus apud Mirabellum, missus Falesiam, deinde Rhothomagum, & in arce nouâ sub arcta custodia detentus; sed paulo post inde ad Philippum aufugit. Ioannes Rex hoc anno apud Cantuariam ab Huberto Archiepiscopo coronatur 18. Kal. Maij; & willielmus de Srute-villa moritur inter Nobiles præcipuus.

Anno 1203. obiit M. Guido Cantor S. Stephani Catalaunensis, qui historiam scripsit à mundi principio vsque ad mortem Richardi Anglorum Regis, hoc est vsque ad an. 1199. scripsit quoque Epistolas diuersas satis eloquentes. M. verò willielmus Ecclesiæ Lincolniensis Præcentor & Canonicus, eiusdem Ecclesiæ fit Episcopus, & à willelmo Londoniensi Episcopo & Gilberto Roffensi consecratur. 1203.

Ad hunc annum scribit Abraham Bucholcerus in Indice Chronolog. post Trithemium, Innocentium Pontificem quinque libros Decretalium in scholis legi & in Iudiciis vbique seruari præcepisse. Et hoc quoque anno forte ab eodem concessum est Vniuersitati priuilegium constituendi Procuratoris litium seu ad lites: cum enim ipsa per se non posset litibus & causis quas mouebat aut quæ contra se mouebantur adesse, posset verò de iure communi constituere Procuratorem qui suo nomine ageret, maluit tamen eum Pontificiâ authoritate quàm suo Decreto constituere. Neque id abs re; postquam enim Episcopus Parisiensis à Philippo Rege Iudex Vniuersitatis constitutus est, incepit ius sibi in eam arrogare, itaut nollet quidquam se inconsulto fieri. Ad tollendam ergo dissensionis materiam, confugit ad summum Pontificem, & quod voluit, obtinuit. Extat in hanc rem ipsius Innocentij Rescriptum inter Decretales Gregorij tit. de Procuratoribus cap. 7.

Innocentius, &c. Scholaribus Parisiensibus, &c. *Quia in causis quæ contra vos & pro vobis mouentur, vestra Vniuersitas ad agendum & respondendum commode interesse non potest, postulastis à nobis vt Procuratorem instituere super hoc vobis de nostra permissione liceret. Licet igitur de Iure communi hoc facere valeatis, instituendi tamen Procuratorem super his authoritate præsentium vobis concedimus facultatem.* PROCVRATOR SYNDICVS VNIVERSITATIS.

Casum hunc sic explicant Commentatores. *Vniuersitas Scholarium Parisiensium quandoque causas mouebat contra alios & alij contra ipsam.* Et quia Vniuersitas in causis per se interesse non poterat, petebat à Papa vt super hoc Procuratorem sibi instituere liceret. Respondetur quod licet de Iure communi illud facere posset, tamen indulget eis Papa facultatem Procuratorem instituendi super his. Et nota quod Vniuersitas de iure communi potest constituere Procuratorem. Item quod iure communi competit, indulget Papa. Plura qui volet, videat in Scholiis eo loco.

Ne verò quis putet tum primũ constitutos fuisse in Academia Paris. *Procuratores* quos *Nationum* appellamus, notandum hic agi tantum de Procuratore vt vocant *ad lites*, qui totius Academiæ nomine posset agere & defendere apud omnes Iudices, omniaque Tribunalia. Et hinc opinor sumenda origo *Procuratoris fiscalis* seu *Syndici*, qui nomine Vniuersitatis lites agit, & cauet ne quid detrimenti capiat. Nam quoties ante mouebantur, Procuratorem quidem ipsa nominabat & eligebat, sed ad tempus duntaxat; donec scilicet negotium quod ipsi committebatur, peregisset: nunc verò stabilem Curatorem constituit, qui rebus agendis assuescat.

Notandum quoque ex hoc loco manifestè constare Vniuersitatem fuisse Corpus seu Collegium: nam, vt aiunt Iureconsulti, Corporis seu Collegij signa sunt hæc vulgò, *arca communis, res communes, Sigillum*, actor seu *Syndicus*. Vnde Scoliastes in hanc Decretalem, ait Vniuersitatem hic loco Domini haberi. *Nota*, inquit, *quod Vniuersitas potest constituere Procuratorem, non obstante quod dicitur, Procurator est qui mandato Domini negotia administrat, sed Vniuersitas loco Domini habetur. Secundum leges Procurator constituitur tantùm à vero Domino: secundum Canones non est differentia in vocabulis, dummodo constet quod habet potestatem agendi & defendendi.*

Author vocabularij Vtriusque Iuris in verbo *Syndicus*, ait Vniuersitatis Procuratorem propriè Syndicum vocarisse enim ille. *Syndicus est Procurator Vniuersitatis vel Collegij pro certo salario ad iudicia constitutus, scilicet qui causam Vniuersitatis agit vel defendit; & dicitur quasi singulorum causas dicens. Est enim Syndicus Graecè, Defensor Latinè. Nam officium eius est agere vel defendere nomine Vniuersitatis causas præsentes vel emergentes.* Et quando dicitur causa Vniuersitatis agi per Procuratorem, debet exponi, id. *Syndicum vel actorem, vt de Procurat. C. quia in causis.* Et de Iura. calu. cap. *Cum causam.*

Itaque ex hoc authore certissimum est, in Decretali Innocentij mentionem & sermonem esse de Procuratore Syndico Vniuersitatis, qui post Magistratus, inter Officiarios primus reponitur. Eundem autem Procuratorem alibi vocat Innocentius *Syndicum*, vt tit. de Iudiciis C. significauerunt. *Respondentε Syndico Monasterij hoc maliciosè proponi, &c.*

NORMANIA SVBACTA. Hoc anno Normania pene tota rediit sub iugum Francorum, dormitante Ioanne Angliæ Rege, qui eam ob rem in tantum contemptum venit, vt in Angliam refugere coactus sit. Vbi ad reparationem cladis à Comitibus & Baronibus suis septimam mobilium bonorum partem exegit; prætexens se ab iis derelictum. Cuius exactionis inter Ecclesiasticos Hubertus Cantuariensis Archipræsul, inter laicos Gaufridus Petri filius Angliæ Iustitiarius Authores præcipui fuerunt.

Dici autem non potest quantæ fuerint totius Regni Francici, præsertim verò Ciuium & Scholarium Parisiensium acclamationes, quanti plausus ob receptam Normaniam, Andegauiam, Turonicam & Pictauiam. Nam omnes istæ prouinciæ hoc anno ad Regis Philippi Dominium reuersæ sunt. Maximè verò de subacta Normania gaudium vbique magnum fuit, quæ Regibus Anglis & Ducibus Normanis per 316. annos subdita fuerat, nim. à Rollone ad hæc tempora Philippi. Guillelmus Brito lib. 8.

Postquam succubuit Franco Normanus, & omnis
Terra Philippinas suscepit Neustria leges,
Indignante diu portauit vertice Regis
Mite iugum, Dominumque nequit nescire priorem,
Quamuis ille status seruilior esset eisdem,
Aduena cum grauibus oneraret legibus illos.
Rex malens bonus esse malis assuescat amando
Vt sibi paulatim populos, ne se peregrinis
Consuetudinibus arctari forte querantur,
Iudicia & leges non abrogat, immò tenenda
Omnia confirmat generaliter hactenus illis
Obseruata, quibus non contradicit apertè
Ius, aut libertas non deperit Ecclesiarum.

Leges igitur illis suas reliquit, duriores tantùm mitigauit, & tyrannicas aboleuit: Ecclesiæ liberam voluit esse virorum Ecclesiasticorum & Prælatorum electionem, quo pacto sibi omnium animos sensim vindicauit.

Præterea motu proprio, nullo supplicante
Indulsit Monachis & Clero, vt fiat ab illis
Canonico deinceps Pastorum electio ritu.
Nam Rex Anglorum ius vsurpauerat istud
Vsque modò, vt solus Pastores ipse crearet.
Nam quotiens Pastore carens Prælatica sedes
Ciuili letho naturalive vacasset,
Protinus Ecclesiæ bona cuncta vacantis ab ipso
Vsurpata suos conuertebantur in vsus.

1204. Anno 1204. Vniuersitas Parisiensis celeberrima habuit Comitia aduersus M. Amalricum de Bena eiusque sectatores, quorum errores condemnauit & anathemate percussit, vt scribit Ioannes San-Victorinus in memoriali Historiæ ad hunc

hunc annum. A sententia Vniuersitatis summum Pontificem Innocentium appellauit Amalricus, Romamque profectus est. At eo audito Pontifex, lectis quoque litteris Vniuersitatis & rationibus vtriusque partis ponderatis, sententiam aduersus eum latam confirmauit, præcepitque eiurare doctrinam suam publicè & coram Vniuersitate: quod reuersus fecit an. 1207. vt scribit Gaguinus. De hacce Amalrici condemnatione sic Rigotdus ad an. 1209. *In diebus illis studium litterarum florebat Parisius, nec legimus tantam aliquando fuisse Scholarium frequentiam Athenis vel Ægypti vel in qualibet parte mundi, quanta locum prædictum studendi gratia incolebat: quod non solum fiebat propter loci illius admirabilem amœnitatem & bonorum omnium superabundantem affluentiam, sed etiam propter libertatem & specialem prærogatiuam defensionis, quam Philippus Rex & Pater eius ante ipsum ipsis Scholaribus impendebant.* Cum itaque in eadem nobilissima Ciuitate non modo de Triuio & Quadriuio, verum & de Quæstionibus Iuris Canonici & Ciuilis, & de ea Facultate quæ sanandis corporibus & sanitatibus conseruandis scripta est, plena & perfecta inueniretur Doctrina, feruentiori tamen desiderio sacram Paginam & Quæstiones Theologicas docebantur. Fuit igitur in eadem sacra Facultate studens quidam Clericus Amalricus nomine de territorio Carnotensi, villâ quæ Bena dicitur, oriundus. Qui cum in arte Logica peritus esset, & scholas de arte illâ & de aliis artibus liberalibus diu rexisset, transtulit se ad sacram Paginam excolendam. Semper tamen suum per se modum docendi & discendi habuit, & opinionem priuatam & iudicium quasi sectum & ab aliis separatum. Vnde & in ipsa Theologia ausus est constanter asseuerare, quod quilibet Christianus teneatur credere se esse membrum Christi, nec aliquem posse saluari, qui hoc non crederet, non minus quàm si non crederet Christum esse natum & passum, vel alios fidei articulos. Inter quos articulos ipse audacter audebat dicere annumerandum esse. Cum igitur in hoc ei ab omnibus Catholicis vniuersaliter contradiceretur, de necessitate accessit ad summum Pontificem qui audita eius propositione & *Vniuersitatis Scholarium* contradictione sententiauit contra ipsum. Redit ergo Parisius & compellitur *ab Vniuersitate* confiteri ore quod in contrarium prædictæ opinioni suæ sentiret, ore dico, quia corde nunquam dissensit. &c.

PRIMA AMALRICI AB VNIVERSITATE CONDEMNATIO.

DOCTRINA AMALRICI.

Eadem prope verba repetit Vincentius Bellouacus. *Iam in diebus illis*, inquit, *florebat studium litterarum Parisius, illuc vndique de toto orbe Scholaribus confluentibus non modo propter loci amœnitatem & bonorum omnium affluentiam, sed etiam propter libertatem & specialem prærogatiuam quam scilicet impendebat eis Rex Philippus & ante ipsum Pater eius.* Illic in sacra Facultate studebat Quidam Almaricus de territorio Carnotensi, villâ, quæ dicitur Bena oriundus, semperque suum habuit & in artibus liberalibus & in sacra pagina discendi & docendi modum, opinionem priuatam & iudicium ab aliis separatum. Hic ausus constanter affirmare, quod quilibet tenetur credere se esse membrum Christi, & per hoc vnum esse de articulis fidei sine quo non potest homo saluari. Omnibus autem Catholicis in hoc ei contradicentibus ad summum Pontificem accessit, qui auditâ eius propositione & *Vniuersitatis Scholarium* contradictione contra ipsum sententiauit. Reuersus igitur Parisius compellitur ore confiteri quod contrarium sentiret prædictæ opinioni; ideo inquam ore, quia nunquam discessit corde. Plura de eo dicemus deque eius Discipulis ad an. 1209.

Ad hunc annum refert Riccobonus l. 1. de Gymnasio Patauino c. 1. *Vicetiæ Gymnasium floruisse Generale* apud S. Vitum, ibique fuisse publicas scholas. Id verò probat ex tabulis donationis, quibus Vniuersitas studiorum Gymnasii Vicetini Reuerendos fratres Monasterii S. Viti & Modesti congregationis Camaldulensis, quod nunc vocatur S. Luciæ, an. 1209. die 7. Iulij in Claustris illius Monasterij, iure donauit vniuerso, omnibusque in rem & in personam actionibus, quas in Ecclesia S. Viti eiusque bonis tum mobilibus tum immobilibus habebat: quæ tabulæ leguntur in Iacobi Nazarij Historia Vicetina.

Hoc anno Rothomagum, Andeliacum & cæteræ Normaniæ vrbes omni auxilio Anglicano destitutæ se Regi Philippo dedunt, quæ ab ingressu Normanorum in Prouinciam illam, hoc est ab anno fere 909. ad hæc vsque tempora

in Normanorum Ducum, & postea in Anglorum Regum potestate fuerant. Hac de re sic Mathæus postquam enarrauit quo pacto Rothomagum & Andeliacum se dedidissent. *Hoc facto*, inquit, *Castellary omnes de Regionibus transmarinis cum Ciuibus & aliis Regi Anglorum subiectis*, Nuncios direxerunt in Angliam, Regi denunciantes sub qua erant angaria constituti, & quod tempus instabat Induciarum, quo oportebat eos Ciuitates & Castella Regi Francorum reddere, vel obsides quos illi dederant, ad perdendum tradere. Quibus Rex Ioannes respondit & per Nuncios significauit omnibus, vt nullum ab ipso expectarent auxilium, sed facerent singuli quod sibi melius videbatur. Sic omnimodo deficiente consolatione cum succursu tota Normania, Turonica, Andegauia, & Pictauia cum Ciuitatibus, Castellis & Rebus aliis præter Rupellam, Toarz, & Niorz castella sunt in Regis Francorum dominium deuoluta.

Eodem anno Odo Parisiensis Episcopus concessit Hugoni Clementi Decano & Capitulo Parisiensi Præbendam, quam in eadem Ecclesia solebant habere San-Genouefiani Canonici, quamque iuxta concordiam & pacem cum ipsis initam, an. 1202. sibi reseruarat: quam in rem extat instrumentum in magno Pastorali.

Odo D. G. Parisiensis Episcopus Omnibus Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum peruenerit, æternam in Domino salutem. Ad vniuersorum notitiam volumus peruenire, quod cum venerabiles viri Abbas & Capitulum S. Genouefæ Præbendam & Vicariam quam in Ecclesia B. Mariæ Parisiensis habebant, Nobis & successoribus nostris ratione compositionis quæ inter nos & ipsos intercesserat, contulissent penitus & quittassent, Nos postmodum tam Præbendam quàm Vicariam memoratam Dilectis fratribus nostris Hugoni Decano & Capitulo Parisiensi concessimus & quittauimus perpetuis temporibus possidendam, vt tam de præbenda quàm Vicaria eisdem prout voluerint, liceat ordinare. Ita tamen quod Capitulum supradictum præter decem libras Parisiensis Monetæ quas Matricularius Sacerdotibus in Ecclesia nostra à nobis nouiter institutis habendas perpetuò contulerunt, eisdem Matriculariis septem libras Parisienses, & post cessionem vel decessum M. Alberti 60. solidos eiusdem monetæ annuatim soluere tenebuntur. Vt igitur donatio ista & concessio perpetuo robore conualescat, præsentem Chartam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum anno Incarnati Verbi 1204. Pontificatus nostri an. 7.

Eodem anno Guido Paræus nationis Gallicanæ vir litteratus & scriptis nobilis an. 1189. Abbas Cisterciensis factus xv. an. 1198. Episcopus Prænestinus & Cardinalis multis legationibus in Germania & Belgio functus, cuius honorabilem omnino mentionem facit Cæsarius l. 5. c. 56. & lib. 6. c. 10. post longas & importunas altercationes Ecclesiæ Remensis, ab Innocentio creatur Archiepiscopus, datis ad M. Petrum de Corbolio Senonensem Archiepiscopum, Abbates Clareuallensem & San-Victorinum litteris, vt si qui parere recusarent, eos Ecclesiastica districtione & seueritate compescerent. Antequam verò Pontificias in hanc rem litteras referamus, non videtur extra rem esse hic commemorare quæ scribit Canonicus Laudunensis in Chronico de illa altercatione. Sic ergo.

Theobaldus de Pertico Archidiaconus Remensis, vir nobilis & generosus & litteratus atque sublimitatis acumine extollendus, aliàs per omnia egregius, nisi minus aperte ambiret honores. Hic Philippo Episcopo Beluacensi in Remensem Archiepiscopum electo arma militaria & eorum vsum obiecit, & virum incendiarium esse dixit. Factâ iterum electione permissu Papæ à Canonicis Remensibus, Baldewinus Præpositus eiusdem Ecclesiæ à maiori & saniori parte vocatur ad præsulatus honorem. Sed impatiens alterius honoris ambitio per memoratum Archidiaconum obiecit, quod vno pollice mutilatus. Domino etiam Miloni de Nantolio iuueniles annos obiecit. Et sic eorum electione infirmatâ eidem Ecclesiæ præficitur Guido Prenestinus Episcopus Apostolicæ sedis Legatus, quondam Abbas Cisterciensis. Huius præsulatus mense primo Quidam eo præsente apud Branam de fide examinati Infideles reperti sunt, in præsentiâ Comitis loci Roberti & Iolent Comitissæ & aliorum: quorum Iudicio post paucos dies extra Castrum flammis sunt exusti: inter quos erat famosissimus per omnem Franciam Pictor nomine Nicolaus. Et illi proculdubio sunt Hæretici, quos Pseudo-prædicatores & Amalricani Albigensi peste infecerant, de quibus ad an. 1209. fusè dicetur.

Extat vero Innocentii III. Decretum de Electione Guidonis in Catalogo Prenestinorum Episcoporum depromptum ex Originali Vaticano.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei Capitulo Remensi,.. Prælatorum vota eligentium variantur: per huiusmodi tamen schismata quæ interdum potius ex impetuosâ leuitate quàm bono zelo procedunt, Ecclesiæ solent incurrere detrimentum, sicut Ecclesiæ vestræ accidisse conspicimus & dolemus. Sanè cum bonæ memoriæ willielmus Archiepiscopus vester vniuersæ carnis debitum exoluisset, quia non potuistis in vnum omnes pariter conuenire, sed contradicentibus Quibusdam ex vobis quidam venerabilem fratrem nostrum Beluacensem Episcopum per impetuosam præsumptionem ex indiscreto zelo post appellationem ad nos interpositam in Archiepiscopum nominarunt, laborauit Remensis Ecclesia & expensis se grauibus onerauit. Nos autem partibus in nostra præsentia constitutis & inquisita plenius & cognita veritate postulationem factam de Episcopo Beluacensi exigente institia repellentes, de gratia vobis liberam electionem duximus concedendam per Apostolica vobis scripta mandantes, vt infra mensem post susceptionem litterarum nostrarum conuenientes in vnum; inuocatâ S. Spiritus gratiâ canonicè vobis eligeretis personam idoneam in Pastorem & faceretis quatenus fieri posset oportunè in Pontificem consecrari. Adiecimus etiam vt in exam ne districti Iudicij à vobis requireret Dominus, nisi humano fauore ac mundo timore postpositis personam in spiritualibus & temporalibus secundum conscientiam vestram idoneam vobis præficere curaretis. Venerabili quoque fratri nostro Antissiodorensi Episcopo & Dilecto filio Abbati de Persenia & Magistro R. de Corgen Canonico Nouiomensi dedimus in mandatis, vt si negligeretis forsitan mandata Apostolica adimplere, ipsi authoritate nostra suffulti, causa qualibet cessante Deum habentes præ oculis, personam quæ tanto congrueret oneri & honori vobis in Pontificem assignarént & eum facerent per suffraganeos Remensis Ecclesiæ consecrari. Vos autem receptis litteris nostris loco conuenientes eodem sed animo discordantes, vt pote, quia nondum ab oculis cordis vestri prioris rancoris nebulam terseratis, personas vobis varias nominastis: Quibusdam ex vobis Præpositum, quibusdam maiorem Archidiaconum eligentibus in Pastorem. Quia igitur prædictorum executorum audientiam & præsentiam euitantes maluistis ad sedem Apostolicam laborare, discordantium partium concordia nostrum Iudicium eligente, Dilecto filio T. De Porta Carceris, Procuratori partis illius quæ Præpositum duxerat eligendum & sociis eius, & O. Procuratori partis aduersæ ac Collegii ipsius audientiam concedentes, propositiones partium & confessiones audiuimus, recepimus testes, & publicantes dispositiones eorum examinauimus omnia diligenter. Fuit ergo propositum coram Nobis, quod Pars illa quæ Præpositum nominarat, non solum aduersa parte contempta, sed neglectis etiam quibusdam ex illis qui cum eis postmodum in electionem Præpositi concordarunt, in Domo Hugonis de Sparnaco Canonici sui seorsum habuerunt super electione tractatum, communiter statuentes quod si non possent in personam eandem omnes pariter conuenire, illum ex compromisso reciperent in Pastorem, quem Decanus & Prædecessor I. De Porta Carceris & Geruasius Præpositi nepos, in quos compromiserunt communiter sub hac forma, eis in Archiepiscopum nominarint. Adiectum est etiam quod cum Vice-dominus prædictum Archidiaconum elegisset, appellans ne quis in præiudicium Electionis ipsius aliquid attentaret, Decanus velut in furorem conuersus nullo protsus consilio de Præposito in Capitulo habito, nec communi deliberatione præmissâ subitò Præpositum capiens, & nos istum, inquit sociis, accipiamus. Sicque capientes eum Quidam alij cum Decano intronizauerunt eundem & laudes solitas decantarunt. Siue igitur ex deliberatione in domo Hugonis extra Capitulum habita fuisset, repentè in Capitulo nulla deliberatione præmissa Decanus Præpositum nominauit, patet eum præter formam electionis Canonicæ nominatum. Obiectum est insuper quod Præpositus erat super Simoniæ vitio infamatus, quod abusus fuerat Sigillo Capituli: quod tanquam Criminosus vitio rupturæ laborabat: & quod medio digito sinistræ manus fuerat mutilatus, licet testes super hoc varia retulissent, deponentibus Quibusdam eorum, quod tantum extremâ vnciâ digiti carebat eiusdem, & addentibus aliis quod secundam in-

" tegram non habebat. Canonibus igitur reuolutis inuenti sunt diuersi super hoc articulo non aduersi. Nam & si aliqui habeant quod Quidam corpore viriati, & hi specialiter qui casu partem digiti amiserunt, ad Clericatus officium admittantur, aliqui tamen habent quod qui membrorum sunt damna perpessi, sunt à sacris Ordinibus prohibendi, qui super hoc sibi nullatenus aduersantur cum multi ad minores possint Ordines promoueri, qui ad superiores cum effectu non debent aliquatenus aspirare. Nam maior sufficientia in iis requiritur, qui ad sacros sunt Ordines promouendi, quàm in iis qui sunt in minoribus Ordinibus constituti; sicut & maior in Presbytero quàm Diacono; Episcopo quàm Presbytero, Archiepiscopo quàm Episcopo; Primate quàm Archiepiscopo; & maior iis omnibus est in summo Pontifice perfectio requirenda. Quatuor igitur opposita sunt in factum & quatuor in personam. In factum illicita compromissio, contemptus fratrum, Canonica prouocatio & impetuosus processus. In personam infamia Simoniæ, abusus sigilli, rupturæ vitium & digiti mutilatio.

" Licet autem contra personam Archidiacnni nihilominus ostensum fuerit vel obiectum, imò multipliciter à multis fuerit commendata, contra factum tamen electionis ipsius fuit propositum ex aduerso, quod cum Decanus ad sedem Apostolicam appellasset, ne quis sine communi, vel maioris & sanioris partis assensu ad electionem procederet celebrandam, Vice-Dominus & sequaces ipsius pauciores numero, cum vix tertia pars Capituli sequerentur eundem; & dignitate minores, cum nulla persona Remensis Ecclesiæ Vice-Domino consentiret; & inferiores ordine, cum nullus Presbyterorum faueret eidem, eundem Archidiaconum nominarat, & quod adhoc zelo processerat indiscreto, cum pars altera tam ad Remensem quàm Carnotensem Decanum Ecclesiæ Remensis Canonicum, qui quondam in priori negotio eidem Archidiacono fauerat, eligendum & quamplures viros prouidos & honestos postulandos à nobis duxerint nominandos, quorum nullum pars ipsius Archidiaconi voluit acceptare vt pote quæ non ad vtilitatem Ecclesiæ, sed promotionem illius potius intendebat. Præterea ex vtriusque confessione patebat quod Archidiaconus ipse in Subdiaconatus erat ordine constitutus, Canon autem subdiacones qui & ipsi ministrant altaribus, exigente opportunitate concedit, si spectatæ religionis & scientiæ fuerint, non tamen sine Rom. Pontificis vel Metropolitani scientia in Episcopos eligendos. Verum cum Remensis Ecclesia Metropolitanum non habeat alium quàm Rom. Pontificem, nec non conscii essemus electionis ipsius, constabat eam contra formam Canonicam attentatam. Cumque super his & aliis coram Nobis fuisset variè disceptatum, nos attestationibus, confessionibus & allegationibus diligenter auditis & plenariè intellectis, de communi fraternitatis nostræ consilio exigente iustitia electionē veramq; curauimus reprobare. Verum quoniam officii nostri debitum & Remensis Ecclesiæ commodū requirebat, vt ei prouideremus personam idoneam in Pastorem, ne si denuo restitueremus vobis licentiam eligendi, denuo Apostolicæ sedis beneficio abstentes, Remensem scinderetis Ecclesiam & labores nouos veteribus laboribus cumulantes afflictionem adderetis afflictæ, ad Venerabilem fratrem nostrum Guidonem Prenestinum Episcopum Apostolicæ sedis Legatum, virum prouidum & honestum, oriundum de Regno Francorum qui fuerat in Cisterciensi Ordine Primus Abbas, & suæ Religionis exigentibus meritis à nobis assumptus fuerat in Prenestinum Episcopum, virum vtique coram Deo & hominibus potentem in opere ac sermone, oculos nostræ considerationis extendimus, & vobis & eidem Ecclesiæ prouidimus in Rectorem, dum tamen super hoc eius accedat assensus, quem inuitum cogere nolumus, sed consentientem assumi. Monemus igitur Vniuersitatem vestram & cohortamur in Domino, & per Apostolica vobis scripta mandamus & districtè præcipimus: quatenus si Episcopus ipse dispositioni nostræ consenserit, ipsum sicut Pastorem & Episcopum vestrum suscipiatis humiliter & honorificè pertractetis, debitam ei obedientiam & reuerentiam impendatis, scientes Nos Venerabili Fratri nostro Senonensi Archiepiscopo & dilecto filio Clareuallensi & S. Victoris Parisiensis Abbatibus dedisse firmiter in mandatis, vt si qui, quod non credimus, facto nostro se duxerint opponendos, eos per dispositiones Ecclesiasticas sub Apost. impedimento compescant: eisdemque man-

dauimus, vt si forsan idem Episcopus non pateretur ad Remensem Ecclesiam se transferri, omni gratia & timore postposito personam idoneam & honori tanto & oneri congruentem solum Deum habentes præ oculis authoritate nostra suffulti vobis Apostolica potestate præficiant in Pastorem. Contradictores modo simili compescentes. Datum Laterani 2. Non. Iulii an. 7.

Anno 1205. Odo Episcopus Parisiensis Canonicorum Ecclesiæ Campellensis & S. Marcelli Parisiensis numerum auxit, & vnicuique Præbendæ 25. libras annui 1205.
reditus assignauit: qui tunc sufficiens & competens esse reputabatur. Statuit etiam in fauorem absentium studii causa, ne peregrinari prohiberentur.

Odo D. G. Parisiensis Episcopus Omnibus fidelibus præsentem paginam inspecturis æternam in Domino salutem. Cum eo largiente qui dat abundanter & non improperat, facultates Ecclesiæ de Campellis eatenus excreuissent vt personarum numerus quantitati redituum minimè responderet, & fructum præbendæ cuiuslibet duabus personis sufficere posse constaret, maximè cum sicut assertione & testimonio ipsorum Canonicorum & aliorum multorum accepimus, fructus cuiuslibet præbendæ valentiam fere 50 librarum excedat, Canonicorum paucitate pensatâ diuino cultui & vtilitati Ecclesiasticæ expedire credentes, vt bonorum temporalium incrementa spiritualium comitaretur augmentum, de speciali indulgentia sedis Apostolicæ *& tam venerabilium virorum H. Decani & Capituli B. Mariæ Parisiensis quàm Capituli de Campellis assensu præbendas memoratæ Ecclesiæ de Campellis decreuimus diuidendas & ipsius Ecclesiæ præsente Capitulo diuisionẽ ipsarum perpetuis temporibus tam Apostolica sedis quàm nostra statuimus & præcipimus authoritate seruandam.* Ita videlicet vt Canonicis qui modò sunt in Ecclesia prælibata quandiu vixerint, præbendarum suarum integritate seruatâ ipsis decedentibus vel cedentibus cum tempore procedente vacauerint, singulæ diuidantur in duas & duabus personis sine contradictionis obstaculo conferantur... *Postquam autem Canonicus semel per octo menses residentiæ tempus expleuerit, si peregrinari vel studere voluerit, Canonici residentes vel maior pars ipsorum eidem dare licentiam debebunt & ipsum à scholis aut peregrinatione prohibere non poterunt, sed de mora peregrinationis aut studij prout videbitur competens, ordinabunt. Scholarem tamen bona fide, quando viderint expedire Capitulo aut maiori parti Canonicorum residentium, reuocare licebit.* Et si reuocatus infra tempus competenter assignatum redire noluerit, ex tunc eum foraneum reputabunt: nisi eis de rationabili impedimento constiterit. Licentia autem manendi in scholis nulli concedatur nisi resideat, vel pro residenti habeatur. *Si verò Capitulum in danda seu deneganda licentia studiorum vel in reuocatione studentium excederet, ad Parisiensem Episcopum excessus huiusmodi correctio pertineret.* Actum anno Incarnati Verbi 1205. Pontific. nostri an. 8.

Idem omnino & iisdem verbis constituit de Canonicis & præbendis S. Marcelli, nec non de studentibus: leguntur que hæ litteræ in Chartulario Ecclesiæ Parisiensis.

Eodem anno Bononiensis Vniuersitas reformata est & nouis Priuilegiis decorata, teste Carolo Sigonio qui de ea sic loquitur lib. 4. histor. Benon. *Tranquilla domi Ciuitate diligens Gymnasii cura suscepta, atque his legibus eius commodis & dignitati consultum.* Qui profiteri Legum doctrinam voluerit, postquam approbatus erit, professionis initium facere non possit nisi iurarit se post hac nulla in vrbe scientiam Legum Scholaribus traditurum. BONONIENSIS VNIVERSITAS.

Præter hac apud se sacramenta concipienda curato.

Domini Legum cum aliquò vertendi ob studium soli causâ legum ne contrahunto. Neue Scholaribus vt aliò commigrent, auxilio sunto.

Iudicibus & Rectoribus si postularint, consilium danto.

Ne quis Ciuis aut Vrbis incola se comitem Scholari aliò studii gratia commigranti præbeto.

Ne quis cum aliquo Scholari extra vrbem & ditionem Bononiæ contrahito.

Scholares pro Ciuibus habentor atque tractantor. *Hac autem*, subdit Sigonius, *diligentius eo tempore sanxisse videntur, quia in vicinis etiam vrbibus Leges tradi alióque Magistri mercedis magnitudine euocari erant cœpti.*

Hoc anno natus dicitur Albertus Magnus in oppido Lauinghensi ad ripas Da-

nubii ex clarissima Bolstattensium Comitum prosapia. Eodem M. Robertus de Ablagel seu Ableges electus est in Episcopum Baiocensem & ab Innocentio missus ad walterum Rothomagensem Præsulem in presbyterum ordinandus & in Episcopum consecrandus. Ordinatus est autem 5. Kal. Martij & die crastino ordinatus: vt legitur in Chronico Rothomagensi : recensetur inter Præsules qui sacræ militiæ nomen dederunt anno. 1212. contra Albigenses.

Ad hunc annum notat Rigordus à Balduino Imperatore Constantinopolitano de sacta Capella Imperatorum quam *Os Leonis* vocabant, missas Philippo Regi fuisse plurimas venerabiles Reliquias, imprimis de Cruce Domini nostri *ad quantitatem vnius pedis in longum, in grossum quantum aliquis claudere manu potest iuncto pollici indice.* De Capillis eiusdem Domini adhuc pueri. De Corona spinea spinam vnam : Costam vnam S. Philippi Apostoli cum vno dente eiusdem. De panno lineo albo in quo inuolutus fuit infans Christus in præsepio. De purpureo ipsius indumento. Quas quidem Reliquias Philippus Henrico Abbati San-Dionysiano tradidit Parisiis 7. id. Iunii. Et ille ad locum Indicti profectus exceptus est à Monachis nudis pedibus & cappis albis & sericeis indutis.

ARCHIEPISCOPI CANTVAR. OBITVS. CLADES ANGLICANA. Eodem anno obiit Hubertus Archiepiscopus Cantuariensis, & eius mortis occasione Anglia Papali Imperio subdita fuit, & Ioannes Rex Regnum amisit. Cum enim Monachi Cantuarienses à quibus noui Archiepiscopi pendebat Electio M. Renerium, seu vt alii scribunt Reginaldum Subpriorem suum elegissent in Archiepiscopum, & is Rege alium intrudere volente coactus fuisset Romam ad Pontificem confugere, Pontifex accepta occasione, & tam Monachorum quàm Regis electionem cludens, M. Stephanum de Langetona olim in Academia Parisiensi Professorem, vnum è Fulconistis Concionatoribus, Innocentio notum in scholis, tunc verò Cardinalem S. Chrysogoni eligi curat, & in Archiepiscopum consecrat. Rex Monachos per quos scandalum venerat, expellit. Pontifex propter Monachorum expulsionem Regem fulmine excommunicationis ferit & Angliam interdicto subiicit. Hæc breuiter Vincentius. *Magister Renerius*, inquit » *Suprior Cantuariensis* in Archiepiscopum electus Romam vadit : sed Rege volente » alium intrudere, Papa in Archiepiscopum consurat Magistrum Stephanum de » Langetonis sancti Grisogoni Presbyterum Cardinalem, Regem autem excom» municat propter Monachorum eliminationem ac rerum Ecclesiasticarum confis» cationem & interdicto subiicit Angliam. Historiam hanc pluribus refert Mathæus Parisiensis ad an. 1208. causamque hanc affert subuersionis Anglicanæ, quod vna pars Monachorum Reginaldum elegisset, altera Regis nutu ducta Ioannem Episcopum Norwicensem: cum vtraque verò pars Romam Legatos misisset, Innocentius de Consilio Cardinalium vtramque electionem abrogat, quia comperit vtramque fuisse vitiosam, iussitque eos qui tum Romæ aderant, præsentare. Illi Papæ voluntati obsecundantes M. Stephanum de Langetona elegerunt, eumque Papa Viterbij 15. Kal. Iulii consecrauit. Quia verò sciebat Ioanni Regi Anglorum minus gratam fore huiusmodi electionem, vt pote quæ sine eius consensu, imò contra eius voluntatem facta fuerat, ad eum scripsit rogans & adhortans humiliter & gratiosè, *vt M. Stephanum de Langeton S. Chrysogoni Presbyterum Cardinalem*, (sunt verba Mathæi) *ad Archiepiscopatum Cantuariensem Canonicè electum benignè susciperet, & qui de Regno suo originem ducens non solum in secularium scientiâ litterarum Magistri nomen promeruerat Parisius, sed & Doctor esse in Theologicis Disciplinis.* Quid autem responderit Ioannes, & quàm acerbè id tulerit, dicemus ad an. 1208.

Eiusdem rei meminit Robertus Antissiodor. in Chronico ad an. 1207. his verbis.
» Per id tempus Anglicana Ecclesia graui scandalo perturbatur. Defuncto nam» que Huberto Cantuariensi Archiepiscopo cum in eligendo Pontifice dissensio » fieret & alium Rex intrudere vellet, quàm communis electio decreuisset, adeo » ira Regis incanduit, vt Cantuariensem Conuentum extruderet & Ecclesiasti» cos reditus confiscaret : atque ita nobilis illa siluit Ecclesia, seu admodum deso» lata. Interea Stephanus eiusdem Ecclesiæ electus à D. Papa in Pontificem con» secratur & remissus in Galliam, donec cum Rege Angliæ componeret, iubetur ibi » commorari. Hunc nuper in Cardinalem D. Papa promouerat, virum quidem » vita honestum præclarumque inter Parisienses Magistros tam facundiâ quàm

sciétiâ Scripturarum. Mathæus tamen Parisiensis obitum Huberti an. 1205. 3. id. Iulii apud Tenham contigisse narrat Ioanne Rege Anglorum gaudente, quia de Regis Francorum nimiâ familiaritate suspectus habebatur. *Pergit.* Defuncto itaque Archiepiscopo antequam corpus eius sepulturæ traderetur, adolescentes quidam de Conuentu Cantuariensis Ecclesiæ Regis consensu non requisito Reginaldum Suppriorem suum in Archiepiscopum elegerunt, & media de nocte suprafactam electionem hymno. *Te Deum laudamus* cantato prius super maius altare, ac deinde in archiepiscopali Cathedra posuerunt. Verebantur quod si electio sine Regis consensu ad ipsius aures peruenisset, ipse processum negotii impedire laboraret. Vnde nocte eadem idem Suppriot. præstitâ cautione iuratoriâ, quod sine licentia & litteris specialibus Conuentus se electum non gereret, vel litteras Conuentus de rato quas habebat, alicui promulgaret, assumptis secum de Conuentu quibusdam Monachis Curiam Rom. adiuit.

Verum iste electus, vt post enarrat Mathæus, spreto iuramento, vt in Flandriam applicuit, se palam Cantuariensem electum iactitauit & Romæ idem apud Pontificem & Cardinales fecit: quod vt Conuentus Cantuariensis resciuit, veritus ne Rex Ioannes sæuiret propterea quod non fuisset eius exspectatus consensus, ad eum Nuncios mittit, petitque licentiam idoneum sibi Pastorem eligendi. Annuit Rex, & priuatim eos allocutus significauit sibi gratissimam fore Ioannis de Gray Norwicensis Episcopi electionem, quod ille solus omnium suorum secretorum conscius esset. Hoc illi referunt ad Conuentum, qui vt Regem quem offenderat, sibi reconciliaret, protinus Ioannem illum eligit, & statim in Archiepiscopali Cathedra collocat Rege præsente & probante. Neque Rex cunctandum ratus quosdam è Monachis quorum princeps erat M. Helias de Brantefeld Romam mittit, qui prædictam electionem à D. Papa confirmari postularent. Miserunt autem eodem tempore, inquit Mathæus, Episcopi Cantuariensis Ecclesiæ Suffraganei Procuratores Romam, grauem coram D. Papa querelam proponentes, Quod videlicet Monachi Cantuariensis Ecclesiæ sine illis electionem temere archiepiscopi præsumpsissent celebrare, cum ipsi vnà cum illis de iure communi & consuetudine antiquâ electioni interesse debuissent, &c. Monachi vero è contrario asserebant, quod priuilegio speciali Romanorum Pontificum & de consuetudine approbata & antiqua sine Episcopis electiones facere consueuerunt, &c. Quid multa? Pontifex vtramque electionem improbauit & M. Stephanum eligi curauit.

Anno 1206. Statutum, seu potius amica quædam compositio inita & facta est concorditer & vnanimi consensu à 4. Nationibus de modo eligendi Rectorem. 1206. Tunc adhuc solæ Vniuersitatem componebant, & solæ statuta faciebant: licet enim tunc temporis essent celeberrimi omnium Facultatum seu Artium Professores, Theologiæ, Iuris vtriusque, Medicinæ & cæterarum artium, illi tamen omnes non alios habebant Magistratus quàm Rectorem & Procuratores, & illorum statutis atque mandatis parebant. Porro Statuti, de quo hic mentio, iam non extat instrumentum quod sciam. Extabat tamen adhuc in Tabulario Nationis Gallicanæ apud Regiam Nauarram an. 1552. In Catalogo enim seu Indice rerum in Archiuis seu tabulario nationis contentarum, qui eo anno factus est, mentio fit illius veteris statuti de Electione Rectoris anno 1206. facti, nemp. fol. 7. verso, vbi hæc verba leguntur. *Item vne autre lettre en parchemin contenant certain Concordat fait entre les quatre Nations de l'Vniuersité* SVPER ELECTIONE RECTORIS VNIVERSITATIS *en date de l'an mil deux cens six, cotté F.* Item in alio *Indice* facto die 26. Maij an. 1565 M. Ioanne *le Pescheur* Procuratore sic legitur. *Item vne lettre au dos de laquelle est escrit*, CONCORDATVM FACTVM INTER 4 NATIONES SVPER ELECTIONIBVS RECTORVM, PROCVRATORVM ET OFFICIARIORVM. *cotté F.* Item in alio Indice facto mense Octobri an. 1611. legitur. *Plus vne lettre de Concordat entre les Nations touchant l'Election du Recteur, Procureurs, &c. cotté F.* Verum nescio quo fato instrumentum istud periit: quod si extaret, multa forsasse dissidia ab aliquot annis in hac Principe Academia orta compesceret. Faxit Deus vt aliquando in tabularium prædictæ Nationis redeat.

STATVTVM 4. NATIONVM DE ELIGENDO RECTORE.

Eodem anno obiit Romæ celeberrimus Hugo de Noëriis Antissiodorensis Episc- De Hugo-

copus, Academiæ quondam Professor eximius, deinde ad Episcopatum promotus in quo Hæreticorum flagellum fuit. Eius præclaras virtutes Epitaphii loco enumerat Robertus Chronologus Antissiodorensis. *Hugo*, inquit, *Antissiodorensis Episcopus Romam profectus ibidem obiit*. Hic extitit corde magnificus, ingenio perspicax, facundia copiosus, & tam in Ecclesiasticis quàm in secularibus sagax admodum & peritus. Episcopales reditus multimodis reparauit augmentis. In cunctis fere Episcopalibus locis ædificia insignia vel de nouo construxit vel diruta reparauit. Siquidem Varziacum Castrum murorum & turrium reparatione muniuit. Cumque prædecessores sui Domum ibidem, in quam honestè descenderet, propriam non haberent, Domos geminas in modum Palatiorum extruxit tam diffusas amplitudine quàm opere sumptuosas. Cumque intra Castri ambitum nullum existeret molendinum, fontis qui de Ecclesiâ oritur, cursum artificiali deductione retorsit, & intra fossata Domos prædictas cingentia & piscibus copiosa collegit. Inde Molendinum extruxit, cui nouus aquæ discursus sufficeret, & multis in locis per Castrum deductus multorum vsibus deseruiret. Sed & apud Curbinachum villam locum de nouo instituit quem Bellum-Reditum appellauit, locum vtiq; peramœnum nemore circumsito & molendinis & stagnis. Vindatiis quoq; fructiferis & domibus spaciosis. Regennam honestioribus ædificiis insigniuit. Hæreticos quos Bulgatos vocant, vehementer studuit insectari, eiusque instantia actum est, vt plerique rebus suis exinanirentur, exterminarentur alij, alij cremarentur. Litterali scientia præditus amansque librorum repetebat libenter cum sibi vacaret, otia litterarum. Cum itaque strenuus in multis existeret, sibi tamen minus in aliis studuit, minus cauit. Nam in sibi subditos minus clemens extitit, eosque immodicis exactionibus aggrauauit. Erat quippe in expensis profusior, amans contubernia Militum, & militarium actuum solitus pompam plus prosequi quàm sacerdotali competeret grauitati. Et quia in suis negotiis plus peruicax & minus cuique credens erat, vixque se ab aliquo vinci permittebat, plures à pluribus persecutiones sustinuit, quas tamen magnanimiter tolerans & finaliter præualens sæpius obtinebat. Terram sibi subditam etsi plerunque aggrauauerit, ramen ne grauaretur ab aliquo, potenter defendit. Iudæis à Petro de Vrbe propulsis, Synagogam eorum in medio Vrbis sitam in Ecclesiam commutauit, duoque inibi altaria, alterum in honore S. Nicolai, alterum S. Antonii consecrauit. Erga matrem Domini deuotus extitit, ipsiusque Ecclesiam in vrbe sitam studuit honorare, ipsoq; satagente creuit Canonicorum paucitas maiore numero: creuit Redituum paruitas multiplici incremento. Promiserat namque quoque quod plura conferret, nisi mors præueniens impedisset. Denique quibusdam de causis à quibusdam impetitus vrgente negotio Romam proficiscitur; vbi cum venisset, à Domino Papa venerantet exceptus, paulo post morbo corripitur & pluries purèque confessus & pœnitens intra paucos dies moritur in Lateranensi Ecclesia præsente Domino Papa & Cardinalibus cum multa honorificentia tumulatur. Anno sequente in eius locum suffectus est M. Guillelmus Decanus eiusdem Ecclesiæ ætate quidem Iuuenis, sed morum senio præmaturus, inquir idem author.

Eiusdem viri meminit Vincentius Bellouacus. *Hugo*, inquit, *Antissiodorensis* Episcopus in Ecclesia Lateranensi tumulatur, vir nobilis & magnificus, in vtroque lure peritus, persecutor hæreticorum præcipuus, qui etiam inter alia zelaru digna per Comitem Petrum ab vrbe Iudæos eliminari fecit eorumque Synagogam eliminatâ spurcitiâ in honorem Dei & sanctorum Confessorum, scilicet Nicolai & Renoberti Basilicam consecrauit. Post quem eligitur in Episcopum Guillelmus & ipse genere nobilis ac litteraturâ bonisque moribus adornatus. Et quia Rex Episcopalia confiscari præceperat, electus per legatos restitutionem petit nec impetrat. Itaque consecratus adit personaliter Regem, & cum multis laboribus & sumptibus perpetuam Regalium obtinet libertatem.

Guillelmus ille successor Hugonis in agro Antissiodorensi natus, de *Seilligniaco* cognomen habuit. Ille de quo recurret dicendi locus, ab auunculo Guidone de Nuceriis Archipræsule Senonensi, qui obiit an. 1194. enutritus fuerat & ab eo Thesauraria Cathedrali cum Archidiaconatu Pruuinensi donatus. In Antissiodorensi

tissiodorensi verò Ecclesia adeptus est Decanatum ad quem absens electus fuit, & quia in scholis adhuc erat, vsque ad reditum per annum & amplius exspectatus est, vt legitur in eius vita. In defendendis Ecclesiæ iuribus vir fuit strenuus & fortis si quis vnquam. Sacerdotes quosdam vrbis Episcopi authoritate se tuentes & proinde inobedientes sibi parere coëgit: nam cum ad Metropolitanæ sedis Senonensis lite delatâ de Hugone Episcopo victoriam retulisset, inobedientes illos Sacerdotes quorum causâ turbæ fuerant excitatæ, in Capitulo ipso Antissiodorensi *Virgarum fecit publicam solemniter recipere disciplinam*, sic legitur in eius vita, *inter quos vnus magnæ grauitatis & nominis, Magister videlicet Robertus Prior B. Mariæ extra muros, licèt opinione magnus existeret apud omnes, & propter hoc magis, dum verecundaretur succumbere, contumacior fuerat & rebellis, apud S. Marianum retrusus in claustrum & ab administratione Prioratus sui remotus ad tempus, ad nutum ipsius Decani in pane & aqua aliquot dies exegit pœnitentiam, multatus pœnâ per Abbatem suum quæ rebellibus & inobedientibus consueuit infligi.* Is est opinor Robertus Chronologus Antissiodorensis S. Mariani Monachus, cuius scripta extant, & cuius elogium & obitum infra referemus.

NE ANTISSIODORENSI.

Porro postulatus sæpe Guillelmus ad superiores Dignitates, assentiri nunquam voluerat; donec post mortem Hugonis à M. Petro de Corbolio Archiepiscopo Senonensi qui forte præsens adfuit cum Capitulum Antissiodorense de successore deliberauit, iussus fuit Ecclesiæ illius regimen suscipere, quam ad annum vsque 1220. administrauit. Demum anno 1220. postquam intellectum est Petrum Cambium Episcopum Parisiensem apud Damietam interiisse, dissidentibus inter se de successore Canonicis, Honorij Pontificis authoritate iussus est ad Parisiensem sedem migrare, vt suo loco dicetur.

Hoc anno tam vehemens Sequanæ inundatio contigit, vt nunquam maior visa fuerit, quamobrem indicta est solennis supplicatio, ad eamque iussi venire San-Dionysiani Monachi cum Clauo & spinea Corona. Quâ de re sic Rigordus. " Eodem anno mense Decembri peccatis hominum exigentibus tanta aquarum & " fluminum inundatio facta est, quanta ab hominibus illius temporis nunquam vi- " sa vel audita à prædecessoribus fuerat Parisius. Tecta parui Pontis fregit, & quāplures domos ibidem euertit, & infinita damna multis in locis intulit. Quâ de " causa Conuentus B. Dionysii cum Abbate suo Henrico & vniuerso Clero & " populo Processionem nudis pedibus faciens cum clauo & spinea corona Domi- " ni & sacratissimo ligno Crucis Dominicæ aquis benedixit. Peracta verò bene- " dictione cum multiplici lachrymarum effusione statim aquæ cœperunt diminui. " At Vincentius addit ante inundationem illam præcessisse tonitrua & plurima fulminibus incensa fuisse ædificia, idque accidisse in vigilia S. Nicolai. Rem & miraculum descripsit Canonicus San-Genouefianus illius temporis, qui nuper prodiit in lucem cum aliis multis operâ Labbei Iesuitæ ex MS. Codice. Sic autem ille scribit.

Gloriosus Deus in sanctis suis qui in abundantia delictorum gratiæ suæ ostēndit superabundantiam & in flagellis populi sui non tantum suam sed & sanctorum suorum manifestauit gloriam. Gloria hæc & misericordia Dei sæpius & sæpius manifestata est in oculis suis, in flagellis Regni Francorum & in miraculis B. Virginis Dei Dilectæ Genouefæ. Vnde est propositum nostrum de his quæ " oculis nostris vidimus, veritati testimonium perhibere, vt simus ex eius Discipu- " lis qui est via veritas & vita, via in exemplo, veritas in promisso, vita in præ- " mio. Anno igitur Verbi Incarnati 1206. Indict. 9. mense Decembri, flagellauit " Deus Regnum Francorum vehementi inundatione pluuiarum & impetu flu- " minum proprios fines & margines excedentium: itavt in diluuio aquarum mul- " tarum arbores excelsæ stirpitus euerterentur, & terræ nascentia radicitus euel- " lerentur. Ædificia quoque Ciuitatum, Oppidorum & Villarum funditus sub- " uerterentur. Inter cætera totius Regni incommoda Ciuitas Parisiensis omnium " Ciuitatum Regni caput & Domina tanto impetu Sequanæ fluuij proprios fines " ipsis excedentis fundamentis concussa est, vt inundatione facta Ciuitati illi " nauigio opus esset transeuntibus per vicos & plateas Ciuitatis, ædificia quoque " illius vel ex parte subuersa essent, vel ex maiori parte stantia crebris aqua- " rum inundationibus & eluuionibus fluctuum minarentur excidium. Pons "

INNVNDATIO AQVARVM PLAB. GENOVEFAM COMPRESSA.

etiam lapideus, qui respectu maioris pontis eiusdem Vrbis *paruus* appellatur, tanto impetu aquarum impulsus & conquassatus ruinam promittebat. Vide- res in ipso ponte apertissimas ruinas & amplissimas, cæmentum demolitum, lapides disiunctos ab inuicem & ipsum Pontem ruinosum & in proximo ruiturum sicut aquæ superficies quæ à vento agitabatur assidua collisione vndarum fluminis huc & illuc fluitantium. Desolata erat Ciuitas plena diuitiis, sedebat in tristitia Domina Prouinciarum. Sacerdotes eius gementes, Virgines eius squallidæ & ipsa oppressa amaritudine, nec erat qui consolaretur eam ex omnibus charis eius. Vnica spes populo periclitanti post Deum & B. eius Genitricem Mariam erat in B. V. Genouefa, per cuius beneficia memoria tenax populum specialiter Parisiensem subiectum eidem Virgini reddidit & deuotum. Vna vox populi, vnus clamor, omnium, vna petitio singulorum, vt egrederetur B. Virgo Genouefa de loco sancto suo, & præsentia sua tueretur populum supplicantem & gementem, & pereunti subueniat Ciuitati, ne inuoluatur iustos cum iniusto & pius cum impio. Opponat se murum pro gente sua, frangat iram Dei supplicatione humili, suis precibus Dei impetret misericordiam, vt misericors Deus remittat offensam & imperet ventis & aquis, & fiat tranquillitas magna. Supplicante igitur Episcopo Odone & Clero & populo paratâ solemni processione, delatis ad Ecclesiam nostram Sanctorum reliquiis egressa est B. Virgo Genouefa de loco sancto suo & præcedentibus Sanctorum reliquiis præcedebat S. Genouefa populum suum tanquam columna ignis in nocte aduersitatis. Venimus itaque ad paruum pontem Ciuitatis lapideum, vbi non erat declinare ad dextram neque ad sinistram, sed per medium pontem iter erat. Præcedente quondam Arca Testamenti populus Israel per medium Iordanis sicco pede pertransiit. Præcedente etiam B. Genouefa cum sanctorum Reliquiis per pontem confractum & ruinæ proximum subsecutus est eam vniuersus populus imminenti periculo inundantium aquarum, Pontis per collisionem aquarum fluctuantis sub eius securus protectione. Moyses transituro populo Israëlitico aquas Maris diuisit. B. verò Virgo Genouefa cum Populo Parisiensi super intumescentes aquas fluminis pertransiit non tam à Ponte sustentata quàm ipsum Pontem sustentans protectione Diuina. Ingrediente tandem B. Genouefa Ecclesiam S. Mariæ in Parisiensi vrbe sitam continuò sicut audiuimus ita & vidimus in Ciuitate Dei virtutum venientes de Monte sancto eius omnia in aduentu eius prius commota & pacifica & sedata fuerunt. Ciuitas ipsa prius à fundamentis concussa & commota tranquilla fuit & quieta: populus ipse grauissimè ante afflictus in laudem B. Genouefæ respirabat, & sicut scriptum est, quasi species electri apparuit in populo per præsentiam B. Virginis & certissimam spem Diuinæ consolationis videntes quasi in rubo Moysi flammam ignis sine adustione, quia populus Domini flagellatus illuminabatur ad scientiam: & cum sol occidisset super eos, eum quærebant & diluculo veniebant ad eum. Huius rei testis est populus Parisiensis, quod ab illa die quæ Sabbatum erat in qua S. Genouefa super intumescentes vndas fluminis pertransiit, aquæ abeuntes decrescebant, vsquequo Sequana fluuius intra alueum suum se collegit, & ab ipsa die non pluit Dominus super terram donec plenè desiccata est terræ superficies. Tandem pacificatis omnibus & spem salutis in præsentia Virginis concipientibus reuersa est B. Virgo subsequente vniuerso populo per pontem fractum & vacillantem, cuius ruina differebatur, donec B. Virgini ad propria reuertendi mirabile exhibet obsequium. Mirandis plus miranda succedunt. Postquam enim B. Genouefa ad propria est reuersa & sua in sede solemniter vt decuit collocata, & populus qui eam comitabatur, ad propria rediit, vix transacto dimidiæ horæ spatio, scilicet in noctis crepusculo Paruus Pons corruit, & qui paulo ante ruinosus populum transeuntem sustinuit, populo transacto, nemine læso vel submerso corruens præcedentis miraculi iudicium fuit & testimonium.

1027. Ad annum 1207. narrat Robertus Antissiodorensis in Chronico, quo pacto Bulgari & alij Hæretici in dies magis sectarum suarum venena spargerent & sensim vrbes & prouincias occuparent: quóque modo Hæresibus illis extirpandis incumberent plures viri graues, authoritate & probitate vitæ eminentes. *Per idem tempus*, inquit, *Bulgarorum Hæresis* execranda errorum omnium fera extrema mul-

tis serpebat; in locis tantò nocentius, quantò latentius: Sed inualuerat maximè in terra Comitis Tolosani & Principum Vicinorum: vbi dum suum publicè profitentur errorem, Primatum & Iudicium Rom. Ecclesiæ spernunt, & communionem Christianorum sub ea positorum declinant dicentes nullum sub eâ vel in illius fide posse saluari, omnesque fidei articulos aut denegant aut peruertunt, omnem omnino Religionem & cultum & gradum pietatemque Ecclesiæ Catholicæ blasphemantes, damnantes omne genus hominum præter se solos, suorumque Conuenticula Catholicam Ecclesiam iactitantes. Quocirca de Consilio D. Papæ Cisterciensis Abbas aliique Abbates circiter 13. delegantur, eiusdemque Ordinis viri probabiles omnes & sapientiâ & facundiâ perinstructi, parati ad satisfactionem omni poscenti rationem de fide, & pro fide etiam animas ponere non verentes. Egressi igitur de Cistercio mense Martio numero circiter 30. per Ararim labuntur in Rhodanum modicis expensis, equitaturis nullis, vt per omnia viros Euangelicos se probarent. Ingressi denique quo tendebant bini vel terni ab inuicem diuisi partes illas perambulant, & hostes fidei sanæ Doctrinæ spiculis appetentes vix in multis millibus paucos inueniunt rectæ fidei professores. Alij verò quorum numerus erat infinitus, sic suo pertinaciter inhærebant errori, vt nullis veridicis acquiescerent documentis, sed tanquam aspides obsurdescerent ad voces incantantium sapienter, ne mentes demersas tenebris penetraret auditio veritatis. Per tres itaque menses vrbibus, villis & oppidis multo labore & solicitudine peragratis, multisque periculis & insidiis appetiti paucos reuocant, paucos fideles repertos de fide certius instruunt & confirmant. Affuit & cum eis quidam Episcopus Oximensis Ciuitatis Hispaniæ, vir mitissimus ac disertus; qui & ipse lucrandis animabus inuigilans & circunquaque perambulans de reditibus suis cibariorum emerat copiam, & per loca plurima posuerat, & Prædicatoribus verbi Dei largiter exponebat.

In illis quoque partibus Dominicus cum quibusdam sociis, qui ab officio prædicandi, dicti sunt Prædicatores, nullam non operam dabat, vt fidei sinceritas restitueretur. Robertus de Curzon Cardinalis vnus ex Fulconistis Concionatoribus, & alij percelebres viri omnes fere Parisiensis Academiæ Magistri fortiter pro Episcopo militabant. Aduersus quos Heretici vt se tuerentur & errorem fouerent ac spargerent, è suis nonnullos qui excellere videbantur ingenio, miserunt Lutetiam ad Scholas Amalrici & sectatorum aliorumque Nouatorum quos in iisdem aut similibus erroribus versari intellexerant. Incredibile dictu est quàm latè pestis illa serperet, adeo vt prope tota occidentalis Europæ pars se viderit esse Albigensem. Vnde Stephanus Tornacensis Ep. 115. ad Bertetum Cameracensem Decanum. *Contra nouam Hæresim*, inquit, *cæteraque monstra id genus pro posse mea declamans, tanquam ad bestias depugno, Sacramenta quæ gratis accepi, gratis impartior.*

Non erit perperã referre quid ab iis & apud eos didicerit Iuo Narbonensis, cuius apud Mathæum Parisiensem extat Epistola ad Giraldum Archiepiscopum Narbonensem. *Accusatus*, inquit, *quondam vt nostis, ab æmulis meis* coram M. Roberto de Curzun Romanæ Curiæ tunc Legato super hæretica prauitate, non conscientiæ scrupulum, sed causæ turpitudinem erubescens Iudicium declinaui, & hoc ipso factus suspectior. Auditis igitur illius Authentici viri comminationibus fugi à facie persequentis. Multas proinde compulsus circumire prouincias Paterinis in Ciuitate Comea commorantibus conquerendo narraui qualiter pro fide eorum, quam Deo teste nunquam didiceram vel sequebar, præcipitatis in me sententiis exulabam. Hoc illi audito gauisi sunt, & me felicem censuerunt, eo quod persecutionem propter Iustitiam tolerassem. Ibidem apud eos 3. mensibus splendidè ac voluptuosè procurabar & multos quotidie errores imò potius horrores, quos contra fidem Apostolicam asserebant, audiens subricebam, meque beneficiis obligarunt ad promittendum sibi quod ex tunc Christianis cum quibus morosum possem habere colloquium, prædicarem, persuadendo quod in fide Petri neminem contingeret saluari, & hanc sententiam pertinaciter edocerem. *Hocque mihi fide interposita promittenti sua cœperunt secreta detegere, perhibentes quod ex omnibus fere Lombardiæ Ciuitatibus & quibusdam Tusciæ Parisius dociles transmisissent Scholares, quosdam Logicis cauillationibus, alios etiam Theologicis disputationibus insidiantes ad astruendos ipsorum errores & professionem Apostolicæ fidei confu-*

„ *tandem.* Multos etiam Mercatores hac intentione mittunt ad nundinas, vt per„ uertant diuites Laicos, Commenfales & hofpites, cum quibus loquendi fami„ liariter indulgetur facultas, vt multipliciter negotiantes aliorum pecunias hinc „ fibi lucrentur, inde animas nihilominus thefaurizent Antichrifto. Cumque à præ„ dictis fratribus degeneribus licentiam petiffem, miferunt me Mediolanum à fuis „ Comprofefforibus hofpitandum. Et fic omnes pertranfiens Ciuitates Lombar„ diæ circa Padum femper in Paterinos, femper in receffu accepi ab aliis ad alios „ interfignia, &c.

DE RESIDENTIA CANCELLARII PARISIENSIS.

Eodem anno in Ecclefia Parifienfi ftatutum factum eft ab Odone Epifcopo, Hugone Decano & toto Capitulo de neceffaria Concellarij Parifienfis refidentia propter occurrentia Ecclefiæ negotia & licentias impertiendas fcholaribus & Magiftris Vniuerfitatis. Statutum autem eft eiufmodi.

Odo Dei gratia Parifienfis Epifcopus, Hugo Decanus & vniuerfum Capitulum Parifienfe; Omnibus præfentes litteras infpecturis in Domino falutem. Notum facimus vniuerfis, quod nos refidentiam Cancellarij Parifienfis attendentes neceffariam effe noftræ Parifienfi Ecclefiæ & COMMVNITATI SCHOLARIVM, de bonorum virorum confilio & communi affenfu STATVIMVS in Capitulo Parifienfi, vt quicunque de cætero Cancellarius Parifienfis fuerit, teneatur in propria perfona bona fide in Ecclefia Parifienfi refidere, quandiu Cancellariam tenuerit; & quod per fe vel per alium nullatenus procurabit, quod relaxetur à iuramento prædicto. STATVIMVS etiam quod nihil de fructibus Cancellariæ percipere poffit, donec prætaxatum exhibuerit in Parifienfi Capitulo iuramentum. Poftquam autem M. Præpofitiuus factus eft Cancellarius, rogauimus eum vt dictum faceret Capitulo Iuramentum, & ad neceffitatem refidentiæ faciendæ fe adftringeret, qui libenter & benignè fuum ad hoc inclinauit affenfum. Et primus iurauit in forma prædicta, in qua fucceffores fui Cancellarij de cætero iurare fimiliter tenebuntur. Quod vt ratum & firmum permaneret, præfentem chartam figillorum noftrorum fecimus impreffione muniri. Actum an. 1207.

Paulo poft idem ftatutum approbatum & confirmatum eft ab Innocentio III. Pontifice, vt patet ex Epiftola Petri Cambij qui Odoni fucceffit, & Ioannis Abbatis San-Victorini, qua eum de ftatuto prædicto faciunt certiorem, petuntque eiufdem confirmationem *Sanctiffimo Patri ac D. Innocentio D. G. fummo Pontifici, Deuoti eius filij Petrus eiufdem miferatione Epifcopus, & Ioan. Abbas Sancti Victoris falutem & tam debitam quàm deuotam obedientiam & omnimodam fubiectionem. Sanctitati veftræ Notum effe volumus, quod Nos infpeximus & legimus Authenticum Odonis quondam bonæ memoriæ Parif. Epif. & Capituli Parifienfis figillis eorum figillatum in hæc verba, Odo D. G. Parifienfis Epifcopus, &c* vt fupra.

Cum autem Vniuerfitas Parifienfis Theologorum numero obrueretur, & alii aliam doctrinam haberent & fpargerent, difficillimumque effet in tanto numero fanos à corruptis difcernere, quia fe omnes Catholicos profitebantur, & tamen eorum nonnulli Albigenfibus fauebant, Edicto vetuit Innocentius ne plures in ciuitate Parifienfi effent quàm octo, nifi forte neceffitas exigeret vt plures inibi docerent & prædicarent. Legitur hoc Edictum in Chartulario Parifienfi apud Bibliothecam Puteanam, eiufque exemplar olim mihi à M. Ioanne Tolofano de S. Victore commodatum eft, quod eft eiufmodi ad Epifcopum Parif.

INNOCENTIVS RESTRINGIT NVMERVM THEOLOGORVM.

Innocentius Epifcopus S. S. Dei, Venerabili Fratri Epifcopo Parifienfi falutem & Apoftolicam benedictionem. Sicut expedire credimus, vt apud Ciuitatem Parifienfem ad quam pro facra Paginæ Difciplina celebris fit recurfus Theologorum, fit copia Magiftrorum qui paruulis petentibus panem frangant & efurientes animas reficiant pabulo Verbi Dei. Sic etiam decens eft, vt ipforum numerofitas reformetur, ne forfitan propter onerofam multitudinem quæ nihil habet honefti, vel vilefcat eorum officium, vel minus compofitè impleatur, cum Deus omnia fecerit in numero, pondere & menfura. Hac confideratione prudenter inducti authoritate præfentium firmiter inhibemus, ne Parifius Magiftrorum Theologiæ numerus Octonarium tranfcendat, nifi fortè multa vtilitas & neceffitas hoc expofcat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noftræ Inhibitionis infringere, vel aufu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præfumpferit, Indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoftolorum eius fe nouerit incurfurum. Datum Sutrij 18. Kal. Decemb. Pontific. noftri an. 10.

ELECTIO

Hoc anno Romæ poft longam altercationem Monachorum Cantuarienfium,

Reginaldi Supprioris electi contestationem, partis aduersæ pro Ioanne de Gray Norwicensi defensionem, tandem animaduertentes electionem Ioannis nimis Pontifici displicere, suggerentibus verò Cardinalibus, vt ait Mathæus, & D. Papa, affirmantibus licere eis inibi eligere quemcunque vellent, de consilio illorum elegerunt M. Stephanum de Langetona Cardinalem, *quo non erat maior in Curia, imò nec ei par in moribus & scientia.* Vnus tamen inter omnes ausus est refragari M. Helias de Branfefeld. At cæteri hymno *Te Deum* cantato M. Stephanum ad altare deduxerunt: qui 15. Kal. Iulij in Ciuitate Viterbiensi á Papa consecratus est. Statimque Papa ad Regem Ioannem dedit litteras, rogans vt electionem istam gratam haberet. Quid autem consecutum sit inde mali, narrabimus ad an. sequentem. M. STEPHANI DE LANGETONA.

Videtur quoque hoc anno facta fuisse quædam Reformatio Vniuersitatis ab Odone Episcopo Paris. & Octauiano Ostiensi Apostolicæ sedis legato: eius enim meminit Honorius Bullâ ad Episcopum Trecensem datâ an. 1218. sed qualis illa sit, aut quid statutum fuerit, nondum inuenire potui. Odonis quidem de residentia Cancellarij Constitutionem supra retulimus: sed de Vniuersitate quid statuerit, non habemus. Iactitabat quidem Cancellarius an. 1218. ab Octauiano & Odone restrictam imò ademptam fuisse Vniuersitati condendorum statutorum potestatem absque licentia & approbatione Episcopi vel Capituli Paris. Sed rogatus imò iussus exhibere constitutionem illam, nullatenus exhibuit, quam, si quæ vnquam facta fuisset, facile exhibere potuisset, cum ipse Capituli nec non & Vniuersitatis Scriba, Chartarumque custos esset.

Eodem anno Innocentius Papa post multiplices contestationes in Curia Romana negotium Meldense & Resbacense terminat, datis ad Odonem Parisiensem, Hugonem Clementem Decanum & M. Præpositiuum Cancellarium litteris. Item & ad Episcopum Meldensem qui tunc erat Anselmus. Bullæ autem continentur in Chartulario Meldensi, quarum quæ est ad Episcopum, talis est. NEGOTIUM RESBACENSE.

Innocentius Episcopus S. S. Dei Venerabili Fratri Episcopo Meldensi Sal. & Apostol. Bened. Subortâ dudum inter te & Monasterium Resbacense super ipsius Monasterij subiectione materiâ Quæstionis, Procuratores partium propter hoc ad sedem Apostolicam accesserunt. Quibus litigantibus coram nobis, quia per confessionem partis aduersæ constitit te possessionem obedientiæ in eodem Monasterio habuisse, te restituendum decernimus ad eandem. Verum quia priuilegium felicis memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri ex Monasterij parte nobis exhibitum, libertatem plenariam exprimebat, Dilectis filiis Magistro G. Decano Suessionensi, Remensi Cantori & Succentori Siluanectensi dedimus in mandatis, vt te in possessionem obedientiæ restituto, nisi post restitutionem tuam infra sex menses contra priuilegij libertatem rationabile aliquid obiiceres & probares, super subiectione Monasterij supradicti perpetuum tibi silentium sublato appellationis termino imponere procurarent, districtius inhibentes, ne idem Monasterium super libertate priuilegij auderes vlterius molestare. Quod si de partium existeret voluntate, causam ipsam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittentes, præfigerent ipsis terminum competentem, quo se nostro conspectui præsentarent, sententiam recepturæ. Partibus igitur in ipsorum Iudicum præsentia postmodum constitutis, eum priuilegii copiam habuisses, illud voluisti arguere falsitatis, eo quod facta collatione Bullæ ipsius Priuilegii, ad alias Bullas, ipsa sicut proponebas, minor & dissimilis aliis videbatur. Authoritatem quoque rei iudicatæ ad euacuandas vires priuilegii allegasti, asserens quod felicis recordationis Alexander Papa Prædecessor noster, sicut per ipsius litteras ostendebas, super hoc contra Monasterium sententiam promulgarat. Priuilegia insuper Alexandri & bonæ memoriæ Honorij Papæ Prædecessorum nostrorum iudicum prouocasti, in quibus expressè dignoscitur esse statutum vt Meldensi Episcopo à Resbacensi Abbate canonica obedientia persoluatur. Abbas verò Monasterij prædicti proposuit ex aduerso, quod idem Monasterium non solum authoritate priuilegij prætaxati plena debet libertate gaudere, verum etiam alia ratione, quia videlicet se Faro Meldensis Episcopus liberalissimum ei duxerat priuilegium indulgendum, sicut in eiusdem Sancti Legenda contineri manifestè dicebat. Adiiciens idem Abbas, quia de

ſententia ſupradicta, quam tu pro parte tua duxeras allegandam, vſque ad illum diem nullam vnquam audieras mentionem. Sed & ſi ſententia vera eſſet, tacitè tamen per compoſitionem amicabilem ſubſequentem fuerat ab ipſa receſſum. Talis enim vt ipſe dicebat, inter bonæ memoriæ B. Reſbacenſem Abbatem & Stephanum Epiſcopum Meldenſem compoſitio interfuit, vt idem Abbas ea conditione ipſi obedientiam faceret, vt reperto priuilegio libertatis, quod præ manibus non habebat, idem Abbas libertate gauderet, & ad exhibendam eidem Epiſcopo obedientiam minimè teneretur, quam compoſitionem & quædam alia quæ propoſuerat, idem Abbas ſe aſſeruit probaturum. Die igitur partibus ſuis aſſignato teſtes Abbatis ſupradicti Decanus & Succentor, quia tertius Iudex intereſſe non potuit, receperunt & apud Reſbacum examinantes eoſdem teſtes quoſdam alios ſenes & valetudinarios receperunt ibidem. Tandem cum tua pars ad maiorem fidem ſuper Alexandri ſententia faciendam, litteras quorundam Cardinalium & aliorum Iudicibus præſentaſſent, pars Abbatis obiecit, quod cum ſemeſtre tempus in noſtris eſſet litteris comprehenſum, infra quod probandi, quod voluiſti, habueras facultatem, poſt tempus illud elapſum munimenta pro parte tua, vel probationes alias non poteras exhibere, ſed cum tibi non eſſet aditus probandi præcluſus, iuramentum recipi poſtulabat, quod Capitulum Reſbacenſe ſub animarum ſuarum periculo præſtari mandabat, videlicet quod nunquam amplius ſententiam viderant, quam tu duxeras exhibendam. Iudicibus autem volentibus dirimere Quæſtionem, cauſam ipſam inſtructam cum Procuratoribus Partium ad noſtram præſentiam tranſmiſerunt, quibus poſtmodum dilectum filium noſtrum Ioannem S. Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem dedimus auditorem. Qui cum & hæc & alia propoſuiſſent plenius coram eo, & idem Cardinalis, qui audierat, nobis fideliter retuliſſet, Nos vtriuſque partis rationibus diligenter inſpectis, quia tuas efficaciores eſſe cognouimus rationes, ſubiectionem tibi adiudicauimus Monaſterij memorati, vt ibidem liberam habeas tanquam Diœceſanus Epiſcopus poteſtatem, ita tamen, vt per hoc nullum Apoſtolicæ ſedi præiudicium generetur, quominus legitimo tempore, ſi voluerit, ſuam Iuſtitiam perſequatur. Nimirum ſi præfatum Innocentii Priuilegium Alexandro fuit in iudicio præſentatum, & ipſe tulit ſententiam contra illud, ipſum intelligitur reprobaſſe. Si verò non fuit exhibitum coram eo prætextu Priuilegij de nouo reperti, prædicta non debet ſententia retractari. Datum Viterbij 17. Kal. Iulij, Pontific. noſtri an. 10.

Altera verò Bulla ad Epiſcopum, Decanum & Cancellarium Pariſienſem eſt huiuſmodi.

Innocentius Seruus Seruorum Dei Venerabili fratri Epiſcopo & Dilectis filiis Decano & Cancellario Pariſienſi Sal. & Apoſtol. bened. Suborta dudum inter venerabilem fratrem noſtrum Meldenſem Epiſcopum & Monaſterium Reſbacenſe ſuper ipſius Monaſterij ſubiectione materia Quæſtionis, Procuratores partium ſuper hoc ad ſedem Apoſtolicam acceſſerunt: quibus aliquandiu litigantibus coram nobis, quia per confeſſionem partis aduerſæ conſtitit eundem Epiſcopum poſſeſſionem obedientiæ in eodem Monaſterio habuiſſe, ipſum reſtituendum decernimus ad eandem. Verum quia Priuilegium felicis memoriæ Innocentij Papæ Prædeceſſoris noſtri ex Monaſterij parte nobis exhibitum libertatem plenariam exprimebat, dilectis filiis Magiſtro G. Decano Sueſſion. Remenſi Cantori, & Succentori Siluanectenſi dedimus in mandatis, vt memorato Epiſcopo in poſſeſſione obedientiæ reſtituto, niſi poſt reſtitutionem ſuam infra ſex menſes contra priuilegii libertatem rationabile aliquid obiiceret, & probaret ſuper ſubiectione Monaſterij ſupradicti, perpetuum eidem ſilentium ſublato appellationis obſtaculo imponere procurarent, diſtrictius inhibentes ne idem Monaſterium ſuper libertate priuilegij auderet vlterius moleſtare. Quod ſi de partium exiſteret voluntate cauſam ſufficienter inſtructam ad noſtram præſentiam remittentes, præfigerent ipſis terminum competentem, quo ſe noſtro conſpectui præſentarent, ſententiam recepturæ. Partibus igitur in ipſorum Iudicum præſentia poſtmodum conſtitutis cum idem Epiſcopus Priuilegij copiam habuiſſet illud voluit arguere falſitatis eo quod facta collatione Bullæ ipſius priuilegij ad alias Bullas, ipſa ſicut Epiſcopus proponebat, minor & diſſimilis aliis vide-

batur. Authoritatem quoque rei iudicatæ ad euacuandas vires Priuilegij allegauit asserens quod felicis recordationis Alexander Papa Prædecessor noster, sicut per ipsius litteras ostendebat super hoc contra Monasterium sententiam promulgarat. Priuilegium insuper Alexandri Papæ dicti & bonæ memoriæ Honorij Papæ Prædecessorum nostrorum Episcopus idem induxit, in quibus expressè dignoscitur esse statutum, vt ipsi à Resbacensi Abbate Canonica obedientia persoluatur. Abbas verò Monasterij supradicti proposuit ex aduerso quod idem authoritate Priuilegij prætaxati plenâ debet libertate gaudere, verum etiam alia ratione, quia videlicet sanctus Faro Meldensis Episcopus liberalissimum ei duxerat Priuilegium indulgendum, sicut in eiusdem Sancti Legenda contineri manifestè dicebat: adiiciens idē Abbas, quia de sententia supradicta quam pro parte sua Episcopus allegabat, vsque ad illum diem, nullam vnquam audierat mentionem: sed etsi sententia vera esset, tacitè tantum per compositionem amicabilem subsequentem fuerat ab ipsa recessum. Talis enim vt ipse dicebat, inter bonæ memoriæ B. Resbacensem Abbatem & Stephanum Meldensem Episcopum compositio intercessit, vt idem Abbas ea conditione ipsi obedientiam faceret, vt reperto priuilegio libertatis, quod præ manibus non habebat, idem Abbas libertate gauderet, & ad exhibendam eidem Episcopo obedientiam minimè teneretur. Quam compositionem & quædam alia quæ proposuerat idem Abbas, se asseruit probaturum. Die igitur Parisius assignato testes Abbatis supradicti, Decanus & Succentor, quia iudex tertius interesse non potuit, receperunt; & apud Resbacum examinantes eosdem quosdam alios senes & valitudinarios receperunt ibidem. Tandem cum Pars Episcopi ad maiorem fidem faciendam, &c. vt supra vsque ad illa verba; non debet sententia retractari. *Quocirca discretioni vestræ* per Apostolica scripta mandamus quatinus quod à nobis est sententialiter definitum, faciatis appellatione remota inuiolabiliter obseruari, contradictores si qui fuerint, vel rebelles per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quod si non omnes his exequendis poteritis interesse, tu ea, Frater Episcope, cum eorum altero nihilominus exequaris. Datum Viterbij 17. Kal. Iulij, Pontif. nostri an. 10.

Eodem anno M. Albericus de Humbert Archidiaconus Ecclesiæ Parisiensis operâ Odonis Parisiensis consecratur Archiepiscopus Remensis, post mortem Guidonis Patris. Huiusce Alberici qui dicebatur *M. Albericus de Lauduno*, meminit Vitriacus c. 9. Hist. Occid. Cathedram autem tenuit Remensem vsque ad an. 1218. interfuit Lateranensi Concilio an. 1215. & Comitiis Gallicanis Parium Franciæ apud Melodunum an. 1216.

Hoc an. aiunt fuisse Ordinem Minorum à Francisco Assisiate institutum & ab Innocentio Papa confirmatum. Prima Ordinis Domus iuxta Ciuitatem Assisiam dicta S. Mariæ de Portiuncula. Altera iuxta Bononiam Ricardina appellata, de qua sic scribit Leycestrensis apud Knyghtonem. *Habuit etiam Fratres* (Franciscus) *in Ricardina iuxta Bononiam, quibus contulerat Mansiunculam D. Accursius Magnus, qui fecit nouam glossam in Iure Ciuili super omnia quinque volumina.*

Ad eundem annum refert Mathæus Paris. iam adeo tum multiplicatos fuisse *Fratres Minores*, vt nulla fere Ciuitas nec vrbs esset in quâ non habitarent deni & septeni. *Sub his diebus*, inquit, *Prædicatores qui appellati sunt Minores fauente Papa Innocentio subitò emergentes terram repleuerant, habitantes in vrbibus & Ciuitatibus deni & septeni, nihil omnino possidentes*, de Euangelio viuentes, in victu & vestitu paupertatem nimiam præferentes, nudis pedibus incedentes, humilitatis exemplum omnibus præbuerunt. Diebus autem Dominicis & festiuis de suis habitaculis exeuntes prædicauerunt & Ecclesijs Parochialibus Euangelium verbi edentes & bibentes quæ apud illos erant, quibus Officium prædicationis impendebat. Qui in rerum Cœlestium contemplatione tantò perspicaciores sunt inuenti, quantò a rebus præsentis seculi & carnalibus delicijs comprobantur alieni. Nullum genus alimenti penes eos vsque in crastinum reseruatur, vt paupertas Spiritus qui viget in mente, actu sicut & habitu omnibus innotescat.

Hoc quoque anno cœpit Anglia grauiter affligi tum Interdictis Pontificijs, tum furore Ioannis Regis in Ecclesiasticos sæuientis eam quam diximus, ob causam: quia nempe Ioannes M. Stephanum de Langetona in Archiepiscopum

Cantuariensem admittere nolebat, licet Pontifex ad eum recipiendum litteris satis suauibus hortatus esset. Nec eum non admittere contentus, in rabiem furoremque versus Monachos Cantuarienses parum sibi æquos iam expertus & fore iniquiores suspicatus expulit, atque ad Innocentium litteras dedit plenas acerbitatis, indignationem suam hoc fundamento inducens, quod cum Stephanus ille sibi penitus ignotus esset *& in Regno Francorum inter hostes suos publicos diutissimè conuersatus*, eum tamen Pontifex in Archiepiscopum Cantuariensem consecrasset. *Et quod magis, in praeiudicium & subuersionem* libertatum, ad coronam suã spectantium redundat, ipsius consensu à Monachis qui illũ postulasse debuerant, nec rite requisito eundem Stephanũ temere promouere præsumpsit. Vnde asserebat se sufficienter admirari non posse quod tã ipse Papa, quàm vniuersa Curia Ro. ad memoriam non reduceret, quantum sua dilectio Rom. sedi hactenus fuerit necessaria, in hoc rationis oculum non figentes quod vberiores sibi fructus perueniant de Regno suo Angliæ, quàm de omnibus Regionibus citra Alpes constitutis. Addit insuper quod pro libertatibus coronæ suæ stabit, si necesse fuerit vsque ad mortem incommutabiliter affirmans se non posse ab electione simul & promotione Norwicensis Episcopi, quam sibi vtilem intelligit, reuocari. Tandem negotii summam in hoc conclusit. *Quod si de præmissis non fuerit exauditus, omnibus Romam petentibus maris semitas angustabit; ne terra sua diuitiis euacuata, ipse minus ad hostes ab ea depellendos sufficiat. Et cum Archiepiscopi, Episcopi & alij Ecclesiarum Prælati tam de Regno Angliæ quàm aliarum terrarum suarum, in omnium scientiarum plenitudine sufficienter abundent, si necessitas coegerit, extra terras suas Iustitiam vel Iudicium ab alienigenis non emendicabit.*

LITTERAE INNOCENTII AD IOANNEM.

Innocentius acceptis eiusmodi litteris & per Nuncios Regios certior factus de superbia & insolentia Ioannis, rescribit in hunc modum. *Innocentius Episcopus S. „ S. D. Charissimo in Christo Filio Ioanni Illustri Anglorum Regi sal & Apostolicam bene- „ dict.* Cum super negotio Cantuariensis Ecclesiæ tibi scripserimus humiliter, dili- „ genter, benignè exhortando ac rogando, Tu Nobis, vt saluã pace tuã loquar, „ rescripsisti quasi comminando & exprobrando contumaciter & proterue. Et „ cum Nos tibi supra ius deferre curemus, tu Nobis secundum ius deferre non „ curas, minus quàm deceret, attendens. Quod si tua nobis deuotio plurimum est „ necessaria, nostra tamen tibi non parum est opportuna. Cumque Nos in tali ca- „ su tantum honorem nulli Principum detulerimus, quantum tibi, Tu nostro tan- „ tum derogare attendis honori, quantum in simili casu nullus Princeps derogare „ præsumpsit; quasdam friuolas occasiones prætendens, quibus asseris *quod Ele- „ ctioni de dilecto filio nostro M. Stephano titulo S. Chrysogoni Presbytero Cardinali „ à Monachis Cantuariensibus celebratæ non potes portare consensum: quia videlicet inter „ tuos est conuersatus inimicos, & persona eius tibi prorsus est ignota.* Porro iuxta Pro- „ uerbium Salomonis, *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*: cum intelligimus „ illud ei non esse imputandum ad culpam, sed ad gloriam potius *adscribendum, quod „ Parisiis diu vacans liberalibus studÿs in tantum profecit, vt meruerit esse Doctor non so- „ lum in Liberalibus Facultatibus, verum & in Theologicis Disciplinis. Ac si per hoc* „ cum vita concordet doctrina, dignus est habitus Præbendam obtinere Pari- „ siensem. Vnde mirabile gerimus si vir tanti nominis de tuo Regno ducens ori- „ ginem tibi potuit esse saltem quo ad famam ignotus: præsertim cum ter scripsis- „ ses illi postquam à nobis extitit in Cardinalem promotus: quod disposueris eum „ ad tuæ familiaritatis obsequium euocare, gaudebas tamen quod ad maius erat „ Officium sublimatus. Sed illud potius te attendere decuisset, quod in terra tua „ natus est de parentibus tibi fidelibus ac deuotis, quodque in Eboracensi Ecclesia „ fuerat Præbendatus, quæ longè maior & dignior quàm Parisiensis existit. Vnde „ non solum ratione carnis & sanguinis, verum & obtentu Ecclesiastici beneficii „ & officii te ac Regnum tuum affectu sincero diligere comprobatur. Nuncii ve- „ rò tui causam Nobis aliam expresserunt, quare non præstitisti eius electioni con- „ sensum: quia videlicet nunquam fuerat requisitus ab illis, qui eum à te debue- „ runt postulare, asserentes quod litteræ illæ quibus mandauimus vt super hoc ne- „ gotio Procuratores ad Nos idoneos destinares, ad te minimè peruenerunt. Et „ Monachi Cantuarienses, quamuis pro aliis negotiis ad tuam præsentiam accessis- „ sent, pro postulando tamen consensu nec litteras nec nuncios direxerunt. Vnde

iidem

iidem Nuncii cum multa inſtantia nobis ſupplicarunt, quatenus ex quo nobis complacuit hanc tibi honorificentiam reſeruare, vt Monachi Cantuarienſes Regium poſtularent aſſenſum, quoniam hoc factum non erat, dilationem congruam concedere dignaremur, infra quam poſſet id fieri, ne iuri tuo contingeret derogari. Contra perſonam Electi quidam ad vltimum proponentes, quod cum manifeſtè factum (fortè falſum) ſit, oſtium oris claudere debuiſſent, præſertim cum ſi verum eſſet, promotionem eius iam impedire non poſſet. Licet autem ſuper Electionibus apud ſedem Apoſtolicam celebratis non conſueuerit aſſenſus Principum exſpectari, duo tamen Monachi fuerunt ſpecialiter deputati, vt ad te pro requirendo aſſenſu venirent, qui apud Ydiuoram (Deuoriam) fuerunt retenti, vt iniunctum ſibi mandatum exequi non valerent: & præfatæ litteræ de Procuratoribus ad noſtram præſentiam deſtinandis, tuis fuerunt Nunciis aſſignatæ, vt eas tibi fideliter præſentarent. Nos quoque qui ſuper eandem Eccleſiam Cantuarienſem plenitudinem poteſtatis habemus, Regium ſuper hoc dignati ſumus implorare fauorem. Et Curſor noſter qui Apoſtolicas tibi litteras præſentauit, litteras quoque Prioris ac Monachorum, qui ex mandato totius Capituli Cantuarienſis celebrauerunt Electionem memoratam, ſuper aſſenſu petendo Regiæ ſublimitati porrexit. Ideoque non vidimus oportere denuo poſt hæc omnia Regium poſtulare conſenſum, ſed illud diſpoſuimus non declinantes ad dextram vel ad ſiniſtram, quod ſanctorum Patrum Canonicæ ſanctiones ſtatuunt faciendum, vt videlicet nihil moræ vel difficultatis rectis diſpoſitionibus auferatur, ne Gregi Dominico diu deſit cura Paſtoralis. Quocirca vel Diſcretioni tuæ, vel Regali prudentiæ ſuggeratur à quoquam, quod aliquatenus valeat à conſummatione huius officii reuocari: quoniam abſque vi & dolo Canonica ſit electio de perſona idonea concorditer celebrata, ſine damno famæ & periculo conſcientiæ differre non poſſumus. Tu ergo, fili Chariſſime, cuius honori ſupra ius deferri curauimus, ſecundum ius noſtro ſtudeatis honori deferre, vt gratiam Diuinam & noſtram vberius merearis: ne fortè ſi ſecus egeris, in eam te difficultatem inducas, de qua non facile valeas expediri: cum tandem oporteat eum vincere, cui flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum, cuius Nos vices in terris licet immeriti exercemus. Ne igitur eorum conſiliis acquieſcas, qui tuam ſemper turbationem deſiderant vt melius poſſint in aquâ turbidâ piſcari, ſed noſtro beneplacito te committas; quod vtique tibi cedet ad laudem, gloriam & honorem. Quia non eſſet tibi tutum in hac cauſa Deo & Eccleſiæ repugnare, pro quâ B. Martyr & Pontifex glorioſus Thomas ſanguinem ſuum recenter effudit: præſertim ex quo Pater & Frater tuus claræ memoriæ tunc Reges Anglorum in manibus Legatorum Apoſtolicæ ſedis illam prauam conſuetudinẽ abiurarunt. Nos autem ſi nobis humiliter acquieueris, ſufficienter tibi & tuis prouidere curabimus, ne ſuper hoc valeat vobis aliquod præiudicium generari. Data Laterani Pontif. noſtri an. 10.

Neque his litteris mitior factus Ioannis animus. Itaque videns Innocentius quod ille nec precibus, nec admonitionibus, nec comminationibus acquieſceret, de Conſilio Cardinalium mandauit Willelmo Londinenſi, Euſtachio Elyenſi & Malgero Wigornienſi Epiſcopis confeſtim Regem adirent, & quibuſcunque modis eius animum emollire conarentur: ſi verò ad omnia ſurdum ſe præberet & contumacem, ipſum Regnumque Interdicto ſubijcerent. Parent, Regem adeunt, hortantur, admonent, ſed fruſtra. Ille enim in rabiem verſus, in Papam & Cardinales quidquid contumelioſum dici poteſt, euomit, minaturque ſe, ſi quis Interdictum fulminet, omnes Regni ſui Prælatos è terris ſuis amandaturum, Romanos verò oculis erutis, naribuſque præciſis Romam remiſſurum. Denique Prædicti Epiſcopi nihil proficientes apud Regem, Quadrageſima ſequenti prima die lunæ in paſſione Domini, quæ tunc contigit 10. Kal. Ap. Interdicto totam Angliam ſubiiciunt. Tum ceſſat adminiſtratio ſacramentorum vbique præterquam Confeſſionis & Viatici in extrema neceſſitate, necnon & Baptiſmi paruulorum. His ita præſtitis recedunt prædicti Epiſcopi & alii, ſeque in Galliam conferunt, quò ſe quoque contulerat iuſſu Papæ M. Stephanus electus & conſecratus Archiepiſcopus: hac de re ſimiliter Chronicum Rothomagen. ad an. 1208. *Eodem anno Anglia interdicta eſt pro M. Stephano de Langueton viro honeſto, li-*

terati ssimo, consecrato in Archiepiscopum Cantuariensem, quem potestas Ioannis Angliæ expulit & omnes Monachos Cantuarienses qui per diuersas Abbatias Franciæ & Normaniæ dispersi sunt; propter quod Rex post ammonitiones cum nollet acquiescere, excommunicatus est.

Ex altera parte Rex Prælatos è terris suis excedere iubet, bona Ecclesiastica fisco addicit, Laicis distribuit, sacras ædes spoliat, omnia vastat, omnia diripit; passim fugiebant tam seculares quàm Regulares viri, alij in specubus delitescebant, ne extracti, carceribus & vinculis manciparentur. Hanc Regis efferati amentiam his versibus describit Guillelmus Brito Scriptor huiusce temporis. l. 8.

Ecclesias spoliat, Cleri bona diripit, omnes
Ruricolas, Ciuesque bonis proscribit auitis,
Flagitijsque miser variis ruit in scelus omne.
Laxat frena gulæ, maculatque libidine corpus;
Arctat auaritiâ cordis penetrale, nec vnquam
Attenuare sitim valet accumulatio census.
Quóque magis sedare illam sitit accumulando,
Hoc magis illius animum cremat ardor habendi,
Semper vt inueniat artes, quibus improbus omnes
Qui sibi subduntur, argento priuet & auro.
Quos spoliare nequit, hos strangulat ense, vel arctis
Compedibus vinctos longâ nece cogit obire,
Quos vesana fames in carcere suffocat ipso.
Prælatos etiam sacris è sedibus omnes
Eiicit, & tota Anglorum regione relegat,
Vt procul ammotis Cleri populique Patronis
Res sibi liberius acquirere possit eorum.
Non parcit Monachis, aut quos Cistercius Ordo
Candidat, aut habitus denigrat Cluniacensis,
Merlini vt pateant tandem problemata vatis,
Quem dixisse ferunt: Olim dominabitur Anglis
Argento vrticas & Lilia qui spoliabit,
Albentes Monachos Nigrosque, per hæc duo signans.
Organa suspendit Clerus, tacet omnis vbique
Vox à laude Dei, nec sacramenta, nec vllum
Ecclesiæ officium celebrat, septemque per annos
Se Paganismi fœdat tota Anglia ritu.
Interea sanctos pascebat Gallia Patres
Sedibus eiectos propriis, quibus alta Philippi
Magnanimi pietas tutum præstabat Asylum.

Non contentus autem Pontifex Regnum Anglicanum interdicto subiecisse, ipsummet Regem sactis arceri iubet & Christianorum communione priuari. Hinc multi tutum non esse rati excommunicato Regi adhærere, fugam capessunt, & in Galliam ad Philippum Regem & ad Stephanum confugiunt. Erant tamen nonnulli Theologi qui Regem hisce fulminibus non subiacere prædicabant, multisque rationibus & argumentis probabant Papæ nihil simile in Regna licere. Horum Princeps erat M. *Alexander* dictus *Cæmentarius*, qui non parum suis concionibus Regis animum accendit ad plus audendum: sed eò tandem res processit, vt de Regno deiectus regnum & coronam Papæ resignare coactus fuerit.

Verum omissis rebus Anglicanis, quæ sic se habuerunt annis 1207. & 1208. reuertamur ad Academicas.

Obiter corrigendus mihi videtur error Hemeræi in Catalogo Cancellariorum Parisiensium, cum scribit M. Stephanum de Langetona anno 1209. fuisse Vniuersitatis Cancellarium. Certum quippe est eum an. 1205. fuisse Romæ, cum obiit Hubertus Cantuariensis, tum iam Cardinalem: deinde Archiepiscopum Cantuariensem electum rediisse Lutetiam circa an. 1207. ibique substitisse, do-

nec in Anglia res pacarentur. Non possum autem adduci, vt credam eum cum Cardinalis esset & Archiepiscopus consecratus, voluisse Cancellariam Parisiensem exercere. Itaque si Cancellarius fuit, vt multi asserunt, ante an. 1206. fuerit necesse est. Anno certè 1209. erat Lutetiæ & ad eum venit Hugo Lincolniensis Electus, *factáque ei Canonicâ obedientiâ*, (inquit Mathæus) *13. kal. Ianuary. munus ab eo consecrationis accepit.*

Anno 1208. 3. Idus Iulii obiit Odo de Soliaco Episcopus Parisiensis, qui Ec- 1208.
clesiæ Bituricensis Cantor sub Henrico fratre fuerat. De hoc viro multa scribit præclarè Petrus Blesensis, vt ad superius seculum retulimus. Nec videntur quoque prætereunda quæ habet ad eius commendationem & laudem Robertus Marianus Antissiodorensis Chronologus ad hunc annum. *Odo Parisiensis Episcopus obiit*, inquit, *vir æmulator virtutis & vitiorum egregius insectator, qui inter cætera bona quibus enituit, id habebat præcipuum quod in beneficiis Ecclesiasticis conferendis non ad genus, non ad munus, non ad preces, sed ad mores scientiamque respiceret, nec nisi dignos ad dignitates Ecclesiasticas promoueret. Hinc est quod eius studio Guillelmus ad Bituricensem, Gaufridus ad Turonensem, Albericus ad Remensem Archiepiscopatum promoti sunt: quorum prior Karoli-loci Abbas extitit, alij duo Parisienses Archidiaconi sibi inuicem successerunt, viri insignes ac timentes Deum, honestatisque ac Iustitiæ præcipui sectatores. Ipso præterea suggerente & satagente actum est, vt D. Papa Principes & Populos per Gallias concitaret, ad debellandam Albigensium hæreticorum perfidiam, qui sæpius attentati nullatenus gladio Verbi Dei poterant expugnari. Litteris itaque D. Papæ longè latéque directis, peccatorum remissione & pœnitentiarum absolutione concessâ innumerabilis multitudo fidelium concitatur, & nouo more crucis se signo consignat in pectore contra fidei desertores, Zelo fidei se armantes.*

Odonis de Soliaco obitus.

Odoni successit mense Nouembri Petrus de Nemours ex Thesaurario Turonensi, Cambius vulgò dictus seu Cambellanus, Gualteri I. Franciæ Camerarij, Domini Capellæ in Bria & de Villebon ex Auelina de Nemorosio filius, cuius gentem genusque sic explicat Rigordus. *Fuerunt tres fratres vterini simul Episcopi & sibi contemporanei; Stephanus Nouiomensis, Petrus Parisiensis & Guillelmus Meldensis, filij Gualteri quondam Franciæ Camerarij, fratres Gualteri Iunioris viri satis virtute laudabilis & in Palatio Regis præclari.* Illorum trium fratrum patruus nomine Stephanus fuerat Episcopus Meldensis an. 1164. obiitque apud S. Victorem Lutetiæ. Stephanus Nouiomensis Præsul, ille est de quo in Professoribus Paris. Carolini Ægidiani diximus. Guillelmus verò ante promotionem ad Episcopatum Meldensem, Cantor fuerat Parisiensis sub Odone, qui Episcopus factus confirmauit omnes decimas Noualium, vt habetur in magno Pastorali: in quo leguntur hæc verba. *Guillelmus D. G.* Meldensis Episcopus. *Cum Ecclesiam B. Mariæ Parisiensis vtroque teneamur brachio charitatis amplecti, & eius indemnitatem & commodum efficaci prouidentia procurare, vtpote quæ honoribus & obsequiis Nos sibi multipliciter obligauit, Nos intuitu Charitatis eidem Parisiensi Ecclesiæ ad preces Capituli concessimus pacificè in perpetuum possidendas omnes decimas Noualium, &c.* Act. an 1214. Porro Petrus Cambius Thesaurarius Turonensis ante suam ad Episcopatum promotionem, fuerat moribus potius quàm litteris eruditus, inquit Vincentius.

Guillelmus Bituricensis obit.

Adhunc quoque annum refert prædictus Vincentius obitum Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi: Robertus verò Antissiod. ad an. 1209 his verbis. *Guillelmus Bituricensis Archiepiscopus cum se cruce signasset ob hoc præcipuè, quia prouincia sua multas Ecclesias & aliquas vrbes hæresis pestilens occupasset, dum propositum iter aggreditur, ægritudine tangitur & intra 5. dies sanctâ fine decedit. Vir religiosus & simplex, humilis, cuius vita quàm accepta Deo extiterit, Signorum frequentia innotescit.* Idem Author, aut certè eius Continuator narrat ad an. 1208. prædictum Archiepiscopum fuisse ab Honorio III. inter Cœlites relatum. *Willelmus* quondam Bituricensis Archiepiscopus cum iamdiu miraculorum gloriâ claruisset, canonizatur à Papa Honorio & Sanctorum Catalogo sociatur. Hunc, quia olim inter Nationis Gallicanæ alumnos fuerat, eadem Natio Patronum & Intercessorem in cœlis accepit.

Eodem anno missus est ab Innocentio Pontifice in Galliam Gualo, seu vt alii volunt, Iacobus Guala de Bicheriis, vel de Beccaria Cardinalis S. Mariæ in porticu, qui an. 1204. subscripsit Priuilegio Cluniacensi. Quis autem vir fuerit, acci-

pimus ex Rigordo. *Innocentius III. Papa*, inquit, *misit Legatum in Franciam Gualonem S. Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem, Iurisperitum, bonis moribus ornatum, omnium Ecclesiarum visitatorem diligentissimum, Ecclesiæ B. Dionysii beneuolum & deuotum.* Vincentius iisdem verbis virum depingit. *Eodem anno Innocentius Papa Legatum misit in Franciam Gualonem S. Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem, Iurisperitum, bonis moribus ornatum, & Ecclesiarum visitatorem diligentissimum, Philippo Regi & omnibus Regni sui Principibus mandans & præcipiens, vt cum exercitu magno tanquam viri Catholici Terram Tolosanam & Albigensium & Narbonensium aliasque adiacentes inuaderent, atque omnes hæreticos qui eas occupauerant, delerent.*

In Priuilegio Cluniacensi ab Innocentio concesso an. 1204. ita se subscribit, *Ego Gualla S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis*, qui postea S. Martini fuit presbyter Cardinalis.

Huic Cardinali credibilius est tribuendas esse quasdam Constitutiones Synodales Ecclesiæ Parisiensis, quàm Galoni quondam Episcopo Parisiensi, propter rationes quas ad an. 1105. retulimus. Siquidem ex Rigordi verbis supra citatis constat eum ab Innocentio missum fuisse in Galliam, maximè ad visitandas Ecclesias. Et in Magno Pastorali Ecclesiæ Parisiensis l. 20. Charta 3. legitur quædam condidisse statuta ad Canonicos pertinentia: quale est istud de contuberniis mulierum in Claustro. *Districtius inhibemus, ne quis Canonicus Mulierem aliquam Monialem seu aliam in domo sua in Claustro sustineat pernoctare, nisi sit mater vel soror vel propinqua saltem in tertio gradu: vel nisi sint aliquæ Magnates mulieres quæ sine scandalo euitari non possunt; vel nisi vrgente necessitate Matronas aliquas vocari contigerit ad custodiam infirmorum.*

Quamobrem autem Synodum habuerit Cleri Parisiensis & quamobrem statuta synodalia condiderit, videtur in causa fuisse occasio mortis Odonis Episcopi, quæ accidit 13. Iulij, cui non fuit substitutus Petrus Cambius Thesaurarius Turonensis in successorem ante mensem Nouembrem. Ex Statutis autem illis tria leguntur ad Academiam pertinentia, de Excommunicationibus, & comminationibus excommunicationum; suntque eiusmodi.

1. Volumus quantum cum Deo & honestè possumus MAGISTRIS ET SCHOLARIBUS *deferre eatenus ad ipsos, & rigorem, si quis est, nostræ Constitutionis duximus temperandum, vt antequam periculum excommunicationis incurratur, admonitio generaliter fiat per Magistros, & comminatio Excommunicationis in Transgressores. Quibus præmissis qui forte contumaces & rebelles extiterint, iterum & nominatim sub eadem comminatione & in scholis moneantur, indultâ nihilominus ad satisfaciendum dilatione competenti.*

2. *Quod si fortè nec taliter resipiscere voluerint, ex tunc per* CANCELLARIUM *qui pro tempore fuerit, excommunicati denuncientur, & tandiu ab omnibus euitentur, donec satisfecerint competenter, & ab Episcopo si fuerit præsens, vel eo absente, ab Abbate S. Victoris in forma Ecclesiæ fuerint absoluti.*

3. *Præcipimus autem* MAGISTRIS *in virtute Spiritus S. vt prædicta omnia, excepto tamen necessitatis excusabilis articulo, diligentius exequantur, ne per negligentiam vel malitiam aliquorum nostræ Constitutionis authoritas contemnatur.*

Eodem anno primas Scholarium Parisiensium obmurmurationes ortas esse scribit Hemeræus aduersus M. Ioannem de Candel, vulgò de Candelis, Cancellarium Vniuersitatis, propter pecuniam certè quam exigebat à Licentiatis contra Decreta Alexandri III. Canones Ecclesiæ & statuta Academiæ. Quam litem Petrus Episcopus Paris. componere conatus est, Cancellariumque scholaribus conciliare: proindeque statuta quædam condidit, quæ deinde à Roberto de Curzon vel Corceon Cardinale an. 1215. confirmata sunt, vt ad eum annum referemus. Tum primum læsam vulneratamque putat fuisse Hemeræus Cancellariam Ecclesiæ Parisiensis, triumphante iam ac florente Academia in Monte S. Genouefæ, & Pontificiis Regalibusque Priuilegiis illecto numero infinito Scholasticorum, latéque in eodem Cliuo coruscante luce Rectoriæ Maiestatis.

Eodem anno M. Valtero de Constantiis, qui obiit 16. Kal. Decemb. anni 1207. suffectus est M. Robertus Pullus insignis Theologiæ Professor, & an. 1209. Sacræ militiæ contra Albigenses nomen dedit, cum pluribus aliis Præsulibus Gallicanis.

Eodem anno Vniuersitas Parisiensis videns in moribus & Disciplina vehementer peccari, & multos multipliciter à Maiorum laudabili instituto aberrare, Reformationi suæ incubuit, ideoque è suis nonnullos elegit qui statuta relegerent vetera, & noua si opus esset, conderent. Illi autem octo numero electi in tribus maximè peccari animaduertentes, vestitu, disputationibus seu disciplinâ scholarum, & negligentiâ Diuini officii, tria capita statutorum condiderunt. In r. vestium Academicarum genus reformarunt, statueruntque vt nullus sine veste talari aut Comitiis interesset, aut in scholis legeret, aut exequiis defunctorum Magistrorum adesset. Præterea simplices & sine extraneis ornamentis togas esse voluerunt: Calceorum quoque & Capuciorum formam præscripserunt.

Secundum caput pertinebat ad Disputationum rationem, tam in Philosophicis quàm in Theologicis scholis. Plerique enim cum Aristotelicis regulis nimium tribuentes, supra Paulum & alios Euangelistas Magistrum suum Aristotelem extollebant Et fraudulentis Philosophiæ Principiis & axiomatis innixi scientiam Christi euertebant. Impositus itaque modus disputationibus, & vt occurrerent hæresibus vbique pullulantibus, statuerunt vt mysteria fidei sacræ Scripturæ authoritate & SS. Doctorum testimoniis & rationibus explicarentur.

Tertium Caput fuit de exequiis defunctorum, quibus omnes Magistros interesse voluerunt; eosque qui absque causa legitimâ abessent, aut qui prædicta statuta obseruare negligerent, omni honore Magistrali priuatos voluerunt.

Eodem anno certis reditibus dotatum est Collegium *Bonorum puerorum S. Honorati* à piis & Religiosis Coniugibus Stephano Belot & Ada eius vxore, qui domum suam in hospitium 12. *Pauperum scholarium* & vnius Primarii consecrari voluerunt, dederuntque etiam 13. lectos in quibus cubarent. Vnde vocatum *Hospitale S. Honorati*. Tale autem legitur in hanc rem instrumentum in Chartulario S. Honorati folio 71. verso. COLLEGIVM BONORVM PVERORVM S. HONORATI.

"Vniuersis præsentes litteras inspecturis Stephanus Archidiaconus, Odo Cancellarius & Officialis Paris. salutem in Domino. Notum facimus nos litteras sigillatas sigillo bonæ memoriæ Petri quondam Episcopi Parisiensis & Decani totiusque Capituli S. Germani Antissiodorensis Parisiensis non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui vitiatas inspexisse verbo ad verbum sub hac forma.

"Petrus Dei gratia Parisiensis Episcopus & G. totumque Capitulum S. Germani Antissiodor. Parisius omnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & pacem. Notum fieri volumus quod *Stephanus Becot* (Belot) bonæ memoriæ legauit quandam portionem de bonis suis, vt post suum obitum inde præbenda fieret in timore Domini nostri I. C. & S. Mariæ Virginis sanctiqe Martini omniumque amicorum suorum. Quod si prædictum Canonicum mori contigerit vel præbendam resignauerit, Ada vxor relicta prædicti Stephani & M. Stephanus filius eius & alter eorum qui superstes fuerit, habebunt potestatem quandiu vixerint loco illius præsentandi, sed post eorum obitum donatio & inuestitura prædictæ ad Decanum S. Germani Antissiodorensis & ad Capitulum permanebit. Adiunxit etiam quod de bonis prædictis *quædã Domus fieret quæ lectis 13. ad opus pauperum Scholarium muniretur, ita quod nullo modo prædicta domus in alios vsus verteretur*, & quod ab vno prædictæ Ecclesiæ S. Honorati Canonico custodiretur tali conditione manente. Quod si prædictus Canonicus iniuriosus velit existere *Pauperibus Clericis ibi manentibus, ita quod inde à prædictis scholaribus querela iusti perueniat*, prædicta Ada & M. Stephanus prædictus, vel alter eorum qui superstes fuerit, potestatem habebit quandiu vixerint, dictum Canonicum à prouisione domus remouendi & loco eius alium Canonicum sacerdotem substituere & Parisiensi Episcopo præsentare vt Canonicum non sacerdorem, si sacerdos idoneus inuentus non fuerit: si verò nullus prædictæ Ecclesiæ Canonicus curam recipere voluerit, vel ibi idoneus inuentus non fuerit, prædicti Ada & M. Stephanus prædictus vel alter eorum, qui superstes fuerit, potestatem habebunt quandiu vixerint ad prædictæ domus prouisionem mittendi, sed post eorum obitum tota prouisio & Iustitia ad Parisiensem Episcopum in perpetuum pertinebit. Præterea R. Choren & Sibilla eius vxor & dicti Canonici S. Honorati pro remedio animarum suarum ad constructionem *domus prædictæ & sustentationem Pauperum Schola-*

" *rium ibidem manentium vnum arpentum terræ*, quieſt iuxta Cimiterium prædictæ Ec-
" cleſiæ S. Honorati, dederunt & conceſſerunt. Hoc autem factum fuit publicè
" de conſenſu Canonicorum omnium S. Honorati & totius Capituli S. Germani
" Antiſſiodorenſis. Vt autem hoc ratum & inconcuſſum permaneat, præſentem pa-
" ginam ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. Actum anno gratiæ
" 1208. Menſe Febr. Datum an. D. 1245.

Hinc ergo patet Corrozetum malè tribuere Iacobo Cordio Ærarii Gallicani Præfecto huiuſce Collegii fundationem regnante Carolo VII. Vnum porro illud è 4. Antiquiſſimis Collegiis ſeu Scholis eſſe creditur, vt legitur in Antiquitatibus Pariſienſibus. Et forte ibi alebatur pars *Clericorum pauperum* quos Robertus Rex ſuſtentabat: & quod tandem reſtitutum certiſque reditibus dotatum eſt à prædicto Stephano in vſum 13. Pauperum Scholarium.

NEGOTIVM ALBIGENSE.

Eodem anno conflatus eſt aut ſaltem conflari cœpit exercitus numeroſiſſimus in Gallia aduerſus Albigenſes, qui totam fere Narbonenſem Prouinciam occuparant, maximè in hoc opus incumbente Innocentio Pontifice per Galonem Legatum, de quo ſupra. De illa autem hæreſi, deque bello quod illi indictum eſt,
" ſic Robertus Gaguinus. *Erant per hos dies in Narbonenſi prouincia*, quam vulgò Lin-
" guam Occitanam appellamus, Chriſtianæ puritatis permulti contemptores ex Al-
" bigeſio primam ſuæ doctrinæ & iniquitatis inſtitutionem referentes. Quorum
" dogmata nemo ad hunc mihi diem notus ſcriptor reliquit. Et cum Hæreticos eos
" vocent, atque ob eam culpam exterminatos eſſe authores tradant, genus tamen
" Hæreſeos prætereunt. Puto eos quoad coniecturâ aſſequi poſſum, Arianam pe-
" ſtem ſecutos, fœdis quoque amoribus & maſculinis concubitibus indulſiſſe, ideo-
" que legitimas nuptias & carnis eſum damnaſſe. Diffuſum id virus, cum totam
" fermè Regionem inquinaſſet, Romanus Pontifex Innocentius III. miſſo Gualo-
" ne Cardinale legato Philippum Pontificis authoritate monet in hæreticos arma-
" ri, peccatorumque remiſſionē conceſſâ his qui inſigne Crucis ad id bellum de-
" ſumerent. Legati oratione permotus Philippus promittit ſuos arma capere & in
" Albigenſes proficiſci. Fuiſſe in exercitu Epiſcopos multos & Proceres inuenio,
" atque imprimis Eudonem Burgundiæ Ducem, Henricum Niuernenſem, Petrum
" Senonum Archipræſulem (nim. Petrum de Corbolio) Reginaldum Rothoma-
" genſem, Robertum Baiocenſem Iordanum Lexouium & Reginaldum Carno-
" tenſem. Quos viros certum eſt duxiſſe ſecum plurimos in Theologia Magiſtros
" & in Decretis, vt infatuatos illos populos erroris ſui conuincerent.

In Anglia omnino turbatus erat ſtatus propter interdictum & Regis furorem, quem nonnulli Theologi accendebant, vt ante diximus. Quod malum ægrè ferens Stephanus conatus eſt litteris ſuis Regem mitigare.

NEGOTIVM CANTVARIENSE.

" Sereniſſimo D. Ioanni D. G. Anglorum Regi Stephanus Cantuarienſis Ar-
" chiepiſcopus in Domino ſalutem & pietatis viſceribus abundare. Regnum diu
" ſtare non poterit, cuius ſtatum vera Regis clementia non communit. Largiente
" clementia Redemptoris, licet merita noſtra non exigere viderentur, perſonam no-
" ſtram fratrum electio generalis Cantuarienſi Cathedræ ſubrogauit. Et licet con-
" ſecrationis beneficium ſimus per Apoſtolicæ ſanctitatis miniſterium aſſecuti, for-
" te peccatis noſtris exigentibus Electioni noſtræ Regalis intuitus non conſenſit,
" & ad Eccleſiam ad quam vocati ſumus, acceſſum habere liberum non permiſit.
" Propter repulſam nobis factam in vniuerſos fines Anglicæ Regionis generale
" promulgauimus interdictum, quod in diſpendium animarum quibus Iuriſdictio-
" ne Regia præſideris, & in veſtræ Maieſtatis ignominiam perdurauit. Et cum nos
" viſceraliter doleamus ſuper tanti continuatione diſpendij, vos qui regere debe-
" tis in virga ferrea, deberetis ſuper interdicto multò diſtrictius perturbari. Cum
" igitur veſtrum Regnum vallare deberet exuberantia pietatis, Maieſtatem veſtram
" ſuppliciter exoramus, quatenus nobis tranquillum præbeatis introitum & nos ad
" Dei laudem, ad veſtræ gloriam Maieſtatis relaxabimus interdictum.

Reſcripſit verò Rex ſe nullam putare eius electionem, ac proinde cum nullam habeat excommunicandi poteſtatem, interdictum quod emiſit, pro nihilo habere.

" Ioannes D. G. Anglorum Rex Stephano dicto Cantuarienſi Archiepiſco-
" po ſalutem. Reuocari debet in irritum omnis electio, quam pars maior & ſanior

consensus sui non roborat fulcimento. Cum ex generali consensu Capituli te promotum in Cantuatiensē Archiepiscopum protesteris, & per manum summi Pontificis consecratum, Nos promotioni tuæ sicut proponis, duximus resistendum, ingressum tibi liberum perhibentes; & nunc pia sollicitudine flagitasti, quod tibi velimus consensum liberum impertiri, cum sis reuocaturus sententiam interdictionis. Tuis quidem propositionibus respondentes, Te minus electum Canonicè protestamur; quia liquet & in Iuris corpore continetur, quod maiore vel saniore parte non consentiente nulla censetur electio. Propter quod quidquid circa te factum est, reputari debet penitus pro infecto. Cum igitur in terra nostra sententia non videatur legitimè promulgata, cum excommunicandi non habeas potestatem, tibi mandamus quatenus si quid Iuris habemus in electione quam asseris esse factam, cures attentius resignare; sciturus quod ad honorem Regiæ Majestatis & forte non ad damnum tuum Ecclesiæ Cantuatiensi curabimus prouidere.

In hacce cordis duritie persistebat, confirmatus consiliis M. Alexandri Cæmentarii, qui tempestatis eiusmodi nactus occasionem in Curiam se intruserat. De quo Mathæus. *Ingessit se, inquit, hac interdicti tempestate Consiliis Regis Pseudo-Theologus quidam M. Alexander dictus Cæmentarius; qui suis iniquis prædicationibus Regem non mediocriter ad crudelitatem commouit. Dixit enim illud generale flagellum Angliæ non ex culpa Regis, sed ex subditorum flagitiis prouenisse.* Affirmauit etiam ipsum Regem *Virgam esse furoris Domini*, & ad hoc Principem constitutum, vt regat populos aliosque subditos *in virga ferrea & tanquam vas figuli confringat vniuersos. Ad alligandos potentes in compedibus & Nobiles suos in manicis ferreis.* Ad Papam quoque non pertinere de Regum siue de quorumlibet *Potentum laica possessione, vel subditorum regimine, verisimilibus quibusdam probauit argumentis.* Cum præcipuè Principi Apostolorum Petro nihil à Domino nisi Ecclesiæ tantùm ac rerum Ecclesiasticarum sit collata potestas. His igitur & his similibus fallaciis Regis adeo fauorem promeruit, vt plurima à viris Religiosis Beneficia per eiusdem Regis violentiam obtineret. Sed cum tandem ipsius peruersitas ad summi Pontificis aures peruolasset, ipso Papa procurante bonis ac Beneficiis omnibus spoliatus ad tantam demum miseriam perductus est, vt in habitu pauperrimo & cultu necessitate compulsus sit panem suum cum dolore ostiatim mendicare.

Anno 1209. Gallia & Anglia duplici tempestate agitatæ sunt, Gallia quidem, ab Hæreticis & apertis & occultis; Anglia verò partim interdicto Papæ, partim Oxoniensi tumultu. Nimirum cum Ioannes iam biennium per totam Angliam propter comminationes Papæ Ecclesiasticos viros malè omnino habuisset, Innocentius non vltra differendum ratus, Londinensi, Eliensi & Wigorniensi Episcopis mandauit, vt Regem nominatim excommunicatum denunciarent, & singulis diebus Dominicis & festiuis sententiam publicarent, quò Rex ab omnibus euitaretur. Verum illi communicato cum aliis Consilio non ausi sunt mandata Pontificis exequi: spargitur tamen rumor excommunicationis, in omnibus Conuenticulis, de ea fit vbique sermo, cœpitque agitari Quæstio, *an tutum esset cum Rege conuersari*: & multi periculosum esse rati è Curia recedunt, aut in Galliam ad M. Stephanum se conferunt. Inter alios verò M. Gaufridus Archidiaconus Norwicensis Regiorum Negotiorum Præfectus absque licentia Principis Domum se recipit, suo exemplo docens non esse tutum viris Beneficiatis in obsequio Regis excommunicati immorari. Rex quæ dicta factaque fuerant, intelligens non mediocriter perturbatur, & per willielmum Taillebot Militem, Archidiaconum prehendit, carceri mancipat, cappáque indutum plumbeâ post paucos dies tam ipsius cappæ pondere oppressum, quàm ciborum penuriâ exanguem trucidat. 1209.

Hugo quoque Archidiaconus wellensis & Regis Cancellarius ad Episcopatum Lincolniensem eodem Rege procurante electus, impetratâ ab ipso licentiâ in Galliam transfretandi vt ab Episcopo Rothomagensi consecretur, adit M. Stephanum de Langetona Parisiis & ab eo consecratur. Hac de re sic Mathæus. Hugo Lincolniensis electus impetratâ à Rege licentiâ ad partes transfretandi Gallicanas, vt ab Archiepiscopo Rothomagensi consecrationem acciperet, continuo

" vt Normaniam applicuit, contulit se ad Stephanum Archiepiscopum Cantua-
" riensem & factâ ei Canonicâ obedientiâ 13. Kalend. Ian. munus ab eo consecra-
" tionis accepit. Sed cum id à Rege compertum fuisset, suscepit in manu sua Epis-
" copatum iam dictum, atque omnia illius emolumenta in vsus suos conuertit.
" Vualtero quoque de Gray sigillum suum tradens Rex, fecit eum Cancellarium,
" qui in omnibus Regni agendis Regis studuit facere voluntatem.

OXONIENSIS TUMULTUS. Ita in dies magis à suis deserebatur Ioannes fiebatque odiosus omnibus. Auxit omnium in eundem odium sæuitia quam exercuit in scholares Oxoniensis Academiæ: cum enim scholaris quidam nescio quo fato mulierem prætereuntem occidisset, statimque aufugisset, tres eius socii qui in eodem hospitio manebant nec conscii, nec Rei, imò planè sceleris perpetrati ignari, comprehensi sunt & iubente Rege in contemptum Ecclesiasticæ libertatis priuilegiorumque quæ à prioribus Regibus Academia Oxoniensis obtinuerat, extra vrbem educti suspendio perierunt. Quo facto omnium planè animos à se abalienauit,& scholastici omnes ad vnum cum Magistris ex vrbe excedentes Oxoniam vacuam reliquerunt. Rem sic narrat Mathæus Parisiensis. Per idem tempus, inquit, Clericus
" quidam apud Oxoniam liberalibus vacans disciplinis mulierem quandam casu
" interfecit, quam cum mortuam deprehendisset, per fugam sibi consulit: Præfe-
" ctus autem vrbis & multi alij accurrentes, cum mulierem exanimem inuenerunt,
" cœperunt quærere homicidam illum in hospitio suo, quod cum tribus sociis suis
" clericis locauerat,& facti reum non inuenientes,cœperunt 3 socios eius Clericos
" memoratos & de homicidio penitus nescios:& eos in carcere retruserunt. Deinde
" post dies paucos Rege Anglorum iubente in contemptum Ecclesiasticæ liberta-
" tis extra villam educti suspendio perierunt.Quod cum factum fuisset,recesserunt
" ab Oxonia ad tria millia Clericorum tam Magistri quàm Discipuli: ita quod nec
" vnus ex omni Vniuersitate remansit: quorum quidam apud Cantabrigiam, qui-
" dam verò apud Radingum liberalibus studiis vacantes villam Oxoniæ vacuam
" reliquerunt.

ALMARICANA HÆRESIS DAMNATUR. In Gallia Religio Christiana periclitabatur: iamque totam Narbonensem prouinciam & fere Aquitaniam occupauerat hæresis Albigensium; ibique iam pauci verè Catholici reperiebantur; adeo publica erat professio Albigensium. Nec caruit Ciuitas Parisiensis eiusmodi pestiferis hominibus, qui quò occultiores erant, eò magis & timendi: sensim enim virus suum instillabant: nec iam modò Academiam & Ciues Parisienses, sed alias quoque vrbes & pagos villasque turbare incipiebant, qui non contenti insistere M. Amalrici vestigiis,audacius asserebant *Christum non magis esse in Eucharistia quàm in qualibet alia re*: Trinitatis personas singulas sua habuisse tempora :& alia multa eiusmodi spargere incipiebant in vulgus. Verum Petro Cambio Episcopo Parisiensi procurante detecti sunt, damnati & cum ossibus Amalrici Magistri qui tum obierat, refossis vsti sunt in loco seu platea quæ *Campelli* dicebatur. Gaguinus rem breuiter sic refert.
" *Eodem anno* qui fuit Christianæ gratiæ 1207. Almaricus Carnotensis litteris appri-
" mè eruditus cum apud Parisios non paruam Doctrinæ opinionem obtineret, pa-
" lam docuit quosque Christianos membra Christi corporis esse: & dum à Iudæis
" Christus pateretur, vnà cum ipso dolorem atque afflictionem fuisse renera perpes-
" sos. Sed errorem cum tueri non posset, damnatus est resipiscere & contrariam sen-
" tentiam asserere. *Ob hanc ignominiam contractâ animi ægritudine paulo post tempore interiit.*

De Amalrico fusè nos supra ad an. 1204. quo ab Vniuersitate primum damnatus fuit. Pergit Gaguinus. Fuere alii præterea litterati homines qui singulis Di-
" uinæ Trinitatis personis singula tempora per successionem tribuerent, asserentes
" Patris omnipotentiam Christi aduentu desiuisse; Christi verò doctrinam Spiritus
" S. accessu exoleram esse. Cuius Hæreseos authores procurantibus Petro Parisien-
" si Episcopo atq; Garino consulari viro deprehensi, honoribus & dignitate priuati
" sunt. Laicos id. qui extra Cleri ordinem essent, ignis absumpsit. Fœminis parci-
" tum est. At Almarici cadauer quod pone D. Martini Parif. Ecclesiam sepultum
" fuerat, exhumatum & crematum est.

SYNODUS PARISIENSIS CONTRA ALMARICANOS. Hæc breuiter Gaguinus:sed scriptores illius temporis historiam rei gestæ fusius referunt. Cum ergo à quatuor aut quinque annis in extinctionem hæreseos Amalricanæ

Amalricanæ incubuissent Academici Parisienses, anno verò præterito detecta fuisset quædam occultorum Hæreticorum conspiratio contra fidem Catholicam,& multi eorum fuissent comprehensi, hoc anno conuocata est à M. Petro de Corbolio Archiepiscopo Senonensi Synodus Episcoporum & Magistrorum Parisiis, vt quid de iis fieri placeret, statueretur. Qua de re sic Hugo Continuator Chronici Antissiodorensis. *Erant*, inquit, *per id tempus* Quidam scioli litterarum in Francia, sed pestilentis doctrinæ clanculo discurrentes & vana quædam & impia dogmata fideique omnino contraria latenter plurimis susurrantibus: & nisi præuenissét eos virorum prudentium cauta sagacitas, plures in barathrum perfidiæ demersissent. Nam de communi Episcoporum consilio missi sunt, qui actus eorum sagaciter explorarent, per quos comperti & detecti captique & adducti Parisius custodiæ mancipantur. Erant autem numero 14. quorum aliqui erant Sacerdotes curam animarum habentes, quibus fecerat fauorem ad populum fucata species honestatis & vitæ grauitas superducta. *Congregato igitur Episcoporum Concilio assidentibus Magistris Parisiensibus propalantur eorum ineptiæ, omniumque iudicio reprobantur & iudicati Hæretici exponuntur publicæ potestati, ex quibus decem traduntur incendio: reliqui 4. murali reclusione damnantur.* Affuit tali spectaculo innumerabilis hominum multitudo, nec sine fructu hoc actum est, quia inde & area Domini mundata est euentilando zizania, ne fidelium greges corrumperent: & plerisque timor incussus est,& repressa temeritas, ne nouis adinuentionibus adhærerent. Habuit autem initium hæc adinuentio profana verborum à Quodam nomine Almarico, quem non longè ante defunctum iudicauerunt Anathemate percutiendum, feceruntque corpus ipsius à tumulo erui,& velut hostem fidei extra locum fidelium procul poni. Librorum quoque Aristotelis qui de naturali Philosophia inscripti sunt & ante paucos annos Parisius cœperant lectitari, interdicta est lectio tribus annis, quia ex ipsis errorum semina viderentur exorta. In Chronico S. Dionysij breuiter ea de rē legitur *an.1209. Fuerunt Hæretici Sacerdotes, & Clerici & Laici condemnati, ab Ordinibus degradati & igne concremati apud Parisius in loco qui dicitur* CHAMPIAVS *tempore Philippi inclyti Regis &* (Petri) *bonæ memoriæ Episcopi Parisiensis.*

Rigordus qui spectaculi spectator esse potuit, post ea verba quæ de Amalrico ex ipso ad an. 1204. retulimus, subiungit quæ sequuntur. *Tædia ergo & indignationi* affectus, vt dicitur, ægrotauit, & lecto incumbens decessit in breui, & sepultus est iuxta Monasterium S. Martini de Campis. Post mortem eius surrexerunt Quidam venenosâ eius Doctrinâ infecti, qui eo subtilius plusquam oportet sapere sapientes, ad exsufflandum Christum, & ad euacuandum noui Testamenti & veteris sacramenta, nouos & inauditos errores & inuentiones Diabolicas confinxerunt. Inter alios eorum errores impudenter astruere nitebantur, quod potestas Patris durauit quandiu viguit lex Mosaica. Et quia scriptum est Nouis superuenientibus abiiciuntur vetera, postquam Christus venit, aboleuerunt omnia Testamenti veteris sacramenta,& viguit noua lex vsque ad illud tempus. In hoc ergo tempore dicebant Testamenti noui sacramenta finem habere, & tempus S. Spiritus incepisse: quo dicebat Confessionem, Baptismum, Eucharistiam & alia sine quibus salus haberi non potest, locum de cætero non habere, sed vnumquemque tantum per gratiam Spiritus S. interius sine actu aliquo exteriori inspiratam saluari posse. Charitatis virtutem sic ampliabant, vt id quod aliàs peccatum esset, si in virtute fieret charitatis, dicerent iam non esse peccatum. Vnde & stupra & adulteria & alias corporis voluptates in charitatis nomine committebant; Mulieribus cum quibus peccabant, & simplicibus quos decipiebant, impunitatem peccati promittentes, Dominum tantummodo bonum & non iustum prædicantes. Fama eiusmodi peruenit occultè ad viros venerabiles Petrum Parisiensem Episcopum & Fratrem Garinum Regis Philippi Consiliarium, qui misso clam M. Radulpho de Nemurcio Clerico diligenter inquiri fecerunt huius sectæ viros. Idem Radulphus articulosus & astutus & verè Catholicus sic missus imitabili modo fingebat se esse de secta eorum cum ad singulos veniebat, & illi reuelabant ei secreta sua tanquam suæ sectæ participi vt putabant. Et ita huius sectæ plures sacerdotes, Clerici & Laici ac mulieres diutius latentes, prout Domino placuit, tandem detecti & capti & Parisius

adducti & in Concilio ibidem congregato conuicti & condemnati, & ab Ordinibus, in quibus erant degradati, traditi fuerunt Curiæ Philippi Regis, qui tanquam Rex Chistianissimus & Catholicus vocatis apparitoribus fecit omnes cremari: & cremati sunt Parisius extra portam in loco qui nuncupatur *Campellus*. Mulieribus autem & aliis simplicibus, qui per maiores corrupti fuerant & decepti, pepercerunt. Prædictum autem Hæresiarcham Amalricum, quia planè constitit sectam illam ab eo originem habuisse, licet in pace Ecclesiæ, vt putabatur, sepultus fuisset, ab vniuerso Concilio etiam post mortem excommunicatus fuit & condemnatus, & à Cœmiterio facto eiectus, & ossa ac cinis eius per sterquilinia sunt dispersa.

Eadem plane verba repetit Vincentius Bellouacus, quæ superfluum esset hîc referre. Sed omnium optimè & diligentissimè totam hanc Historiam contexit Cæsarius Heisterbakensis, qui scribebat an. 1222. ac proinde rem scire potuit accuratissimè. Sic ergo ille lib. 5. Exemplor. memorab. c. 22. *Eodem tempore* quo manifestatæ sunt Hæreses Albiensium in Parisiensi Ciuitate, in qua fons est totius scientiæ, & puteus Diuinarum scripturarum, quibusdam viris litteratis persuasio Diabolica peruersum instillauit intellectum, quorum nomina sunt hæc. M. Willielmus Pictauiensis Subdiaconus qui legerat Parisius de Artibus & tribus annis studuerat in Theologia: Bernardus Subdiaconus, Willelmus Aurifex Propheta eorum, Stephanus Sacerdos de Veteri Corbuello, Stephanus de Cella, Ioannes Sacerdos de Ancinis. Isti omnes in Theologia studuerant. Elmangus Acolytus & Odo Diaconus. M. Garinus qui conuentuauerat Parisius de Artibus. Et hic Sacerdos audierat Theologiam à M Stephano Archiepiscopo Cantuariensi. Vlricus Sacerdos de Lueri, qui sexagenarius studuerat in Theologia tempore multo. Petrus de S. Clodouaro sacerdos & sexagenarius qui etiam audierat Theologiam. Stephanus Diaconus de veteri Corbuelo. Isti instinctu Diaboli hæreses multas excogitauerant: & iam plurimis in locis disseminauerant. Ap. Quæ fuerunt Capitula, in quibus viri scientiâ illustres & tam magni exercitate potuerunt? C. *Dicebant non aliter Corpus Christi esse in Pane altaris, quàm in alio pane & in qualibet re.* Sicque Deum locutum fuisse in Ouidio, sicut in Augustino. Negabant resurrectionem corporum, dicentes nihil esse Paradisum neque Infernum, sed qui haberet cognitionem Dei in se quam ipsi habebant, habere in se Paradisum: qui verò mortale peccatum, habere Infernum, sicut dentem putridum in ore. Altaria Sanctis statui, & sacras Imagines thurificari, idololatriam esse dicebant. Eos qui ossa Martyrum deosculabantur, subsannabant. Maximam etiam blasphemiam ausi sunt dicere in Spiritum S. à quo omnis munditia est & sanctitas. Si aliquis est in Spiritu Sancto, aiebant, & faciat fornicationem aut aliqua alia pollutione polluatur, non est ei peccatum, quia ille Spiritus qui est Deus, est in eo. Ille operatur omnia in omnibus. Vnde concedebant quòd vnusquisque eorum esset Christus & Spiritus S. impletumque est in eis, quod dicitur in Euangelio: Surgent pseudo-Christi & pseudo-prophetæ, &c. Habebant etiam miserrimi illi argumenta sua nullius prorsus valoris, quibus suos errores confirmare nitebanrut: quorum perfidia hoc ordine detecta est.

Prædictus willielmus Aurifaber venit ad M. Rodulphum de Namuntico dicens se esse missum à Domino, & hos infidelitatis articulos ei proposuit. Pater sub quibusdam formis operatus est in veteri Testamento scilicet Legalibus. Et Filius similiter sub quibusdam formis: vt in sacramento Altaris, Baptismi & aliis. Et sicut ceciderunt formæ legales in primo Christi aduentu; ita nunc cedent omnes formæ quibus filius operatus est, & cessabunt sacramenta, quia persona Spiritus S. clarè manifestabit se in quibus incarnabitur, & principaliter per septem viros loquetur, quorum vnus ipse willelmus erat; & ipse prophetabat, quod infra quinque annos 4. istæ plagæ euenire deberent. 1. super populum qui fame consumetur. 2. erit gladius quo se Principes interficient. 3. in quâ terra aperietur & deglutiet Burgenses. In 4. descendet ignis super Prælatos Ecclesiæ, qui sunt membra Anti-Christi. Dicebat enim quia Papa esset Anti-Christus, & Roma Babylon, & ipse sedet in monte Olіueti, id est in pinguedine potestatis. Iam 13. elapsi sunt anni, & nihil horum conrigit, quæ pseudo ille Propheta futura intra quinquennium prædixerat. Et vt fauorem sibi captaret Philippi Regis Franciæ,

etiam hoc adiecit, quia Regi Francorum ſubiicerentur omnia Regna & filio eius qui erit in tempore Spiritus S. & non morietur : & dabuntur 12. panes Regi Francorum id. ſcientia ſcripturarum & poteſtas.

His auditis M. Rodulphus interrogauit ſi aliquos habeat ſocios, quibus iſta fuiſſent reuelata ; qui cum reſpondiſſet, habeo multos, ſupradictos viros nominans, perpendens vir prudens imminens periculum Eccleſiæ ſe ſolum ad inueſtigandam eorum nequitiam eoſque conuincẽdos non poſſe ſufficere; ex quadam ſimulatione dicebat ſibi eſſe reuelatum à Spiritu S. de quodam ſacerdote, qui cum eo prædicare deberet ſectam eorum. Et vt ſeruaret famam ſuam illæſam, nunciauit hæc omnia I. Abbati S. Victoris & M. Ruperto & Fratri Thomæ, cum quibus adiit Pariſienſem Epiſcopum & tres Magiſtros legentes in Theologia, videlicet Decanum Saleburgienſem & M. Rupertũ de Korren & M. Stephanum omnia hæc eis inſinuantes. Qui territi valde iniunxerunt prædicto Rodulpho in remiſſionem peccatorum ſuorum, & alteri ſacerdoti vt ſe ſingerent eſſe de illorum conſortio, donec ſcientias omnium audiuiſſent, & plenius omnes articulos incredulitatis eorum exploraſſent. M. Rodulphus & ſacerdos ſocius eius in executione huius laboris cum ipſis hæreticis circuierunt Epiſcopatum Pariſienſem, Lingonenſem, Trecenſem, & Archiepiſcopatum Senonenſem in 3. menſibus & quamplurimos de eorum ſectâ inuenerunt. Vt itaque ipſi Hæretici plenè de ipſo M. Rodulfo confiderent, quandoque vultu eleuato ſe ſpiritu in cœlum raptum ſimulabat, & poſtea aliqua ſe vidiſſe dicebat, quæ in conuenticulis eorum narrabat, & publicè eandem fidem de die in diem ſe prædicaturum ſpopondit. Tandem reuerſi ad Epiſcopum viſa & audita enarrauerunt. Quo audito Epiſcopus prædictus per Prouinciam pro eis miſit, eo quod non eſſent in ciuitate excepto vno Bernardo. Qui cum eſſent in cuſtodia Epiſcopi, congregati ſunt ad eorum examinationem vicini Epiſcopi & Magiſtri Theologi. Propoſita ſunt eis ſupradicta Capitula quæ Quidam ex eis in præſentia omnium atteſtabantur. Quidam verò cum reſilire vellent, & ſe conuinci viderent, cum cæteris ſtabant in eadem pertinacia, nec negabant. Tantâ auditâ peruerſitate conſilio Epiſcoporum ac Theologorum ducti ſunt in Campum & coram vniuerſo populo & Clero degradati. Et in aduentu Regis qui tunc præſens non erat, exuſti, qui mente obſtinatâ nullum ad interrogata dabant reſponſum. In quibus in ipſo Mortis articulo nullum perpendi poterat pœnitentiæ indicium.

Cum ducerentur ad tormenta, tanta orta eſt aeris inclementia, vt nemo dubitaret quin ab eis aër fuiſſet concitatus, à quibus tantus error morientibus fuerat perſuaſus. In ipſa nocte is qui inter eos potior habebatur, ad oſtium cuiuſdam Incluſæ pulſans, ſerò ſuum errorem confeſſus eſt, aſſerens ſe magnum hoſpitem in inferno & æternis incendiis deputatum. Quatuor ex eis fuerant examinati, ſed non ſunt combuſti, videlicet M. Garinus, Vlricus Sacerdos, Stephanus Diaconus qui recluſi ſunt in carcere, Petrus vero antequam caperetur, præ timore Monachus effectus eſt. M. Almaricus qui prædictæ prauitatis Magiſter erat, eiectus eſt de cæmeterio & in Campo ſepultus. Eodẽ tempore præceptum eſt Pariſius, ne quis infra biennium legeret libros Naturales Ariſtot. Libri M. Dauid & libri Gallici de Theologia perpetuò damnati ſunt & exuſti : ſicque per Dei gratiam Hæreſis exorta exciſa eſt.

Hîc M. Ioannes Launoyus Doctor Theologus notat primam Ariſtotelis fortunam in Vniuerſitate Pariſienſi. Paulo enim ante, nempe cum expugnata eſt Conſtantinopolis, libri iſti Phyſicorum de Græcia in Galliam allati fuerant: quibus aliqui nimis accuratè inſudantes in prauas opiniones & fidei contrarias prolapſi fuerant, dederantque eorum damnandorum occaſionem. Rigordus diſertè docet libros illos fuiſſe omnino damnatos, vetitumque eos prælegere publicè. *In diebus illis*, inquit, *legebantur Pariſius libelli quidam ab Ariſtotele vt dicebantur, compoſiti, qui docebant Metaphyſicam, delati de nouo à Conſtantinopoli, & à Græco in Latinum tranſlati : qui quoniam non ſolum prædictæ Hæreſi ſententiis ſubtilibus occaſionem præbebant, imo & aliis nondum inuentis præbere poterant, iuſſi ſunt omnes comburi : & ſub pœna excommunicationis cautum eſt in eodem Concilio, ne quis eos de cætero ſcribere aut legere præſumeret, vel quocunque modo habere.*

Obiter autem hîc duo notabis Lector. 1. ex Logicis & Metaphyſicis ſubtilitati-

bus ortas fuisse plures hæreses;cum professores Dialecticis regulis nimis intenti,& plus ratiocinationi humanæ & ingenij viribus tribuentes,quàm fidei dogmatibus, res Diuinas tractare sunt aggressi. Mirum est intra 200. paulo minus annos ex quo Dialecticæ Quæstiones & cauillationes atque subtilitates à Berengario, Ioanne & Roscelino fuerunt inuentæ & in Theologiam irrepserunt, tam multas hæreses emanasse, scilicet Berengarij, Roscelini, Abaëlardi, Gilberti Porretani, Amalrici & aliorum Nouatorum. Vt nihil dicam de Ioanne Scoto Erigena, qui cum tempore Caroli Calui altercatricem hunc disputandi modum in Theologiam inuehere cœpisset, pro hæretico habitus est.

Alterum est. Vniuersitatem Parisiensem ab omni æuo odisse Nouitates & aduersus eas insurgere solitam,fuisseque semper non modò clypeum fidei, sed & gladium quoque. Semper enim in simplicitate fidei ambulare studuit, & subtilitatum inuentores quasi hæreticos aut hæresi proximos auersata est. Licet enim tunc nondum esset Sorbona fundata, nec Doctorum Theologiæ Facultas instituta, abundabat tamen Theologis & viris doctis, qui in Comitiis & Conciliis contra eiusmodi Nouatores acriter & fortiter decertabant.

Eodem anno similiter habitum est Concilium Auenione, cui præsedit Hugo Regiensis Episcopus contra Hæreticos Albigenses,qui totam Prouinciam peste sua infecerant. Item & Consules Montispessulani M. Miloni Legato Apostolico promiserunt & iurarunt se Hæreticorum fore acerrimos insectatores: vt habetur in 2. tom. Spicilegij Dacheriani.

Eodem anno 1209. obiit Remis. M. Petrus de Riga cognomento *Bibliotheca*, versificator, *& apud scholares ac studiosos opinione celeberrimus*, inquit author Chronici Belgici Magni. De eo diximus ad seculum superius, & in Catalogo virorum Illustrium. Addam quæ habet de eo Trithemius. *Petrus*, inquit, *Clericus Ecclesiæ Remensis dictus de Riga, vir in Diuinis scripturis studiosus & eruditus: atque in secularibus litteris inter omnes Doctores sui temporis doctissimus. Grammaticus & Philosophus insignis, carmine excellens & prosa. Scripsit vtroque stylo non pauca volumina, quibus nomen suum posteris notificauit. E quibus Ego vidi opus tantùm metricum insigne super Bibliam* quod Aurotam *prænotauit*. In Genesim, in Exodum, in Leuiticum, „ in Numeros, in Deuteronomium, in Iosue, in Iudicum, in Ruth &c. Reca„ pitulationum, de Grammatica. Alia insuper multa edidit, quæ ad notitiam meam „ non venerunt. In præfatis opusculis libros Historiales Bibliæ mira breuitate ex„ posuit, & obscura diligenter lege metri Historico allegoricoque sensu singula „ declarauit.

Ad hunc quoque annum notat Mariana l. 11. c. 22. Induciarum tempore publicum sapientiæ Gymnasium Alphonsi Regis Legionensis operâ, Theodorici Præsulis hortatu, Palentiæ constitutum fuisse ad iuuentutem litteris & humanitate informandam: quo vno ornamento Hispania bellis implicata eatenus fuerat destituta. *Artium autem Professores ex Gallia atque Italia magnis propositis præmiis* euocatos ab eo fuisse.

Eodem anno Innocentius Pontifex expressâ Bullâ confirmauit statuta quædam ab Vniuersitate Parif. facta, eorumque faciendorum per viros ab ipsâ delegatos potestatem asseruit: quibus proinde voluit ab omnibus Academicis pareri. Erant enim qui Episcopi & Cancellarii Parisiensis, Vniuersitatis forum tunc exercentis minis & fulminibus territi, aut ad facienda statuta conuenire non audebant, aut facta infringere non verebantur.

Confirmatio statutorum Vniversitatis.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis Filiis Doctoribus & Vniuersis Scholaribus Parisiensibus Salutem & Apostol. Bened. Quotiens pro communi vtilitate aliqua statuuntur, per quæ paci ac tranquillitati consultum, ac pu„ blicæ honestatis & honoris procuratur augmentum, conueniens est & decens, „ vt eadem ab omnibus, irretragabiliter obseruentur. Cum igitur, sicut accepi„ mus, Quidam ex vobis ad tractanda negotia Vniuersitatis vestræ communiter „ Deputati *Statuta & Ordinationes* & alia quæ vtilitati & honori vestro congruere „ noscuntur, certâ pœnâ & iuramentis interpositis decreuerint obseruanda, Vni„ uersitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attentè per Apostolica „ scripta mandantes, quatinus si ita est, Statuta & Ordinationes prædictas, & alia „ perinde ordinata studeatis inuiolabiliter obseruare. Datum Anagniæ 4. Non. Iu-

iij, Pontificat. nostri an. 12. Hoc autem statutum ab Innocent. IV. confirmatum est Lugduni 6. Non. Martij, Pontif. an. 4. vt legitur in libro Germ. Nationis.

Quæ autem fuerint illa statuta, non inueni. Videtur tamen hic loqui Innocentius de statutis illis quæ ad an. 1208. retulimus. Quibus vt maior accederet authoritas, ea voluit Vniuersitas Pontificio nomine muniri: & quos gradu moueret, societate suâ & priuilegiis, ii se quoque à Pontifice motos putarent præcisâ omni spe appellationis.

Ad hunc vsque annum Innocentius Decretales suas edi voluit cum aliorum Pontificum Decretalibus, easque ad Academiam Bonon. transmisit hisce verbis *Innocentius III. Magistris & Scholaribus Bononiæ commorantibus Sal. & Ap. bened.* Deuotioni vestræ insinuatione præsentium innotescat, Decretales Epistolas à Dilecto filio nostro P. Subdiacono & Notario nostro compilatas & sub competentibus titulis collocatas in nostris vsque ad 12. annum contineri Registris, quas ad cautelam sub Bulla nostra vobis duximus transmittendas, *vt eisdem absque quolibet dubitationis scrupulo vti possitis cum opus fuerit, tam in Iudicio quàm in Scholis.* Hæc est 2. Decretalium Compilatio, de qua fusius ad an. 1215. dicemus: 1. enim & 2. complectuntur Decretales 12. primorum Pontificatus annorum.

DECRETALES INNOCENTII.

Eodem anno Transactio quædam intercessit inter Philippum de Drocis Beluacensem Episcopum, & Petrum Parisiensem de collatione Præbendarum S. Thomæ de Lupara, habeturque in Chartulario Parisiensis Ecclesiæ. Erat autem ille Philippus filius Roberti Comitis Drocensis & Agnetis de Brana seu Braya Fundatorum S. Thomæ. Sic ergo habetur.

PRAEBENDAE S. THOMAE DE LVPARA.

Philippus Dei gratia Beluacensis Episcopus omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Ad Vniuersitatis vestræ notitiam volumus pertinere, quod cum esset contentio inter nos & nobilem virum Comitem Robertum fratrem nostrum ex vna parte, & venerabilem Petrum Parisiensem Episcopum ex aliâ super donatione *Præbendarum S. Thomæ de Lupara* Parisiensis tam veterum, quàm nouatum, tandem mediantibus bonis viris compositimus in hunc modum. Quod nos quandiu vixerimus, omnes Præbendas prædictas tam veteres, quàm nouas factas & faciendas, retentas, indiuiduas pro nostrâ donabimus voluntate. Post obitum verò nostrum, donatio Præbendarum ad Dominum Branæ & successores eius perpetuò pertinebit. De aliis verò videlicet de factis & faciendis, de integris & dimidiis ita statutum est, quod post mortem nostram donatio earum ad Parisiensem Episcopum, quicunque sit, & Dominum Drocarum pertinebit. Ita quod primò vacantem post obitum nostrum, siue integram, siue dimidiam dabit Parisiensis Episcopus quicunque sit, secundam verò vacantem siue integram siue dimidiam habebit Dominus Drocarum. Tertiò vacantem siue integram siue dimidiam dabit Parisiensis Episcopus: quartò verò vacantem siue integram siue dimidiam dabit Dominus Drocarum, & sic ad Parisiensem Episcopum & Dominum Drocarum successiuè pertinebit dictarum donatio Præbendarum... Actum Anno Domini 1209. mense Nouembri.

Eidem Collegio certam pecuniæ summam testamento legauit, vt ad an. 1217. referemus.

Anno 1210. nondum extincta erat Hæresis Parisina, nam teste Mazæo multi ad- 1210.
huc obstinati passim capti comburi maluerunt, quàm fidem Christianam & Orthodoxam profiteri. Sic enim ille lib. 17. Chron. *anno D. 1210. in Narbonensi Diœcesi 140.* Hæretici comburi maluerunt, quàm sequi fidem Ecclesiæ Rom. Parisiis quoque *24 eiusdem obstinationis, 7000. quoque Biturigibus sunt occisi.* Et de iisdem Godefridus ad ann. 1210. Hoc anno in aduentu Domini quidam Hæresiarcha Bernardus nomine cum aliis nouem, quorum 4 sacerdotes erant, Parisios venientes peruertere populum nitebantur, qui Episcopo prodita comprehenduntur & coram Magistris & Clero statuuntur: sed cùm satis cum eis de fide disputatum esset, de hæresi conuicti, à Rege in vigilia Thomæ Apostoli incendio perire iussi sunt. Et in Chronico Comitis Simonis de Monte-Forti.

Eodem an. 1210, inuenti Parisius 24 hæretici, in quibus erant aliqui sacerdotes, quorum aliqui conuincuntur, alij comburuntur, alii includuntur. Quo exemplo perterriti ple-

tique qui in prauam doctrinam abierant, ad se reuersi fidem Catholicam publicè professi sunt & errorem omnem detestati, vt & Waldenses plurimi de quibus pluribus in locis loquitur Innocentius III. vt l. 3. Ep. 91. & sequentibus, item Ep. 78. l. 1. ad Archiepiscopum & Suffraganeos Terraconensis Ecclesiæ, commemorans conuersionem Durandi de Osca Acolyti, Guillelmi de S. Antonino, Ioannis de Norbona, Ermengaudi, Bernardi Biterrensis, Raimundi de S. Paulo, Ebroini, G. de Naiaco & sociorum. Sic autem scribit.

» Cum inestimabile pretium Sanguinis Iesu Christi teneamur in animabus redemptis ex iniuncto nobis Apostolatus officio custodire: non solum veraciter pœnitentibus clementer impendere veniam nos oportet, verum eosdem pertinaciter delinquentes instanter ad pœnitentiam prouocare: ne si vel his paternam mansuetudinem, vel his sollicitudinem subtraxerimus Pastoralem, tot videamur eiusdem precij redemptioni subtrahere, quot in saluatione ipsius, nostra potuissemus vigilantia conseruare. Quapropter venientes dudum ad Apostolicam sedem dilectos filios *Durandum de Osca & Guillelmum de sancto Antonino, & Ioannem de Narbona, & Ermengaudum, & Bernardum Biterren. & Reymundum de sancto Paulo, & Ebroinum*, ac socios eorum, paternâ benignitate suscepimus, & ea quæ nobis ram pro se, quàm pro fratribus suis exponere curauerunt, pleno concepimus intellectu. Ex his ergo quæ nobis de articulis fidei, & sacramentis Ecclesiæ diligenter examinati dixerunt, cognouimus eos fidem sapere Orthodoxam, & Catholicam astruere veritatem. Ad maiorem tamen expressionem, appositis Euangeliis, & scripto Confessionis eorum imposito super illa, recepimus ab eis eiusmodi Iuramentum. *Ego*, inquit, *Durandus de Osca inter manus tuas consecratas* summe Pontifex Domine Innocenti, *Deum innoce testem in animam meam, quod ita simpliciter & liberaliter credo, sicut in hoc scripto per omnia continetur, & contrarium nunquam credam, sed contrarium credentibus pro posse resistam* Tibi verò tanquam Beati Petri Apostoli Successoribus, & Archiepiscopis, & Episcopis aliisque Prælatis, in quorum Diœcesibus vel Parochiis commorabor, obedientiam & reuerentiam exhibebo tam debitam quàm deuotam. Scriptum autem confessionis eiusdem est tale. *Pateat omnibus fidelibus, quod Ego Durandus de Osca, & Guillelmus de S. Antonino, & omnes fratres nostri, corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur, & simplicibus verbis affirmamus.* Patrem & Filium & Spiritum sanctum tres personas esse, vnum Deum, totamque Trinitatem coëssentialem & consubstantialem & coëternalem, & coomnipotentem & singulas quasque in Trinitate personas plenum Deum, sicut *in Credo* in Dominum, in Credo in vnum Deum, & *in Quicumque vult*, continetur. » Patrem quoque, & Filium & Spiritum sanctum, vnum Deum, de quo nobis sermo, esse Creatorem, factorem, gubernatorem & dispositorem omnium corporalium & spiritualium, visibilium & inuisibilium, corde credimus & ore confitemur. Noui & veteris Testamenti vnum eundem authorem esse Dominum credimus, qui in Trinitate, vt dictum est, permanens de nihilo cuncta creauit: Ioannemque Baptistam ab eo missum, esse sanctum & iustum & in vtero matris suæ Spiritu Sancto repletum. Incarnationem Diuinitatis non in Patre neque in Spiritu Sancto factam, sed in Filio tantùm, corde credimus & ore confitemur. Vt qui erat in diuinitate Dei Patris, Filius Deus verus ex Patre, esset in humanitate, hominis filius, homo verus ex Matre; veram carnem habens ex visceribus matris & animam humanam rationabilem, simul vtriusque naturæ, id est, Deus & homo vna persona, vnus filius, vnus Christus, vnus Deus cum Patre & Spiritu Sancto omnium author & rector, natus ex Virgine Mariâ verâ carnis natiuitate; manducauit & bibit, dormiuit, & fatigatus ex itinere quieuit, passus verâ sua carnis passione, mortuus verâ corporis sui morte, & resurrexit verâ carnis suæ resurrectione & verâ animæ ad corpus resurrectione: in qua postquam mâducauit & bibit, ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris, & inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Corde credimus & ore confitemur, vnam Ecclesiam non hæreticorum, sed sanctam Romanam, Catholicam & Apostolicam, extra quam neminem saluari credimus. Sacramenta quoque quæ in ea celebrantur, inæstimabili atque inuisibili virtute Spiritus Sancti cooperante, licet à peccatore Sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum reci-

pit, in nullo reprobamus, nec Ecclesiasticis officiis, vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed beneuolo animo tanquam à iustissimo amplectimur; quia non nocet malitia Episcopi vel Presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad Eucharistiam conferendam, vel ad cætera Ecclesiastica officia subditis celebrata. Approbamus ergo baptismum infantium, qui si defuncti fuerint, post baptismum antequam peccata committant, fatemur eos saluari & credimus; & in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quàm illa quæ voluntariè commissa sunt, dimitti credimus. *Confirmationem* ab Episcopo factam, id est, impositionem manuum sanctam, & venerandè esse accipiendam censemus. *In sacrificio Eucharistiæ*, quæ ante consecrationem erant panis & vinum, post consecrationem esse verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi firmiter, & indubitanter corde puro credimus, & simpliciter verbis fidelibus affirmamus, in quo nihil à bono maius, vel à malo minus perfici credimus Sacerdote; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, & in virtute Spiritus Sancti. Vnde firmiter credimus & confitemur, quod quantumcunque quilibet honestus, religiosus, sanctus & prudens sit, non potest vel debet Eucharistiam consecrare, vel altaris sacrificium conficere, nisi sit Presbyter à visibili, tangibili Episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, vt credimus necessaria; scilicet *certa persona*, id est, Presbyter ab Episcopo vt præ diximus, ad illud propriè officium constitutus, & *illa solemnia verba*, quæ à sanctis Patribus in Canone sunt expressa, & *fidelis intentio proferentis*; ideo firmiter credimus & fatemur, quod quicunque sine præcedenti ordinatione Episcopali, vt prædiximus credit & contendit se posse sacrificium Eucharistiæ facere, hæreticus & perditionis Chore, & suorum complicum est particeps atque consors & ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus. *Peccatoribus verè pœnitentibus veniam concedi a Deo credimus*, & eis libentissimè communicamus. *Vnctionem infirmorum cum Oleo consecrato veneramur. Coniugia carnalia esse contrahenda secundum Apostolum non negamus*, ordinariè verò contracta disiungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua coniuge saluari credimus & fatemur; nec etiam secunda & vlteriora matrimonia condemnamus. Carnium perceptionem minime culpamus. *Non condemnamus iuramentum*, imò credimus puro corde quod cum veritate & iudicio & iustitia licitum sit iurare. *De potestate seculari asserimus*, quod sine peccato mortali potest iudicium sanguinis exercere, dummodo ad inferendam vindictam, non odio, sed iudicio, non incautè, sed consultè procedat. Prædicationem necessariam valde & laudabilem esse credimus, tamen ex authoritate, vel licentiâ summi Pontificis vel Prælatorum permissione illam credimus exercendam. In omnibus verò locis vbi manifestè hæretici manent, & Deum & fidem S. Romanæ Ecclesiæ abdicant & blasphemant; credimus quod disputando, & exhortando modis omnibus secundum Deum debeamus illos confundere, & eis verbo Dominico, veluti Christi & Ecclesiæ aduersariis fronte vsque ad mortem liberâ contraire. Ordines verò Ecclesiasticos & omne quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur aut canitur, humiliter collaudamus & fideliter veneramur. Diabolum non per conditionem, sed per arbitrium malum esse factum credimus. *Corde credimus & ore confitemur huius carnis quam gestamus & non alterius resurrectionem.* Iudicium quoque per Iesum Christum esse futurum, & singulos pro his quæ in hac carne gesserunt, recepturos vel pœnas, vel præmia, firmiter credimus & affirmamus. *Eleemosynas, sacrificium, cæteraque beneficia fidelibus posse prodesse defunctis credimus.* Remanentes in sæculo & sua possidentes, Eleemosynas, & cætera beneficia ex rebus suis agentes, præcepta Domini seruantes saluari fatemur & credimus. Decimas, primitias & oblationes ex præcepto Domini credimus Clericis persoluendas. Quia verò non solum fides recta sed bona etiam operatio exigitur ad salutem, quoniam sicut sine fide impossibile est placere Deo, ita fides sine operibus mortua est; propositum quoque conuersationis eorum præsenti paginæ duximus annotandum: cuius tenor est talis.

Ad honorem Dei & eius Ecclesiæ Catholicæ & ad salutem animarum nostrarum. Fidem Catholicam per omnia & in omnibus integram & inuiolatam corde credere & ore proposuimus confiteri sub Magisterio & regimine Roma-

„ ni Pontificis permanendo. Seculo abrenuntiauimus, & quæ habebamus velut à „ Domino consultum est, pauperibus erogauimus, & pauperes esse decreuimus; ita „ quod de crastino solliciti esse non curamus, nec aurum nec argentum, vel ali- „ quid tale propter vestimentum, & victum quotidianum, à quoquam accepturi „ sumus. Consilia Euangelica velut præcepta seruare proposuimus. Orationi iuxta „ horas Canonicas septies insistentes, dicendo quindecies *Pater noster*, insuper „ *Credo in Deum*, & *Miserere mei Deus*, & orationes alias. Cum autem ex magna „ parte Clerici simus & pœne omnes litterati, lectioni & exhortationi, doctrinæ, & „ disputationi contra omnes errorum sectas decreuimus desudare. Disputationes „ tamen à Doctoribus fratribus in fide Catholica comprobatis & instructis in lege „ Domini dispensentur, vt aduersarii Catholicæ & Apostolicæ fidei confundantur: „ per honestiores autem & instructiores in lege Domini & in sanctorum Patrum „ sententiis, verbum Domini censuimus proponendum fratribus & amicis, cum „ Prælatorum conscientia & assensu, ita quod ab eis propter hoc nec Ecclesiarum „ frequentatio, nec Clericorum prædicatio postponatur. Virginitatem & Castimo- „ niam continuam inuiolabiliter conseruando, duas Quadragesimas, & ieiunia se- „ cundum Ecclesiasticam regulam instituta, annis singulis facere proposuimus. „ Religiosum & modestum habitum ferre decreuimus, qualem consueuimus de- „ portare; calceamentis desuper apertis, ita speciali signo compositis & variatis, „ vt apertè & lucidè cognoscatur nos esse sicut corde, sic & corpore à Lugdu- „ nensibus, & nunc & in perpetuum segregatos, nisi reconcilientur Catholicæ ve- „ ritati. Ecclesiastica sacramenta suscipiemus ab Episcopis & sacerdotibus, in quo- „ rum Diœcesibus vel Parochiis commorabimur, & eis obedientiam & reuerentiam „ debitam impendemus. Si quis verò secularium in nostro voluerit Consilio perma- „ nere, consulimus vt exceptis idoneis ad exhortandum, & contra hæreticos dispu- „ tandum, cæteri in domibus religiosè & ordinatè viuendo permaneant, res suas in „ iustitia & misericordia dispensando, manibus laborando, decimas, primitias & „ oblationes Ecclesiæ debitas persoluendo. Nos igitur habito fratrum nostrorum „ Consilio, per Apostolica vobis scripta mandauimus: vt recepto à cæteris fratri- „ bus simili iuramento, reconciliaretis eos Ecclesiasticæ vnitati, & denunciaretis „ verè eos Catholicos ac rectè fideles: in præscriptis & aliis ipsos secundùm Deum „ ab omni scandalo & infamia seruantes immunes, & litteris testimonialibus, „ & aliis adminiculis ipsos propter Deum misericorditer iuuaretis. Quia vero si- „ cut accepimus, occasionis prætextu quod mandatum huiusmodi communiter „ suscepistis ad reconciliationem illorum quæ sub præscripta forma reconciliari „ Ecclesiæ proposuerunt, nondum à vobis fuit processum vno se per alium excusan- „ te: qua de causa multi qui humiliter petierunt intrare, hactenus remansisse foras „ Ecclesiam asseruntur, Nolentes, sicut etiam nec velle debemus, vt qui trahi gra- „ tia diuina creduntur, per duritiam vestram ab infinita Dei misericordia repellan- „ tur, fraternitati vestræ per iterata scripta mandamus, & districtè præcipimus, „ quatinus si non omnes his exequendis poteritis interesse, tu frater Archiepisco- „ pe cum quolibet aliorum constituto in terra eorum & Prouincia, huiusmodi pœ- „ nitentes, iuxta præscriptam formam appellatione remota reconciliare procures. „ Circa præfatum Durandum de Osca & Vvillelmum de S. Antonino ac eorum „ socios secundum præmissum mandatum nihilominus procedendo. Eis autem „ in fide recta, & sana doctrina manentibus, exhortandi licentiam tribuentes „ competentibus horis & locis. Datum Lateran. IV. Idus Maij anno XIII.

„ In eundem modum scriptum.. Archiepiscopo & Suffraganeis Ecclesiæ Narbo- nen. Datum. Vt in alia per totum.

Paulo post idem Pontifex confirmauit propositum Bernardi primi Magistri Waldensium conuersorum datis ad omnes Archiepiscopos & Episcopos litteris Laterani 18. Kal. Iulij an. 1210. Ille est credo Bernardus Pauperum de Lugduno Magister, qui à Luciu Papa sectæ suæ approbationem obtinere non potuerat, teste Abbate Vrspergensi in Chronico ad an. 1212. Sic enim habet, postquam de Lucio Papa deque eorum prædicationibus verba fecit. *Vidimus tunc temporis aliquos de numero eorum qui dicebantur Pauperes de Lugduno apud sedem Apostolicam cum Magistro suo quodam, vt puto Bernhardo. Et hi petebant sectam suam à sede Apostolicâ confirmari & priuilegiari.* Sunt qui putent hunc Bernardum B. Francisci primum fuisse

fuiſſe ſocium & de *Quinta valle* cognomen habuiſſe; dictum vero Primum ſeu Priorem & Præpoſitum, qùippe eum qui prius Hæreticorum Pauperum Dux fuerat, fuiſſe postea Ducem pauperum Catholicorum & Franciſcanis ſe adiunxiſſe. Sic ergo Innocentius.

Cum inæſtimabile pretium Sanguinis Ieſu Chriſti, &c. vt ſupra. *Quapropter venientes ad Apoſtolicam ſedem dilectos filios Bernardum Primum & Willelmum Arnaldi & quoſdam alios paterna benignitate ſuſcepimus, ac ea quæ Nobis*, &c. vſq; *intellectu. Eoſque diligenter* examinatos atque correptos hoc modo reconciliauimus Ecclesiasticæ vnitati. Ego, inquit, Bernardus primus appoſitis Euangeliis & ſcripto confeſſionis impoſito ſuper illa, hoc præſto inter manus tuas, ſumme Pontifex, iuramentum, Deum inuocando teſtem in animam meam, quod ita &c. vt ſupra vſque *Pro poſſe reſiſtam*. Hoc autem profiteor non eſſe iuramentum quale Chriſtus legitur prohibuiſſe in Euangelio, ſed quale a ſanctis Doctoribus Auguſtino & aliis perhibetur eſſe præſtandum cauſâ neceſſitatis eum veritate & iuſtitia & iudicio. Scriptum autem confeſſionis eſt tale.

Pateat omnibus fidelibus quod Ego Bernardus Primus & omnes fratres mei propoſitis nobis ſacro-Sanctis Euangeliis corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur & ſimplicibus verbis, id. ſine duplicitate fideliter affirmamus Patrem, Filiũ & Spiritũ S. tres perſonas eſſe vnum Deum, & ſicut in Credo in vnum Deum & in Quicunque vult, continetur, confitemur eſſe per omnia ſentiendum. Item corde credimus & ore confitemur Patrem & Filium & Spiritum S. vnum Deum de quo nobis eſt ſermo, eſſe Creatorem & gubernatorem ac diſpoſitorem omnium rerum viſibilium & inuiſibilium, corporalium & ſpiritalium. Item corde credimus & ore confitemur Patrem & Filium & Spiritum S. vnum Deum Legem Moyſi dediſſe, & ipſum in Prophetis locutum fuiſſe, & Ioannem Baptiſtam ab ipſo miſſum eſſe, ſanctum & iuſtum & in vtero Matris ſuæ Spiritu ſancto repletum. Item corde credimus & ore confitemur incarnationem Domini noſtri I.C. vt qui erat filius Dei in Diuinitate, Patri æqualis, fieret homo in vtero S. Mariæ Matris ſuæ veram carnem aſſumens ex viſceribus Matris, qui natus eſt verâ carnis natiuitate, & manducauit & bibit &c. Dormiuit & fatigatus ex itinere quieuit, & paſſus eſt verâ carnis ſuæ paſſione, & mortuus eſt verâ carnis ſuæ morte, & reſurrexit verâ carnis ſuæ reſurrectione, in qua poſtquam veraciter manducauit & bibit, aſcendit in cœlum & ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

Item corde credimus & ore confitemur vnam eſſe Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam, ſanctam & immaculatam, extra quam neminem ſaluari fatemur. Sacramenta verò quæ in ea celebrantur, inæſtimabili atque inuiſibili virtute Spiritus S. licet à peccatore ſacerdote miniſtrentur, dum Eccleſia eum recipit, in nullo reprobamus, neque Eccleſiaſticis Officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, ſed beniuolo animo tanquam à iuſtiſſimo amplectimur.

Approbamus quoque baptiſmum infantium, & ſi defuncti fuerint poſt baptiſmum, antequam peccata committant, fatemur eos ſaluari.

Confirmationem quoque ab Epiſcopo factam, ideſt impoſitionem manuum ſanctam & venerandè accipiendam eſſe cenſemus. In ſacrificio Euchariſtiæ quæ fuerant panis & vinum ante conſecrationem, poſt conſecrationem eſſe corpus & ſanguinem I. C. ſimpliciter affirmamus & credimus: in quo nihil à bono maius, nec à malo minus perficitur ſacerdote. Peccatores veraciter pœnitentes veniam à Deo conſequi concedimus & eis libentiſſimè communicamus. Vnctionem infirmorum cum oleo conſecrato veneramur. Coniugia carnalia eſſe contrahenda ſecundum Apoſtolum Paulum non negamus, legitimè verò contracta diſiungere omnino prohibemus.

Ordines Eccleſiaſticos id. Epiſcopatum & Presbyterium ac cæteros, & omne quod in Eccleſia ordinabiliter ſancitum legitur aut canitur, humiliter collaudamus & fideliter veneramur. Item corde credimus & ore confitemur reſurrectionem huius carnis quam geſtamus & non alterius, & vitam æternam & vnumquemque hominem ſecundum opera ſua eſſe recepturum, & ſacrificium cæteraque beneficia fidelibus defunctis prodeſſe non dubitamus. Et quia fides ſine operibus mortua eſt, vt dicit Apoſtolus Iacobus, ſeculo abrenunciauimus, &

„ quæ habebamus,velut à Domino consultum est,pauperibus erogauimus & pau-
„ peres esse decreuimus. Ita quod solliciti esse de crastino non curamus, nec au-
„ rum vel argentum vel aliquid tale præter vestimentum & victum quotidianum
„ à quoquam accepturi sumus. Consilia quoque Euangelica velut præcepta serua-
„ re proposuimus. Remanentes autem in seculo & sua possidentes ,& hanc fidem
„ supradictam firmiter & integrè credentes præceptaque Domini seruantes salua-
„ ri fatemur. Ad hæc in nomine Patris & Filij & Spiritus S.& beatissimæ Virgi-
„ nis Mariæ,ad ædificationem Vniuersalis sanctæ Dei Ecclesiæ & ad salutem ani-
„ marum omnium , ad quorum aures peruenit, sicut fideliter credimus corde fi-
„ dē prædictam, ore firmiter confiteri & nunciare proposuimus, & vsque ad ani-
„ mam & sanguinem aduersus omnes sectas hæresiū defendere viriliter consisten-
„ tes sub Magisterio & regimine vnius & veri Magistri Domini N. I. C. ac piissi-
„ mi Vicarij eius Papæ Innocentii & successorum eius semper permanentes tam
„ corpore quàm spiritu in communione S. Ro. ac Vniuersalis Ecclesiæ,quam san-
„ ctam & Catholicam & Apostolicam supra diximus. Quam credimus esse omnes
„ baptizatos in nomine Patris & Filij & Spiritus S. nisi à supradicta fide recesse-
„ rint; vbi boni cum malis conueniunt: permixta quippe est diuersitate filiorum:
„ cui Ecclesiæ præfatum D. Innocentium Papam credimus præesse Pastorem, &
„ ipsum &omnes Episcopos & sacerdotes& cæteros ordinatos fidem supradictam
„ tenentes in ipsa Ecclesia Ministros esse fatemur & credimus. Idcirco ab ipsis &
„ non ab aliis petimus & cupimus suscipere Ecclesiastica sacramenrā.Specialiter au-
„ tem de fractione panis,super quā infamati sumus ,diximus & dicimus quia nun-
„ quam factum fuit causâ præsumptionis nec causâ contemptus sacrificii sacerdo-
„ tis,sed causâ ardoris fidei & Charitatis,& causa deliberationis ne indurarētur sim-
„ plices fideles inter hæreticos permanentes & sacramentum Eucharistiæ non ac-
„ cipientes. Sed nunc & in perpetuum abdicamus & abiicimus & abdicabimus à
„ nobis & ab omnibus nobis credentibus secundū nostrum posse ab opere & à cre-
„ dulitate, corde credentes & ore confitentes sacramentum corporis & sanguinis
„ Christi,nec esse conficiendum nec posse confici nisi à sacerdote per impositio-
„ nem manus visibilis Episcopi secundum morem Ecclesiæ visibiliter ordinati. Ha-
„ bemus autem mandatum orare , vt Deus mittat operarios in messem suam id.
„ Prædicatores in populum suum,qui debent benignè & humiliter impetrare sibi
„ dari ex Licentia summi Pontificis & Prælatorum Ecclesiæ,vt possint admonere
„ & exhortari in doctrina sana,& aduersus omnes hæreticos gratiâ Dei adiuuante
„ cum omni virtute animi & studio vt eos ad fidem Catholicam conuertant , de-
„ sudare,& credentes eorum priuatis & publicis admonitionibus sicut decet ab
„ eorum credulitate & hæresi separare & Ecclesiæ supradictæ incorporare & ab
„ omnibus vitiis & peccatis compescere tam seipsos quàm suos auditores; à super-
„ bia scilicet & inani gloria, inuidia, ira,cupiditate & auaritia,gulositate, luxuria,
„ mendacio, detractione, blasphemia, odio, fraude, periurio & homicidio. Et
„ quamuis ita eos prædicemus, tamen potestatem secularem secundum leges of-
„ ficium suum in malefactores peragentem non iudicamus,neque ob hoc damnan-
„ dam esse dicimus vel credimus. Veruntamen sicut filii Ecclesiæ reos sanguinis
„ defendimus piis interuentionibus, quia scriptum est. *Reos sanguinis defendat Ec-*
„ *clesia.* Quamuis autem propter vitam periurium non sit appetendum, iurantes
„ tamen ad deliberationē causâ necessitatis cum veritate & iudicio & iustitia non
„ culpamus, neque propter hoc credimus condemnandos. In omnibus verò Epis-
„ copatibus, Diœcesibus vel parochiis, in quibus sumus vel fuerimus , disposui-
„ mus ieiunare secundum morem & consuetudinem Prælatorum & Canonicorum
„ virorum Orthodoxorum illarum Prouinciarum tam in vigiliis quàm ieiuniis 4.
„ Temporum & Quadragesimæ. Deniq; licet dicat Christus, Oportet semper ora-
„ re & non deficere, & Apostolus *sine intermissione orate* , tamen Quidam nostro-
„ rum per 24. vices inter diem ac noctem , alii quindecies , alii duodecies; qui au-
„ tem minus,septies pro omnibus hominibus secundum eorum gradus orant. Et
„ quanquam Officium nostrum sit præcipuè vt omnes discant, & omnes qui sunt
„ idonei, exhortentur, tamen cum tempus ingruit, propriis manibus laboramus,
„ ita duntaxat ne pretium accipiamus conuentum. Qui autem nobis credunt, à
„ quibuscunque aliquid per aliquam fraudem habuerint, necesse est si potuerint

& nobis acquiescere voluerint, vt ipsis & non aliis restituant. Decimas siquidem & primitias & oblationes & cætera secundum vsum locorum seruitia Prælatis & aliis Clericis sub quorum Diœcesibus victitauerint fideliter persoluant: quod omnibus fidelibus Christianis efficaciter suademus.

Licet autem in subscriptis articulis, sicut à quibusdam accepimus, assererentur errasse, quod videlicet soli Deo esse obediendum, & si homini, soli iusto qui Deum habet in se; ac licere Laico ac litterato sine licentia cuiuslibet hominis prædicare; bonumque Laicum conficiendi Eucharistiam potestatem habere, malum autem Sacerdotem nequaquam, & eius orationes aut Missas viuis vel mortuis non proficere: ac Romanam Ecclesiam nequaquam Ecclesiam Dei esse, necnon etiam iuramentum in quolibet articulo sub Ecclesiæ forma factum, peccatum esse mortale, dogmatisasse dicuntur; Ipsi tamen ex præscripta concessione in qua tanguntur articuli prænotati, super his suam innocentiam excusarunt, illud inficiantes omnino, quod videlicet mulieribus Euangelium in Ecclesia licitum esset docere, ac Indulgentias quæ fiunt á summo Pontifice vel aliis Episcopis non proficere, iustumque Laicum confitentes sibi absoluere posse, quidam eos referunt adstruxisse. Cæterum super eo quod nonnullos Clericorū scandalizasse dicuntur, eis in plurimis detrahendo, ipsos asperè redarguimus in virtute obedientiæ quam præstiterunt nobis, districtius iniungentes eisdem, quod & ipsi sub eadem seruare obedientia promiserunt, vt Clericos in omni qua conuenit habentes reuerentia & honore, ab eorum omnino infamatione seu detractione desistant. Præcipientes eisdem, ne passim sibi præsumant Prædicationis Officium arrogare; sed præterquam Ecclesiarum Rectores in fide recta & sana Doctrina nouerint esse probatos, licentiam eis tribuant exhortandi competentibus horis & locis. Cumque continentiam repromiserint, suspectum mulierum consortium prorsus euitent, qui super his & alijs promiserunt deuotam & debitam nobis obedientiam exhibere. Nos igitur habito fratrum nostrorum Consilio per Apostolica vobis scripta mandamus, quatinus recepto à cæteris fratribus simili iuramento Ecclesiasticæ vnitati reconciliatis eosdem, & denuncietis ipsos verè Catholicos ac rectè fideles: in præscriptis & alijs eos secundum Deum ab omni scandalo & infamia seruantes immunes, & in litteris testimonialibus & alijs adminiculis ipsos propter Deum misericorditer adiuuetis. Datum Laterani 18. Kal. Iulii Pont. nostri an 13.

Extant aliæ multæ eiusdem Pontificis in hanc rem Epistolæ, ex quibus intelligitur non modo Bernardum & quosdam alios Hæreticos ad fidem se conuertisse, sed insuper Religiosam vitam amplexos fuisse. Cum autem ante Conuersionem nomen assumpsissent *Pauperū de Lugduno*, conuersi voluerunt appellari aut certè ab Innocentio appellati sunt *Pauperes Catholici*: vt in pluribus eius Epistolis legere est, præsertim 90. 91. 92. 94. l 3. Ep. verò 135. eiusdem libri confirmat Pontifex Regulam Religionis eorum post allatam sibi ab iis fidei confessionem. Ex qua patet fuisse illos magna ex parte viros litteratos. Sic enim loquuntur. *Cum magna ex parte Clerici simus & pene omnes litterati, lectioni, exhortationi, doctrinæ, disputationi contra omnes errorum sectas decreuimus desudare. Disputationes tamen à Doctoribus fratribus in fide Catholica comprobatis & instructis in lege Domini dispensari, vt aduersarii Catholicæ & Apostolicæ fidei cognoscant veritatem & resipiscan. à laqueis Diabolici erroris quibus tenentur capti. Cum Prælatorum verò licentia & veneratione debita per idoneos fratres & in sacra pagina instructos, qui potentes sint in sana doctrina arguere gentem errantem & ad fidem modis omnibus trahere & in gremio sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ studebimus reuocare.*

Eodem anno Petrus Cambius seu Cambellanus Episcopus Parisiensis conatus est pacem componere inter Magistros Vniuersitatis & Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis qui tria exigebat contra Consuetudinem & Leges Academiæ, scilicet pecuniam pro concedendâ docendi licentiâ; iusiurandum de obedientiâ sibi præstandâ, & ne alibi quàm in scholis Episcopalibus seu Claustralibus Theologia præsertim & Ius Canonicum docerentur. Ad quam pacem sanciendam non parum contulerunt Legati Apostolici, quorum authoritate adiutus Episcopus Paris. statuta quædam condidit, quæ postea à Roberto de Curthon, Corzon vel Corceon Cardinale & Legato Apostolico, qui & ipse Cancellarius

eiuſdem fuit Vniuerſitatis, confirmata ſunt, vt ad an. 1215. refetimus.

Ad hunc Epiſcopum extat Epiſtola Innocentij III. quâ cum rogat vt reſeruatam in Eccleſia ſua ptæbendam Benedicto conſanguineo ſuo conferar, cuius nomine mandat inſtallari M. Petegrinum Capellanum ſuum & Procuratorem Pariſijs degentem. Talis autem eſt. *Ad ſignandum deuotionis affectum* quam erga Nos te non ignoramus habete, præbendam in Eccleſiâ Parif. vacantem in manu proptia reſeruaſti, cuicumque vellemus, ſicut per tuas Nobis intimaſti litteras, conferendam; habirûrus gratiſſimum ſi alicui de ſanguine noſtro confetri dignaremur eandem, quem ob noſtram reuerentiam & amorem honotaturum te aſſeris & ſinceriſſimè dilecturum. Super quo libetalitatem tuam in Domino commendantes de tantæ deuotionis indicio gtatiarum tibi referimus actiones. Dignum itaque reputantes vt de tuo munete tuo ſatisfiat affectui, præbendam ipſam dilecto filio Benedicto conſanguineo noſtro, adoleſcenti ſiquidem bonæ indolis quem non minus ſigna virturum quæ in tenera videnrur ætate ptæludere, quàm ſanguis aur caro nobis reddunt acceptum, duximus concedendam. Spectantes quod runc maximè ptælibatam præbendam otdinatam eſſe gaudebis ad votum, cum pet ipſum & ex ipſo Domino concedente videbis tibi & Eccleſiæ tuæ gratum prouenire profectum. Quocirca fraternitatem tuam monemus per Apoſtolica tibi ſctipta mandantes, quatenus dilectum filium M. Peregtinum Capellanum noſtrum vice ac nomine præfati Benedicti ad eandem præbendam recipi facias in Canonicum & in Ftatrem Stallo Chori ac loco Capituli ſibi aſſignato, de more ipſum in corpotalem eiuſdem præbendæ poſſeſſionem inducas & inductum facias eam pacificè poſſidere. Nos enim eundem Benedictum ad te opportunitate receptâ, dante Domino tranſmittemus. Datum Latetani idib. Sept. Pontif. noſtri an. 13.

Cum verò eadem Vniuerſitas nonnullos è ſuis Magiſtris, contra Statuta quæ condiderat, quæque authoritate Apoſtolica muniri curauerat, peccantes gradu, otdine & prærogatiuâ Magiſtrorum mouiſſet & priuaſſet, præſertim verò quendam M. G. ille ad Pontificem tecurrit, qui benignè Statuta Academica interptetatus, præfatum G. in integrum reſtitui hac Bullâ poſtulauit, quæ inter Dectetales recenſetur, ac proinde ante hunc an. edita fuiſſe videtur.

Ad Vniversitatem

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruotum Dei Dilectis filiis *Rectoribus* vniuerſis ſactæ paginæ, Dectetotum & Liberalium Artium Magiſtris Pariſius commorantibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex litteris veſtræ Deuotionis accepimus, quod cum quidam Moderni Doctores Liberalium Artium à Maiorum ſuorum veſtigiis in tribus præſertim articulis deuiarent: habitu videlicet inhoneſto, in lectionum & diſputationum ordine non ſeruato, & pro vſu in celebrandis exequiis decedentium Clericorum iam quaſi penitus negligenter omiſſo, Vos cupientes veſtræ conſulere honeſtati, octo ex vobis iutatos ad id vnanimiter elegiſtis, vt ſupet dictis articulis de ptudentum virorum Conſilio bonâ fide ſtatuerent, quod foret expediens & honeſtum ad illud in poſterum obſeruandum, cum iutamento interpoſito communiter adſtringendo, excepto duntaxar M. G. qui iurare renuens & formidans, fideiuſſoriam tamen pro ſe obtulit cautionem. Fuit inſupet ad cautelam à vobis fide præſtita protinus conſtitutum, vt ſi quiſquam Magiſtrorum commonitus infra triduum Vniuerſitati parere contemneret Magiſttorum, ex tunc beneficio ſocietatis eorum in Magiſtralibus priuaretur. Et quidem hoc vltimum Quidam ex vobis ſimpliciter, Quidam verò niſi ſatisfaceret, & nonnulli, niſi per Nos ſe admitti vel ab aliis obtineret, ſe intellexiſſe fatentur. Cum autem ſupradictus M. G. infra triduum Vniuerſitati non paruerit requiſitus iuxta condictum veſtrum, ex tunc à vobis habitus eſt excluſus. Qui cùm ſatisfactioni condignæ ſe poſtmodum obtuliſſet, in quatuor veſtrùm iutamento interpoſito compromiſit, illorum dictum pro bono pacis ſe gratum & ratum pariter habiturum. Illi verò vſi conſilio ſapientium, Dictum ſuum communitet promulgauerunt, memotato Magiſtro in virtute iuramenti prohibentes, ne deinceps in licitis Vniuerſitati reſiſteret Magiſtrotum, & iniungentes eidem vt tandiu in eo ſtatu perſiſteret, quo tunc erat, donec per ſe vel per Procuratorem ſuum ſe poſſe ab alijs Magiſtris admitti, per ſedem Apoſtolicam obtineret, ſalua in omnibus honeſtate. Vnde Nobis humiliter ſupplica-

stis, vt eundem Magistrum virum vtique prouidum & honestum qui tanquam obedientiæ filius, quid sibi prædicti iniunxerint, suscepit humiliter, & patienter obseruat, ex benignitate Apostolica faceremus Communioni restitui Magistrorum. Nos igitur ex præmissis intelligentes eidem Magistro fuisse mandatum vt tandiu in eo statu persisteret, quo tunc erat, donec Magistrorum Communioni de mandato sedis Apostolicæ redderetur, & paratus sit super præmissis satisfactionem congruam exhibere, licet fuerit constitutum, vt si quis Magistrorum aduersus alios duceret resistendum & primò & secundò tertiove commonitus infra triduum Vniuersitati parere contemneret, ex tunc beneficio societatis eorum in Magistralibus priuaretur, & ob hoc fuit M. G. eorum communione priuatus. Quia tamen constitutum non fuit, vt in perpetuum eiusmodi priuatio perduraret, cum tam iuris Canonici quàm nostri iuris existat, vt is qui propter contumaciam communione priuatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem redhibeat, mandamus quatenus supradictum M. G statutis vestris nunc humiliter parere curantem, ad communionis vestræ consortium in Magistralibus admittatis. Datum, &c.

In hanc Bullam iuuat nonnulla annotare. Primum est *titulus*, nam in vetustissimis Decretalibus legitur, vt apposuimus. In Epistolis verò Decretalibus cõmunibus Innocẽtii hic præfigitur *Doctoribus Parisius commorantibus*. Et indefortassis aliquis suspicabitur, iam tum fuisse Doctores in Decretis & Theologia, nec malè; nam vt ante diximus, Gradus Academicos Petrus Lombardus circa an. 1160. in Academiam inuexit. At nondum constituebant segregem Facultatem, vt hodie constitutas videmus. Cum enim in hac Bulla sermo tantum sit de M. G. in Artibus Magistro, ordine Magistrali per Vniuersitatem moto, & societate Academica priuato, quid attinuisset ad Doctores in Theolog. & Decretis scribere, si tum Ordines habuissent seorsim suos & à Facultate Artium segregatos? Patet igitur tum adhuc Professores cuiuscumque Facultatis militasse in Nationibus sub communibus Magistratibus, Rectore scilicet & earumdem Procuratoribus.

2. Patet euidentissimè ex hac Bulla longè ante hæc tempora condita fuisse ab Vniuersitate statuta, quæ, vt & multa Priuilegia maiorum nostrorum incuriâ aut temporum iniuriâ perierunt. Statuta, inquam, ab Vniuersitate condita, non ab Episcopo aut Cancellario Vniuersitati tradita.

3. Patet quoque Academicos nostros ad Authoritatem summorum Pontificum confugere solitos, cum ea indigerent ad stabiliendum aliquod Decretum & firmius sanciendum: ex hoc enim loco seu ex hac Decretali Pontificis Innocentij id euincit Costanus C. quod Clerici *solebant*, inquit, *in commune de rebus & negotijs Vniuersitatis summum Pontificem* consulere, & ex eius nutu pendere: vt docet dictoC. ex litteris, & Cap. *quia ex causis*. sup. de *Procuratoribus*. Quod existimarim tamen hocce tempore præsertim ab ijs factum, ne Episcopo Parisiensi ius nouum sibi in Vniuersitatem arroganti palam aduersari & contradicere cogerentur.

Hoc anno Innocentius Pontifex à Bituricensibus rogatus vt B. Guillelmum Archiepiscopum suum Sanctorum Catalogo adscriberet, quia multa miracula post mortem patrabat, quædam etiam viuus patrauerat, rescripsit in hunc modum.

Innocentius Episcopus &c. Venerabili fratri Archiepiscopo Bituricensi & Dilectis filiis Decano & Cap. Sal. & Ap. ben. Ex tenore litterarum vestrarum accepimus, quod misericordia Redemptoris quæ seruos suos in Regno glorificat fidelitatis æternæ, ac interdum glorificat in præsenti, diebus istis abundat iniquitas refrigescente Charitate multorum, ad deuotionem Christiani populi excitandam & fidei augmentum per S. memoriæ Vvillelmum Prædecessorem tuum, Frater Archiepiscope, in partib⁹ vestris crebra miracula operatur, ad cuius tumulum per inspirationem illius qui corda fidelium illuminat & accendit, de diuersis Regni Francorum partibus nullo mouente vel prædicante maxima multitudo concurrit, vbi multi languentes restituuntur pristinæ sanitati. Vnde cum tanta lucerna quæ vitæ merito & opinionis odore, dum frueretur luce

„ præsenti apud omnes effulsit, non sit ponenda sub modio, sed super Candelabrum
„ potius statuenda, dilectum filium Magistrum P. Ecclesiæ vestræ Cancellarium ad
„ sedem Apostolicam destinastis, cum eo & per eum nobis humiliter sup-
„ plicantes, vt illum faceremus adscribi Sanctorum Catalogo venerandum. Nos
„ igitur ex hoc referentes laudem & gloriam Creatori qui in sua Maiestate mira-
„ bilis faciens signa & mirabilia magna in terris per seruos suos ad imitandum piæ
„ conuersationis exemplum non desinit mirabiliter operari, per illorum gloriam
„ sempiternam opem nobis conferens salutarem. Quia iudicium istud Diuinum
„ est potius quàm humanum, ad præsens in eo non duximus procedendum, æsti-
„ mantes consultius exspectare, vt Deus magis ac magis clarificet quem iam clari-
„ ficare inchoauit, quatenus in tempore opportuno ad tam arduum iudicium exe-
„ quendum ipso præstante securius discedamus. Datum Laterani 5. Kal. Ian. Pon-
„ tif. nostri an. 13.

Aliquanto post eadem Bituricensis Ecclesia ad eundem Pontificem Legatos suos misit, eumque scriptis litteris compellauit, vt quod promiserat, executioni demandare vellet. At ille cunctandum adhuc ratus sic rescripsit.

„ Innocentius &c. Dilectis filiis Decano & Capitulo Bituricensis Ecclesiæ sal. &
„ Ap. be. Litteras quas pro Sanctorum Catalogo adscribendo piæ recordationis
„ Vvillelmo Archiepiscopo vestro, nostro Apostolatui destinastis, paternâ beni-
„ gnitate recepimus, deuotionem vestram in Domino commendantes quod ad
„ hoc negotium promouendum cum tanto desiderio aspiratis. Verum quia sacro-
„ sancta Rom. Ecclesia in hoc negotio vt pote valde arduo & ad diuinum potius
„ quàm humanum iudicium pertinente cum multa consueuit maturitate proce-
„ dere, ad præsens in eo non duximus procedendum. Sed adhuc decreuimus exspe-
„ ctandum, vt is qui eum sicut creditur, clarificauit in cœlis, amplius clarificet
„ ipsum in terris ad sui nominis gloriam & honorem: ita quod securius prouidere
„ valeamus ad præfatum negotium exequendum. Datum Laterani 6. Kal. Iunij
„ Pontif. nostri an. 15.

1211 Anno 1211. Innocentius Papa frustra tentatis omnibus modis, quibus posset Ioannem Angliæ Regem ad saniorem mentem reducere, omnes eius subditos à fidelitate quam illi debebant & iurauerant, absoluit. Nam cum eodem anno Paodulfum Subdiaconum sibi familiarissimum & è Templariis Durandum ad eum Legatos misisset, vt pacem Stephano & aliis cum eo conciliarent, ille concessit quidem vt redirent, sed bona Ecclesiastica quæ sibi vsurpauerat, nullatenus voluit reddere: coactique proinde fuerunt Legati in Galliam redire. Itaque Papa summo iure cum eo agendum ratus, vetuit etiam sub pœna excommunicationis, ne quis ei ad mensam ministraret, aut cum eo loqueretur. Contra ille à peruersis Consiliariis incitatus se Regnumque suum certissimo periculo exponit: quorum tres erant Episcopi curiales, Philippus Dunelmensis, Petrus wintoniensis & Ioannes Norwicensis. Horum consilio non modò viros Ecclesiasticos, sed & Barones quoque suos atque subditos infinitis exactionibus vexauit, adeoque sibi reddidit infestos, vt plerique in Galliam fugerent, & Philippum Regem ad capessendam Angliam inuitarent, polliciti se suaque & totum illi Regnum tradituros. Quin etiam Stephanus Cantuariensis, Willelmus Londinensis & Eustachius Eliensis Episcopi Romam ad Papam proficiscuntur & rogant enixissimè, vt labanti Anglicanæ Ecclesiæ succurrat Regisque furorem & amentiam reprimat. Quorum ille precibus acquiescens, Regem de solio deque Regno deturbat: vt ad an. sequentem referemus.

Idem Pontifex consultus à M. W. de Vienna Canonico Antissiodorensi nec non ab Episcopis Aurelianensi & Antissiodorensi de pluralitate beneficiorum, rescripsit in hunc modum.

Innocentius Ep S. S. D.... Aurelian. & Antissidorensi Epis. & *Magistro w. de Vienna* Canonico Antissiodorensi.

„ Intellecta ratione quam nobis venerabilis frater noster Remensis Archiepis-
„ copus & eius Condelegati miserunt super controuersia, quæ de Præbenda Tre-
„ censis Ecclesiæ vertitur inter Venerabilem fratrem nostrum Trecensem Episco-
„ pum & dilectum filium Cellerarium Senonensem, non duximus eidem Episco-
„ po aliud rescribendum, nisi quod idem Episcopus diligenter aduertat, quâ ta-

tione ſuſtinere poſſemus, vt ipſe aliquod Beneficium Eccleſiaſticum cuiquam de cætero perſooæ concedat plura Beneficia obrinenri, ſi propterea nolit ad mandatum noſtrum præfato Cellerario io Eccleſia ſua cooferre Præbendam, quia pluta dinoſcitur Beneficia obrinere. Licet enim circa eandem perſonam beneficiorum ſit ſemper ſuperflnitas improbanda, nonnumquam tamen eſt toleranda pluralitas ſtatu perſonæ prouidâ conſideratione penſato. Quare idem prudenter attendet, vtcum mandatum noſtrum præfato Cellerario ex mandato noſtro liberalitatem exhibeat cooferendo præbendam quam ex ſuo iudicio neceſſitatem ineurrat vt vlrra non poſſit alicui plura beneficia obrinenti Eccleſiaſtieum beneficium elargiri, niſi fuerit ſufficienter oſtenſum, quod ipſa ſuperflua beneficia ſecundum ſuum ſtatum poſſideat. Quod ex eo forſan oon poterit oſtendi de facili, quoniam etſi plures præbendas obtineat, ipſe tamen pene oullam habere propooitur, cuius prouentus liberè poſſirpercipere, niſi reſidentiam in ea faciat perſonalem. Et ex hoc fortaſſis pendet iudicium, vtrum & pro Treceoſi Præbenda condignè recompenſatus extiterit in præbenda Remenſi. Quidquid ergo ſuper his duxerit faciendum, nobis infra 3. menſes poſt ſuſceptionem litterarum noſtrarum abſque dilatione reſcribat. Idcoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus dictum Epiſcopum ad hoc moueatis & efficaciter inducatis. Quod ſi non omnes, duo veſtrum &c. Datum Laterani 15. Kal. Martis, Pontif. n. an. 14.

Idem Pontifex paulo ante, eodem ſcilicet anno, meoſe Ian. Vniuerſitati Pariſienſi conceſſerat, vt Scholares qui ob rixas ſœpe incidebant in Cenſuras Eccleſiaſticas, abſolui poſſent ab Abbate Sao-Victorino à vinculis excommunicationis ob percuſſionem Clericorum: quod Priuilegium cum Abbas extendiſſet etiam ad eos qui alibi quàm Pariſiis Clericos percuſſiſſenr, ab Innocentio per litteras reprehenſus eſt. Hac de re ſic habet Continuator Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Baronij. *Cum ſtudiorum cauſâ rixa creberrima excitari conſueuiſſent, Innocentius Pariſienſibus Academicis expetentibus, Abbati S. Victoris eos abſoluendi qui ob percuſſos Clericos in pœnas à Canonicis legibus poſitas incidiſſent, modò iniuria immanis non eſſet, fecerat poteſtatem. Cumque ille de quorundam ſententia aſſerentium Beneficia Principum latiſſimè interpretanda, Pariſienſibus Diſcipulis qui violentas manus alibi etiam in Clericos inieciſſent, abſolutionis gratiam impertitus eſſet, de hoc Pontifex ipſum arguit, idque ne in poſterum facere audeat, prohibet lib. 14. ep. 149. eoſque quos ipſe abſoluiſſet, nullo modo abſolutos pronunciauit, ſi alibi quàm Pariſiis eo ſe crimine contaminaſſent.*

Bulla autem Innocentij ad S. Victoris Abbatem talis eſt. *Sicut ex litteris tuis nuper accepimus*, *cum* olim ex parte dilectorum *Filiorum Scholarium Pariſienſium* Nobis fuerit humiliter ſupplicatum, vt cum interdum eorum aliqui ex mutua iniectione manuum in Canonem incidant ſenrentiâ promulgatâ, pro qua ſine graui diſpendio & præſertim ſinè Scholaſtici ſtudij detrimento non poſſent ad Apoſtolicam ſedem accedere; ſuper hoc dignaremur eidem miſericorditer prouidere. Nos tibi dedimus in mandatis, vt eum eſſes à talibus requiſitus, Authoritate noſtra ſuffultus iuxta formam Eccleſiæ abſolutionis eis munus impenderes, & iniungeres ipſis quod huiuſmodi conſueuit iniungi; niſi forſan tam grauis eſſet & eoormis exceſſus, quod meritò proprer eum deberent ad ſedem Apoſtolicam laborare. Tu verò quorumdam conſilio aſſerentium Beneficia Principum latiſſimè fore interpretanda, *Scholaribus Pariſienſibus* qui inciderant in huiuſmodi Canonem, quocumque loco inijciendo temerè manus in Clericos violentas, iuxta formam præſcriptam abſolutionis beneficium impendiſti. Nos igitur his auditis de tua non potuimus prudentia non mirari, quod ſic ad intelligendum litteras noſtras tuum animum inclinaſti: cum in eiſdem litteris non dicatur *inciderint*, ſed *incidant* in Canonem ſententia promulgata: vt de illis ſolis intelligatur Scholaribus qui Pariſius exiſtentes huiuſmodi committunt exceſſum. Quocirca præſentium tibi Authoritate mandamus, quatenus Scholares illos abſoluere de cætero non præſumas, qui alibi quàm Pariſius taliter deliquerunt, ſciens quod illi pro abſolutis haberi non debent, quos alibi delinquentes quàm Pariſius abſoluiſti, cum de talibus nullam acceperis poteſtatem. Datum Lateraoi 10. Kal. ſub, Pootif noſtri an. 14.

PRIVILEGIVM DE PERCVSSIONE CLERICORVM.

Eodem anno circumvallatio seu circumseptio Vniuersitatis quam fieri mandauerat Philippus an. 1190. omnino absoluta fuit. Quod non parum vtile commodumque fuit Professoribus & Scholasticis. Nam licet ante ducentos ab hinc annos, in ea loca secessissent Professores, vt exemplo Huboldi Lingonensis patet, qui in Monte multas erexit Scholas, non erant tamen ibi distinctæ diuisæque viæ & vici, nec ædes ad habitandum ordine constructæ, sed passim hîc illicque sine vlla certa lege, ita vt nec posset ibi scholarium numerus, qui prope erat innumerabilis, contineri. Hæc de te sic Rigordus. *Anno eodem Philippus Rex magnanimus totum in circuitu circumsepsit à parte Australi vsque ad Sequanam fluuium ex vtraque parte maximam terræ amplitudinem infra murorum ambitum concludens, & possessores agrorum & vinearum compellens vt terras illas & vineas ad ædificandum in eis nouas Domos habitatoribus locarent, vel ipsimet nouas ibidem Domos, vt tota Ciuitas vsque ad muros plena Domibus videretur.*

Eodem anno Petrus Episcopus Parisiensis emit à Decano S. Thomæ de Lupara quasdam terras; vt habetur in Chartulatio.

" Gualterus Decanus totumque Capitulum S. Thomæ *de Louur.* Parisius omnibus
" præsentes litteras inspecturis Sal. in Domino. Vniuersitati vestræ notum facimus
" quod cum Petrus Chaidepore nobis vendidisset quinque Catterios terræ, & D.
" Bellouacensis Episcopus nobis dedisset vnum arpentum terræ extra muros no-
" stros, Venerabilis Pater P..... Parisiensis Episcopus, in cuius censiua tota terra
" prædicta esse noscebatur, illam terram non sustinuit nos tenere. Vnde pari
" voluntate & communi consensu totam terram præfatam D. Parisiensi Episcopo
" pro 30. libris Parisiensis monetæ vendidimus & concessimus in perpetuum obti-
" nendam. In cuius rei memoriam & testimonium has litteras fieri fecimus & si-
" gilli nostri munimine roborari. Actum anno Dom. 1211. mense Febr.

Anno 1212. Ioannes Anglorum Rex frustra toties monitus & commonitionibus
1212. Pontificiis agitatus, tandem de Regni possessione per Innocentium Papam deiicitur, qui de Consilio Cardinalium, Episcoporum & aliorum prudentum virorum Digniori Regnum Anglicanum occupandum adiudicauit, mandauitq; proinde Philippo Francorum Regi, vt in remissionem omnium peccatorum suorum ad expeditionem istam se accingeret, *atque Rege Anglorum à solio Regni expulso ipse & successores sui Regnum Angliæ iure perpetuo possiderent. Scripsit & aliis Bellatoribus per diuersas nationes sparsis, vt ad Regis Anglorum deiectionem se cruce signent, Regemque Francorum in hac expeditione Ducem sequentes vindicare iniuriam Vniuersalis Ecclesiæ laborent.* Statuit præterea, *vt quicunque ad expugnandum Regem illum contumacem opes impenderint vel auxilium, sicut illi qui Sepulchrum Domini visitant, tam in rebus quàm in personis animarum suffragiis in pace Ecclesiæ securi permaneant.*

Harumce litterarum Latorem ad Philippum misit cum prædictis Episcopis Pandulphum; sed eundem ad Ioannem Angliæ Regem cum secretis mandatis legauit, vt pacis conditiones offerret, si se sanioris mentis esse præberet. Reuersi igitur in Galliam Legati sententiam promulgant contra Ioannem, Regnum eius Philippo si occupare possit, attribuunt; quo facto fit in Gallia ingens belli apparatus, qui tandem irritus fuit, & inanis, vt infra dicetur.

Hoc anno habita sunt Parisiis iussu Regis generalia Comitia omnium Ordinum, in quibus actum est præsertim de expeditione contra hæreticos Albigenses: cui expeditioni Ducem se præbuit Ludouicus Philippi filius. Comites verò se illi dederunt plurimi Proceres vtriusque Ordinis; Ecclesiastici quidem Manasses Aurelianensis & Willielmus Antissiodorensis Episcopi fratres germani, viri per omnia laudabiles, præcipuaque Ecclesiæ Gallicanæ lumina; qui ambo in Acad. Par. studuerant in Artibus & Decretis: Willielmus Archidiaconus Parisiensis, qui à Bituricensibus postulatus in Episcopum & Pastorem, nulla ratione adduci potuit, vt eorum electioni assensum præberet. Iacobus de Vitriaco, qui cum Vuillielmo Crucem felici admodum successu contra Albigenses prædicarat. De quibus sic legitur in Historia Albigensium c. 58. *Tempore illo Guillelmus Venerabilis Archidiaconus Paris. & quidam alius Magister Iacobus de Vitriaco de mandato & ad preces Episcopi Vticensis, quem D. Papa pro negotio fidei contra Hæreticos legatum præfecerat, qui etiam ipsum negotium diligebat & efficaciter promouebat, prædicationis officium assumpserunt, qui zelo fidei succensi Franciam imò Alemaniam circum*

eum euntes, tota hyeme illâ incredibilem fidelium multitudinem ad Christi militiam ſigno crucis in pectoribus ſignauerunt: iſti ſiquidem duo præcipuè poſt Deum fidei negotium in partibus Gallicanis & Teutonicis promouerunt. Præclaras Gulielmi laudes, & indefeſſum animum legere eſt c. 41.

Adhunc quoque annum notat Meyerus *Doctrinale* Alexandri de Villa-Dei prodiiſſe in lucem, volumen metro leonino ſcriptum de Grammatica: quo vſi ſunt Profeſſores in Scholis vſque ad an. 1514. quo Patres in ſynodo Mechlinienſi Ioannem Deſpauterium vtpote faciliorem prælegi explicarique pueris voluerunt. Verum aberrat Meyerus cum ait hoc anno Doctrinale illud editum: cum enim certum ſit Alexandrum de Villa-Dei fuiſſe Minoritam, nondum autem tum nati eſſent in Francia Minoritæ, credibile non eſt iſtud opus tam cito in lucem prodiſſe. Adde quòd ex Trithemio & alijs ſcriptoribus Alexander prædictus claruiſſe dicitur ſub Friderico II. circa an. 1240.

Eodem anno obiit Robertus Antiſſiodorenſis Chronici ſcriptor vſque ad an. 1210. de eo autem hæc habet Hugo S. Mariani Monachus ad hunc an. *Hic egregiè litteratus*, ſed eloquens erat impenſè & in hiſtoriarum notitia nulli ſui temporis ſecundus. Sacram verò ſcripturam mirum in modum in promptu habebat, paratus ſemper omni poſcenti reddere rationem, ita quod mirabantur omnes de his quæ procedebant ex ore eius. Gratioſus & amabilis intuentium oculis apparebat, in ipſo exteriori vultu præferens interioris hominis puritatem. Metiebatur ex ſua ſimplicitate alios, & totius ſuſpicionis expers. contra peſſimum illud vitium ſæpius opponebat quod Seneca dicit, Amicum fidelem, ſi credideris, facies. Nam quidam docuerunt fallere, dum tandem falli, & illi ius peccandi ſuſpicando fecerunt. Zelo iuſtitiæ feruens, peccari genus quodlibet perfecto odio abhorrebat ſapientis conſilio acquieſcens dicentis, Nimis odito execrationem, id. peccatum quod eſt opus execrabile. Veruntamen Peccatorem conuerſum quantumuis enormiter deliquiſſet, miro diligebat affectu, & affatu mitiſſimo refouebat, ſciens nimirum quod vera Iuſtitia compaſſionem habet, falſa verò dedignationem. Erat enim valde compatiens, & ſuper pœnitentes ſeu quolibet caſu afflictos pia geſtans viſcera Satagebat per omnia ſeruare Vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, & diſcordiæ incentores perſequi non ceſſabât, non ignorans quod iuxta Salomonis ſententiam illum Dei anima deteſtatur, qui ſeminat inter fratres diſcordias. Erat prætereà verax & conſtans in verbis, ſtrenuus in diuinis officiis, parcus & temperans in ſumendis neceſſariis, in conſilio circunſpectus, diſcretus in pœnitentiis iniungendis. Denique cum tot bonis moribus eniteret, admirandus tamen & imitandus extitit, maximè in duobus, videlicet in humilitate mentis & corporis caſtitate: nam ſupra modum præ nimiâ humilitate corporis ſui negligens extitit & contemptor, & Diuinâ ſe protegente gratiâ, virgo creditur obijſſe.

Mors Roberti Antiſsiodorenſis et Laudes.

Eodem quoque anno fertur obiiſſe Helinandus Frigidi-Montenſis Monachus quem ſub Ludouico VII. & Philippo Auguſto floruiſſe conſtat. Nationis Picardicæ fuit, & natus in villa de Pruneroy agri Beluacenſis. In Diuinis humaniſque litteris excelluit, ſed maximè in arte verſificatoria tam Latinâ quàm Gallicanâ. Eius hoc eſſe creditur diſtichon.

Helinandi Obitus.

Pauper, egenus, inops, pallens, exanguis, inanis
Ære, cibo, requie, frigore, peſte, fame.

Eiuſdem ſunt hi verſus rythmici.

Mors qui ma mis muer en muë
Enſel eſtuue ou li corps ſuë.
Ce qu'il fit au ſiegle d'outraige.

Et paulo poſt.

Porce ai changiè mon vſaige
Et ai laiſſié & ieu & raige,
Mal ſe monille qui ne s'eſſuë.

Plurimis Principibus gratissimus & charissimus fuit, sed maximè Philippo Druidensi Episcopo Beluacensi, & Henrico fratri; item Episcopo Nouiodunensi, Reginaldo Comiti Boloniensi, Gaufrido Episcopo Siluanectensi, cui quaterniones Historiæ suæ Vniuersalis transmisit relegendos. Insigne poëma de Morte rythmis Gallicis composuit, in cuius 131. duo-decade sic mortem alloquitur.

Mors va à Beauuais tout courant
A l'Euesque qui m'aime tant,
Et qui tousiours m'a tenu cher.
Dy luy qu'il a ses contremant
Vn iour à toy & ne scait quant.
Or puet du tout s'épelucher,
Sa vie & sa nef espuiser,
Et de bonnes mœurs alleger,
Et desormais se voie encrant
Desque toit a son huis bucher,
Pour sa chaiere tresbucher,
Et pour escorre son deuant.

Vide quæ de eo diximus in Catalogo Virorum Illustrium 4. seculi.

1213. Anno 1213. Pandulphus, quem à Papa ad Ioannem secreta habuisse mandata diximus, apud Doueram illum conuenit, repræsentatque mala quæ sibi & Regno procurarat; adesse Regem Francorum cum ingentibus copiis, Exules Prælatos & Barones reducere, & adiudicatum sibi à Papa Regnum Anglicanum armis breui occupaturum; vnam denique esse salutis viam, si Ecclesiæ pareat, & Papam sibi conciliare conetur. Porro id forsitan obtenturum, si primum M. Stephanum recipiat, illique & aliis Prælatis ablata bona restituat: deinde se Regnumque suum Romano Pontifici subiiciat. Vtramque conditionem non sine dolore amplectitur Ioannes quadruplici de causa 1. quia iam quinquennium excommunicatus manserat, animæque metuebat. 2. quia Philippi Francorum Regis aduentum, præsertim tam aduerso tempore reformidabat. 3. verebatur quoque ne si confligendum esset, à Magnatibus suis deseretetur. 4. quia quidam Heremita Eboracensis, *Petrus* nomine prædixerat fore, vt die Dominica Ascensionis quæ instabat, Regnum amitteret. Igitur die 13. Maii, videlicet die Lunæ ante Ascensionem in hanc pacis formulam quoad ablata Ecclesiastica bona consensit.

PAX INTER REGEM ANGLORVM ET M. STEPHANVM DE LANGETONA.

Ioannes Dei Gratia Rex Angliæ Omnibus præsentes litteras inspecturis salutem. Per has patentes litteras sigillo nostro munitas volumus esse notum, quod nobis præsentibus hi 4. Barones nostri willelmus scilicet Comes Sarisberiæ frater noster & Reginaldus Comes Bononiæ, willelmus scilicet Comes de Varenne & willelmus Comes de Ferrariis iurauerunt in animam nostram, quod Nos subscriptam pacis formam bonâ fide per omnia curabimus obseruare. Imprimis itaque solemniter & absolutè iurauimus stare mandatis D. Papæ coram eius Legato aut Nuncio super omnibus pro quibus excommunicati sumus ab ipso, & veram pacem & plenam securitatem præstabimus venerabilibus viris Stephano Cantuariensi Archiepiscopo, Willielmo Londinensi, Eustachio Eleensi, Ægidio Herefordensi, Iocelino Bathoniensi & Huberto Lincolniensi Episcopis. Priori quoque & Monachis Cantuariensibus & Roberto filio walteri & Eustachio de Vescy nec non & cæteris Clericis & Laicis ad hoc negotiū contingentibus, præstando simul coram eodem Legato vel delegato publicè iuramentum, quod ipsos cum suis nec lædemus, nec lædi faciemus, vel permittemus in personis vel rebus: illisque dimittemus omnem indignationem, & in gratiam nostram eosdem recipiamus ac tenebimus bona fide: quodque præfatos Archiepiscopum & Episcopos non impediemus nec faciemus, nec permittemus aliquatenus impediti, quominus ipsi liberè suum exequantur officium, & plenâ iurisdictionis suæ authoritate, prout debent, vtantur. Et super his tam D. Papæ quàm ipsi Archiepiscopo & singulis Episcopis nostras patentes litteras exhibebimus, facien-

tes ab Episcopis & Comitibus & Baronibus nostris quot & quos præfati Archiepiscopus & Episcopi postulant iuramenta, & eorum patentes litteras exhiberi, " quod ipsi bona fide studebunt, vt hæc pax & securitas firmiter obseruetur. Etsi " forte quod Deus auertat, per nos ipsos vel alios contrauenerimus, ipsi pro Ecclesia contra violatores securitatis & pacis mandatis Apostolicis inhærebunt nosque perpetuò vacantium Ecclesiarum custodias amittemus. Quod si forte nequiuerimus ad hanc vltimam partem iuramenti eos inducere, videlicet quod si " per Nosmetipsos vel alios contra venerimus, ipsi pro Eccclesia contra violatores pacis & securitatis, mandatis Apostolicis inhærebunt, Nos propter hoc D. " Papæ ac Ecclesiæ Rom. per nostras patentes litteras obligauimus omne ius patronatus quod habemus in Ecclesiis Anglicanis. Et sic omnes litteras quæ pro " securitate prædictorum sunt exhibendæ, præfatis Atchiepiscopo & Episcopis ante suum ingressum in Angliam trasmittemus. Si vero nobis placebit sæpe fatus " Atchiepiscopus & Episcopi præstabunt saluo honore Dei & Ecclesiæ iuratoriam " cautionem & litteratoriam, quod ipsi nec per se nec per alium contra personam " nostram vel Coronam nostram aliquid attentabunt, nobis prædictam eis pacem " & securitatem seruantibus illibatam. De ablatis autem plenam restitutionem " & de damnis recompensationem sufficientem omnibus impendemus tam Clericis quàm Laicis ad hoc negotium pertinentibus, non solum rerum, sed etiam " omnium libertatum, & restitutas conseruabimus libertates. Archiepiscopo quidem & Episcopo Lincolniensi à tempore suæ consecrationis, aliis autem à tempore " discordiæ inchoatæ. Nec obstabit aliqua pactio vel promissio seu concessio, quominus & damna recōpensentur & restituantur ablata tam virorum quam & defunctorum. Nec aliquid retinebimus prætextu seruitii, quod nobis debuerat impendi, sed postea nobis debita pro seruitio recompensatio tribuetur, statimque " omnes quos detinemus Clericos, faciemus absolutos dimitti ac restitui propriæ " libertati cum Laicis qui huius occasione negotii detinentur. Incontinenti quoque post aduentum illius qui nos debet absoluere, faciemus de parte restitutionis " ablatorum octo millia librarum legalium Esterlingorum pro soluendis debitis & " faciendis expensis Nunciis prædictorum Archiepiscopi & Episcoporum, & Monachorum Cantuatiensium assignari sine impedimento quolibet per potestatem nostram ad eos liberè deferēdorum, vt expediti veniant in Angliam honorificè reuocati: videlicet Stephano Cantuariensi Archiepiscopo duo millia & 500. libras; " Willielmo Londinensi 750. libras: Eustachio Eliensi 750. lib. Ioscelino Bathoniensi 750. lib. Huberto Lincolniensi 750. lib. Priori & Monachis Cantuariensibus " mille libras. Et protinus postquam pacem illam duxerimus acceptandam, assignari faciemus absque mora Archiepiscopo & Episcopis, Clericis in Ecclesiis " vniuersis in manibus Nunciorum vel Procuratorum ipsorum mobilia omnia cum " administratione libera eorundem & in pace dimitti. Interdictum verò *Lagatio* " vulgariter nuncupatum quod proponi fecimus contra Ecclesiasticas personas, nullatenus faciemus proponi, reuocantes præterea vt Lagationem Laicorum ad hoc " negotium pertinentium & remittentes omnia quæ post interdictum recepimus " ab hominibus Ecclesiasticis præter Regni consuetudinem, Ecclesiæ libertatem. " Si verò super damnis vel ablatis aut eorum quantitate vel æstimatione quæstio " fuerit de facto suborta, per Legatum vel Delegatum D. Papæ receptis probationibus terminetur. Et his omnibus rite peractis relaxabitur sententia interdicti. Super cæteris autem Capitulis si quæ fuerint dubitationes subortæ, de quibus merito debeat dubitari, nisi per Legatum vel Delegatum D. Papæ de partium fuerint voluntate sopitæ, ad ipsius referantur arbitrium, vt super his quæ ipse decreuerit, obseruentur. Teste meipso apud Doueram 13. die Maii, anno Regni nostri 14. "

Talis tunc erat miserrimi Regis status. Sed altera pacis conditio longè durior fuit nimirum biduo post ex condictu Coronam suam & duo Regna Anglicanum, & Hibernicum D. Papæ resignauit, seque eius Clientem constituit, & in huiusce subiectionis testimonium & argumentum spopondit quotannis certam pecuniæ summam Ecclesiæ Romanæ persoluendam. In hanc rem extat ipsius diploma.

Ioannes D. G. Rex Angliæ omnibus Christi fidelibus hanc Chartam inspe-

„ ćturis salutem in Domino. Vniuersitati vestræ per hanc Chartam sigillo nostro „ munitam volumus esse notum, quod cum Deum & Matrem nostram S. Eccle„ siam offenderimus in multis, & proinde Diuina misericordia plurimum indi„ geamus, nec quid digne offerre possimus pro satisfactione Deo & Ecclesiæ debi„ tâ faciendâ nisi nosmetipsos humiliemus & Regna nostra, Volentes Nos-ipsos „ humiliare pro illo qui se pro nobis humiliauit vsque ad mortem, gratia S. Spiri„ tus inspirante non vi Interdicti nec timore coacti, sed nostra bona spontanea„ que voluntate ac communi consilio Baronum nostrorum conferimus & liberè „ concedimus Deo & sanctis Apostolis eius Petro & Paulo & S. Rom. Ecclesiæ „ Matronæ nostræ ac D. Papæ Innocentio eiusque Catholicis successoribus to„ tum Regnum Angliæ & totum Regnum Hiberniæ cum omni iure & pertinen„ tiis suis pro remissione omnium peccatorum nostrorum & totius generis nostri „ tam pro viuis quàm pro defunctis. Et amodo illa ab eo & Ecclesiâ Rom. tan„ quam Secundarius recipientes & tenentes, in præsentiâ prudentis viri Pandul„ phi Subdiaconi & familiaris, Exinde prædicto D. Papæ Innocentio eiusque „ Catholicis successoribus & Ecclesiæ Rom. secundum subscriptam formam fe„ cimus & iurauimus homagium ligium: & si coram D. Papa esse poterimus, ei„ dem faciemus. Successores nostros & hæredes de vxore nostra in perpetuum o„ bligantes vt simili modo summo Pontifici qui pro tempore fuerit & Ecclesiæ „ Rom. sine contradictione debeant fidelitatem præstare & homagium recognos„ cere. Ad indicium autem huius nostræ perpetuæ obligationis & concessionis „ volumus & stabilimus, vt de propriis & specialibus Redditibus nostris prædicto„ rum Regnorum pro omni seruitio & consuetudine quæ pro ipsis facere debemus „ saluis per omnia Denariis B. Petri, Ecclesia Rom. mille marcas Esterlingorum „ percipiat annuatim: in festo scilicet S. Michaelis 500. marcas, & in Pascha 500. „ septingentas scilicet pro Regno Angliæ, & trecentas pro Regno Hiberniæ: saluis „ nobis & hæredibus nostris, Iustitiis, libertatibus & Regalibus nostris. Quæ „ omnia sicut supra scripta sunt, rata esse volentes atque firma, obligamus & Nos „ & successores nostros contra non venire: & si Nos vel aliquis successorum no„ strorum contra hæc attentare præsumpserit, quicunque ille fuerit nisi rite com„ monitus resipuerit, cadat à iure Regni. Et hæc charta obligationis & concessio„ nis nostræ semper firma permaneat. Teste me ipso apud Domum Militum Tem„ pli iuxta Doueram coram H. Dublinensi Archiepiscopo, Ioanne Norwicensi „ Episcopo, Galfrido filio Petri &c. 15. die Maij M. A. R. n. 14.

Diximus in 1. Volumine de Denario S. Petri quem ex institutione Offæ Anglia quotannis B. Petro pensitabat. Voluit autem Pontifex illum exactè & rigorosè persolui datâ hac Bullâ ad N. Tusculanum Episcopum Apost. Sedis Legatum & P. Subdiaconum & familiarem suum.

Cum sicut vestra discretio plenè nouit, singulæ Domus totius Angliæ singulos denarios pro censu B. Petri annuatim nobis soluere teneantur, Prælati Angliæ qui eum nostro nomine collegerunt, rem inuito Domino contrectantes, maiorem sibi exinde partem non sunt veriti retinere, cum non nisi 300. marcas nobis persoluerint & sibi mille vel amplius vsurparint. Vt igitur ius Ecclesiæ Rom. seruetur illæsum, discretioni vestræ præsentium authoritate districtè præcipiendo mandamus, quatenus priùs recipientes ab eis denarium ipsum prout hactenus exsoluerunt, & eos ad id si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compellentes, firmiter postmodum ex parte nostra iniungatis eisdem vt residuum cum integritate persoluant. Non enim videmus quo iure valeant se tueri, cum nec concessionem possint ostendere à sede Apostolica sibi factam, nec centenariam contra Rom. Ecclesiam præscriptionem probare, maximè si tempora schismatum subducantur. Si tamen de iure voluerint experiri, præfigatis eis terminum competentem, quo per Responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent, quidquid iuris super iis habuerint, ostensuri, protestatione præmissâ, quod si iudicio duxerint contendendum, nos quidquid hactenus est substractum, in ipso iudicio repetemus. Datum Laterani 5. Kal. Feb. Pont. nost. an. 16.

Charta autem professionis Clientelaris quàm Pandulpho dedit Papæ deferendam, est eiusmodi. *Ego Ioannes Dei G. Rex Angliæ & Dominus Hiberniæ ab hac*

hora in antea fidelis ero Deo & B. Petro & Ecclesia Rom. & Domino meo Papa D. Innocentio eiusque successoribus Catholicè intrantibus. Non ero in facto, in dicto, consensu vel consilio vt vitam perdant vel membra vel mala captione capiantur. Eorum damnum si sciuero, impediam & remanere faciam si potero: alioquin eis quàm citius potero, intimabo, vel tali personæ dicam quam eis credam pro certo dicturam. Consilium quod mihi crediderit per se vel per Nuncios suos seu litteras suas, secretum tenebo, & ad eorum damnum nulli pandam me sciente patrimonium B. Petri & specialiter Regnum Angliæ & Regnum Hiberniæ adiutor ero ad tenendum & defendendum contra omnes homines pro posse meo. Sic me adiuuet Deus, & hæc sancta Euangelia, Amen. Innocentius autem Papa Regem in clientelam suam admitrit Regnumque in feudum accipit his litteris, quæ leguntur in tomo 5. Spicilegij Dacheriani.

Anglia Papae subiicitur.

Rex Regum, & Dominus dominantium Iesus Christus Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, ita Regnum & Sacerdotium in Ecclesia stabiliuit, vt sacerdotale sit Regnum & Sacerdotium sit regale, sicut in Epistola Petrus, & Moyses in lege testabantur; vnum præficiens vniuersis, quem suum in terris Vicarium ordinauit, vt sicut ei flectitur omne genu cælestium, terrestrium, & etiam infernorum, ita illi omnes obediant & intendant, vt sit vnum ouile & vnus Pastor. Hunc itaque Reges sæculi propter Deum adeò venerantur, vt non reputent se ritè regnare, nisi studeant ei deuotè seruire. Quod tu, Fili carissime, prudenter attendens, illo misericorditer inspirante, in cujus manu sunt corda Regum, & quò voluerit vertit illa, teipsum, & regna tua etiam temporaliter ei subiicere decreuisti, cui noueras spiritualiter esse subjecta; vt in vnam Vicarij Christi personam, quasi corpus & anima, Regnum & Sacerdotium vniantur ad magnum vtriusque commodum & augmentum. Ille vtique hoc dignatus est operari, qui cùm sit alpha & omega finem retulit ad principium, & principium protraxit ad finem, vt illæ Prouinciæ quæ olim sacrosanctam Ecclesiam Romanam propriam in spiritualibus habuere magistram, nunc etiam in temporalibus dominam habeant specialem. Tu quippe, quem Deus ad hoc idoneum ministrum elegit, tam Te, quàm etiam Regna tua, Angliæ videlicet & Hiberniæ, cum omni jure, ac pertinentiis suis deuota & spontanea voluntate, ac communi consilio Baronum tuorum, Deo & sanctis Apostolis eius Petro & Paulo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, nobisque ac successoribus nostris, in ius & proprietatem sub annuo mille marcharum censu offerens concessisti, sicut in tuo continetur authentico scripto, aureâ bullâ munito, cujus de verbo ad verbum talis tenor existit:

Iohannes Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, Comes Andegauiæ, omnibus Christi Fidelibus præsentem chartam inspecturis, Salutem in Domino. Vniuersitati vestræ per hanc chartam aureâ bullâ munitam volumus esse notum, quia cùm Deum & matrem nostram sanctam Ecclesiam offenderimus in multis, proinde diuinâ misericordiâ plurimùm indigere noscamur, nec quid quod dignè offerre possimus pro satisfactione Deo & Ecclesiæ debita facienda, nisi nos ipsos habemus, & regna nostra. Volentes nos ipsos humiliare pro illo, qui se pro nobis humiliauit vsque ad mortem, gratia sancti Spiritus inspirante, non vi inducti, nec timore coacti, sed nostra bona sponraneàque voluntate, ac communi consilio Baronum nostrorum offerimus, & liberè concedimus Deo & sanctis Apostolis ejus Petro & Paulo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ, ac Domino nostro Papæ Innocentio III. ejusque Catholicis successoribus totum Regnum Angliæ, & totum Regnum Hiberniæ, cum omni jure & pertinentiis suis, pro remissione peccatorum nostrorum, & totius generis nostri tam pro viuis, quàm pro defunctis. Et amodò illa à Deo & Ecclesia Romana tanquam feudarius recipientes & tenentes, in præsentia venerabilis Patris nostri Domini Nicolai Tusculani Episcopi Apostolicæ Sedis Legati, Pandulphi Domini Papæ Subdiaconi & familiaris, fidelitatem exinde prædicto Domino nostro Papæ Innocentio, eiúsque Catholicis successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, secundum subscriptam formam fecimus & jurauimus, & homagium etiam ligium, pro prædictis Regnis Deo, & SS. Apostolis Petro & Paulo, & Romanæ Ecclesiæ, & eidem Domino nostro Papæ Innocentio, per manus prædicti Legati, loco & vice

„ ipſius Domini Papæ recipientis, publicè fecimus; ſucceſſores & heredes noſtros „ de vxore noſtra in perpetuum obligantes, vt ſimili modo Summo Pontifici, „ qui pro tempore fuerit, & Eccleſiæ Romanæ ſine contradictione debeant fideli- „ tatem præſtare, & homagium recognoſcere.

„ Ad indicium autem huius noſtræ perpetuæ oblationis & conceſſionis volumus „ & ſtabilimus, vt de propriis & ſpecialibus reditibus prædictorum Regnorum „ noſtrorum pro omni ſeruitio & conſuetudine, quod pro ipſis facere deberemus, „ ſaluo per omnia denario B. Petri Eccleſia Romana mille marchas ſterlingorum „ percipiat annuatim; ſcilicet in feſto S. Michaelis quingentas marchas, & in „ Paſcha quingentas marchas; ſeptingentas ſcilicet pro Regno Angliæ, & tre- „ centas pro Regno Hiberniæ, ſaluis nobis & heredibus noſtris iuſtitiis, liberta- „ tibus, & regalibus noſtris. Quæ omnia ſicut ſupradicta ſunt, rata eſſe volentes „ perpetuò atque firma, obligamus nos & ſucceſſores noſtros contra non venire. „ Et ſi nos, vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum hoc attentare præſumpſerit, qui- „ cunque fuerit ille, niſi rite commonitus reſipuerit, cadet à iure Regni, hæc char- „ ta oblationis & conceſſionis noſtræ ſemper firma permaneat.

„ Ego IOHANNES Dei gratiâ Rex Angliæ & Dominus Hiberniæ ab hac hora in „ antea fidelis ero Deo & B. Petro, & Eccleſiæ Romanæ, ac Domino meo Papæ „ INNOCENTIO III. eiúſque ſucceſſoribus Catholicè intrantibus; non ero in facto, „ dicto, conſenſu, vel conſilio, vt vitam perdant, vel membra, vel mala captione „ capiantur. Eorum damnum ſi ſciuero impediam, & remanere faciam ſi potero. „ Alioquin eis quàm citiùs potero intimabo, vel tali perſonæ dicam, quam eis „ credam pro certo dicturam. Conſilium quod mihi crediderit per ſe, vel per nun- „ tios ſeu literas ſuas ſecretum tenebo, & ad eorum damnum nulli pandam me „ ſciente. Patrimonium B. Petri, & ſpecialiter Regnum Angliæ, & Regnum Hi- „ berniæ adiutor ero ad tenendum, & defendendum contra omnes homines pro „ poſſe meo. Sic Deus me adiuuet & hæc ſancta Euangelia.

„ De quibus ne poſſit in poſterum dubitari, ad maiorem ſecuritatem prædictæ „ oblationis & conceſſionis noſtræ præſentem chartam fieri fecimus, & aureâ „ bullâ noſtrâ ſignari, ac pro cenſu huius præſentis & primi anni mille marchas „ ſterlingorum per manum prædicti Legati Eccleſiæ Romanæ perſoluimus. Teſti- „ bus Domino STEPHANO Cantuarienſi Archiepiſcopo, DD. WILIELMO Londo- „ nienſi, PETRO Vintonienſi, HERVEO Elienſi, HUGONE Lincolnienſi, w. de „ Gran. Cancellario noſtro, w. Comite Sarr. fratre noſtro Comite Ceſtrenſi. w. „ Mareſcallo Comite Pembroc. w. Comite de Ferrariis, S. Comite de winton. „ Roberto de Ros, w. Brillier, Petro filio Hereberti, Mathæo filio Heremoer- „ ti, & Brien... de Inſula Dapifero noſtro.

„ Datum per manum Magiſtri Ric... de Manſto Archid. Ricemundiæ, & Nor- „ thumbel. apud S. Paulum Londoniæ 3. die Octobris, anno ab Incarnatione „ Domini 1213. Regni verò noſtri 15.

„ Nos autem oblationem & conceſſionem hujuſmodi piè ac prouidè factas, „ gratas & ratas habentes, perſonam tuam & perſonas heredum tuorum cum „ prædictis Regnis & pertinentiis eorundem, & omnibus bonis aliis rationabiliter „ nunc poſſeſſis, & in poſterum poſſidendis, ſub B. Petri & noſtra protectione „ ſuſcipimus, Tibi & ipſis ſecundùm præſcriptam formam de communi conſilio „ Fratrum noſtrorum ſupradicta Regna concedentes in feudum, & præſenti Pri- „ uilegio confirmantes, ita quòd quilibet heredum tuorum Regni coronam ac- „ ceperit, feudum huiuſmodi ſummo Pontifici & Romanæ Eccleſiæ publicè reco- „ gnoſcat, & fidelitatis eis exhibeat iuramentum. Nulli ergo, &c.

„ Ego INNOCENTIVS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
„ Ego IOANNES Sabinenſis Epiſcopus.
„ Ego HVGO Velletrenſis & Hoſtienſis Epiſcopus.
„ Ego BEN... Portuenſis & S. Rufinæ Epiſcopus.
„ Ego CINTHIVS tituli S. Laurentij in Lucia Preſbyter Cardinalis.
„ Ego CINTHIVS SS. Ioannis & Pauli Preſbyter Cardin. tituli Pammachij.
„ Ego PETRVS tituli Sancti Marcelli Preſbyter Cardinalis.
„ Ego LEO tituli S. Crucis in Hieruſalem Preſbyter Cardinalis.
„ Ego PET. S. Prudentiæ tituli Paſtoris Preſbyter Cardinalis.

Ego GVALA S. Martini Presbyter Cardinalis tituli Equicij.
Ego IOANNES tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis.
Ego GVIDO S...... in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.
Ego VICTORIANVS SS. Sergij & Bacchi Diaconus Cardinalis.
Ego IOANNES SS. Coſmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.
Datum Romæ apud S. Petrum per manus RAYNALDI Domini Innocentij Acolythi & Cappellani. XI. Calend. Maij Indict. II. Incarnationis Domini anno M. CC. XIV. eiuſdem Domini Innocentij, anno XVII.

Quoniam eò nos deduxit Stephani Cantuarienſis Archiepiſcopi negotium, iuuat reliqua referre quæ hoc anno in Anglia geſta ſunt. Igitur omnibus ita rite peractis Stephanus cum aliis exulibus è Gallia Doueram applicat 17. Kal. Aug. & die B. Margaretæ Regem apud Vvintoniam conuenit. Rex ad pedes Archiepiſcopi ſe prouoluit effuſis obortim lachrymis: nec aſtantes continuerunt ſuas. Tum Archiepiſcopus Regem ad oſtium Eccleſiæ ducit, cumque in capitulo wintonienſi abſoluit, poſtquam ille tactis ſacroſanctis Euangeliis iurauit ſe quæ ad Doueram promiſerat, præſtiturum. Tum in Eccleſiam ducit, & Miſſam celebrat. Quibus peractis. & nominatis etiam, qui in damna Exulibus illata inquirerent, viris Legalibus, ipſe Rex in Pictauiam tranſfretare volens, ab omnibus derelinquitur & præſertim à Magnatibus & Baronibus ſuis, qui 8. Kal. Septemb. apud Londinum conuenientes & incitati à Stephano Archiepiſcopo Cantuar. auditis legibus & Decretis Henrici Regis Angliæ iurauerunt ſe ad mortem vſque pro libertatibus Regni, & pro Eduardi Henricique legibus decertaturos. Timebat enim Archiepiſcopus ne non ſatis conſtans futurus eſſet Rex in iuramento, proindeque ſuas in partes Magnates iam aliunde Regi offenſos pertraxit, vt ſi quid ille moliretur, haberet adiutores. Hoc ſemen fuit futuræ nouæ diſcordiæ.

Interim Galfridus filius Petri totius Angliæ Iuſtitiarius moritur: cuius exitus ruinam Regni Anglicani accelerauit. Ipſius enim conſilus furor & rabies Regis reprimebatur: qui ſe eo conſultore & quaſi Magiſtro exemptum videns ſecretos nuncios ad Miramulinum Barbarum Marochiæ Regem mittit, pollicetur que ſe ſuum ei Regnum traditurum, & iugum Eccleſiæ Rom. excuſſurum, ſi vellet exercitum in Angliam mittere. Non acquieuit pollicitis Miramulinus: itaque aliâ viâ de Baronibus ſuis deq; Stephano vltionem capere meditatur. Scribit Pontifici, quid in conuentu Londinenſi ſe abſente authore Stephano factum fuiſſet, quóque modo ille Barones in ſuum caput incitaſſet: deinde verò non poſſe illi ſatisfieri de bonis ablatis tempore interdicti, & vt hominem compeſceret, Baroneſque excommunicaret, rogat. Pontifex Nicolaum Tuſculanenſem in Angliam mittit, qui in rei veritatem inquireret.

Eodem igitur anno Nicolaus Tuſculanenſis Apoſtolicæ ſedis Legatus in Angliam venit ſedandæ diſcordiæ cauſa. Cum autem eſſet apud Weſtmonaſterium, Ciues Oxonienſes quorum impulſu Rex ſcholares illos de quibus ſupra diximus ſuſpendio addixerat, ad eum veniunt abſolutionem criminis poſtulantes. Quâ de re ſic Mathæus. *Venerunt ad eum Oxoniæ burgenſes, quorum inſtinctu & præſumptione duo Clerici, de quibus ſuperius fecimus mentionem, ſuſpenſi fuerant, abſolutionem poſtulantes. Quibus indictâ pænitentiâ inter cætera præcipit, vt ad ſingulas Ciuitatis Eccleſias depoſitis indumentis pedibuſque nudis, flagella portantes in manibus, euntes à presbyteris Parochianis abſolutionis beneficium cum pſalmo quinquageſimo impetrarent. Nec licuit eis niſi diebus ſingulis ſingulas petere Eccleſias, vt tam ipſi quàm alii talia præſumere reformidarent.*

Hoc anno Catholici Cruce-ſignati Albigenſium Hæreticorum ſtrages maximas ediderunt, qui eo inſolentiæ deuenerant, vt ipſis cernentibus Epiſcopis libros Euangeliorum in ſentinas proiicerent, & calices aliaque ſacra vaſa in contemptum Corporis & Sanguinis Chriſti turpiter & enormiter conſpurcarent. Igitur Archiepiſcopus Narbonenſis Apoſtolicæ ſedis in hac expeditione Legatus, & Militiæ Duces, Dux ſcilicet Burgundiæ, Comes Nouiomenſis, Comes Montis. Fortis & alii conſilium ineunt de inuadenda & expugnanda Bituricenſi Ciuitate, quæ Hæreticorum propugnaculum & receptaculum erat in illa prouincia. Accedunt ad vrbem 21. Iulii, per Epiſcopum Ciuitatis ſignificant Ciuibus, vt aut

Hæreticos dedant, aut si non possint, de Ciuitate exeant: alioqui se sciant excommunicationis fulmine feriendos. Maluerunt illi repugnare & cum Hæreticis ad defensionem penatum suorum concurrere. Igitur ipsâ die B. Magdalenæ sacrâ vrbs sub sarcinis oppugnatur & expugnatur: nec tamen desinebant Hæretici è muris libros Euangeliorum in fossas proiicere, blasphemiis euomendis magis quàm saluti intenti. Itaque intra trium horarum spatium vrbs capitur & succenditur: de Hæreticis fit strages maxima, è Catholicis Deo miserante pauci cadunt. Hinc ad vrbem Carcassonam obsidendam procedunt quò Albigensium Reliquiæ confugerant, & eandem intra octo dies capiunt, coactis ad deditionem ciuibus, simulque centum circiter Castella Catholicorum Ducibus dedunt: & totius illius Prouinciæ Toparcha constituitur Simon Comes Montisfortis qui expulsis Hæreticis plurimos Catholicos Theologos Parisienses, quos secum ducebat, ad docendum populum in variis locis constituit, illisque stipendium assignat amplissimum.

Pveriles exercitvs. Aliud infatuationis genus prorsus nouum & inauditum ad hunc annum refert Mathæus Paris. in hunc modum. *Sub eius anni curriculo in æstate sequenti subortus est in Francia error quidam à seculis inauditus. Quidam enim puer hoste humani generis procurante, qui verè puer ætate fuit, sed moribus puerilis, per Ciuitates vadens & Castella in Regno Francorum, quasi à Domino missus cantillabat Gallicè modulando.* Domine Iesu Christe, Crucem sanctam nobis restitue. *Additis multis alys adiectionibus. Et cum ab aliis pueris coætaneis videretur & audiretur, sequebantur eum infiniti qui præstigio Diabolico penitus infatuati relictis patribus & matribus, nutricibus & amicis vniuersis, cantantes modo consimili, quo eorum cantabat pædagogus: nec eos poterat, quod mirum est dictu, vel sera retinere vel parentum persuasio reuocare quin suum Magistrum memoratum sequerentur versus mare Mediterraneum: quod traiicientes processionaliter & turmatim modulando progrediebantur. Non enim poterat aliqua Ciuitas præ multitudine iam comprehendere, Magister autem eorum in curru ponebatur Pallis adornato, stipatus Custodibus circumstrepentibus & armatis. Tantus autem eorum erat numerus, vt se inuicem præ nimiâ numerositate comprimerent. Beatum enim se reputabat, qui de vestibus suis fila vel pilos d sceptos poterat reportare. Sed tandem antiquo Impostore Sathana machinante vel in terra vel in mari perierunt vniuersi.* Eiusdem historiæ meminit Cantipratanus l. 2. c. 3. §. 14 *Vidimus an. ab incarnatione D. 1213. infinitam puerorum multitud. nem spiritu deceptionis arreptos*, cum signo Crucis iter Hierosolymitanum aggressos fuisse periisseque *diuersis in locis: & maximam ex eis multitudinem per maleficos quosdam Sarracenis in mari venditos fuisse.*

Eodem anno Philippus Francorum Rex Flandriam potentissimo cum exercitu inuadit, hac vt legitur, occasione. Postquam Ioannes Angliæ Rex cum Innocentio pacem iniit, Pandulphus Legatus in Galliam transfretans ex Anglia, vetuit ne iam accinctus Rex in Angliã transportaret exercitum quoniam non amplius Ioannis, sed terra erat Pontificis. Molestissimè id tulit Philippus, & meritò: ne verò nihil agere videretur, iram suam in Comitem Flandrensem detorsit, qui quod Regi Anglorum cõfœderatus esset, ad bellum Anglicanum proficisci detrectarat, quod iniustissimum esse prædicabat, cum nullus Antecessorum Philippi ius aliquod sibi in Regnum Angliæ vindicasset. Præterea conquerebatur occupata à Philippo Castella & Oppida sua, iniustèque detineri. Hæc palam iactabat: sed cum multis Proceribus & Principibus Regni secretâ conspiratione initâ Regno Francico ruinam intentabat: & singuli sibi partem suam destinantes ad occupandum, Regem de Regno deturbare contendebant. Igitur Rex cum Comite Flandrensi primum conseruit manus, & si Mathæo Parisiensi credimus, malè auspicatus est: quippe ab auxiliaribus copiis Anglicanis fusus fugatusque est, & naues plurimas quas habebat, in portu amisit. Verum cladem istam opimâ Victoriâ in Campis Bouinensibus anno sequente compensauit: vt suo loco dicemus.

Eodem anno Innocentius Pontifex modis omnibus eradicare molitus hæresim, vbicunque sciebat aliquem suspectum esse, statim illum aut Romam vocabat, aut Academiæ Parisiensi examinandum iudicandumque remittebat. Itaque cum ex litteris Lingonensis Episcopi didicisset esse aliquem in Ecclesia sua suspectum, illum licet hæresim omnino abiurantem & detestantem voluit à Magistris Parisiensibus examinari & de fide respondere apud Robertum Cardinalem

Petrum

Petrum de Corbolio Archiepiscopum Senonensem, Episcopum Niuernensem, & Decanum Saresberiensem, qui tunc Theologiam Parisiis docebat. Bulla est eiusmodi.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis fratribus nostris Petro Archiepiscopo Senonensi, Episcopo Niuernensi & Decano Saresberiensi docenti Parisius sacram Paginam Sal. & Ap. Bened. Venerabilis frater noster Lingonensis Episcopus olim quædam nobis contra G. Canonicum Lingonensem presbyterum de Mussiaco per litteras intimauit quæ sapere videbantur hæreticam prauitatem, quarum tenorem de verbo ad verbum, vobis fratres Archiepiscope & Episcopi ac filio nostro Roberto tituli S. Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinali tunc Parisius commoranti sub Bullâ nostrâ misimus interclusum: vnde cum dictus Episcopus eundem suspectum de Hæresi habuisset, coëgit eundem cautionem tam iuratoriam quàm fideiussoriam exhibere, quod terminis quos sibi præfigeret, eius se conspectui præsentaret, vt deceret, super iis omnibus responsurus. Sed cum idem Episcopus apud Barrum super Sequanam die quo sibi terminum assignarat, cum multis viris Religiosis & prudentibus, quos ad hoc conuocauerat, conuenisset, dictus G. iuramenti religione contemptâ neque comparuit, neque suam absentiam excusauit. Quare sæpe dictus Episcopus pensatis omnibus quæ tam prima die quàm secunda seruato iuris ordine & præ oculis habito Dei timore acta fuerant coram eo & toto processu deliberatione pensato, de consilio & consensu tam Religiosorum, quam Iurisperitorum omnium qui assistebant eidem, sæpe dictum G. super iis de quibus fuerat accusatus pro conuicto decreuit habendum, ipsum sententia definitiua pronuncians hæreticum condemnandum, & sententiam in scriptis redigi faciens & multorum sigillis Episcoporum videlicet, Abbatum & Archidiaconorum reseruari munitam. Cumque idem G. in nostra proposuisset præsentia restitutus quod præfatus Episcopus eum post appellationem ad nos interpositam ceperat, & præfatam compulerat præstare cautionem, nitens se multipliciter excusare. Nos attendentes quod vos fratres Archiepiscope & Episcopi cum Cardinale prædicto ea quæ circa ipsum fuerant inquirenda poteratis plenius indagare, illum ad vos duximus remittendum. Dantes vobis per nostras litteras in præceptis, vt nisi vsque ad festum Pentecostes proximè tunc futurum in vestrâ præsentia compareret, super iis quæ sapiunt hæreticam prauitatem, suam sufficienter si posset innocentiam ostensurus, vos sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo exerceretis in ipsum rigorem Ecclesiasticæ disciplinæ. Quod si se ostenderet inculpabilem, eius innocentiam opprimi nequaquam sineretis cum sincera diligentia & diligenti sinceritate in negotio fidei processuri. Nuper autem idem G. proposuit coram nobis quod præfato termino ad præsentiam vestram non fuit ausus accedere metu mortis, cum zelus fidelium in hæreticæ prauitatis labe notatos inesset in partibus illis tunc temporis sic accensus, vt incendio traderent non solum manifestos hæreticos, sed etiam quoslibet prauitate suspectos. Vnde nobis humiliter supplicauit vt eiusdem purgationem recipi facientes ipsum diu maliciosè vexatum non sustineremus vlterius indebitè molestari. Licet autem eundem ex eo quoque habeamus valde suspectum, quod ad vestram præsentiam termino quem ore proprio sibi præfiximus, non accessit: quia tamen non congregata dispergere, sed dispersa potius congregare debemus, Discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus conuocatis ad locum idoneum præfato Episcopo Lingonensi & aliis qui fuerint conuocandi circa ipsum, cui viua voce præcipimus vt infra Octauas Pentecostes proximas propter hoc vestro conspectui se præsentet, secundum formam superius comprehensam appellatione postpositâ concedatis eidem in eundo, redeundo & morando facientes autoritate nostrâ vsque ad decisionem negotii securitatem plenariam exhiberi. Testes autem &c. Quod si non omnes, &c. duo vestrum &c. Vos denique fratres Archiepiscope & Episcope super nobis ipsis, &c. Datum Laterani 4. id. April. Pontif. nostri an 16.

Similem Epistolam legere est in lib. 2. Ep. 15 ex Editione Bosqueti, ad Archiepiscopum Senonensem, Episcopum Niuernensem & *M. Robertum de Corzon Canonicum Parisiensem* quibus causam committit G. Canonici Lingonensis presbyteri de Musiaco de hæresi infamato & per contumaciam ab Episcopo Lugdu-

nenſi condēmnato. Data eſt autem hæc Epiſtola Laterani 16. Kal. April. an. 14.

Eodem anno Gaufridus Siluanectenſis Epiſcopus ſentiens ſe tam ætate quàm corpulentiâ ponderoſâ, inquit Rigordus, inſufficientem oneri quod iam per 30. annos portauerat, impetratâ à ſummo Pontifice licentiâ, Epiſcopatui ſuo renunciauit, ſeque ad Monachos Karoli-loci Ciſterceienſis Ord. tranſtulit. Illi ſucceſſit F. Garinus, qui cum eſſet frater profeſſus Hoſpitalis Hieroſolymitani, Philippi Regis Conſiliarius præcipuus propter prudentiam & incomparabilem conſilii virtutem & alias animi dotes ita laudabiliter ſe gerebat, vt nemo de ipſo conquereretur. Vir erat litteratus & Litteratorum fautor egregius.

Eodem anno Gaufridus Meldenſis Epiſcopus ſimiliter Epiſcopatui renunciauit, & in Cœnobio San-Victorino Pariſiis diuinæ contemplationi ſeſe arctius mancipauit. Illi ſucceſſit Vvillielmus Cantor Pariſienſis, frater Petri Pariſ. Epiſcopi & Stephani Nouiomenſis, qui tres fratres eodem tempore Epiſcopatus habuerunt.

Dies Indictales. Eodem anno lis quæ de numero dierum Indictalium intercedebat inter Epiſcopum Pariſienſem & San-Dionyſianos Monachos, compoſita eſt voluntariâ ceſſione Epiſcopi. In hoc autem conſiſtebat. Epiſcopus non plus triduo volebat Nundinas haberi. San-Dioyſiani contendebant non debere arctari numerum dierum, ſed more ſolennium Nundinarum ad plures extendi. Tandem ceſſit Epiſcopus: & habentur ea de re in Chartulario San-Dionyſiano hæ litteræ.

» Petrus D. G. Epiſcopus Pariſienſis, Vniuerſis ad quos litteræ præſentes perue-
» nerint, in Domino ſalutem. Noueritis quod nos querelam quam habebamus
» contra Abbatem & Monachos S. Dionyſii, videlicet quia petebamus quod
» Nundinæ Indicti non durarent niſi per 3. dies à die benedictionis, eiſdem Mona-
» chis contra aſſerentibus quod illæ nundinæ debebant durare quantum aliæ nun-
» dinæ ſolennes durant, ipſis Monachis quittauimus in perpetuum vt nec nos nec
» ſucceſſores noſtri amplius eos ſuper hoc vexare poſſimus... Actum Pariſius an. 1213.
» menſe Auguſto.

In Nomine S. & indiuiduæ Trinitatis Amen. Philippus Dei gratia Francorum Rex. Nouerint Vniuerſi præſentes pariter & futuri, quod de contentione quæ erat inter Epiſcopum Pariſienſem ex vna parte, & Abbatem & Monachos B. Dionyſii ex altera ſuper eo quod Epiſcopus dicebat Nundinas Indicti non debere durare niſi per 3. dies à die benedictionis; Monachis è contra aſſerentibus quod deberent durare quantum aliæ Nundinæ ſolennes durant; vtraque pars in nos compromiſerunt. *Nos ergo inquiſitione facta ſuper hoc diligenti cognouimus & diximus dictum Epiſcopum Pariſienſem in hac querela nullum ius habere.* Vnde Epiſcopus quittauit eam coram nobis in perpetuum Monachis prætaxatis, ita quòd neque ipſe Epiſcopus de cætero, neque ſucceſſores eius Epiſcopi Pariſienſes in hoc aliquid poterunt reclamare. Dicti verò Monachi debent illas nundinas tenere ad conſuetudines quibus vſi ſunt vſque modò.. *Actum Pariſius anno Domini 1213. Regni verò noſtri an. 33.* Honorius III. idem etiam confirmauit, vt patet ex eius Bulla, quæ in eodem Chartulario habetur.

1214. Anno 1214. rurſus turbata eſt Anglia propter immoderatos Nicolai Legati Apoſtolici exceſſus, faſtum & prauam in Beneficiorum diſpenſatione adminiſtrationem. Nam cum à Papa accepiſſet in mandatis, vt vacantibus Beneficiis viros idoneos & litteratos præficeret, ille ſpreto Archiepiſcopo Cantuarienſi & aliis Prælatis Abbatias & alia Beneficia deſpoticâ authoritate ignaris & illitteratis ſæpe concedebat, habens in hoc fauentem ſibi Regem & adſtipulantem. At Archiepiſcopus habito cum Suffraganeis ſuis Conſilio, Legato denunciat & interpoſita appellatione prohibet, ne contra dignitatem ſuam ad quam Eccleſiarum ſuæ Diœceſeos de iure ſpectat ordinatio, Prælatos in Eccleſiis vacantibus conſtituere præſumat. Legatus appellationi non deferens, conſenſuque Regis Petrum Pandulphum Romam mittit, de Archiepiſcopo conqueritur, immoderatæ eum auaritiæ accuſat, Regem mirificis laudibus extollit, eius humilitatem & in omnibus obedientiam prædicat. Contra Archiepiſcopus mittit fratrem ſuum M. Simonem de Langetona, ſed non auditur. Hac de re ſic Mathæus. *Reſtitit autem Pandulpho ibidem M. Simon de Langetona frater Archiepiſcopi Cantuarien-*

sis. Sed quoniam charta Regis auro bullata, D. Papæ de subiectione & tributo Regni Angliæ & Hiberniæ, à prædicto Pandulpho nuper delata fuerat, M. Simon in suis contradictionibus non potuit exaudiri. Asserebat præterea Pandulphus memoratus in præsentia D. Papæ Archiepiscopum & Episcopos in exactione & ablatorum restitutione tempore interdicti nimis esse rigidos & auaros, quodque ipsum Regem & Regni libertates plus æquo deprimebant.

Hoc anno, vt refert Continuator Chronici Antissiodorensis, Philippus Rex ex Bouinensi prælio Victor & Triumphator rediit: neque solummodo Victor, sed opimis onustus spoliis: quippe Reginaldum Boloniæ Comitem, & Ferrandum Flandriæ cœpit habuitque in vinculis, qui prius sibi vincula fuerant superbiori fastu comminati. Et certè nunquam propior Francia cladis fuit, Principibus coniuratis hæc & illa loca Regni inuadentibus: nunquam verò maior lætitia, cum auditum est feliciter à Rege fuisse pugnatum. Præsertim verò Parisina ciuitas, quæ à Ferrando plus timebat, suis quodammodo exultare sedibus visa est & commoueri, vt victorem suum hostili sanguine conspersum exciperet. Supra verò quam dici potest, Vniuersitas diem illum iocosè & festiuè celebrauit. Reuertenti enim Patri suo occurrit filia, & magnâ pompâ magnificoque ordine, quod nunquã aliàs similiter, obuiam longè processit. Qua de re sic Rigordus. *Parisiaci verò Ciues & vniuersa Scholarium multitudo incomparabiliter omnibus alijs, Clerus & populus cum hymnis & Canticis ipsi Regi obuiam procedentes, quanta esset in animo lætitia, gestis exterioribus declarabant: nec sufficiebat eis de die taliter exultare, imò de nocte, imò septem noctibus continuis, numerosis luminibus: adeo vt Nox sicut dies illuminari videretur. Maximè scholares cum maximo quidem sumptu Conuiuia, Choros, tripudia, cantus indefessè agere non cessabant.* Eiusdem pompæ & festiuitatis meminit M. Guillelmus Brito testis oculatus lib. 12. Philip. VICTORIA BOVINENSIS.

Parisius verò præ cunctis vrbibus addit
*Plausibus & nablis * & lætitia generali* * *iubilis*
Sumptus maiores & delectabiliori
Ludos exequitur studio celebresque Choreas.
Præcipuè quos Palladij dulcedo laboris
Allicit alma sequi vita documenta beata,
Plenius & multo se splendidiore paratu
Accingunt, palma vt festum Regalis honorent.
Perque dies octo, totidemque celebria noctes
Gaudia continuant, & eò deuotius instant
Lætitiæ, quò Rex magis est dilectior illis.
Cuius eis curâ pacis præstante quietem
Securi Cyrrhæ Dominis Nysæque feruntur
Solius vt studium circa vexentur eorum
Pectora diuersas non admittentia curas.

Hi duo penultimi versus sic leguntur à Barthio, eosque sic exponit. Cyrrhæ & Nysæ, id. *Apolline & Musis* & omni litteraturæ genere. *Solius* verò, id. *Regis*; ergo solum Regem.

Ex his intelligitur quanto studio quantoque amoris affectu Vniuersitas filia Patrem suum prosequeretur: quod insuper confirmare placet præclaro hoc Vincentij Bellouaci testimonio qui sub hoc Principe & sub duobus successoribus floruit: quique ab orbe condito ad an. 1244. & paulo vltra historiam contexuit. Sic autem ille post Rigordum. *Florebant Lutetiæ studia litterarum, eoque ex omni Europâ auditores confluebant, non tantum propter loci amœnitatem & rerum omniũ copiam, sed multò magis propter honorem quem Philippus earum Professoribus exemplo Ludouici Patris* deferebat. Vt non immeritò, inquit Massonius, Ioannes cognomento Architrenius grauis poëta qui Philippo Rege vixit, in Epigrammate quod de Lutetia scribit, *illam Philosophis Atticam, libris Græcam, studiis Indicam dicat videri.*

De festiuitate autem illa Parisiensi sic habet Vincentius. Deo ordinante iustissimè, sicut est factum vt Ferrandus & Reginaldus pro honore suo id quod petierant vel putabant, pro suæ confusionis ignominia haberent. Quis autem vel verbo vel

" scripto possit explicare quæ in eorum aduentu facta suntCantica dulcisona Cle-
" ricorum, tripudia populorum, pulsationes classicorum, ornatus Ecclesiarum
" vicos & domos & vias cortinis & pannis sericis intectas, flores & ramos arborum
" virides vbique stratos, omnes etiam cuiusque generis, sexus & ætatis homines ad
" tanti triumphi spectacula concurrentes, Rusticos & Messores intermissis ope-
" ribus, falcibus & rastris & ribalis, in collo suspensis cateruatim ad vias ruentes,
" cernere cupientes Ferrandum in vinculis, quem nuper formidabant in armis, nec
" ei inuerecundabantur illudere Rustici, pueri & vetulæ nacta occasione à nominis
" æquiuocatione. Nam & casu mirabili duo equi Ferrandi, idest eius coloris qui
" hoc nomen equis imponit, ipsum in Lectica vehebant. Vnde & ei impropera-
" bant quod sic ferratus vt erat, recalcitrare non poterat, qui prius impinguatus,
" dilatatus recalcitrauerat, & in Dominum suum calcarium eleuauerat. Hæc per
" omnia loca facta sunt, quo vsque Parisios Clerici & Laici cum hymnis & canti-
" cis obuiam Regi processerunt; nec solum dies, sed etiam noctes in lætitia transe-
" gerunt. Septem enim diebus, continuis noctibus, innumerosis luminibus vteban-
" tur, ita vt nox sicut dies illuminare videretur. Et vt ait Brito.

Cerea non cessant per totam lumina noctem
Cunctorum in manibus tenebris clarere fugatis,
Vt nox in faciem conuersa repente diei
Tantis luminibus tanto fulgore diescens
Stellis & lunæ, nil vobis debeo, dicat.

Idem ait Captiuos in diuersis Regni turribus & carceribus inclusos fuisse, Reginaldum Peronæ, alios alibi; at Ferrandus qui sæpe iactitauerat ingressurum se in vrbem Parisiensem cum splendore triumphi, Lutetiam ductus toti ciuitati spectaculum dedit.

At Ferrandus equis euectus forte duobus
Lecticâ duplici temone vehentibus ipsum,
Nomine quos illi color æquiuocabat, vt esset
Nomen idem Comitis & equorum, Parisianis
Ciuibus offertur Luparæ claudendus in arce,
Cuius in aduentu Clerus populusque trophæum
Cantibus hymnisonis Regi solenne canebant.
Tunc patuit, Ferrande, tibi Pytonicus error,
Compulit in vanum qui te sperare, quod vrbs te
Exceptura foret magno regalis honore.

Flandri Sauaricum quendam Philippi Admiralium, qui vrbem. *Dammus* vocatam incenderat cum omnibus opibus contra ipsius Regis voluntatem, paulo post mortem hoc Epitaphio carpserunt.

Concepit facinus mens, suasit lingua, peregit
Dextra: malus, peior, pessimus iste fuit.
Concipiendo malus, suadendo peior, agendo
Pessimus: huic turpis vitaque morsque fuit.
Mors ea non habuit planctum, nec vita fauorem,
Nec facinus veniam, nec cinis exequias.
Mors lætam, tristem mora mortis fecerat vrbem:
Cuius non placuit, non bona vita fuit.

Eodem anno Innocentius Pontifex Max. datis ad omnes orbis Christiani Prælatos litteris indixit Generale Concilium Lateranense, tum ad reformationem morum, tum ad procurandum Christianis in Oriente degentibus subsidium, multosque proinde Legatos ad diuersas mundi partes destinauit. In Franciam M. Robertum de Curzon paulo ante Nouiomensem, deinde Parisiensem Canonicum & Cancellarium, tunc verò Cardinalem tituli S. Stephani in Coelio monte,

Parisiis vbi diu docuerat, satis notum. Cui vt omnes in Regno Francico pareant, hac Bulla præcepit.

Innocentius... Dilectis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, cæterisque Clericis per Regnum Franciæ constitutis Sal. & Apost. Benedictionem. Pium & sanctum propositum quod de subuentione Terræ sanctæ pro cõmuni vtilitate Deo inspirante concepimus & perducere satagimus ad effectum, ex generalibus litteris poteritis aduertere manifestè. *Ad hoc igitur salutare propositum exequendum, Dilectum filium nostrum R. tituli S. Stephani in Cœlio Monte presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis legatum, virum vtique probatæ honestatis & fidei destinamus merito suæ probitatis speciali gratia nobis acceptum,* per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus eum vice nostra, imò potius vice Christi deuotè suscipere ac honestè tractare curetis, ipsius salubribus monitis & mandatis humiliter intendentes, præsertim in iis quæ pertinent ad subsidium Terræ sanctæ. Nos enim quod super iis & aliis ad suæ legationis officium pertinentibus prouida deliberatione statuerit, præcipimus inuiolabiliter obseruari, concedentes eidem vt euellat & destruat, ædificet atque plantet, quæ sibi euellenda & destruenda, ædificanda occurrerint & plantanda. Datum, &c.

Eundem commendat Philippo Regi Francorum his verbis. *Quàm sincerum dilectionis affectum erga te ac filium tuum & Regnum Franciæ habeamus, nouit ille qui testis est in cœlo fidelis, cuius super hoc testimonium securè possumus inuocare. Adeo quippe Regni tui exaltationem diligimus, priuilegiata semper opera commendantes quæ processerunt de ipso, quod æquanimiùs Ecclesia Rom. quàm ipsi Regno sustineremus magnum aliquid aduersitatis accidere; cum facilius hæc quàm illud ab imminenti posset periculo liberari.* Vt ergo super hoc amplius securus reddaris & certus, mittimus ad tuam Regalem præsentiam dilectum filium nostrum R. tituli S. Stephani in Cœlio Monte Presbyterum Cardinalem Apost. Sedis Legatum, virum vtique probatæ honestatis & fidei, qui ea quæ plenius accepit à nobis, expressius tibi referat viua voce. Serenitatem tuam rogantes & exhortantes in Domino quatenus eum recipias & honestè pertractes, ipsius acquiescendo salubribus monitis & consiliis propter Deum. Datum, &c.

Eodem anno obiit M. Ioannes de Cella Anglus, XXI. Abbas S. Albani, successor M. Guarini ab an. 1195. Hic vt legitur in eius vita apud Math. Paris. lib. de vitis 23. Abbatum S. Albani, *in iuuentute scholarum Parisiensium frequentator assiduus ad electorum consortium Magistrorum meruit attingere: vnde cum virilis esset ætatis, in Grammatica Priscianus, in Metrico Ouidius, in Physica censeri potuit Galenus. Hic assumpto religionis habitu adeo de die in diem profecit in melius, vt de virtute in virtutem ascendens ad Prioratum Wallingfordiæ regendum est vocatus: & tandem præclaris meritis suis exigentibus in Abbatem Ecclesiæ S. Albani feliciter sublimatus.* Multas passus est angustias à Roberto filio Walteri, à Richardo de Marisco Dunelmensi Episcopo & à Stephano Cantuariensi, à quo spoliatus est fidelissimo in omnibus suis negotiis consultore, auxiliatore & consolatore M. Adamo de Linleia, qui postea in Archidiaconum Eliensem est promotus. Erat autem M. Adam in Decretis Magister, & Archiepiscopo, lucrum suum quærens, parere erat paratus se euocanti. Itaque sic ad eum legitur locutus Ioannes Abbas. *Charissime Magister, nolo promotionem vestram impedire. Archiepiscopus excellentior est me. Maiorem sequeris, quia maiora desideras. Ablatus es à me. Nec patitur Archiepiscopus me tua præsentia consolatione gratulari, licet tot peritorum stipetur agminibus. Tamen affer illi ex parte mea hoc Breue, verè Breue,* Hæc fatus tradidit illi breuem Epistolam Archiepiscopo tradendam, duobus versiculis contentam, qui sunt eiusmodi.

M. Ioannis de Cella Obitus.

Velleribus centum gaudes cum lacte bidentum:
Nec reputas magnum tuleris nisi pauperis agnum.

Obiit autem sanctitate & religione insignis, dierumque plenus die S. Kenelmi Regis & Martyris: & cum eius omnes hebetarentur sensus, petenti M. Guillelmo Medico suo, *Domine Pater mi, quomodo vobis est,* eleuatis paululum oculis retulit,

Non video purè: mihi nil sapit: audio durè:
Deficit olfactus: sum segnis ad omnia factus.

Eodem anno leges quædam conditæ sunt in gratiam Cruce-Signatorum ad bellum Albigense seu Tolosanum proficiscentium, quod *stabilimentum Crucis-Signatorum* vocabant,& legitur in tom. 6. Spicilegij. p. 411.

1215. Anno 1215. animus Innocentij Papæ à M.Stephano Cantuariensi Archiep. Cardinale mutatus est; vbi intellexit certissimâ Nunciorum suorum relatione prædictum Stephanum authorem fuisse defectionis Baronum Anglicanorũ à Rege. Illi enim in Conuentu apud S. Edmundum habito coniurauerant simul, se nisi Rex restitueret antiquam libertatem, illi bellum indicturos. Ad eam verò obtinendam prædictum Stephanum ad Regem tunc Oxoniæ morantem miserant,qui re infecta ad eos redux iam tum accendisset bellum, nisi Rex dissimulandum ratus vocatis ad Colloquium Baronibus omnia quæ petebant,concessisset, & concessionem suam litteris sigillo Regio munitis confirmasset, atque insuper authoritate Pontificia confirmari curasset.

Verum paulo post idem Rex impotens mentis non potuit adeo conceptum in Barones odium tegere, quin illi sibi cladem certissimam parari resciuerint. Igitur iterum coniurant,arma parant, milites colligunt,& Regi bellum indicunt. Quid ille faciat desertus à suis? ad Innocentium confugit,qui Ecclesiasticis armis eos prosequitur, & sententiam Excommunicationis in eosdem fulminari mandat Episcopo wintoniensi, Abbati de Redinge & Pandulpho Ecclesiæ Rom. Sub-diacono, præcipiens insuper vt Archiepiscopo Cantuariensi iniungerent districtéque iuberent eandem fulminare. At Archiepisc prodit se eiusdem Coniurationis populatem,& conscium esse duobus capitibus indicat.Nempe & cum fratrem M. Simonem curat ab Eboracensi Capitulo eligi in Archiepiscopum contra voluntatem Regis. Deinde verò cum Excommunicationis sententiam in Barones à Pontifice latam publicare recusat.

Quod ad Electionem M. Simonis de Langetona attinet, vt eam Rex intellexit, Romam statim Legatos suos misit, qui apud D. Papam de M. Stephano Rebellionis authore, & turbarum istarum motore conquererentur. Quibus auditis irritam esse iussit Innocentius eiusmodi Electionem.

" Rem sic narrat Mathæus. *Circa dies istos* Canonici Eboracensis Ecclesiæ multo
" iam tempore Pastore viduati impetratâ à Rege licentiâ ad Electionem facien-
" dam pariter conuenerunt. Et licet à Rege multis precibus fuissent rogati vt
" Walterum de Gray Wigornien. Episcopum sibi susciperẽt in Pastorem,tamen re-
" clamantes illiteratum ipsum, eligere distulerunt: veruntamen in Electione pro-
" cedentes elegerunt *M. Simonem de Langetona fratrem Archiepiscopi Cantuariensis,*
" *sperantes in eo scientiam quam appellant sapientiam, scilicet morum aromate conditam*
" *scientiam, insuper fauorem D. Papæ obtinere.* Sed cum facta Electio ad Regis au-
" dientiam peruenisset, misit nuncios ad Curiam Rom. qui contra Electionem
" illam in præsentia D. Papæ exceptiones huiusmodi induxerunt. Allegabant
" enim Archiepiscopum Cantuariensem Regis Angliæ hostem esse publicum, vt
" qui Baronibus Angliæ incentiuum contra Regem eundem præbuit &consensum.
" Vnde si dictus Simon, qui frater est Archiepiscopi memorati, ad Archiepisco-
" patum Eboracensem promoueretur, pax Regis & Regni diu stare non poterit.
" Hæc igitur & iis similia allegantes incommoda, Papam ad consensum induxe-
" runt. Vnde Capitulo Eboracensi scripsit hæc verba.
" *Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei,&c.* Cum M. Simon de Langetona
" cum quibusdam aliis Canonicis Eboracensibus in nostra nuper esset præsentia
" constitutus, Nos ei viuâ voce interdiximus, ne ad obtinendum Archiepiscopa-
" tum Eboracensem intenderet; quia id certis ex causis minimè pateremur: & ip-
" se quidem quantum verbis expressit, huic annuit reuerenter. Vnde mirari cogi-
" mur & moueri, si ipsum ambitio adeò excæcauerit, vt cum sciret se post no-
" stram prohibitionem expressam de iure elegi non posse, tali præstiterit Electio-
" ni consensum, quam nullo alio contradicente Nos irritam haberemus. Sed ne
" hac occasione fiat in Anglia nouissimus error peior priore,vel Eboracensis Eccle-
" sia diutius maneat Pastore viduata, de communi fratrum nostrorum consilio
" per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedien-
" tiæ districtè præcipimus, quatenus Electione huiusmodi nonobstante appella-
" tionem,cum insolentias & machinationes huiusmodi sustinere nolumus, nec de-

bemus, omni occasione ac tergiuersatione cessantibus aliquos ex vobis cum omni potestate ad instans Concilium destinetis, qui saltem vsque Kalendas Nouembris nostro se conspectui repræsentent, personam idoneam cum nostro electuri vel postulaturi consilio in Pastorem. Alioquin & tunc Nosipsi curabimus de idoneo vobis Præsule prouidere, contradictores si qui fuerint vel rebelles per districtionem Canonicam grauiter punituri. Si verò præfatus Simon electioni de se factæ consensit, nos pœnam in pœnam suæ præsumptioni statuimus, vt ineligibilis fiat, ne de cætero absque dispensatione sedis Apostolicæ speciali ad Pontificalem eligi valeat dignitatem. Datum idib. Septemb. Pontific. n. an. 18. Ita sua spe frustratus Simon etiam in Concilio Lateran. Canonicis eum postulantibus nunquam potuit à Pontifice confirmationem impetrare: sed ille quem Rex volebat, Walterus de Gray ad Archiepiscopatum promotus est.

Cum autem Stephanus excommunicationem de qua supra, promulgare renuisset, aiens se ad Concilium Lateranense proficisci paratum, non posse morari, nec se eam promulgaturum antequam viuâ voce summi Pontificis agnosceret voluntatem, Nihilominus eum P. Vintoniensis Episcopus & Pandulphus authoritate quâ fungebantur, ab Ecclesiæ ingressu & à celebratione Diuinorum officiorum suspenderunt. Quam ille suspensionem humiliter obseruans, inquit Mathæus, sedem Apostolicam suspensus petiuit. At in Concilio Lateran. steterunt contra eum Legati Regis, hoc ei obiicientes, quod Rebellionis author fuisset, quodque sententiam excommunicationis promulgare noluisset. Ad quæ ille pudore confusus pauca respondit. Itaque Papa ità percitus suspensionem à Pandulpho & Episcopo Winton latam hac Bulla confirmauit.

Innocentius Episcopus Vniuersis Cantuariensis Ecclesiæ Suffraganeis salutem. Ad communem volumus notitiam peruenire, quod nos suspensionis sententiam quam venerabilis frater noster P. Wintoniensis Episcopus & dilectus filius P. Subdiaconus familiaris noster Norwicensis electus in Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum authoritate Apostolica protulerunt, ratam habemus, & præcipimus inuiolabiliter obseruari, donec idem Archiepiscopus qui eam humiliter seruat, mereatur ab ipsa iuxta formam Ecclesiæ Canonicè præstitam relaxari vno vinculo in aliud commutato. Quocirca Vniuersitati vestræ per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus & vos Episcopi præscriptam sententiam firmiter obseruetis, cum interim nullam eidem debeatis obedientiam exhibere. Datum Laterani pridie non. Nouemb.

Idem M. Simon anno sequente nominatim à Walone Cardinale Legato excommunicatus est, quod cum fratre Barones rursus ad bellum inflammasset. Illi enim excommunicati, omnibus bonis priuati, & pœne ad desperationem versi eiusdem Stephani consilio Ludouicum Philippi Francorum Regis filium in Regem sibi deposcentes cum ingenti exercitu transfretare cogunt, frustra prohibente Walone. Vbi autem Ludouicus Angliam attigit, M. Simonem de Langetona Cancellarium suum sibi constituit, cuius prædicatione tam ciues Londinenses quam Barones excommunicati, Diuina celebrare fecerunt, inquit Mathæus. Walo verò & Ludouicum & M. Simonem nominatim excommunicauit. At Legatus, inquit, ille, Episcopis, Abbatibus, cum Clericis quos habere poterat, conuocatis, Ludouicum nominatim cum complicibus & fautoribus suis & præcipuè M. Simonem de Langetona pulsatis campanis & candelis accensis excommunicauit, præcipiens Episcopis & aliis Vniuersis vt singulis Dominicis diebus ac festiuis per totam Angliam sententiam publicarent. Sed adhæc M. Simon de Langetona & M. Geruasius de Hobrugge Ecclesiæ S. Pauli Londinensis Præcentor cum quibusdam aliis dixerunt se pro iure & statu Ludouici appellasse: vnde sententiam illam irritam habuerunt & inanem. Sed de rebus Anglicis sit satis.

Eodem anno cum inter Cancellarium Parisiensem & Capitulum exortæ fuissent nonnullæ contentiones & discordiæ, statutum factum est à Petro Cambio Episcopo, in quo multa leguntur quæ pertinent ad munus Cancellarij. *Mvnera Cancellarii Parisiensis.*

PetrusD.G. Parisiorum Episcopus, Hugo Decanus totumque Capitulum, &c. Ad Vniuersitatis vestræ notitiam volumus peruenire, quod cum de reditibus pro sigillo Parisiensis Capituli prouenientibus nihil esset certitudinis definitum, & su-

per iis contentio aliqua mota fuisset, Nos ad sopiendam totius contentionis materiam & pacem inter Capitulum & Cancellarium Paris. perpetuis temporibus firmâ stabilitate seruandam, pari consensu & communi voluntate solemniter in Capitulo Paris. duximus statuendum *quod super nullo contractu quem faciet Capitulum* cum aliquo Canonico vel aliquo alio, siue Canonicus cum Capitulo vel aliquo alio, seu aliquis alius cum Capitulo vel Canonico pro litteris super hoc conficiendis, vel pro sigillo habendo nihil recipiet vel exiget Cancellarius Paris. quicunque fuerit pro tempore substitutus. Idem etiam statuimus pro Ecclesiis specialiter Ecclesiæ Parisiensi subiectis, videlicet pro Ecclesia S. Ioannis Rotundi, S. Stephani S. Dionysii de Passu, S. Benedicti, Sancti Medrici, S. Christophori, & pro Canonicis earundem Ecclesiarum & pro Hospitali B. Mariæ, vt similiter de nullo Contractu, quem aliqua istarum Ecclesiarum, vel aliquis Canonicus earundem faciet cum aliquo, vel aliquis cum eis aliquid inde recipiet Cancellarius pro priuilegio, vel pro charta, vel litteris, vel etiam pro sigillo. *Si vero extranea persona* aliqua super rebus quæ ad aliquam personarum vel Ecclesiarum prædictarum pertineant, litteras seu Charham vel aliud instrumentum petierit, 4. tantummodo denarios inde habebit Cancellarius tam pro scriptura, quàm pro cera vel sigillo. Similiter autem de nullo contractu quem Clericus Beneficiatus in Ecclesia Paris. faciet cum aliquo super rebus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, Cancellarius nihil habebit. *Si vero Capitulum* Parisiense aliquando de seruis suis gratis manu miserit, & litteræ inde fiant, Cancellarius nihil inde exigere poterit, nisi tantum duos solidos. Si autem pro pretio, pro qualibet libra pretii 12. denarios inde percipiet, donec summa pretii peruenerit vsq; ad summam 40 librarum. Si tamen pretium manumissionis 40. libras excesserit, nihil inde vltra 40. solidos habere poterit Cancellarius. *Cæterum pro singulis* litteris obolatam ceræ & pro chartis denariatam recipiet Cancellarius à Capicerio B. Mariæ. Libros quidem Paris. Ecclesiæ sine cantu corrigere, ligare & in bono statu tenebitur conseruare. *Et talem* instituere Magistrum in Claustro qui sufficiens sit ad Scholarum regimen & ad officium quod debet facere in Ecclesia, & ad litteras Capituli, si opus fuerit, faciendas. Profectò omnia ista se bona fide facturum & seruaturum Cancellarius quicunque fuerit, in institutione iurabit. Nihilominus etiam sub eodem iuramento faciet fidelitatem Capitulo de sigillo ipsius Capituli fideliter obseruando. Magister verò Stephanus Parisiensis Cancellarius in sua institutione omnia supradicta benignè concessit, & propriâ voluntate fideliter obseruanda iurauit: & in maiorem suæ Concessionis notitiam his litteris suum fecit sigillum apponi. Nos autem hanc ordinationem volentes stabilitate perpetuâ firmiter obseruari, præsentes litteras fecimus sigillorum nostrorum authoritate muniri. Actum an. 1215.

Ex his intelligimus quæ præcipua fuerint Cancellarij Parisiensis munera; *nempe Commentaria conficere chartasque & instrumenta publica conscribere, sigilli Capitularis custodiam habere, Bibliothecam curare, Magistrum idoneum Scholæ claustrali præficere.* Ex quo vltimo munere quàm malè euincat Hemeræus penes Cancellarium olim supremam fuisse in Vniuersitate Authoritatem, docuimus rom. 2. differt. 5. Non enim ille, quanquam omnibus Candidatis docendi licentiam impertiri poterat, omnium Professorum & Doctorum caput erat, omniumque Scholarum præfecturam habebat, sed Claustralis duntaxat; in quâ talem poterat instituere & collocare Magistrum, qui *sufficiens esset ad Scholarum regimen & ad Officium quod debebat facere in Ecclesia, & ad litteras Capituli si opus esset, faciendas*, vt disertè in prædicto Instrumento continetur. Quæ quidem Claustralis, licet annumerata sit Academicis, itaut eius Præfecti seu Magistri & Scholares Iuribus & Priuilegijs gauderent Vniuersitatis, omnino tamen erat Episcopalis & Theologica iuxta vetus institutum. Et de ea fit sermo in Transactione seu Conuentione illa quæ inter Stephanum Episcopum & Capitulum facta est circa an. 1123. in qua de vtriusque partis consensu locus electus & coopertus est. *in quo Schola Ecclesiæ deinceps tenerentur & regerentur.* Et hinc repetendum licentiandi ius Primarium, quod Cancellarius sub Episcopo directè exercuit initio erga Magistros, quibus potestatem dabat docendi in Schola Episcopali, quos ei præficiebat seu præponebat pro iure suo, nisi vellet ipse docere; vnde & *Præpositi* dicebantur, vt alibi docuimus

mus. Quod verò Licentiandi ius extendit postea in omnes Academicos: quemadmodum & *Rector* suum quoad regimen in omnes Scholas tam Episcopales & Genouefianas, quàm Academicas.

Alterum Cancellarij munus erat, Bibliothecam curare, & pauperibus Scholaribus in Theologia studentibus libros commodare: vt patet ex testamento M. Stephani Archidiaconi Cantuariensis, sic statuentis. *Volo & præcipio quod libri mei Theologia Cancellario Parisiensi tradantur, qui eos Pauperibus Scholaribus in Theologia studentibus & libris indigentibus ad studendum commodet intuitu pietatis.* Et in Instrumento confecto ea de re an. 1271. sic legitur. *Notum facimus quod in nostra præsentia constitutus M. Ioannes de Aurelianis Canonicus & Cancellarius Parisiensis recognoscit & confitetur se recepisse & habuisse à venerabili viro M. Nicolao Ecclesiæ Parisiensis Archidiacono, quondam prædictæ Ecclesiæ Parisiensis Cancellario libros inferiùs annotatos, tradendos & recuperandos Pauperibus in Theologia studentibus.* Referemus integrum ad an. 1271.

Quod attinet verò ad munus illud conscribendorum Commentariorum & Instrumentorum publicorum, quod propriè Scribæ munus est, dicemus speciali Dissertatione ad calcem huius sæculi, vbi de *Scriba Vniuersitatis.* Hic verò notare præsertim conuenit præcipuam litis difficultatisque causam inter Capitulum Parisiense & Cancellarium hanc fuisse, quod pro confectione Chartarum seu Instrumentorum aliorumque negotiorum, seu vt vocant, expeditionum Cancellarius salarium exigeret; Capitulum verò deberi negaret; quia ob id præbendam & reditus in Ecclesia Paris. obtinebat. At ita tandem pacti sunt, vt pro confectione Chartarum ad ipsam Ecclesiam & Capitulum, aut etiam ad minores Ecclesias Maiori subiectas attinentium nihil exigeret nihilque acciperet. Pro earum verò confectione quæ ad *extraneas personas* spectarent, exigere posset *quatuor denarios* tam pro scriptura quàm pro cera & sigilli appositione. Nec dubito quin hæc Clausula ad ipsam quoque Vniuersitatem pertinuerit: quia Cancellarius *Licentiæ*, seu vt hodie loquimur, Magisterii litteras expediebat & sigilli impressione muniebat. Et hæc perpetua causa dissidii fuit inter Cancellarium & scholares. Contendebant enim isti sacris canonibus prohibitum exigere quidquam pro licentiæ concessione: Cancellarius verò Chartam, membranam, ceram & laborem obtendebat. Hinc exarserunt illi aduersus M. Ioannem de Candel vt ante retulimus, & aliàs hoc seculo sæpe, nec non & sequentibus seculis vsq; ad annum prope 1400. Et hæc quoque causa proculdubio fuit, cur non vltra passi sint Cancellarium Sigilli sui communis custodem esse, illiusque operâ in sigillandis litteris vti amplius noluerint, sed proprium sibi sigillum habere & in arca communi custodire decreuerint. Vt ad an. 1225. fusius dicemus.

Eodem anno inter eundem Cancellarium & Vniuersitatem Parisiensem aliquod pacis genus compositum est per M. Robertum Curthonensem seu Curchonensem Innocentii Papæ Legatum, paulo ante Nouiomensem, inde Parisiensem Canonicum qui statuta quædam à Petro Cambio Episcopo Parisiensi olim facta confirmauit, præcepitque seruari modum examinis, quem antea Petrus præscripserat. Præterea nonnulla miscuit capita ad Artistas & Theologos pertinentia circa modum docendi & exequias defunctorum: sub quibus verbis non dubito quin & Medici & Canonistæ comprehendantur: nam vt ex Reformatione Gregorii IX. quem infra referemus, patet, Medicina accensetur Artibus, Decreta Theologiæ. Statutum autem est eiusmodi.

Robertus Seruus Christi Diuina miseratione tituli S. Stephani in Cælio Monte Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus, Vniuersis Magistris & Scholaribus Parisiensibus salutem in Domino sempiternam. Nouerint Vniuersi, quod cum D. Papæ speciale habuissemus mandatum, vt statum Parisiensium scholarium in melius reformando impenderemus operam efficacem, Nos de bonorum virorum consilio Scholarum tranquillitati volentes in posterum prouidere, Ordinauimus & statuimus in hunc modum.

Nullus legat Parisius de Artibus citra 21. ætatis suæ annum, & quod sex annis audiuerit de Artibus ad minus antequam ad legendum accedat, & quod protestetur se lecturum duobus annis ad minus, nisi rationabilis causa interuenerit, quam publice vel coram examinatoribus debebit probare, & quòd non sit respersus aliqua infamiâ, & quod cum

legere dispofuerit, examinetur quilibet secundum formam quæ continetur in
" Scripto D. Petri Parisiensis Episcopi, vbi continetur pax confirmata inter Can-
" cellarium & Scholares à Iudicibus delegatis à D. Papa, scilicet ab Episcopo &
" Decano Trecensi & à Petro Episcopo & Ioanne Cancellario Parisiensi appro-
" batâ & confirmatâ. *Et quod legant libros Aristotelis de Dialectica tam veteri quàm*
" *de noua in Scholis ordinariè & non ad cursum. Legant etiam in Scholis ordinariè duos Pri-*
" *scianos vel alterum ad minus. Non legant in festiuis diebus nisi Philosophos & Rheto-*
" *ricas, & Quadriuialia & Barbarismum, & Ethicam si placet & 4um. Topicorum. Non*
" *legantur libri Aristotelis de Metaphysica & Naturali Philosophia, nec Summa de eis-*
" *dem, aut de Doctrina M. Dauid de Dinant, aut Almarici Hæretici, aut Mauricii*
" *Hispani.*
" *In Principijs & Conuentibus Magistrorum, in Responsionibus vel Oppositionibus Pue-*
" *rorum vel iuuenum nulla fiant Conuiuia.* Possunt tamen vocare aliquos familiares
" vel socios, sed paucos. *Donaria autem vel vestium vel aliorum sicut solebant fieri*
" *aliàs, amplius fieri monemus & præcipuè pauperibus.* Nullus Magistrorum legen-
" tium in Artibus habeat Cappam nisi rotundam, nigram & talarem, saltem
" dum noua est. Pallio autem bene potest vti. Sotulares non habeat sub cappa ro-
" tunda laqueatos, nunquam liripipiatos. *Si quis obierit Scholarium in Artibus, vel*
" *in Theologia, medietas Magistrorum Artium eat ad sepulturam vnâ vice, & altera me-*
" *dietas aliâ, & non recedat donec completa fuerit sepultura, nisi rationabilem habuerit*
" *causam.* Si quis obierit Magister in Artibus, vel in Theologia, omnes Magistri
" intersint vigilijs. Et quilibet legat vel legi faciat psalterium. Quilibet moram fa-
" ciat in Ecclesia, vbi celebratur vigilia vsque ad mediam noctem, vel maiorem
" partem noctis nisi rationabilis causa obstiterit. Die quo tumulatur Magister, nul-
" lus legat vel disputet.
" *Pratum S. Germani in eo statu in quo fuit eis adjudicatum, eis planè confirmamus.*
" Quilibet Magister forum sui Scholaris habeat. Nullus irrequisito consensu In-
" quilini vel Scholas accipiat vel Domum, dum facultatem habeat requirendi.
" Nullus incipiat Licentiatus à Cancellario, vel ab alio darâ ei pecuniâ vel fide
" præstitâ, vel aliâ conuentione habitâ. Item facere possunt Magistri & Schola-
" res tam per se, quàm cum alijs obligationes & Constitutiones fide vel pœna vel
" Iuramento vallatas in his casibus, scilicet in Interfectione vel mutilatione Scho-
" laris, vel in atroci iniuria illata Scholari, si defuerit Iustitia. Pro taxandis pretijs
" Hospitiorum, de Habitu, de Sepultura, de Lectionibus & Disputationibus:
" ita tamen quod propter hæc studium non dissoluatur aut destruatur.
" Circa statum Theologorum statuimus, quod nullus Parisius legat citra 35. æ-
" tatis annum, & nisi studuerit per octo annos ad minus, & libros fideliter & in Scho-
" lis audiuerit, & quinque annis audiat Theologiam antequam priuatas lectiones
" legat publicè, & illorum Nullus legat ante tertiam in diebus quando Magistri
" legunt. Nullus recipiatur Parisius ad lectiones solennes, vel ad prædicationes,
" nisi probatæ vitæ fuerit & scientiæ. Nullus sit Scholaris Parisius, qui certum
" Magistrum non habeat.
" Vt autem ista inuiolabiliter obseruentur, omnes qui contumaciter contra hæc
" statuta nostra venire præsumpserint, nisi infra quindecim dies à die transgressio-
" nis coram Vniuersitate Magistrorum & Scholarium, vel coram aliquibus ab Vni-
" uersitate constitutis præsumptionem suam curauerint emendare, Legationis quâ
" fungimur, Authoritate, vinculo excommunicationis innodamus. Actum anno
" gratiæ 1215. mense Augusti. In quorum testimonium & fidem in perpetuum fa-
" ciendam præsentes litteras per infra scriptum Notarium nostrum qui omnibus
" prædictis interfuit, fieri fecimus, & in publicam formam redigi ac nostri sigilli
" munimine roborari.

Circa hæc tempora suspicabitur forsitan aliquis tum primum fuisse Theolo-
gicam Facultatem à Nationibus separatam & segregem composuisse ordinem
quia hic statuta præscribuntur Facultati Artium & Theologiæ. Verum nihil est
quod id euincat. Quippe hic agitur tantum de lectionibus, de disputationibus,
& sepulturis: nec maius apparet distinctionis seu separationis argumentum, quàm
cum in ipsa Artium facultate seorsim & speciatim Statuta fiunt ad Grammaticam
Rhetoricam & Philosophiam pertinentia: quia disciplinæ non constituunt ordi-

nes ſegreges, ſed omnes exercentur à Magiſtris Nationum diſtinctarum. Itaque cum Gregorius IX an. 1231. eandem Vniuerſitatem reformat, præſcribitque modum licentiandi in Theologia, Decretis, Medicina & Artibus, non plus liquet tum fuiſſe Facultates ſegreges, quàm in Reformatione Roberti: ſiquidem ad conſtituendam ſegregem Facultatem non eſt ſatis ſtatuta condere de facultate ſeu Diſciplina illa, ſed præterea opus eſt, vt illa Facultas ſua habeat priuata Comitia, Caput ſeu Decanum proprium, ſigillum & alia eiuſmodi quæ diſtinctorum Corporum & Collegiorum notæ ſunt certiſſimæ At de Decanis Facultatum ſuperiorum neque hîc Robertus, neque vllibi Innocentius III. aut Honorius, aut Gregorius aut Innocentius IV. vt ex dicendis conſtabit; quod hic per tranſennam dictum ſit.

Porro Robertus iſte Curthonenſis Innocentij olim in Scholis condiſcipulus, acerrimus fuit Hereticorum hoſtis: at Clero Gallicano importunus & inuiſus, ſi fides eſt Continuatori Chronici Antiſſiodorenſis, qui ſic habet ad hunc annum. *Eodem anno Robertus S. Stephani in monte Celio preſbyter Cardinalis, cum iam fere per biennium ob negotium Crucis Franciam peragraſſet & propter temeritatem ſuam omnibus ſe feciſſet exoſum, tandem Concilium apud Bituricas conuocauit. Tunc Epiſcopi Franciæ appellauerunt, viri improbi impetum reformidantes, quem poſtea Romæ in generali Concilio vehementiſſimè reddidere confuſum: adeo quod D. Papa multiplices dicti Cardinalis exceſſus à Prælatis Franciæ ſibi petit relaxari.* Cauſa querelarum fuit ingens exactio pecuniarum, vnde Rex & optimates Regni irati ad Innocentium ſcripſerunt acriter: ille vero acceptis quoque à Legato Roberto litteris ſic reſcripſit.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Regi Franciæ illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Quantò melior eſt anima corpore, tantò ſpiritualia ſunt temporalibus præferenda; vnde commodum temporale non eſt cum ſpirituali damno quærendum, ne vnde lucrum quæritur temporale, inde ſpirituale periculum oriatur, teſte veritate quæ dicit: *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

Auditis itaque litteris, quas tu & quidam Barones tui circa dilectum filium R. tituli S. Stephani in Cælio-monte Preſbyterum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum, ſuper variis articulis deſtinaſtis diuerſas querimonias continentes: protinus nobis & querelas contra eundem Legatum propoſitas, & reſponſiones ipſius fecimus explicari, eâſque tibi probabiliter moderatas præſentibus litteris mittimus interclusas, hæc tuæ Serenitati breuiter reſpondentes: quòd licet idem Legatus à nobis ſuper vſuratiis non acceperit ſpeciale mandatum, quia tamen in Regno tuo plus ſolito vſuraria peſtis exereuit, in tantum facultates Eccleſiarum & Militum, aliorumque multorum deuorans & conſumens, quòd niſi tanto languori adhibeatur efficax medicina, intendere non ſufficerent ad ſubſidium Terræ ſanctæ, propter quod ipſum duximus ſpecialiter deſtinandum; vnde ipſe tanquam ſpiritualis medicus aduerſus hanc mortiferam peſtem, de conſilio virorum prudentum in diuerſis Conciliis ad curandas animas ſalubre remedium adinuenit: quocirca non decet tuam Regalem prudentiam, quæ inter cæteros Principes ſeculares Chriſtianitatis titulo eſt inſignis, pro aliquo temporali commodo ſpiritualem impedire profectum, ſicut per quaſdam litteras ad diuerſas communias deſtinatas te feciſſe dolemus, quas vt prudentiori retractes conſilio, præſenti paginæ fecimus intercludi: ſerenitatem Regiam exhortantes, quatenus nec impedias, nec facias impediri quo minus in regno tuo Eccleſiaſtica iuriſdictio valeat exerceri. Nos enim prædicto Legato præcipimus, vt adhue ſuper his, quantum cum Deo poteſt, neceſſarium adhibeat medicamen, nec in aliquo modū excedat, honeſtas conſuetudines & vſus rationabiles non immutans; limam omnium generali Concilio reſeruando, vnde volumus & mandamus, vt interim idem negotium hinc inde modeſtè procedat, quia tunc ſuper his & aliis cum ſacri approbatione Concilii ſtatuemus quod ſpiritualiter & temporaliter videbimus expedire. Datum Romæ apud ſanctum Petrum II. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo decimo.

Quoniam verò de Concilio Generali mentio incidit, celebratum eſt hoc anno Romæ in Eccleſiâ S. Saluatoris eique præſedit Innocentius: adfuerunt verò CONCILIVM LATERANENSE.

Episcopi numero 412. Patriarchæ duo, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, Antiochenus verò quia grauissimo morbo detinebatur, adesse non potuit, sed pro se Vicarium misit Antidiensem seu Andandansem Episcopum. Alexandrinus pariter à Sarracenis oppressus misit pro se Germanum Diaconum suum. Primates & Metropolitani 77. Abbates & Priores vltra 800. Procuratores Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum, Capitulorum absentium non adeo multi: at Imperatoris, Regum, Principum, Ciuitatum, Vniuersitatum plurimi interfuerunt.

In hoc Concilio actum est de recuperanda Hierosolyma, & cæteris Terræ-Sanctæ regionibus. In eoque damnati sunt errores Albigensium, Amalrici & Abbatis Ioachim liber quem aduersus M. Petrum Lombardum olim ediderat, vt aduersus Hæreticum, quia in lib. Sententiarum ita scripserat. *Quædam summa res est Pater & Filius & Spiritus S. & illa non est Generans, neque Genita, neque Procedens.* Steterat autem hæc Quæstio indecisa à temporibus Alexandri III. ad hæc vsque, cum Innocentius in Concilio sedens his verbis librum Abbatis damnauit & Petrum Lombardum Hæreseos absoluit.

Nos sacro & Vniuersali approbante Concilio credimus & confitemur cum Petro: quod vna quædam summa res est incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater & Filius & Spiritus S. tres simul personæ ac sigillatim quælibet earundem: & ideo in Deo solummodo Trinitas est & non Quaternitas: quia quælibet 3. personarum est illa res, substantia videlicet, essentia, seu natura diuina, quæ sola est Vniuersorum principium, præter quam aliud inueniri non potest. Et illa res non est Generans, neque Genita, neque procedens: sed est Pater qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus S. qui procedit, vt distinctiones sint in personis & vnitas in Natura. Licet enim alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus S. non tamen aliud. Pater enim ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse testatur. *Pater quod dedit mihi maius omnibus est.* Et dici non potest, quod partem suæ substantiæ illi dederit & partem retinuerit ipse sibi, cum substantia Patris indiuisibilis sit, vt pote simplex omnino. Sed nec dici potest quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando illam, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioquin desisset esse. Substantiam Patris integram nascendo accepit, & ita Pater & Filius eandem habuit substantiam: & eadem res est Pater & Filius, nec non & Spiritus S. ab vtroque procedens & in vtroque manens. Non enim, vt ait Abbas Ioachim, fideles Christi sunt vnum, id est vna quædam res quæ communis sit omnibus, sed sunt vnum in vnione Charitatis, in gratia. Pro personis verò Diuinis vt attendatur Identitatis vnitas in natura. Damnamus igitur & reprobamus libellum Ioachim siue Doctrinam: *ita quod si quis* eius sententiam in hac parte defendere vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus habeatur. Et reprobamus etiam & condemnamus peruersissimum dogma impii Almarici, cuius mentem sic pater mendacii excoecauit, vt eius Doctrina non tam hæretica quàm insana sit censenda.

In eodem Concilio confirmata est Constitutio de Theologali Cathedra in singulis Ecclesiis Cathedralibus quæ facta fuerat in Concilio Lateran. 3. sub Alexandro III. sic ergo Can. 11.

CATHEDRA THEOLOGICA.

Quia nonnullis propter inopiam & legendi studium & opportunitas proficiendi substrahitur, in Lateranensi Concilio pia fuit Institutione prouisum vt per vnamquamque Cathedralem Ecclesiam *Magistro* qui Clericos eiusdem Ecclesiæ aliosque Scholares pauperes gratis instituerent, aliquod competens Beneficium præberetur, quo & docentis releuaretur necessitas, & via pateret discentibus ad Doctrinam. Verum quoniam in multis Ecclesiis id minimè obseruatur, Nos prædictum roborantes statutum adijcimus, vt non solum in qualibet Cathedrali Ecclesia, sed etiam in alijs quarum sufficere poterunt facultates, constituatur Magister idoneus à Prelato cum Capitulo seu maiore ac saniore parte Capituli eligendus, qui Clericos Ecclesiarum ipsarum gratis in Grammatica facultate ac alijs instruat iuxta posse. Sanè Metropolitana Ecclesia Theologum nihilominus habeat, qui sacerdotes & alios in sacra pagina doceat, & in his præsertim informet quæ ad curam animarum spectare noscuntur.

Assignetur autem cuilibet Magistrorum à Capitulo vnius præbendæ prouentus,& pro Theologo à Metropolitano tantundem, non tamen propter hoc efficiatur Canonicus, sed tandiu reditus ipsius percipiat quandiu perstiterit in docendo. Quod si forte de duobus Magistris Metropolitana Ecclesia grauetur, Theologo iuxta modum prædictum ipsa prouideat: Grammatico verò in alia Ecclesia suæ Ciuitatis siue Diœcesis quod sufficere valeat, faciat prouidere.

Neque etiam erit inutile notare Innocentium de Concilij sententia Constitutionem de duabus dietis condidisse aduersantem Priuilegijs Vniuersitatis. Nam cum ante posset ipsa quascunque causas à quocunque Iudice ad forum Ecclesiasticum aut Regium apud Conseruatorem euocare,vetuit Pontifex generatim, ne quis quocunque priuilegio fultus vltra duas dietas ad Iudicium trahere præsumeret. Sic enim habetur cap. 37.

Nonnulli gratia sedis Apostolicæ abutentes Litteras ad remotos Iudices impetrare nituntur vt reus fatigatus laboribus & expensis liti cedere vel importunitatem Actoris redimere compellatur. Cum autem per Iudicium iniurijs aditus patere non debeat, quas Iuris obseruantia interdicit, statuimus Ne quis vltra duas Dietas extra suam Diœcesim per litteras Apostolicas ad Iudicium trahi possit, nisi de assensu partium fuerint impetratæ, vel expressam de hac Constitutione fecerint mentionem.

Peracto Concilio idem Pontifex dedit Henrico Priori San-Dionysiano & alijs Commonachis ab Henrico Abbate qui propter ætatem & infirmitatem adesse non potuerat, ad Concilium missis, Corpus S. Dionysij Corinthiorum Episcopi deferendum in Franciam, quod Petrus Cardinalis S. Marcelli de Græcia Romam deportandum curarat. Extat eius in hanc rem Bulla, in qua difficultatem tangit de veritate Historiæ sancti Dionysii Areopagitæ nondum solutam.

Innocentius Episcopus S. S. D. Dilectis Filijs Abbati & Conuentui S. Dionysij Paris. Sal.& Apost. bened. Vtrum Gloriosus Martyr & Pontifex Dionysius, cuius venerabile Corpus in vestra requiescit Ecclesia, sit ille censendus, qui Areopagita vocatur ab Apostolo Paulo conuersus, diuersæ sunt sententiæ diuersorum. Quidam autem fatentur Dionysium Areopagitam in Græcia fuisse mortuum & sepultum, aliumque Dionysium extitisse qui fidem Christi Francorum Populis prædicauit. Alij vero asserunt illum post mortem B. Pauli venisse Romam, & à S. Clemente Papa in Galliam destinatum aliumque fuisse qui mortuus est in Græcia & sepultus: vtrumque tamen egregium in opere & sermone præclarum.

De vtroque Dionysio Corinthio et Areopagita.

Nos autem neutri præiudicare volentes sententiæ, sed vestrum cupientes honorare Monasterium quod immediatè ad Rom. spectat Ecclesiam, sacrum B. Dionysij pignus, quod bonæ memoriæ Petrus tit. S. Marcelli presbyter Cardinalis tunc Apostolicæ sedis Legatus de Græcia tulit in vrbem, vobis per Dilectos Filios Henricum Priorem & quosdam alios Nuncios Monasterij vestri ad generale Concilium destinatos deuotè dirigimus, vt cum vtrasque Reliquias habueritis, nulla de cetero remaneat dubitatio, quin sacræ B. Dionysij Areopagitæ Reliquiæ apud vestrum Monasterium habeantur. Vos igitur eas reuerenter suscipite: hanc nobis vicissitudinem rependentes, vt in Orationibus vestris specialis semper ad Deum commemoratio nostri fiat, & secundum oblationem earundem Nunciorum vestrorum Vniuersaria obitus nostri memoria solenniter celebretur. Omnibus autem qui ad has sacras Reliquias venerandas deuotè conuenerint, 40. dies de iniunctis sibi pœnitentiis Authoritate Apostolica relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Concessionis & remissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Data Laterani pridie Non. Ianuar. Pontific. nostri an. 18.

Anno 1216. Innocentius III. à Ioanne Anglorum Rege enixissimè rogatus, Barones Angliæ nominatim excommunicat, mandatque Abbati de Albenduna, Archidiacono Pictauiensi & M. Roberto Officiali Norwicensis Ecclesiæ, vt singulis diebus Dominicis & Festiuis illos sententiæ excommunicationis & anathe- 1216.

mati subiiciant, curentque ab omnibus deuitari: & præter eos M. Geruasium Londinensis Ecclesiæ Cancellarium, qui se Regis inimicum apertè profitebatur. Stephanum verò de Langetona præcipuum belli authorem Romæ morari iubet, quandiu bellum inter Regem & Barones intercedet, at cum à sententia suspensionis absoluit. Rebus in eo statu positis, Rex Pontificis armis adiutus impunè omnia vastat, diripit, ferro flammisque mandat: adeo vt nunquam tam luctuosa lugubrisque visa fuerit vllibi rerum facies, quàm in Anglia: cuius miserrimæ cladis hypotyposim exhibet Mathæus Paris. ad hunc annum.

Igitur Barones omnium rerum inopes, nescii quò aut ad quem confugerent, demum missis Legatis Ludouicum Philippi filium sibi deposcunt in Regem: quorum precibus acquiescens rescripsit se quamprimum auxilio affuturum. Commercio isto intellecto Pontifex wallonem seu Gualonem S. Martini Presbyterum Cardinalem mittit Legatum in Franciam ad Philippum & Ludouicum cum litteris deprecatoriis, ne Ioannem Regem iam aliunde satis afflictum magis affligerent. Et cum Legatus diceret Ioannem se Regnumque suum Ecclesiæ Romanæ subiecisse tributariumque fecisse, ac proinde Papam eum veluti Clientem suum defensurum, Rex & Magnates qui Consilio aderant se contra talem abusum ad mortem vsque dimicaturos protestati sunt, *ne videlicet Rex vel Princeps per solam voluntatem suam posset Regnum dare vel tributarium facere, vnde Nobiles Regni efficerentur serui.* ait Matthæus.

Itaque frustra minis prohibente Legato Ludouicus deportat in Angliam exercitum, & 12. Kal. Iunii ad Stonoram appellit. Vnde ad Alexandrum Abbatem S. Augustini Cantuariensis *qui*, vt loquitur w. Thomus, *potestatem habebat sententialiter contra eum procedendi*, dat litteras declaratque quid sibi Iuris in Regnum Anglicanum competeret.

" Ludouicus Domini Regis Francorum primogenitus Abbati & Conuentui S. Augustini Cantuariensis salutem & sinceræ dilectionis affectum. Ne quis in facto nostro de Regno nostro Angliæ simplicitatem vestram per falsas circumueniat suggestiones, vel conscientias vestras contra Nos reddat scrupulosas, nudam & meram ipsius rei veritatem ad Vniuersitatis vestræ notitiam volumus peruenire. Nostis itaque quod propter proditionem notoriam quam Ioannes quondam Rex Angliæ commisit contra Fratrem suum Regem Richardum, dum esset in partibus Hierosolymitanis, in reditu eiusdem Fratris sui legitimè fuit citatus, accusatus & in Iudicio coram Paribus suis & per eos legitimè tanquam proditor condemnatus; quæ sententia condemnationis per os Hugonis de Pinsac tunc Episcopi Dunelmensis fuit solemniter promulgata: vnde mortuo Rege Richardo deuolutum est ius Regni Angliæ ad Reginam Castellæ & heredes suos, quæ sola tunc de omnibus fratribus & sororibus suis superstes fuit præter dictum Ioannem. Ipsa autem Regina & hæredes sui ius quod habuerunt in Regno, nobis & filiæ suæ quam habemus vxorem, liberaliter concesserunt, propter quod Hubertus quondam Cantuariensis Archiepiscopus in coronatione ipsius Ioannis publicè dixit, quod *non ratione successionis, sed per electionem ipsum in Regem coronabat.* Illa autem electio vel coronatio qualiscunque nobis non præiudicauit, tum quia per violentiam facta fuit, tum quia ius quod habuimus, nobis sine culpa aut consensu nostro auferre non potuit. Præterea satis notum est quomodo de murdro Arturi nepotis sui in Curia charissimi Domini & Genitoris nostri Regis Francorum, cuius ambo erant homines legii, per Pares suos citatus & per eosdem Pares tandem fuit legitimè condemnatus. Quod quidem Murdrum eisdem partibus pluribus in Anglia & pluries prædictus Ioannes est confessus, per quam condemnationē bona sua vbicunque erant, aut vndecunq; ea haberet, per vsitatas consuetudines foris-fecit, & tunc iterato Nobis tanquam vero hæredi cessit ius Regni Angliæ, maximè cum adhuc de carne sua hæredem non haberet, Nos verò pro iure nostro ex tunc eidem Ioanni guerram mouimus, quam contra ipsum continuauimus absque omni interruptione pacis vel treuga vsque ad dies istos. De guerra enim quæ postmodum inter Charissimum Dominum & Genitorem nostrum & ipsum facta fuit, nec fuimus requisiti, nec alium requisiuimus, licet præsentes essemus: vnde nec Crucis assumptio nec aliqua conditio postmodum lite pendente suscepta potest ipsum tueri, quin contra ipsum ius no-

ſtrum proſequamur. Ad hæc cum præfatus Ioannes in coronatione ſua ſolemniter prout moris eſt iuraſſet ſe iura & conſuetudines Eccleſiæ & Regni Angliæ conſeruaturum, contra iuramentum ſuum abſque conſilio vel conſenſu Baronum ſuorum idem Regnum quod ſemper fuit liberum, quantum in ipſo fuit, D. Papæ ſubiecit & fecit tributarium, bonas conſuetudines ſubuertens, malas inducens, tam Eccleſiam quàm Regnum multis oppreſſionibus multiſque modis ſtudens ancillare; quas oppreſſiones vos melius noſtis quàm nos, vt qui eas familiari ſenſiſtis experimento. Pro quibus cum poſt multas requiſitiones guerra mora eſſet contra ipſum à Baronibus ſuis, tandem inter cætera de eius expreſſo conſenſu ita conuenit, vt ſi idem Ioannes ad flagitia prima rediret, ipſi Barones ab eius fidelitate recederent, nunquam ad eam poſtmodum reuerſuri. Verum ipſe nihilominus paucis diebus euolutis fecit nouiſſima ſua peiora prioribus, ſtudens Barones ſuos non tantum opprimere, ſed potius penitus exterminare. Qui de communi Regni Conſilio & approbatione ipſum Regno iudicantes indignum, Nos in Regem & Dominum elegerunt. Vnde apparet quod ſiue ad ſucceſſionem ſiue ad electionem habeatur reſpectus, Nos potiſſimè ius in Regno Angliæ habemus. Nos autem cum iſtis & alijs rationibus ad D. Papam ſolemnes Nuncios noſtros dudum deſtinauimus. Et audientes interim quod Cardinalis quidam Gualo nomine veniret in Franciam, miſimus ad eum rogantes ne contra nos aliquid ſtatueret, donec Nuncij noſtri à Curia Rom. redirent, aut à D. Papa nouum reciperet mandatum poſtquam Nuncios noſtros audiuiſſet. Et cum iam idem Cardinalis ad Dominum noſtrum & genitorem Regem Franciæ acceſſiſſet, idem in præſentia Prælatorum & Magnatum Franciæ fecimus dici coram nobis expreſſe ius & propoſitum noſtrum proteſtantes. Ipſe autem Cardinalis tunc contra nos in nullo proceſſit, nec viſus eſt velle procedere. At nunc in Angliam ingreſſus, ſuggeſtionibus & muneribus inimicorum noſtrorum immutatus, Nos & noſtros vt audiuimus per Prælatos & Officiales Eccleſiarum intendit grauare. Quapropter veſtram attentè rogamus diſcretionem, quatinus ſicut ad libertatem Eccleſiæ & Regni Angliæ venimus, vt videlicet tam Regnum quàm Eccleſiam antiquæ & debitæ per Dei gratiam reſtituamus libertati, propter nullius falſam ſuggeſtionem vel iniquam iuſſionem nos velitis turbare, vel noſtrum bonum & pium propoſitum & commune bonum Angliæ impedire, nec aliquid contra Nos vel noſtros nobis irrequiſitis promulgare, ſcituri quod qui bona fide in hac parte nobis aſſiſterint, perpetuum nos amicum contra quemlibet habebunt & defenſorem, nec pro lucro vel damno ei aliquo vnquam tempore deerimus: Illi verò qui ſecus egerint, Nos perpetuum ſentient inimicum. Valete.

Ludouici blanditijs Alexander non emollitus, neque minis territus Ioanni adhæret. Ludouicus verò vrbes aduentu ſuo conſternatas aut expugnat aut in deditionem accipit; agros depopulatur, fautoreſque Ioannis vbique paſſim opprimit. Sequitur eum Gualo Legatus, & apud Glouerniam, quò Ioannes fugerat, conuocatis Abbatibus, Clericis, & Epiſcopis quos potuit, Ludouicum nominatim cum popularibus, & M. Simonem de Langetona Stephani fratrem excommunicat. Quâ de re ſic Mathæus. *Legatus Epiſcopis*, Abbatibus cum Clericis quos habere poterat conuocatis, Ludouicum nominatim cum complicibus & fautoribus & præcipuè M. Simonem de Langetona pulſatis campanis & candelis accenſis excommunicauit, præcipiens Epiſcopis & alijs vniuerſis vt ſingulis Dominicis diebus ac feſtiuis per totam Angliam ſententiam publicarent. Sed ad hæc M. Simon de Langetona & M. Geruaſius de Hobrugge Eccleſiæ S. Pauli Londinenſis Præcentor cum quibuſdam alijs, dixerunt ſe pro iure & ſtatu Ludouici appellaſſe: vnde ſententiam *illam* irritam habuerunt & inanem.

Interim miſſi à Ludouico Legati, Romæ apud Innocentium Papam Dominum excuſant & Regem Angliæ multis criminibus onerant, præſertim verò quod Arthurum nepotem ſuum legitimum Regni hæredem iugulaſſet. Sed parum proficiunt. Ludouicus verò longè latèque in Anglia dominatur. Vvalo, vt ait Mathæus, exigit Procurationes ab Eccleſ. Cathedralibus & Domibus Religioſis, 50. ſolidos, pro ſingulis: omnia Beneficia Clericorum & Religioſorum qui Ludouico adhæſerant, ſequeſtrat, & omnia in ſuos & Clericorum ſuorum vſus conuertit. Ve-

rum eum vtrinque decertaretur, contigit & Ioannem & Innocentium Papam mori. Ioannes Henricum Primogenitum suum Hæredem Regni relinquit, & apud Wintoniam sepelitur, cum hoc Epitaphio.

Hoc in sarcophago sepelitur Regis imago
Qui moriens multum sedauit in orbe tumultum,
Et cui connexa dum vixit probra manebant.
Hunc mala post mortem timor est ne fata sequantur.
Qui legis hæc metuens dum cernis te moriturum,
Discito quid rerum pariat tibi meta dierum.

Henricus erat tantum decennis, & Custodem habuit willelmum de Penbroc Angliæ Marescallum qui sapientibus consilijs suis Anglorum animos ad obsequium nouo Regi præstandum Gallosque nostros expellendos conuertit: quam ad rem Walo Legatus non parum contulit.

Eodem igitur quoque tempore nempe 17. Kal. Augusti moritur apud Perusium Tusciæ Ciuitatem Innocentius, vir litteratura plurima clarissimus & facundiæ singularis, postquam sedisset an. 18. mens. 5. dies 4. Cui successit intra paucos dies Cincius SS. Ioannis & Pauli presbyter Cardinalis, & Honorij III. nomen accepit seditque annis decem, mensibus 8. diebus 23. & primo sui Pontificatus anno. 11. Kal. Ian. Ordinem Prædicatorum recens institutum confirmauit. an. 2. Ordinem Vallis-Scholarium. an. 8. Ordinem FF. Minorum.

Hisce quoque temporibus agitabatur in Scholis Luterianis Quæstio illa percelebris *de Concursu Diuino ad omnes Actiones*, quam M. Præpositinus olim Cancellarius Parisiensis (qui florebat circa an 1200) agitat in sua Theologiæ Summa. Petrus verò Aureolus Minorita qui & Cardinalis fuit ante an. 1300. docet in 2. sentent. dist. 38. solennes eâ de re fuisse suo etiam tempore duas opiniones: quarum vna asserebat non omnem actum esse à Deo, cuius Antesignani fuerunt Guillelmus Antissiodorensis, & postea Durandus à S. Porciano Aruernus, Nicolaus Bonetus Minorita qui sub Philippo Valesio floruit circa an. 1330. & alij. Altera contra contendebat Deum ad omnes actiones concurrere.

Hoc anno apud summum Pontificem Honorium summopere vrgebant S. Guillelmi Buturicensis Archiepiscopi Canonizationem Gerardus eius successor, Simon Cantor & alii Canonici eiusdem Ecclesiæ, qui ab Innocentio III. eam impetrare non potuerant. Mandauit autem Honorius Willelmo Antissiodorensi Episcopo & quibusdam alijs viris pijs, vt diligenter in eius vitam inquirerent. Porro huiusce viri vitam à Canonico Bituricensi conscriptam, sed nondum ante an. 1657. editam iuuat hic apponere, vt sciant omnes quàm non absque gratui ratione Natio Gallicana eum sibi delegerit in Patronum. Manuscriptum autem huiusce vitæ seruatur in Bibliotheca San-Victorina Paris.

VITA B. GVILLEL. BITVRIC. Beatus Guillelmus nobilis genere, longè fuit nobilior vitæ laudabilis sanctitate. A primæua quidem ætate cuidam auunculo suo Suessionensis Ecclesiæ Archidiacono mitæ honestatis viro, qui Petrus Eremita dicebatur, à parentibus traditus fuit moribus & litteris informandus. A quo velut forte potius quodam præsagio futurorum fuit Guillelmus Eremita postmodum nuncupatus. In Suessionensi quidem primò, deinde in Parisiensi Ecclesia factus Canonicus timens ne rerum affluentia & blandimenta sæculi eum à sancto proposito reuocarent, ad Grandimontensem Eremum conuolauit. Vbi cum seminator discordiæ hostis humani generis seminasset discordiam inter Clericos & Conuersos, & Licentiatis Clericis à Domino Papa transferendi se ad Religionem aliam, prout Dominus vnicuique inspiraret, B. Guillelmus Cisterciensem Ordinem prælegit. Factus autem Monachus apud Pontiniacum cum in obseruatione Ordinis deuotionem aliorum præcellere niteretur, in Priorem concorditer est assumptus. Fama verò Religionis suæ magis ac magis crebrescente, primò Fontis-Ioannis, deinde Karoli-loci (Charly) factus Abbas, tandem cooperante Diuinâ gratiâ in Primatem Bituricensis Ecclesiæ per electionem Canonicam est electus. Qui etiam multiplicatis intercessionibus ponentibus ante oculos eius periculum quod imminebat toti Prouinciæ, si iteratò dicta Ecclesia sub Electionis dubio fluctuaret

ret, vix induci potuit adhoc vt electioni factæ consentiret, aut vllo vnquam tempore ad Bituricensem Ecclesiam se transferret. Verum cooperante Spiritu S. & studiosissimè laborante Odone bonæ memoriæ Parisiensi Episcopo, vt illi Ecclesiæ præficeretur, qui tanto congrueret honori & oneri, multorum precibus simul & exhortationibus deuictus prius pro viribus resistens, tandem sustinuit se in Archiepiscopum consecrari. In quanta autem mansuetudine vbique subditos pertractauit & quantum in eis profecit verbo pariter & exemplo, non esset facile verbis breuibus explicari: sibi enim durus, aliis verò mansuetus & benignus ex quo seculum dereliquit, nunquam carnes aliqua infirmitatis necessitate seu alicuius victus persuasione comedit, nec carnem suam labe incontinentiæ vllo vnquam tempore maculauit. Sciens enim in carne præter carnem viuere, totâ vitâ suâ Virginitatis priuilegium non amisit. Super quo fidem ferebant iuramento præstito suorum testimonia Confessorum. Inanem gloriam eo cautelæ libramine declinabat, quod studiosè laborabat, vt cum agebat aliquid virtuosum, soli Deo non sibi vel alii attribueretur. Cum autem linguæ detrahentium in conspectu eius vitas mordebant absentium, aut mutabat materiam aut negabat audientiam, vel dicebat aliquando, *Detrahenti*, dic ei qui tremit & febricitat, vt non tremat, & vibebis si tremere propter te cessabit. Forsan sic & is de quo loqueris, inuitus facit quod facit, & cessare vellet si posset. His & aliis virtutibus quibus illuminabat patriam quasi lucerna lucens in caliginoso loco, hanc superaddidit in eo Deus gratiam specialem, vt viuens miraculis coruscaret.

In Patriarchio Bituricensi legitur quod cum post obitum Henrici Archiepiscopi Bitur. Electores non conuenirent, in hanc tandem sententiam descenderint, vt quem ex 3. Abbatibus Cisterciensis Ord. nominatim designatis, Archiepiscopum fieri debere indicaret Odo Paris. Episcopus, olim Cantor eiusdem Ecclesiæ Bitur. is Archiepiscopus esset. Odo verò rem Deo commisit, nam cum mane ad Ecclesiam S. Mariæ de Salis humiliter ac deuotè Missam celebraret, Deumque rogaret, vt è tribus Abbatibus, quorum nomina sub Palla altaris posuerat, quem vellet assumi, forte iuberet educi, postquam Missam celebrauit, forte Guillelmum eduxit: consciis tantum duobus eximiis viris scientiâ insignibus & multâ probitate conspicuis, quorum alter Turonensis, alter Meldensis Ecclesiæ postea regimen susceperunt. Et ita willelmus omnium consentientibus votis factus est Archiepiscopus.

Anno 1217. Ludouicus Philippi nostri filius omnibus in Anglia amissis, desperato omni auxilio intra vrbem Londinensem inclusus à willelmo de Penbroc Mareschallo ad miseras pacis conditiones descendit & redit in Galliã cum paucis. 1217.
Ab hisce vero pacis conditionibus eximitur M. Simon de Langetona propter contumaciam, sic enim Matthæus. *Ab hoc absolutionis & pacis beneficio excepti fuerunt Episcopi, Abbates, Priores, Canonici seculares & Clerici multi qui Ludouico ac Baronibus consilium præstiterant & fauorem, & maximè M. Simon de Langetona cum M. Geruasio de Hobrugge, qui tantâ obstinatione diu perstiterant, vt Ludouico & Baronibus excommunicatis diuina facerent celebrari mysteria à Presbyteris excommunicatis. Vnde ab omnibus Beneficiis spoliati à Legato, Romam ire compulsi sunt. Nam illico post recessum Ludouici ab Anglia, Legatus misit Inquisitores per omnes Angliæ prouincias, qui quoscunque de consensu etiam leuissimo culpabiles inuenerunt, cuiuscunque essent Ordinis vel dignitatis, suspensos miserunt ad Legatum, & ab omni beneficio spoliatos, qui illorum Beneficia suis Clericis abundanter distribuit, atque de damnis aliorum suos omnes diuites fecit.*

Eodem an. Bononiæ lex solemniter lata est de *Honore Scholarium*, quibus probri loco ipsa litterarum professio objiciebatur, vt notat. Sigonius l. 4 Hist. Bonon. talis autem est, *Ne cui aut Iuri ciuili aut alij scientiæ vel docendi vel discendi causâ operam danti, eatenus Infamis nomen objicito. Si obiecerit, Exulis pœnas dato, nec nisi arbitrio eius, cui obiecerit, reuertito. Hæc lex in perpetuum valeto.* Tunc florebat Azo Iurisc. Baldwini Discipulus, de quo sic Odofredus Iurisconsultus. *Hunc librum pridie festum Sanctorum inchoauimus, quod aliàs fieri nunquam vidi, nisi eo anno quo D. Azo est mortuus. Nam gratia eius initium Professionis in festum omnium Sanctorum est prorogatum: audiui autem ab eo ipsum nunquam ægrotare solitum, nisi per studiorum vacationes, atque ita vacationibus ipsis est mortuus.* Quod verò valde memorabile est, idem BONON. LEX PRO SCHOLARIBVS.

Odofredus alio loco sic scribit. *Vidi ego Bononiæ ætate D. Azonis cum Scholares poterant vitare forum in Causa Criminali, & aderant eo tempore ferme decem millia Scholarium. Verum Scholares renunciarunt huic Priuilegio ætate D. AZonis, cum esset orta inter Tuscos & Lombardos maxima rixa, itaut Doctoribus non liceret in eos animaduertere. Quare permiserunt, vt Prætor causas Scholarium criminales cognosceret, sed in ciuilibus suum Priuilegium retinuerunt. Nunc vero renouata est vetus consuetudo. Faxit Deus ne sibi inuicem noceant. Nam per Doctores agrè maleficia Scholarium puniuntur.* Hæc scribebat Odofredus an. 1262; ille autem Ioannem Balduinum audiuerat, Balduinus Azonem, quem etiam est insectatus, Azo Ioannem Bosianum, Bosianus Alberici de porta Rauennate fuit æqualis, ac sine dubio aut Bulgari, aut Martini, aut alius Primorum Iurisconsultorum auditor. Ita Sigonius.

DOMINICANORVM ADVENTVS IN CIVITA. TEM PARIS. Eodem anno primum aduenerunt *Dominicani* seu Fratres *Prædicatores* Lutetiam Parisiorum, vt scribit P. Ludouicus de Valle oleti Dominicanus in quodam M. S. quod seruatur in Bibliotheca Victorina, & cuius mihi copiam fecit clarissimus vir D. de Blemur, Academiæ Paris. addictissimus. *Anno*, inquit, *D. 1217.* » misit B. Dominicus aliquos Parisius: & fratres primò receperunt domum ad ma- » nendum inter Domum Episcopi & Domum Dei. Et eodem anno data est eis » Domus S. Iacobi, & modicum post venit B. Dominicus Parisius & ibidem fere » 30. Fratres inuenit, & illis Domum Regularem disposuit, ordinando Claustrum, » Dormitorium, Refectorium, Cellasque ad studendum. Istum autem Conuen- » tum quem sic S. Pater fundauit, inter omnes Conuentus Ordinis speciali amore » & affectu dilexit, spiritu Diuino præuidens quales & quantos fratres in futurum » nutriret & educaret, qui vita & doctrinâ totam illuminarent Ecclesiam. Nam » quando recessit de Parisius & iuit Bononiam, statim misit Conuentui Parisiensi » probatissimum fratrem Reginaldum, qui post B. Dominicum in vita & Doctri- » nâ secundus habebatur, & texerat Parisius in IureCanonico annis quinque. Qui » S. Pater in isto Conuentu diem clausit extremum. Fuit autem in Conuentu Pa- » risiensi Prior longo tempore Frater Mathæus, qui Canonicè in Ordine Prædica- » torum electus est in Abbatem, fuitque primus & nouissimus Abbas vocatus, & » sepultus est in Capite Chori dextri istius Conuentus prope sedes inferiores.

Hic Reginaldus de quo loquitur, erat S. Aniani Aurelianensis Decanus, qui cum Manasse Episc. suo Romam profectus an. 1216. adeo sacris Dominici concionibus captus est & delinitus, vt se statim Ordini adiungendum postularit, quem an. 1218 cum quibusdam aliis Ioanne, Bertrando & Christiano Bononiam misit Dominicus, eoque concionante multi Religionem ingressi, inter quos Rollandus Cremonensis *Physicorum Doctor*, Aloneta liberalium Artium Magister & alii complures, vt refert Sigonius in Episcopis Bononiensibus. Ab eodem Lutetiæ F. Iordanus natione Teutonicus Baccalaureus in Theologia in Ordinem ascitus est, vt refert Ludouicus Valleoletanus in libello, de quo supra.

» De hoc Reginaldo ita legitur in Annalibus Ecclesiæ Aurelianensis ex Theo- » dorico in vita S. Dominici l. 2 c. 11. apud Surium tom. 6. *Habent* acta vitæ S. Do- » minici Institutoris Ordinis Fratrum Prædicatorum an. Dom. 1218. Aurelianen- » sem Episcopum (Manassem) Romam venisse & cum eo M. Reginaldum Deca- » num virum per omnia laudabilem, famâ celebrem, eruditione conspicuum, qui » etiam Parisiis quinque annis in Iure Canonico prælegerat. Hunc demum in- » genti miraculo B. Mariæ Virginis interuentione ex desperata valetudine restitu- » tum sanitati in Prædicatorum Ordinem ingressum, miris modis Institutum il- » lud doctrinæ & sanctitatis suæ præconiis propagasse. Mirum est quomodo hic san- » ctus vir tam subitò consummatus sit annis tantùm duobus sub instituto S. Do- » minici militans. Sed auget admirationem, quod tam breui tempore mirè Ordi- » nem hunc prædicationibus & vitæ sanctimonia & Romæ & Bononiæ & Parisiis » propagarit, tot viros celebres in S. Dominici institutum acciuerit, quos inter Bo- » noniæ M. Rolandum, Parisiis Iordanum & Henricum homines Doctrina con- » spicuos aggregauit.

Eodem anno Philippus Druidensis Episcopus Beluacensis *tam bellator quàm Clericus* inquit Helinandus, fato communi functus est pridie nonas Nouemb. sepultusque est in Choro Basilicæ Maioris cum hoc Epitaphio.

Francorum Soboles, Regum generoſa Philippus
Præſul in hoc templo quondam iubet oſſa recondi.
Ex humili quando iſtud opus conſurgit in altum,
Huc tranſlata iacent Comiti ſociata Rogero.

De eius geſtis in armis non loquor: ad rem noſtram præcipuè faciunt 34. & 35. articuli ipſius Teſtamenti, in quibus legat *Pauperibus Scholaribus S. Thomæ de Lupara* aliquam pecuniæ ſummam. In 34. quidem ſic. *Item delego Eccleſiæ B. Thomæ de Lupara 15. libras ad fabricam Eccleſiæ.* & in 35. *Item delego Hoſpitali Pauperum Clericorum de Lupara 50. libras, quas ei debemus de Domo noſtra ad domum ædificandam.*

Hoc quoque anno tandem B. Guillelmus Bituricenſis Archiepiſcopus in Cælitum numerum adſcriptus eſt per Honorium ſummum Pontificem: quæ res iam ante tentata fuerat, ſedente in Cathedra S. Petri Innocentio: ſed ille expectandum ratus vt diuina ſe proderet in hocce viro voluntas, inque miracula quæ præſtaret, amplius inquirendum, perficere non potuit quod inceperat. Igitur inſtantibus & vrgentibus Girardo Vlgrini ſucceſſore, Cancellario eiuſdem Eccleſiæ, Guillelmo Antiſſiodorenſi Epiſcopo & aliis pluribus viris Religioſis & piis qui in veritatem miraculorum maturè & diligenter inquiſiuerant, Honorius eum inter Sanctos repoſuit: ſeruaturque eius Bulla in Tabulario Bituricenſis Capituli & eſt eiuſmodi. CANONIZATIO B. GVILLELMI BITVRIC.

"*Honorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentem paginam inſpecturis Sal. & Apoſt. Ben. Etſi electi dicantur pauci reſpectu multitudinis vocatorum*, non eſt tamen aliquatenus dubitandum, quin ex tanto fidelium numero eligatur maxima multitudo. Vnde & Prophetæ conquerenti ſe ſolum eſſe relictum omnibus aliis interemptis, eſt reſponſũ à Domino, Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui ante Baal genua non curuauerunt, & B. Euangeliſta Ioannes cum reuelatum ſibi numerum ſignatorum ex duodecim Tribubus conſpexiſſet, vidit turbam magnam quæ dinumerari non poterat, amictam ſtolis candidis, & tenentem palmas in manibus coram Deo. Porro iuſtus & miſericors Deus fideles ſuos quos prædeſtinauit ad vitam omnes quidem coronans in patria, quoſdam eorum ſecundum altitudinem diuitiarum ſapientiæ ſuæ ac miſericordiæ glorificat, & in via, vt frigeſcentem iam in pluribus Charitatis igniculum accendat mirabilium nouitate ſuorum & prauitatem confundat Hæreticam, dum ad Catholicorum tumulos faciens miracula pullulare, manifeſtè demonſtrat eos habuiſſe dum viuerent, rectam fidem. Ipſo igitur piæ recordationis VVillelmum Bituricenſem Archiepiſcopum quem in vita non ſolum virtutibus ſed etiam ſignorum oſtenſionibus inſigniuerat, faciente poſt obitum celebrioribus miraculis coruſcare, Venerabilis frater noſter Archiepiſcopus & dilecti filii Canonici Bituricenſes ipſum per Apoſtolicam ſedem adſcribi Sanctorum Catalogo inſtanti deuotione ac deuota inſtantia multoties petierunt. Cum autem neceſſaria maturitate diu ſuſpenſa fuiſſet petitio eorundem, eo quod cum huiuſmodi iudicium Diuinum ſit potius quàm humanum, difficile eſt mortalem hominem iudicare de illis qui veſte mortalitatis exuti Chriſto credunt viuere ac regnare. Demum ipſis propter miraculorum frequentiam, petitionem prædictam humiliter replicantibus, Nos ne Miniſterium noſtrum Diuinæ dignationi mirificanti ſanctum ſuum ſubtrahere videremur, Venerabili fratri noſtro Antiſſiodorenſi Epiſcopo & dilectis filiis Bonitadij & Colonienſi Abbatibus Ciſtercienſis Ord. dedimus in mandatis vt cum opera pietatis in vita & miraculorum ſigna poſt mortem ad hoc quod quis reputetur ſanctus in militanti Eccleſia requirantur, licet ad ſanitatem animæ opera ſola ſufficiant in Eccleſia triumphanti, diligentiſſimè inquirerent de vtroque, & quæ inuenirent fideliter redigentes in ſcriptis, ea nobis tranſmitterent ſub ſuorum munimine ſigillorum, quatenus per eorum relationem inſtructi in negotio ipſo ſecurius Domino inſpirante procedere valeremus. Qui primo iuxta mandati noſtri tenorem de illius conuerſatione ac vita, ac deinde de miraculis inquiſitionem facientes per legitimos teſtes & omni exceptione maiores & adſtrictos iuramenti vinculo diligentem, inuenerunt ipſum ſanctæ conuerſatiu-

" nis odorem aliis fuiſſe dum viueret & inſignium miraculorum multitudine poſt " obitum claruiſſe. Quæ rum quia nota ſunt, tum quia præ ſui multitudine non " poſſent ſub breuitate narrari, præſenti paginæ non duximus inſerenda, melius " æſtimantes ſcripturo glorioſam eius Hiſtoriam vniuerſa relinquere, quàm paucis " authoritatem Bullæ noſtræ appoſitione præſtando, eam reliquis quodammodo " derogare. Ipſis autem miraculis quæ Inquiſitores prædicti nobis ſub ſuis ſigillis " incluſa prout in mandatis receperant, tranſmiſerunt, examinatis per quoſdam " de fratribus noſtris primitus diligenter, ea demum in pleno conſiſtorio fecimus " ſolenniter recitari, eius ſanctitatem morum & ſignorum virtutem ad fauorem " petitionis, pro qua prædicti Archiepiſcopus & Canonici vnà cum Epiſcopis & " Prælatis Bituricenſis Prouinciæ aliiſque quam pluribus vehementer inſtabant, " concurrere videremus, Diuinum & humanum ſecuti iudicium de fratrum no- " ſtrorum Conſilio poſt multam deliberationem habitam cum eiſdem, nec-non " cum Archiepiſcopis & Epiſcopis exiſtentibus apud ſedem Apoſtolicam, quos ad " Conſilium noſtrum admiſimus, de diuina miſericordia & eiuſdem Sancti meritis " confidentes, ipſum Sanctorum Catalogo duximus adſcribendum. Statuentes " vt in die depoſitionis ipſius feſtiuitas deuotè à Chriſti fidelibus annis ſingulis de " cætero celebretur. Quocirca deuotionem veſtram monemus in Domino & hor- " tamur per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus eiuſdem " Sancti memoriam cum celebritate debita venerantes eius apud Deum ſuffragia " humiliter imploretis. Datum Romæ apud S. Petrum 16. kal. Iunij Pontif. no- " ſtri an. 2.

Eadem die indulget idem Pontifex 40. pœnitentiæ dies iis qui eius corporis tranſlationi adeſſent, & qui quotannis eiuſdem memoriam celebrarent. *Honorius &c. Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentem paginam inſpecturis Sal. & Apoſt. Bened.* " Diuinæ benignitas pietatis ſanctos & electos ſuos in cœleſtis Regni felicitate lo- " catos adhoc in terra miraculorum coruſcatione clarificat, vt fidelium per hoc ex- " citata deuotio eorum ſuffragia digna veneratione depoſcat. Vnde cum B. Wil- " lelmum Bituric. Archiepiſcopum quem Dominus claris, ſicut nobis plenè con- " ſtitit, miraculis illuſtrauit, Sanctorum Catalogo adſcripſerimus, monemus Vni- " uerſitatem veſtram in Domino & hortamur quatenus eius apud Deum parroci- " nia deuotis mentibus imploretis. Cum autem eius venerabile corpus ſit de loco " in quo eſt, ad alium transferendum, Nos de Beatorum Petri & Pauli, & ipſius " glorioſi Confeſſoris meritis confidentes, Vniuerſis qui ad ſolemnitatem eius ipſo " die quo transferetur, vel infra Octauas cum deuotione conuenerint, 40. dies pœ- " nitentiæ iniunctæ relaxamus, omnibus qui ad eiuſdem Tranſlationis ſolemnitatem " futuris annis ipſo Tranſlationis die reuerenter acceſſerint, eandem indulgentiam " concedentes. Datum Romæ apud S. Petrum 16. Kal. Iunii Pontif. noſtri an- " no 2.

Eodem anno miſſi ſunt in Franciam à Bertrando Legato Apoſtolico in Waſconia tunc commorante Fulco Toloſanus Archiepiſcopus & M. Iacobus de Vitriaco alumnus & Magiſter Vniuerſitatis Pariſienſis ad prædicandam Crucem contra Albigenſes obſtinatiſſimos hæreticos: qua de re ſic ſcribit M. Guillelmus de Podio Laurentii in Chronico c. 30. *Mittitur in Franciam D. Toloſanus à Legato Epiſcopus prædicaturus Crucem cum aliis qui mandatum habuerant in eodem: cum quibus fuit M. Iacobus de Vitriaco vir magnæ honeſtatis, litteraturæ & eloquentiæ, qui poſtea fuit Epiſcopus Acconenſis, deinde in Ro. Curia Cardinalis, de quo etiam audiui D. Epiſcopum Toloſanum referentem, quod ab eo audierat ſibi iniunctum fuiſſe per viſionem in ſomnis à B. Saturnino Toloſæ Protopræſule, vt contra ſuum populum prædicaret.*

1218. DOMVS DOMINICANORVM. Anno 1218. prima Dominicanorum Domus conſtrui & ædificari cœpit atque dotari ex donis M. Ioannis de S. Quintino, Anglicanæ nationis viri, & Philippi Regis Medici Primarij, de quo & de cuius donatione ſic habet Mathæus Pariſ. ad an. 1198. *Eodem anno, inquit, defuncto Papa Celeſtino Innocentius III. ſucceſſit in die Cathedræ S. Petri Papa conſecratus & in Petri Cathedra collocatus. Cuius fauore exortum eſt in Italia nouum genus Prædicatorum qui Iacobitæ voluerunt appellari, eo quod vitam cœperunt Apoſtolicam imitari.* Quibus verbis Cæcilianus Codex ſubiungit. *Quod nomen in principio ſubarratum, tunc deinde cœpit eis adhærere, cum M. Ioannes Regis Francorum Phyſicus natione Anglicus & de pago S. Albani oriundus, eiſ-*

dem Prædicatoribus manſionem ſuam dedit, quam peregrinis hoſpitium quærentibus Pariſius aſſignauerat. Quæ Domus S. Iacobi fuerat appellata. Vnde Iacobitæ ipſi Prædicatores hodie appellantur. Iſti in victu & veſtitu ſatis tenues aurum & argentum vel aliud quid proprij non poſſidentes ibant per Ciuitates & vicos & Caſtella verbum Euangelij prædicantes. Multiplicati ſunt autem in breui per orbem vniuerſum propter ſpontaneam paupertatem, habitantes deni & ſepteni ſimul in vrbibus Capitalibus, nihil de craſtino cogitantes, nec quicquam vſq; mane retinentes. De Euangelio quoque iuxta regulam Euangelicam viuebant: & ſi quid ſibi in menſa ex Eleemoſynarum largitione ſuperabundabat, hoc continuo pauperibus erogabant, &c. Erat autem Magiſter ille Ioannes Decanus S. Quintini.

Eodem anno Bononiæ M. Benus Florentinus ad Grammaticam docendam accitus hoc ſacramento ſe obligauit. *Ego M. Benus Florentinus iuro me nullo modo daturum operam vt ſchola Bononienſis aliò transferatur. Et ſi quem id tentare comperero, me pro viribus impedimento futurum, ſin minus, Prætori indicaturum, neque alibi vllo tempore in Grammatica recturum;* Sic refert Sigonius. Virum autem in Grammaticis peritiſſimum fuiſſe oportet, quandoquidèm Petrus de Vineis eo mortuo, ait *Grammaticæ artis extinctam eſſe lucernam, ac ſiccatum eſſe fontem irriguum, nempe Magiſtrum Bene, qui non ab infimo poſitiuo, ſed à ſuperlatiuo meruerat deriuari.*

Cum autem Vniuerſitas Pariſienſis, paulo ante hæc tempora malè omnino à quibuſdam Vicariis Petri Epiſcopi Pariſ. qui ad expeditionem ſacram profectus fuerat anno 1215. habita fuiſſet & à Cancellario Pariſ. excommunicata, propterea quod eo inconſulto nonnulla ſtatuta fecerat, quæ contra quandã Reformationẽ ab Odone Soliacenſi & Octauiano Oſtienſi Epiſc. Legato facta fuiſſe dicebat, ipſa Vniuerſitas fruſtra cum multoties precibus emollire conata, confugit ad Honorium Pontificem, querelas ſuas exponit, & ab excommunicatione abſolui poſtulat. Ille autem cognitis Cancellarii iniuriis, per Heruæum Epiſcopum Trecenſem vitâ, ſcientiâ & famâ præclarum, per Robertum Decanum & per Cantorem coerceri iubet, inſuper prohibens ne quis deinceps audeat excommunicationis fulmina in Vniuerſitatem emittere. Præterea diem dicit Cancellario, vt vel ab obiectis criminibus ſe purget ſi poſſit, aut pœnam ſubeat quam merebitur. Bulla Pontificis multa continet ſcitu digniſſima. Eſt autem eiuſmodi.

Honorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo & Dilectis filiis Decano & Cantori Trecenſi Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Si Doctorum & Diſcipulorum Pariſienſis Vniuerſitas præcipuè ſic exceſſiſſet, vt eorum culpa nec palliari poſſet, nec impunita relinqui, tantæ tamen & tam venerabili multitudini decuiſſet in hoc ſaltem deferri, vt ad pœnam non procederetur ipſorum, niſi Apoſtolicæ ſedis ſententiâ requiſitâ. Sed Vicarii ſeu Procuratores Venerabilis Fratris noſtri P. Pariſienſis Epiſcopi, ac ſpecialiter Cancellarii Pariſienſ. qui vnus illorum extitit, hoc nequaquam, vt decuit, attendentes, nec verentes *Studium Pariſienſe, quod Doctrinæ ſuæ fluenta vſquequaquam diffundens Vniuerſalis Eccleſiæ terram irrigat & fœcundat in montes Gelboe ſuper quos nec ros cadit nec pluuia*, cõmutare impetum fluminis qui Ciuitatem Dei lætificat, curſum Doctrinæ videlicet ſiſtere præſumpſerunt. Sic enim grauis nobis eorundem Doctorum querimonia patefecit, cum Procuratores prædicti eis ipſius Epiſcopi litteras obtuliſſent, continentes quod idem Epiſcopus innouans id quod à bonæ memoriæ Octauiano Oſtienſi Epiſcopo Apoſtolicæ ſedis Legato & prædeceſſore iam dicti Pariſienſis Epiſcopi factum erat, excommunicabat omnes illos qui de *cætero ſine conſenſu & authoritate ipſius vel Pariſienſis Eccleſiæ circa ſtatum Scholarium vel Magiſtrorum facerent aliquam conſpirationem ſeu conſtitutionem aut obligationem quamlibet iuramento vel fide aut aliâ quacunque pœnâ vallatam.* Ipſi Doctores attendentes quod eiuſdem Epiſcopi factum nitebatur facto ſupradicti Epiſcopi Oſtienſis, eius ſuper hoc litteras exhiberi petierunt humiliter ac inſtanter, nec potuerunt vllatenus obtinere.

Bulla Honorii III. pro Vniuerſitate contra Cancellarium.

Deinde cum eadem inſtantia petierunt interpretationem illorum verborum *Conſtitutionem aut obligationem quamlibet*, vtrum videlicet intelligerent generaliter tam de Conſtitutione licita, vtili & honeſta, quàm de illicita, erroneâ & iniuſtâ. Quibus reſpondentibus quod intelligerent generaliter de omni licita vel illicita, bona vel mala, ipſi grauamen non dubium attendentes ſe ad Appella-

„ tionis refugium conuerterunt. Porro cum ad prosecutionem ap p ellatio nis prædictæ foret Nuncius ad sedemApostolicam destinandus,*& sine col le ctaV niuersitas* „ *non haberet expensas*, MAGISTRI LIBERALIVM ARTIVM *fide interposita se ac suos* „ *Discipulos adstrinxerunt ad seruandum quod super hoc à suis* Procuratoribus *contin-* „ *geret ordinari.* Cumque dicti Procuratores iniunxissent eisdem, vt ad impensas „ Nuncii destinandi *contingentem tribuerent portionem*, & ipsis quod iniunctum fuerat adimplentibus Nuncius ipse iter ad nos veniendi iam dudum esset aggressus, „ prædicti Cancellarius & Complices eius contempto quod ipsi Doctores non „ solum verbo, sed facto quoque nostram audientiam appellauerant, suum ad nos, „ vt dictum est, Nuncium destinando super sui ruinâ studii anxiantes, ipsi Cancellario & sociis eius, nunc vniuersis nunc singulis supplicauerunt humiliter & instanter vt rigorem huiusmodi temperarent; sed nec suis nec venerabilis fratris nostri „ Syluanectensis Episcopi & dilectorum filiorum Decani & Capituli Parisiensis, „ qui pro eis intercessores humiles accesserant, potuerunt precibus obtinere vt „ præfati Magistri & scholares Artium reciperentur ad pœnitentiam non obstante „ denunciatione prædicta, cum appellatio legitima præcessisset. Vnde præ confusione facici & mentis angustia defecit in ipsis Doctoribus spiritus ad legendum. „ Et quod valde dolentes audiuimus, in omni Facultate silet Parisius vox Do- „ ctrinæ. Et negatâ desiderantibus pœnitentiâ perceptio Dominici Corporis eisdem in ipso Dominicæ Resurrectionis die fuit per consequens denegata. Et- „ enim Cancellarius ipse super dolorem eorum addere non desistens, contemptis „ Statutis quæ super his facta fuerant, per Iudices à sede Apostolicâ delegatos, „ Magistros ab officio suo suspendere ac scholares mancipare carceri non veretur. „ Nolentes igitur tantum Doctorum ac Scholarium sæpe dictorum grauamen, „ tantamve Cancellarij psius ac præfatorum sociorum eius insolentiam vlterius „ sub dissimulatione transire, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus „ Magistros & Scholares ipsos sublato appellationis obstaculo, authoritate no- „ strâ publice nunciantes huiusmodi sententiâ non ligatos, ac inhibentes districtè „ ne quis de cætero sine speciali sedis Apostolicæ mandato in ipsorum Vniuersita- „ tem tales audeat sententias promulgare, Iniungatis sæpe dictis Cancellario & „ sociis eius, vt ipse Cancellarius personaliter, Complices verò eius per Procuratores idoneos in Octauis B. Michaëlis proximis, quas eis diem peremptorium „ assignamus, Apostolicæ sedis conspectui se repræsentent, vt super prædictæ „ temeritatis excessu, si potuerint, se excusent, aut meritam sentiant vltionem, „ ipseque Cancellarius famam suam quæ apud nos multipliciter est grauata, tueatur si poterit, aut iniquitatis suæ vinculis constringatur. Ad hoc iniungatis Vniuersitati Doctorum, vt & ipsi Procuratores suos propter hoc ad Nos mittant „ termino superscripto. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, „ Tu frater Episcope cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Romæ „ apud S. Petrum 5. id. Maij Pontif. nostri an. 3.

Erat tunc Ecclesiæ & Vniuersitatis Paris. Cancellarius M. Radulphus de Remis vir imperiosus & duræ ceruicis, ad quem extat Epistola Innocentij III. in lib. 3. ordine 41. Quomodo verò lis ista Romæ decisa fuerit, non habemus Credibile quidem est Magistros statim scholas resumpsisse sublato per Episcopum Trecensem omni excommunicationis per Cancellarium irrogatæ metu.

Vnde porro dissidia ista tam frequentia Cancellarii Parisiensis cum Vniuersitate? crediderim ex eo prouenisse: quod cum sine dubio Cancellarius magnum ius haberet in Scholam Episcopalem seu Claustralem, (quæ non poterat exerceri nec haberi absque conscientia aut permissione Episcopi vel ipsius Cancellarij) eamque suæ Iurisdictioni & Imperio subditam haberet, eandem potestatem, ius & authoritatem extendere voluerit in Academicas, easque suis legibus & mandatis adstringere, nec siuerit eas vlla statuta se non conscio & aduocato condere; aut alio sigillo vti quàm eo cuius custodiam habebat, hoc est quàm Capitulari. Quemadmodum si Cantor Ecclesiæ Parisiensis, qui Præfectis Minorum Scholarum dat docendi licentiam in omnibus vrbis regionibus eosque certis legibus adstringit, itaut non possint ipsi alias condere quàm quas præscripsit, eandem authoritatem extendere vellet hodie in Professores Academicos. Vt autem iste, si hoc tentaret, ius sibi indebitum arrogaret; ita & Cancellarius contra fas

æquumque, quod ius & imperium in ſcholas Epiſcopales habebat, ſibi vindicare moliebatur in Academicas. Vnde etiam quoties res iſta in quæſtionem & diſceptationem venit, toties lite cecidit.

Nam imprimis ſtatutorum condendorum facultatem malè omnino & perperam Vniuerſitati derogabat. Quippe ex iis quæ ante diximus, patet Innocentium III. probaſſe & confirmaſſe ſtatuta quæ fecerat Vniuerſitas de habitu Academico, de lectionibus & diſputationibus deque exequiis defunctorum, ipſamque rogaſſe vt Magiſtrum G. quem, quia contumax fuerat, è conſortio ſuo expulerat, in priſtinum gradum reſtituere vellet. Item ipſummet Pontificem ab Vniuerſitate rogatum vt ſibi concederet *Syndici* conſtituendi facultatem, reſpondiſſe id à ſe peti non debuiſſe, quod de iure communi ei competebat.

Deinde cum obtenderet Cancellarius factam aliquam conſtitutionem ab Octauiano Innocentij Legato & Odone Epiſcopo Pariſienſi contra Vniuerſitatem, rogatus eam exbibere, non potuit aut noluit, quia credibile eſt ipſi non fauiſſe. Equidem eà forte cautum fuerat, ſub pœna excommunicationis, ne ſcholares conuentus vllos facerent aut ſocietates contraherent ad ſeditionem, aliaue eiuſmodi quibus tumultus & turbæ excitari potuiſſent: at quis credat eos vnquam prohibuiſſe ne conuentus ab ipſis haberentur ad diſciplinæ Scholaſticæ conſeruationem aut reformationem? Illicitæ ergo conſtitutiones & colligationes prohibitæ fuerant, non verò licitæ & honeſtæ. Vnde Honorius mctirò ſuccenſet Cancellario, quod contra conſuetudinem, contraque ius omne excommunicationis ſententiam in Magiſtros & Scholares tuliſſet, aut ferri curaſſet.

Quod autem Octauiani conſtitutio de Congreſſibus & Conuentibus illicitis, non de licitis Comitiis intelligi debuerit, patet ex quodam Edicto Officialis Pariſienſis, qui hoc eodem anno ſententiam tuiit excommunicationis in Scholares noctiuagos, eorumque ſeruos arma portantes, quæ eſt eiuſmodi.

Sententia Officialis Paris. contra Scholares.

Officialis Eccleſiæ Pariſienſis Vniuerſis Eccleſiarum Rectoribus, Magiſtris & Scholaribus in Ciuitate & ſuburbio Pariſienſi conſtitutis ad quos præſentes litteræ peruenerint, ſalutem in Domino. Frequens & aſſidua confirmatio circunſtrepit quod *nonnulli Clerici & Scholares* nec non eorum ſeruientes fatuitate ipſorum Clericorum confiſi ſuæ ſalutis immemores Deum non habentes præ oculis ſunt Pariſius, qui vitam ſcholaſticam ſe ducere fingentes, illicitos & facinoroſos actus ſæpe & ſæpius armorum confidentiâ confiſi perpetrant & exerunt. Videlicet quod de die & nocte multos vulnerant & exteros interficiunt, mulieres rapiunt, opprimunt Virgines, hoſpitia frangunt, nec non latrocinia & multa alia enormia Deo odibilia ſæpe & ſæpius committendo. Et quoniam hæc & alia per confidentiam armorum & vſum attentantur, Nos attendentes Decretum ſummi Pontificis, quo cauetur quod Clerici arma portantes excommunicentur, audientes & quod Prædeceſſores noſtri ſic incedentes aliquando excommunicauerunt, imò quòd hoc ſit notorium & manifeſtum, quod non poteſt aliqua tergiuerſatione celari, & eorum ſententia non fuit reuocata, volentes occurrere tantis malis & paci ac ſtudentium tranquillitati & aliorum in pace viuere volentium, proinde ad inſtantiam multorum bonorum & de conſilio eorundem excommunicamus in ſcriptis *Clericos atq; Scholares & eorum ſeruitores qui de nocte & de die Pariſius cum armis incedunt*, nec de licentia Reuerendi Patris Pariſienſis Epiſcopi vel noſtrâ. Excommunicamus & in ſcriptis raptores mulierum, fractores hoſpitiorum, oppreſſores Virginum, nec non omnes illos qui ad hæc facienda ſe colligauerunt. Excommunicamus nihilominus omnes ibidem qui aliquid de præmiſſis ſciunt, niſi infra 7. dies à tempore ſententiæ poſtquam ſententia ſic ſuper præmiſſis lata ad eorum notitiam peruenerit, illud quod ſciunt dicto D. Epiſcopo vel nobis duxerint reuelandum, & ad emendationem venerint competentem, abſolutionem tamen Clericorum pro præmiſſis ſic excommunicatorum D. Epiſcopo vel nobis ſpecialiter retinemus. Verum quia nonnulli Clerici & ſcholares ac ſeruientes eorundem qui veniendo de partibus ſuis, vel redeundo ad partes ſuas arma Pariſius detulerunt, nec non & alii ſcientes Clericos ſcholares ac ſeruientes ipſorum arma Pariſius detuliſſe, verentur ex cauſis prædictis ſe prædictam excommunicationis ſententiam incurriſſe, tenore præſentium declaramus, quod non eſt nec fuit intentionis noſtræ, quod prædi-

" ctâ sententiâ ligentur illi Clerici Scholares ac eorum Seruientes, qui Parisius cau-
" sâ studij venientes arma consueta deferentes in via, in primo ingressu Ciuita-
" tis Parisiensis vsque ad hospitium suum deferunt, nec etiam illi qui reportare
" volentes vel pro negotiis vtilibus & honestis vltra dictam viam à Ciuitate Pa-
" risiensi proficiscentes eundo ac redeundo arma similia deferunt, dum exeant
" Ciuitatem. Declaramus etiam illam clausulam, quâ dum excommunicamus om-
" nes illos qui aliquid de præmissis sciuerint, esse quod non intelligimus illud
" verbum præmissum ad omnia præmissa & singula referri, sed ad clausulas im-
" mediatè præcedentes, videlicet de *Raptoribus mulierum*, *fractoribus hospitiorum*,
" *oppressoribus Virginum* & eorum qui se ad hæc colligant facienda. Præsens autem
" mandatum ita exequimini, quod de inobedientia non possitis redargui vel pu-
" niri. Datum anno Dom. 1218. dic Veneris post Epiphaniam Domini.

Sed vt ad Constitutiones Honorij Pontificis redeamus, iuuat consequenter plurimas attexere, quas in gratiam Academiæ Parisiensis & studiorum promulgauit. Inter quas extat illa percelebris de Iure Ciuili quod Parisiis doceri vetuit, propterea quod non valet Ius scriptum in Francia. Antea quidem erant etiam illius scholæ in Acad. Paris. vt ex Rigordo retulimus, aiente suis temporibus Parisiis viguisse *Iuris Ciuilis scientiam* simul cum aliis Facultatibus: at quia frequentes tumultus intercidebant à Scholaribus in eo studentibus, qui vt ætate prouectiores, ita ad rixas & contentiones etiam cruentas promptiores erant, impetrauit forte ab Honorio Episcopus Paris. vt saltem aliò seu in aliam Ciuitatem Iuris Ciuilis Disciplina transferretur, quò Parisiense studium pacatius foret & tranquillius. Ne tamen Academiæ Paris. iniuriam facere videretur aut detrimentum afferre, aliam prætexuit causam Pontifex, nimirum vt studium Theologiæ ferueret ardentius, quod minus accuratè colebatur, plurimis ad Iuris Ciuilis scholas se conferentibus, non modò secularibus, sed ipsismet viris Religiosis, vt infra dicemus. Extat autem in hanc rem Honorij Decretalis lib. 5. Decret. Greg. tit. de Priuilegiis, hoc modo.

HONORIVS AVFERT AB ACAD. PARIS. IVRIS CIVILIS DISCIPLINAM.

Honorius, &c. super specula &c. & infra. *Sanè licet sancta Ecclesia Legum secularium non respuat famulatum*, quæ æquitatis & Iustitiæ vestigia imitantur: quia tamen in Francia & nonnullis Prouinciis Laici Romanorum Imperatorum legibus non vtuntur, & occurrunt rarò Ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint Statutis Canonicis expediri, vt plenius sacræ Paginæ insistatur. *& infra.* Firmiter inter-
" dicimus & districtius inhibemus ne Parisius vel in Ciuitatibus, seu aliis locis vi-
" cinis quisquam docere vel audire Ius Ciuile præsumat. Et qui contra fecerit,
" non solum à causarum patrociniis interim excludatur, verum etiam per Episco-
" pum loci excommunicationis vinculo innodetur.

Idem iuxta Constitutionem Concilii Turonensis ab Alexandro III. factam an. 1163. vetuit ne Monachi seu Religiosi viri Legum & Medicinæ lectiones exciperent: idemque interdixit Presbyteris & Beneficiatis: vt habetur lib. 3 Decretal. tit. vlt. *Super specula &c.* & infra. *Contra Religiosas Personas de Claustris*
" exeuntes ad audiendum Leges vel Physicam Alexander Prædecessor noster olim
" statuit in Concilio Turon. vt nisi intra 2. mensium spacium ad Claustrum re-
" dierint, sicut excommunicati ab omnibus euitentur, & in nulla causa, si patroci-
" nium præstare voluerint, audiantur. Reuersi autem in Choro, Mensa, Capitulo
" & cæteris, vltimi fratrum existant, & nisi forte ex misericordia sedis Apostolicæ,
" totius spem promotionis amittant. Verum quia nonnulli ex talibus propter quo-
" rundam opiniones diuersas excusationis aliquid adsumebant, Nos volentes vt de
" cætero, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, districtè præcipien-
" do mandamus, quatenus tam à Diœcesanis & Capitulis ipsorum, quàm à cæteris
" Episcopis, in quorum Diœcesibus huiusmodi studeant, tales excommunicati &
" prædictis pœnis obnoxij, publicè nuncientur. Quia verò Theologiæ Studium
" cupimus ampliari, vt dilatato sui tentorii loco funiculos suos faciat longiores,
" vt sit fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum quibus re-
" sistere valeat adscendentibus ex aduerso, ad Archidiaconos, Decanos, Pleba-
" nos, Præpositos, Cantores, & alios Clericos personatus habentes, nec non Pres-
" byteros nisi ab his intra spacium præscriptum destiterint, hoc extendi volumus
" & mandamus appellatione postpositâ firmiter obseruari.

Ita

Ita amandato ab Academia Paris. Iure Ciuili idem Pontifex Prælatis & Capitulis mandat, vt ad Theologiæ studium Scholares mittant, quos quandiu illi disciplinæ vacabunt, vult gaudere fructibus suorum Beneficiorum. Habetur eius Bulla lib. 5. Decret. tit. de Magistris his verbis.

Super specula, &c. Et infra. Volumus & mandamus vt statutū in Concilio Generali de Magistris Theologis per singulas Metropoles statuendis inuiolabiliter obseruetur. Statuentes vt quia super hoc propter raritatem Magistrorum se possent forsitan aliqui excusare, ab Ecclesiarum Prælatis & Capitulis ad Theologicæ professionis studium aliqui docibiles destinentur: qui cum docti fuerint, in Dei Ecclesiâ velut splendor fulgeant firmamenti, ex quibus postmodum copia possit haberi Doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri ad iustitiam valeant plurimos erudire: quibus si proprii prouentus Ecclesiastici non sufficiunt, prædicti necessaria subministrent. Docentes verò in Theologica Facultate dum in scholis docuerint, & studentes in ipsa, integrè per annos quinque percipiant de licentia sedis Apostolicæ prouentus Præbendarum & Beneficiorum suorum, non obstante aliquâ contrariâ consuetudine vel statuto, cum denario fraudari non debeant, in vinea Domini operantes.

Quia verò aliqui constitutionem illam ita interpretabantur, vt qui in Theologia studebant, non modo reditus annuos beneficiorum suorum, sed quotidianas etiam distributiones perciperent, idem Pontifex mentem aperuit clarius & Abbati ac Priori S. Genouefæ significauit, aiens velle quidem se vt absentes in Theologiæ studio fructus Beneficiorum suorum perciperent, non verò quotidianas distributiones.

Honorius &c. Dilectis filiis Abbati & Priori S. Genouefæ Paris. Sal. & Ap. Ben. Licèt vobis direxerimus scripta nostra vt Magistro N. Eboracensi Archidiacono in sacra pagina cupienti studere prouentus suos Ecclesiasticos faceretis integrè ministrari, Nolumus tamen, vt quotidianas distributiones quæ tantum residentibus in Ecclesiis, & his qui intersunt horis Canonicis exhibentur, ei tribui faciatis.

Eodem anno idem Pontifex confirmauit Ordinem Vallis-Scholarium à M. Guillelmo Anglico institutum, vt ad an. 1201. retulimus. Eodem destructi sunt & planè diruti muri vrbis Hierosolymitanæ à Sarracenis, dum à Christianis Damieta obsidebatur: ad cuius vrbis obsidionem profecti erant inter cæteros ex Academicis nostris Petrus Cambius Episcopus Paris. M. Robertus de Curzon Cardinalis, olim Cancellarius Vniuersitatis & eiusdem Reformator. In destructione autem vrbis Hierosolymitanæ vnum est dignum memoriâ, quod Sarraceni Sepulchro Domini nostri I. C. pepercerint propter reuerentiam loci, licet de eo destruendo consilium iniissent. Causam autem, cur pepercerint, hanc refert Matthæus Paris. *Quia*, inquit, *in Alcherano* libro Legis eorum scriptum habetur Iesum Christum Dominum nostrum de Maria Virgine fuisse conceptum & natum, quem sine peccato vixisse inter homines, prophetamque & plusquam prophetam esse profitentur. Cœcos enim illuminasse, leprosos mundasse, & mortuos suscitasse astruunt. Verum quoque asserunt eum ad Cœlum ascendisse. Vnde quando tempore Treugarum sapientes eorum Hierusalem ascendebant & postulabant sibi Codices Euangeliorum exhiberi, deosculabantur ac mirabantur eos propter munditiam quam Christus docuit: & præcipuè propter Euangelium Lucæ *Missus est Gabriel*, quod sæpius tractant & repetunt Litterati eorum.

Hoc anno Franciscani primum Hospitiolum Lutetiæ quoque obtinuerunt, quorum aliqui biennio ante iam aduenerant. Primus eorum Guardianus hic fuit Agnellus, qui an. 1219. in Angliam transfretans anno 1220 Oxoniæ scholas erexit beneficio M. Roberti Capitonis Gall. Grosse-teste, Anglice verò Greathedde, qui secularis docebat Minoritas.

Florebat hocce tempore in Academia Bonon. M. Tancredus Iurisconsultus Ecclesiæ Bonon. Archidiaconus, cuius viri authoritate motus Honorius eum publicæ professionis immodicam vellet coercere *Licentiam*, eam cognitionem ipsi demandauit, quam hodie etiamnum Archidiaconus Bonon. obtinet: ac litteras in hæc verba ad eum dedit, vt refert Sigon. l. 5. Hist. Bonon.

Honorius Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Archidiacono Bonon. Sal. & Apost.

„ Ben. Cum sæpe contingat, vt in Ciuitate Bononiensi minus docti ad docendi „ regimen assumantur, propter quod & doctorum honos minuatur & profectus „ impediatur scholarium volentium erudiri, Nos eorundem vtilitati & honori vtiliter prospicere cupientes, authoritate præsentium duximus statuendum, vt „ nullus alterius ope in Ciuitate prædicta ad docendi regimen assumatur, nisi à te „ obtentâ licentiâ, examinatione præhabita diligenti. Tu denique contradictores si „ qui fuerint, vel rebelles per Censuram Ecclesiasticam appellatione remota compescas. Datum Reate IV. Kal. Iulii Pontif. nostri an. 3.

Alio diplomate ius illi indulsit, vt scelere Doctores atque scholares liberare posset, qui manus nefarias Clericis iniecissent. Scripsit item ad Episcopum Henricum à Fracta, vt Theologiæ studium in vrbe aleret, neque Religiosos aut Iuri Ciuili aut Physicæ operam dare permitteret. Hæc Sigonius.

Eodem tempore Bonifacius Bonconsilius volens in Gymnasio Bononiensi profiteri, iurauit apud Frassam Iudicem seu Prætorem se obseruaturum quæ in constitutione de Dominis legum continebantur. Quem falsò Rectorem fuisse Gymnasii tradit Sigonius. Accursius tum cœpit Bononiæ Ius Ciuile interpretari.

De Compilatione Decretalium.

Porro Tancredus ille de quo supra, is est, qui qui fuerint Decretaliũ Compilatores, indicat in Præf. ad Compilat. 3. quæ ex fide MS. sic habet. *Post Cõpilationẽ Decretorum factam à Gratiano, multa à Rom. Curia Decretales Ep. emanauerunt, quas M. Bernardus tunc Præpositus, postmodum Episcopus Papiensis ad studentium vtilitat.m sub* „ *competentibus titulis compil.uit, quadam antiqua iura interserendo, & vocatur Compi-* „ *latio prima* Post illam Compilationem quædam aliæ Decretales à diuersis „ Apostolicis emanauerunt, quas M. Gilbertus adinstar primæ Compilationis sub „ titulis collocauit. Post illum M. Alanus suam similiter Compilationem effecit. „ Tandem M. Bernardus Compostellanus Archid. in Romana Curia moram faciens aliquantam, de Registris D. Papæ Innocentij III. vnam fecit Decretalium „ Compilationem, quam Bononiæ studentes Romanam Compilationem aliquando vocauerunt. Verum quia in ipsa Compilatione quædam repetiebantur „ Decretales quas Rom. Curia refutarat, sicut hodie quædam sunt quas Curia „ ipsa non recipit, idcirco felicis recordationis D. Innocentius Papa III. suas Decretales vsque ad an. 12. editas per M. Petrum Beneuentanum Notarium suum „ in præsenti opere compilatas Bononiæ studentibus destinauit. Post quarum receptionem M. Galensis Decretales omnium Apostolicorum qui præcesserunt „ Innocentium, de ruinis Compilationis Gilberti & Alani extrahens quandam „ Compilationem ordinauit, quæ hodie suæ 2æ Decretales dicuntur, super quarum expositionibus plures Doctores Bononiæ glossas plurimas, varias & diuersas „ posuerunt, & apparatus plures super eis fecerunt atque scripserunt. Et quia de dictis apparatibus opiniones studentium erant diuersæ sententiæque confusæ, „ idcirco *Ego Tancredus Bononiensis Canonicus S. Petri qualiscunque Decretorum Magister* ad multam instantiam sociorum meorum meliora & vtiliora de dictis apparatibus colligens, ex ingenio meo quædam interserendo, sicut ex signis Glossularum singularum demonstratur, primas & secundas Decretales, prout melius „ potui, glossulaui. Sed super præsenti 3. Compilatione non apparatum feci, sed „ audiendo atque legendo quædam in libro notaui, quæ scholares quidam absque „ conscientia mea de libro meo extraxerunt, & pro apparatu tertiarum illum mihi „ intitulauerunt. Nunc autem docendi officio ad multorum instantiam reassumpto præsentem 3am. Compilationem cum diligentia Domino fauente glossabo, „ & Constitutiones Concilij proximè celebrati & Iura à D. Innoc. Papa 3. post 12. „ annum edita tam in apparatibus à me factis, quàm in hoc quem indicare dispono, diligentissimè collocabo.

1219. Anno 1219. obiit insignis ille Willielmus de Pembroc Angliæ Mareschallus Regis Henrici Iunioris & Regni Rector, & libertatis Anglicanæ assertor. Honorificè tumulatus est Londini 17. Kal. April. ipso die Ascensionis, vt ait Mathæus. Tale autem fertur eius Epitaphium.

Sum quem Saturnum sibi sensit Hibernia, Solem
Anglia, Mercurium Normania, Gallia Martem.

Eodem anno iterum reuocata eſt in diſputationem & in dubium Beatitas Thomæ Cantuarienſis. Poſt liberatam enim à Gallicanis exercitibus Angliam & pacem redditam multi inter Theologos Pariſ. præſertim verò Normani & Angli, vt Henrici Iunioris gratiam aucuparentur, & M. Stephanum de Langetona ArchiepiſcopumCantuarienſ.qui cladis Anglicanæ author fuiſſe videbatur, opprobriis onerarent, Cantuarienſes Archiepiſcopos funeſtos Angliæ ſemper fuiſſe aſſeuerabant, imò ipſum etiam Thomam licet inter ſanctos ab Alexandro III. relatum auſus eſt M. Rogerus Normanus aſſerere dignum fuiſſe morte.

Eodem anno, Honorius Pontifex approbauit nouos Ordines Dominicanorum & Franciſcanorum, eiſque priuilegium conceſſit eiuſmodi vt poſſent vbique terrarum prædicare & in altari viatico celebrare etiam abſque licentia Prælatorum:refertur inter Decretales l. 5. tit. de Priuilegiis, hoc modo. *In his quæ ad cultum Diuinum facere dignoſcuntur, non maligna ſed benigna eſſet potius interpretatio facienda. Vnde mirari compellimur quod cum FF. Prædicatoribus & Minoribus duximus indulgendum, vt vbicunque fuerint ſine parœcialis Iuris præiudicio cum altari valeant viatico celebrare, Quidam nimis ſtrictè interpretando indulgentiam noſtram nituntur aſſerere, quod per eam prædicti fratres præter Prælatorum aſſenſum facere hoc non poſſint, propter quod eos celebrare iuxta indulgentiam Apoſtolicam non permittunt. Cum autem eis nihil conferat memorata indulgentia, ſine quâ id Prælatis annuentibus liceret eiſdem, fraternitati tuæ mandamus quatenus interpretatione huiuſmodi reprobata, dum tamen ab aliis quæ iure parochiali proueniunt, prorſus abſtineant, datam eis ſic licentiam celebrandi authoritate noſtra non differas publicare, ita quod dicti Fratres aliquam ex Indulgentia noſtra videantur in hoc gratiam conſecuti.*

De Dominicanis et Franciscanis.

Speciatim verò in gratiam Prædicatorum ſic ſcribit ad omnes Prælatos, eod. anno his verbis.

Honorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis & Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis ad quos litteræ iſtæ peruenerint. Dilecti filii Prior & Fratres Ordinis Prædicatorum prouidè attendentes, quod qui abſcondunt frumenta, maledicuntur in populis, frumentum ſuum verbum prædicationis videlicet, quod eſt pabulum animarum, ſuper aquas multas ideſt populos multos ſeminant inceſſanter & ſarcinis Diuitiarum mundanarum abiectis quò expeditius currant per mundi huius agrum, quem plus ſolito ſentes operiunt vitiorum, in abiectione voluntariæ paupertatis eunt, & flentes ſemina ſua mittunt, vt Domino dante miſericorditer incrementum, ad eius aream ſuos cum exultatione valeant manipulus reportare. Ipſos igitur quorum & propoſitum ſanctum & Miniſterium neceſſarium arbitramur, Vniuerſitati veſtræ duximus affectuosè commendandos, Charitatem veſtram rogantes & exhortantes in Domino ac per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus pro reuerentia Diuina ad Officium prædicandi ad quod deputati ſunt, benignè recipientes eoſdem, ac populos vobis commiſſos, vt ex ore ipſorum verbi Dei ſemen deuotè ſuſcipiant, ſedulò admonentes pro noſtra ac Apoſtolicæ ſedis reuerentia in ſuis eis neceſſitatibus liberaliter aſſiſtatis, quatenus ad illud ſuſcipiendum veſtris exhortationibus præparati tanquam bona & fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant ſegetem ſeminare virtutum, & dicti fratres per cooperationem veſtram ſuſcepti Miniſterii curſum felicius Deo conſummante, optatum reportent ſui laboris fructum & finem, ſalutem videlicet animarum. Datum Viterbij 6. id. Dec. Pontif. noſtri an. 4.

De M. Edmundo Cantuariensi Archiepisc.

Hiſce temporibus M. Edmundus Richius Abingdoniæ in Anglia natus, quod oppidum quinque milliaribus ab Oxonienſi Academia diſtat, ſummâ Diſcipulorum frequentiâ & nominis famâ Lutetiæ docebat. Ille enim poſt aliquot pueritiæ annos in Academia Oxon. exactos Lutetiam profectus confecto ſtudiorum curriculo Cathedram quoque Magiſtralem conſcendit, in quo Gallia, inquit Nicol. Harpsfeldius ad 13. ſec. rarum quoddam pietatis beneficentiæque exemplum vidit: *cum enim Lutetiæ legeret libros Decretales, ipſos etiam 12. Prophetas & pſalterium vendidit, vt egenis quibuſdam ſcholaſticis proſpiceret.* Theologiam quoque magna cum laude profeſſus eſt, in cuius prælectionibus mirum dicitur habuiſſe excitandorum piorum affectuum artificium: vnde fit, vt clari viri ex omni Eccleſiaſtico Ordine ad eum audiendum vndique concurrerent, qui ſæpe cum præ-

legeret, clausis libris lachrymis se totos date cogebantur. Quadam nocte visus est per somnium scholas in quibus prælegebar, incensas videre, exque eo igne septem faculas ardentes promanasse. Postridie Abbas quidam Cisterciensis Disciplinæ auditorio eius interfuit: lectione absoluta septem ex Edmundi Discipulis toto seuerioris & cœlestis vitæ desiderio inflammati Abbatem adeunt, seque Disciplinæ Cisterciensium adscribi enixè postulant: quorum vnus fuit Stephanus (de Lexintona) Clareuallensis postea Abbas, &c. ita fere Harsfeld.

Sed placet incomparabilis huiusce viri vitam moresque ex authore cui valde notus fuit, describere. Is est Vincentius Bellouacus qui hisce quoque temporibus Lutetiæ versabatur. Ille autem in singulis vitæ gradibus Edmundum mirabilem proponit. Et primò quidem, quemadmodum eidem pueto Parisios à Matre misso Christus in forma pueri apparuerit, repræsentat. *Cum autem*, inquit, mitteret eum vnà cum suo fratre mater Parisius, vt liberalibus imbuerentur studiis seu artibus, modicam pecuniæ summam dedit eisdem dicens illis, Si maternam vt bonos decet filios, iussionem seruaueritis, confido in Domino quod in omnibus ipse prouisor munificus erit vobis. Duo quoque dedit eis cilicia, præcipiens vt illis super nudo se vestirent bis aut ter in hebdomada. Timebat enim ne postquam discretionis annos attingerent, per deuexa vitiorum & abrupta voluptatis incederent. Ideoque rudes in arte bellandi familiariter informauit, & prius exercitans quàm in belli discrimine necessario ttaherentur, rudimentis intellectualibus sensualitatis studia præuenire curauit. Ipsa etiam Edmundo quem velut sanctitatis eius præscia cæteris filiis plus dilexit, dum studeret Parisius cum indumentis lineis Cilicium mittere consueuit, meritoque præ cæteris eum dilexit, qui nusquam piam Matrem pius videlicet filius verbis aut operibus offendit. Ita namque Deo & piæ matri suæ placere studuit, quod omnem à se leuitatem resecans, omnino choreis aliisque ludicris seu spectaculis se subtraxit. Diebus quoque Dominicis & festiuis iuxta monita matris antequam comederet, psalterium ex integro psallere consueuit.

Et quoniam amantissimus Domini totis visceribus studuit authorem vitæ diligere, ipse in forma puerili eidem puero se voluit demonstrare. Cum enim *Pratum quoddam* spatiandi causa Coætaneis inuitantibus consensisset ingredi, ab ipsorum tamen comitatu se celerius separauit, ne conscientiæ suæ puritatem, vel nugis puerilibus, vel otiosis sermonibus contingeret maculari. Dum igitur incederet solitarius sacris insistens meditationibus, apparuit ei puer ille candore niueo nitidus & colore roseo rubicundus, qui velut à summo cœli cardine delapsus subitò sic eum prior allocutus est officiosissimè salutando: Salue dilecte mi: qui cum audisset, vt puer in sermone ignoti pueri miratus est: quem cum ille paucfactum & hæsitantem conspiceret, ipsum denuo alloquens quæsiuit an ipse sibi vel tenuiter notus esset. Ille simplicitatis columbinæ respondens sermone simplici, Nullam, inquit, teneo notitiam tui, nec sum vt æstimo, notus tibi. Adiecit puer: quomodo ita sum tibi incognitus, præsertim cum in scholis ad latus tuum sedeam & tibi quocunq; fueris, inseparabiliter fuerim sociatus? Deinde subdidit: In faciem meam respice, & quod in fronte mea scriptum fuerit, aduerte sedulus toto corde. Quod cum fecisset, scriptum legit in ea litteris cœlestibus: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Qui statim quod viderat, ei retulit, & ab ipso protinus audiuit: Hoc est nomen meum, quod tibi sit memoriale in desiderio animæ. Et hoc diligenter & articulatim noctibus imprime fronti tuæ. Per hoc enim poteris contra mortem muniri subitam. Et quisquis eâdem scripturâ munierit modo consimili frontem suam. His dictis puer ille in quem desiderant angeli prospicere, disparuit: sed in pectore pueri sui quem visitare dignatus est, non parum dulcedinis reliquit.

Deinde prosequitur quid postquam est factus Magister Artium, fecerit, quamque piè & religiosè se gesserit.

Factus verò Magister Artium, præter morem tunc legentium, Missam & horas Canonicas quotidie priusquam legeret, audire consueuit: quæ scilicet religiosa consuetudo suis etiam Scholaribus profuit, quos vt secum audire Missas assuescerent, sic induxit. Et vt hoc liberius exequeretur in parochia qua degebat, fecit Cappellam construi in honore B. Virginis, quam semper dilectione co-

luit speciali. Pius autem Magister cum vnum ex auditoribus ægrum & egentem lecto decumbere didicisset, in domum suam eum portari fecit, & qualibet nocte per quinque circiter hebdomadas ante ipsum iacuit, eique in vrinali cæterisque quæ languentis requireret necessitas, ministrauit. Et quamuis hoc fraternæ compassionis grauaretur onere, legebat tamen & disputabat continuè. Frequenter vrinale de manu decumbentis præ vanitate capitis excidens, integrum remanebat, ipsius proculdubio meritis, qui ei propter Deum humanitatis obsequium exhibebat.

Quidam etiam de Scholaribus suis morbum patiens in brachio, ostendendum ei censuit quasi sancto: cui respondit ille, sua te Deus gratia sanet ac virtute. In crastino Scholaris ad Magistrum rediit, seque sanitati restitutum asseruit. Ac ipse Magister eius morbum in suo brachio recepit, quem patienter tolerans paulò post & ipse curatus fuit.

Die quadam in studio occupatus oblitus est orationem illam, *O Intemerata*, dicere, quam in honorem B. Virginis & B. Ioannis Euangelistæ dicere consueuerat, diligenter ac deuotè. Sequenti nocte beatus ei Ioannes apparuit, & vt ei manum suam extenderet imperauit. Gerebat siquidem in manu ferulam quâ velut in eo sæuiens minabatur eius percutere palmam. Visumque est ei comminationis magnitudinem, quòd si eum percussisset, ex ictu incurrisset mortem. At ille mox clementior factus, erectam manum suspensam tenuit, & vt dictam orationem ex tunc dicere non omitteret, familiariter persuasit.

Transit ad ea quæ præstitit Edmundus postquam ad Theologiæ studium se contulit, vt ostendat virum illum in omnibus vitæ suæ gradibus & actionibus semper Deo addictum fuisse.

Transactis ergo, inquit, circiter sex annis quibus in Artibus egregiè rexerat, cum adhuc socius suis cursum legeret Arithmeticæ, apparentem sibimet in somniis agnouit matrem suam atque dicentem: Fili, quid legis, & quæ sunt illæ figuræ quibus vacas ita studiosè? quo respondente talia lego videlicet ostensis protractionibus quæ fiunt in ea Facultate: Mox illa dextram eius manum arripuit, & in eo 3 circulos pinxit quos his nominibus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, per ordinem singulis singulos insigniuit, & addidit: Fili charissime, talibus figuris & non aliis de cætero intende. Qui voce matris edoctus se se mox ad Theologiæ studium transtulit, intelligens nimirum quod sanctæ Trinitatis cognitio Theologiæ consummatio & origo Facultatis existit. Et qui prius dum in Artibus regeret, in manè Missas audire consueuerat, nunc ad Religionis augmentum media nocte Matutinas in Ecclesia S. Mederici Parisius audiebat. Post matutinas verò in orationibus cum lachrymis & gemitibus coram altari B. Mariæ Virginis vsque ad diem consueuit persistere. Ita demum nullâ quiete corporis interueniente ad Scholas cum cæteris conuenire, & sicut orandi gratia Ecclesiam adiit nocte media, sic ipsam adire ob causam consimilem horâ studuit vespertinâ. In Ecclesia reuerenter & deuotè se habuit, & in ea sedere quasi nunquam vel rarissimè consueuit. Quem cum boni nominis Archiepiscopus Eboracensis Theologiæ studio didicisset insistere, cogitauit & voluit vnam Bibliam propriis ei sumptibus præparare. Quod ille audiens renuit, nec voluit eam sibi fieri, verens ne quod Monasterium ex eius scriptura contingeret onerari. Siquidem & ipse Psalterium glossatum in 12. Prophetas & Decretales Epistolas habebat, quæ omnia vendidit, pretiumque Scholaribus egenis Parisius erogauit. Et mirantibus sociis quod contra morem omnium studentium Codices sibi necessarios detraxerat, vni eorum de hoc ipsum percunctanti seriò sic dicebat: Stulte, omnia pro Christo studentes perfectioni debemus vendere, ac pro eius amore pauperibus erogare. Tanta verò auiditate sacras amplectebatur litteras, quod in eorum studio, bene insomnes solebat ducere noctes ipsas.

De Studio Theologiæ.

Postremò tandem describit quomodo se gesserit in professione sacrarum paginarum erga auditores.

Itaque tam mirabiliter in studendo breui profecit, quod citò post paucos annos multis cum instantia suadentibus Magistralem Cathedram licet inuitus ascendit: quamuis enim duceretur amore veritatis & iustitiæ, imparem tamen huic oneri & indignum se credidit honore. Igitur sacræ scripturæ Doctor effe-

De Professione Theologiæ.

„ ctus, & tanquam Lucerna super candelabrum positus omnibus proficere studuit, ac si omnibus esset natus. Erat enim Prædicator egregius, Disputator acutissimus, Lector pius, & in his omnibus ostendebat aliis quod ipse hauserat de fontibus Saluatoris. Frequenter multi & magni viri qui ad eum in scholis audiendum confluebant, inter legendum à lachrymis se continere non valentes, libros claudebant. Mel si quidem & Lac sub lingua habebat, idcoque dulcedinem non modicam Discipulorum mentibus instillabat. Vnde multi de scholis suis exierunt Doctores eximii, vestigia quoque sanctitatis eiusdem secuti pro viribus. Nonnulli etiam Ecclesiasticis honorati seu potius onerati beneficiis, exonerantes seipsos Religioni se dederunt, eius succensi facibus lectionis. Nimirum ignis in altari cordis eius ardens iugiter aliis ostendebat lucis iter. Hinc & quadam nocte vidit per somnium in scholis suis ignem fieri copiosum, de quo septem ardentes extrahebantur faculæ continentes mysterium rei secuturæ. In crastino dum legeret, scholas intrauit quidam Abbas Cisterciensis Ordinis qui completis lectionibus abduxit secum septem de scholaribus suis, quos ignis septiformis accenderat Charitatis, vnde spretis temporalibus & mundo vale-facientes viam vitæ feliciter arripuerunt in Monasterio dicti Abbatis Monachum induentes. Horum vnus fuit Claræ-Vallensis Abbas Stephanus. Quadam die disputaturus de S. Trinitate Cathedram conscendit, & dum ibi Discipulos exspectans, Quæstiones in animo volueret, in somnum resolutus visionem huiusmodi cernere meruit. Columba de superno volauit, ac se celeriter deferens mirificum Corpus Christi, quasi sacram Communionem tribuens in ore eius posuit: & sic ad superiora celeriter reuolauit. Experge factus ergo velut humanum excedens ingenium excellentissimè disputauit ac de B. Trinitate perspicacissimè disseruit. In prædicatione quoque ei mira gratia inerat, & ignitum eius eloquium animos auditorum quantumcunque frigidos efficaciter accendebat. Vnde & Guillelmus Comes Sarisberiæ qui Longa-spata dictus est, cum iam longo tempore nemini confessus esset, ac de sumendo Christi Corpore iuxta morem Vniuersalis Ecclesiæ non curaret, ad eius monita conuersus est.

Porro ille in Angliam regressus ex Canonico & Thesaurario Saresberiensi ad Archiepiscopatum Cantuariensem promotus est an. 1233. vt suo loco dicetur.

Eodem anno Honorius Pontifex Bulla expressa data 4. Kal. Mart. Pontific. an. 4. commendauit Dominicanos Parisienses Conuentui S. Mariæ de Vineis seu de Campis, his verbis.

„ *Honorius &c.* Dilectis filiis Priori & Conuentui Sanctæ Mariæ de Vineis extra portam Parisiensem, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Gratum gerimus quod dilectos filios fratres Ordinis Prædicatorum in sacra pagina studentes apud Parisios in visceribus Charitatis, vestræ pietatis officiis laudabiliter confoueatis.

De Aristotelis libris in Academia Bononiensi.

Circa hæc tempora Fridericus Imperator libros Aristotelis & veterum Philosophorum Academiæ Bononiensi legendos interpretandosque transmisit veluti xenium; tunc enim iam inualescebat Doctrina Aristotelis: & longè magis securis temporibus inualuit, cum Scholasticæ Quæstiones & Disputationes pulpita Philosophorum occuparunt. Sic ergo ille apud Goldastum.

„ Fridericus. ... Magistris & Scholaribus Bononiensibus. In extollendis Regiæ Præfecturæ fastigiis, quibus congruenter Officia, leges & arma communicant, necessaria fore credidimus scientiæ condimenta; ne per huius mundi suaues & muliebres semitas, nube ignorantiæ commiscente, vires vltra licitos terminos effrænatè lasciuiant, & iustitia circa debiti regulas diminuta languescat. Hinc Nos profectò qui diuina largitione populis præsidemus, generali, qua omnes homines naturaliter scire desiderant, & speciali quâ gaudent aliqui, vtilitate proficere ante susceptam nostri regiminis onera semper à iuuentute nostra quæsiuimus, formam eius indesinenter amauimus, & in odore vnguentorum suorum semper aspirauimus indefessè. Post Regni verò nostri curas assumptas, quanquã operosa frequenter negotiorum turba nos distrahat, & Ciuilis ratio sibi vindicet solicitudinis nostræ partes, quidquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, transire non patimur otiosum, sed totum in lectionis exercitatione gratuitè & libenter expendimus, totum, vt animæ clarius vigeat instrumen-

tum in acquisitione scientiæ sine quâ Mortalium vita non regitur, liberaliter erogamus. Dum librorum ergo volumina, quorum multifariè multisque modis distincta chirographa Nostratium armaria diuitiarum locupletant, sedula meditatione reuoluimus, & accurata contemplatione pensamus, compilationes variæ ab Aristotele aliisque Philosophis sub Græcis Arabicisque vocabulis antiquitus editæ in sermocinalibus & mathematicis disciplinis nostris aliquando sensibus occurrerunt; Quas adhuc originalium dictionum ordinatione conseruatas, & vetustarum vestium quas eis ætas prima concesserat, operimento contectas vel hominis defectus aut operis ad latinæ linguæ notitiam non perduxit. Volentes igitur vt veneranda tantorum operum simul authoritas apud nos non absque commodis vocis organo traducere innotescat, ea per viros electos & in vtriusque linguæ prælatione peritos instanter iussimus verborum fideliter seruatâ Virginitate transferri Quia verò scientiarum generosa Professio in pluresdispersa non deperit, & distributa per partes minorationis detrimenta non sentit, sed eò diuturnius senescit, quo publicata fœcundius se diffundit, huiusmodi celare laboris emolumenta nolumus nec existimauimus nobis eadem retinere iocundū, nisi tanti boni nobiscum alios participes faceremus. Considerantes veruntamen quorum conspectibus quorumq; iudiciis operis cœpti primitiæ possent attentius deputari, ecce vobis potissima velut Philosophiæ præclaris alumnis, de quorum pectoribus promptuaria plena fluunt, libros aliquos quos, curiosum studium translatorum & lingua non poruit fidelis instruere, consultè prouidimus præsentandos, vel destinandos. Vos igitur, viri Docti, qui de Cisternis veteribus aquas nouas prudenter educitis, qui fluenta melliflua sitientibus labiis propinatis, libros ipsos tanquam xenium amici Cæsaris gratanter accipite, & ipsos antiquis Philosophorum operibus, qui vocum vestrarum ministeriis reuiuiscunt, quorumque nutritis famam, dum dogmata sternitis sapienter vt expedit, aggregantes eos in Auditorio vestro in quo gratia virtutum fructificat, erroris rubigo consumitur & latentis scripturæ varietas aperitur cum mittentis fauore commoniti, tum clari, transmissi opetris meritis persuasi ad communem vtilitatem studentium & euidentis famæ nostræ præconium publicetis.

Anno 1220. B. Franciscus Assisias, teste Sigonio, Bononiam se contulit, quo iam biennio ante vnum è suis Bernardum præmiserat. Aduentu verò suo in foro Ciuibus & Scholaribus conuocatis concionem tantâ spiritus magnitudine habuit, vt non homo loqui, sed Angelus putaretur. Adeo vero omnium animos flexit ad pœnitentiam, vt continuo multi in Ordinem adscribi postularint, inter cæteros verò duo scholares è Piceno, Peregrinus Falleronus & Rixerius à Mucia. Extat in hanc rem scriptum Thomæ Spalatensis Archidiaconi, qui tunc temporis Bononiæ litteris operam dabat. *Cum essem*, inquit, *in studio Bononia ego Thomas Ciuis Spalatensis & Archidiaconus eiusdem Ciuitatis Cathedralis Ecclesia an. 1220. in die Assumptionis Dei genitricis vidi S. Franciscum prædicantem in platea ante Palatium paruum vbi plena tota ciuitas conuenerat. Fuit autem exordium sermonis eius.* Angeli, homines, Dæmones. *De his autem spiritibus rationabilibus ita bene & districtè proposuit, vt multis litteratis qui aderant, fueris admirationi non modica sermo hominis idiota. Non tamen ipse modum prædicantis tenuit, sed quasi concionantis tota verborum eius materia discurrebat ad extinguendas inimicitias, ad pacis fœdera reformanda: & sordidus erat habitus eius, persona contemptibilis & facies indecora. Sed tantam Deus verbis illius contulit efficaciam, vt multos nobilium quorum furor immanis multa sanguinis effusione fuerat debacchatus, ad pacis concordiam simul deduceret. Erga ipsum verò tam magna erat vniuersorum deuotio, vt viri & mulieres in eum cateruatim irruerent, & beatum se putabat qui saltem posset vel fimbriam vestimenti eius tangere.* 1220.

Eodem anno Honorius Pontifex datis ad Ciues Bononienses litteris significauit quanto studio Academiam illam prosequeretur. Cum enim immunitates Magistris & Scholaribus concessas, item & eruditorum virorum dignitates labefactarent, ille rescidit eorum leges obiecitque Ciuibus ingrati animi labem, quorum vrbem frequentia discipulorum amplificasset atque è parua maximam & opulentissimam reddidisset. *Cum*, inquit, *ex studio litterarum præter infinita commoda quæ sentitis, ex eo vestra Ciuitas inter alia sit famosa, & in vniuerso mundo nomen annuncietur ipsius, factaque sit altera Bethleem, domus scilicet panis, qui paruulis frangi-*

BONONIENSIS VNIVERSITAS

tur in eadem, ex qua exeunt duces qui regunt populum Domini, quoniam in studio eruditi assumuntur ad regimen animarum, non solum debetis a Scholarium grauaminibus conquiescere, verum etiam illos honoribus prauenire, attendentes quod ipsi gratuito ad studendum vestram praelegerint Ciuitatem, quae cum prius esset humilis, per eos ibidem congregatos diuitiis fere supergressa est Ciuitates Prouinciae vniuersas.

Eodem anno idem Pontifex Hugonem Lincolniensem Episcopum Cœlitum Catalogo adscripsit, factâ prius miraculorum eius per M. Stephanum de Langetona Cantuariensem Archiepiscopum, & per Ioannem Abbatem de Fontibus inquisitione. Talis autem est in hanc rem prædicti Pontificis Bulla.

Honorius Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Vniuersis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis salutem & Apostolicam Benedictionem. Diuinæ dignatio pietatis sanctos & electos suos in cœlestis Regni felicitate locatos adhuc in terra miraculorum consecratione clarificat, vt fidelium per hoc excitata deuotio eorum suffragia digna veneratione deposcat. Cum igitur S. recordationis Hugonem Lincolniensem Episcopum, quem sicut nobis plenariè constat, diuini muneris largitas tam in vita quam etiam post vestem mortalitatis exutam insignium miraculorum multitudine illustrauit, sanctorum Catalogo adscripsimus, Vniuersitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, quatenus eius apud Deum patrocinia deuotè imploretis. Adhæc statuentes vt die depositionis ipsius, eiusque festiuitas annis singulis deuotè de cætero celebretur. Data Viterbii 13. Kal. Martii Pontif. n. an. 4.

Eodem anno certa fama retulit mortem Petri Cambii Episcopi Paris. ad Damietam quo profectus erat cum aliis Cruce-signatis an. 1217. vt supra retulimus. Hinc orta est magna dissensio inter Canonicos Basilicæ de electione successoris, quorum alii M. Gualtero Cornuto insigni Theologo & vtriusque Iuris perito fauebant: alii alium extolli cupiebant. Sed tandem Willelmus de Castro Silligniaco Antissiodorensis Episcopus *vir religiosus & prudens &c. in hostes Ecclesiæ rigidus executor Iustitiæ*, inquit Continuator Chronici Antissiodorensis, iussu Honorij Papæ ad Episcopatum transmigrat Parisiensem. Et eodem anno ab Ecclesia B. Antonii Parisiensis Conuentum Sanctimonialium Cisterciensium Antissiodorum in locum qui dicitur *Celle* abducit, vt ait idem Continuator. Obiit autem Willielmus iste post tres annos nim. an. 1223. quanquam alii scribunt an. 1221. obiisse.

Gualterus anno 1221. ad Archiepiscopatum Senonensem promotus est. Hunc eximium virum magnopere prædicat Brito sub finem lib. 12. Philipp.

At Galtere tibi cum confirmata fuisset
Parisiani apicis electio, mox Senonensem
Ad Cathedram raperis: vt dum te lingua malorum,
Insequitur, prosit tibi nescia: (id Innocentia) qua mediante
Pluribus vt prasis Cathedrâ priuatus es vna.
Quique tibi fieri non erubuere rebelles;
Nunc tibi subiectos premit indignatio maior,
Afficit & grauior confusio, cum videant te
Sic sublimatum, sic Christo actore potentem,
Illos vt maiore queas distringere freno,
Quàm si Parisius specialis Episcopus esses.
Sed tibi non talis est vultus, non eadem mens.
Non ita Parisii te, non ita tu docuisti
Parisios: non hos sacra dat tibi lectio mores,
Ore tibi docto multos celebrata per annos,
Vt mala compensare malis stimulante vel irâ
Vel rancore velis. Odii meminisse benigna
Non est mentis opus, quam mitis in pectore gestas:
Quo posuit thronum tibi Philosophia perennem,
Quo perfecta viget vtriusque scientia legis,
Quam toti mundo legis ore manuque fideli.

Fuit

Fuit idem Gualterus Ludouico IX. à ſecretis, ab eoque cum Ioanne de Nigella miſſus eſt ad Comitem Prouinciæ, deſponſandæ Margaretæ cauſâ; & paulo poſt nempe an. 1234. in vrbe Senonenſi eam inunxit & regali diademate coronauit, teſtè Nangio.

Eiuſdem Baſilicæ Canonicus quidam morti propinquus & metu pœnarum æternarum confeſſus peccata acceptoque ſacro Viatico obit, & poſtmodum alicui ex amicis apparet aiens ſe damnatum propterea quod nullam habuiſſet veram contritionem. Hiſtoriam refert Cæſarius Heiſterbachenſis. *Pariſius in Eccleſia* Dei Genitricis Mariæ Canonicus nuper obiit qui multa habens ſtipendia delicatiſſimè vixerat, & quia ex deliciis maximè his quæ ad gulam pertinent, libido naſcitur, nata nutritur, & quotidianis eius incitamentis augmentatur, idem Iuuenis valde tunicam ſuæ carnis maculauit, & tam illo quàm aliis ſuis peccatis iram Dei in ſe prouocauit. Tandem per infirmitatem factus timore mortis confeſſionem fecit, peccata defleuit & emendationem promiſit, viaticum accepit, inunctus eſt, hominem depoſuit: cuius corpus vt pote viri nobilis diuitiſque cum magna pompâ ſecularis gloriæ tumulatum eſt: & erat in illa die tanta ſerenitas, vt ipſe aer eius obſequiis famulari videretur: dixeruntque homines ad inuicem: Multa bona præſtitit Deus homini iſti, nihil ei defuit horum quæ homo Chriſtianus habere debuit, Dominicis ſacramentis munitus eſt: aer in eius morte ſerenatus eſt „cum magna gloria ſepultus eſt. Sed homo videt in facie, Deus autem cor intuetur. Poſt paucos dies cuidam ſibi valde familiari apparens dicebat ſe eſſe damnatum: cumque miraretur ille & expaneſceret pœnitentiam eius & confeſſionem, ſacram etiam communionem & inunctionem commemorans, reſpondit defunctus: Vnum bonum mihi defuit ſine quo nullum horum quæ enumerata ſunt, mihi prodeſſe potuit. Quid eſt illud? inquit. Reſpondit mortuus, vera Contritio. Licet enim Deo promiſerim conſilio Confeſſoris mei continentiam, ſiue alia quæ ſalutis ſunt, tamen dicebat mihi conſcientia, quia ſi conualueris, obſeruare non poteris, & quia cor magis declinabat ad tranſgreſſionem. Hæc Cæſarius Monachus, quæ nemo alius.

Canoni Paris damnat apparitio.

Eodem anno corpus B. Thomæ Martyris Cantuarienſis tranſlatum eſt à Cryptâ in quà primò repoſitum fuerat, in ædem Cantuarienſem, & ibi in Theca gemmis auroque puriſſimo ingenioſè ornata collocatum. Huic Tranſlationi interfuerunt omnes Epiſcopi & Abbates Angliæ, Archiepiſcopus Remenſis, & plures Epiſcopi & Abbates Franciæ, inter quos M. Radulfus & Ioannes Archidiaconus & Willielmus Cancellarius & plures alij Canonici Rothomagenſes. Vt habet Chronicon Rothomagenſe.

Ad hunc quoque annum notat Bucholcerus Fridericum II. Imperialem coronam accepiſſe Romæ 22. Nouemb. inque huiuſce coronationis memoriam & beneficij teſtificationem Eccleſiæ Rom. Fundenſem Comitatum perpetuo iure poſſidendum contuliſſe & donaſſe. Verum cum Pontificibus Rom. non diu pacem fouit: vt ex dicendis conſtabit.

Anno 1221. Vniuerſitas Pariſienſis vltro ius omne ſuum quod in Domum & fundum Dominicanorum Via Iacobæa ſibi vindicabat, remiſit in eorum gratiam: his tamen legibus eos addixit, vt certis anni diebus ſacra nomine Vniuerſitatis tam pro viuis quam pro defunctis facerent, & mortuos omnium Facultatum ſeu profeſſionum in Clauſtro & in Eccleſia ſua ſepelirent. Quod vt firmum foret & ſtabile in perpetuum, ipſa Vniuerſitas Conceſſionem ſuam hiſce litteris muniuit & roborauit. 1221.

In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti Amen. Ad honorem Dei, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, B. Iacobi Apoſtoli, & omnium ſanctorum. *Nos Vniuerſitas Magiſtrorum & Scholarium* Pariſienſium pro ſalute animarum noſtrarum, quidquid iuris habemus vel habuimus in loco S. Iacobi, qui eſt coram Eccleſia S Stephani in exitu Ciuitatis Pariſiacæ F. Mathæo Priori ſuiſque Fratribus Ordinis Prædicatorum & ipſi Ordini ſponte ac liberè offerrimus ac donamus Et in ſignum reuerentiæ & recognitionis, quod locum ipſum teneant ab Vniuerſitate noſtra tanquam à Domina & Patrona, ipſi nos recolligent noſtroſque ſucceſſores in participationem generalem & perpetuam omnium orationum & beneficiorum ſuorum tanquam Confratres ſuos. Inſuper ſingulis annis in craſtino *Feſtiuitatis B. Ni-*

Vniuerſitas Domum Dominicanorum eximit iure Dominij.

" *colai* Missam solennem in maiori altari præsente Conuentu pro viuis Magistris " & Scholaribus, nec non & pro conseruatione studii Parisiensis. *In crastino verò* " *Purificationis B. Mariæ* Virginis cum eadem solemnitate Missam pro illis qui de " Vniuersitate nostra Parisius decesserint, celebrabunt. Præterea pro quolibet " Magistro cuiuscunque Facultatis fuerit de nostris, qui in officio regendi decesse- " rit Parisius, tantam facient solemnitatem, quantam facerent pro vno de fratri- " bus suis defunctis. Et quilibet sacerdos de eis celebrabit Missam pro eo. Et " Prior eorum faciet legi tria Psalteria pro eodem. Si vero ibi elegerit sepulturam, " si fuerit Theologus, sepelient eum in Capitulo suo: si autem alterius Facultatis, in " Claustro. In cuius rei perpetuam firmitatem, præsentem paginam sigillis Magi- " strorum Theologiæ fecimus roborari. Actum anno gratiæ 1221.

Ita cum Dominicanis se gessit Vniuersitas quæ ignorabat adhuc huiusce prouerbij veritatem, *murem in pera, serpentem in sinu, ignem in gremio malè suos remunerare hospites.* Cum ijs enim paulo post, & deinde per trecentos prope annos perpetuum dissidium habuit, vt ex historia patebit. Licet verò iugum istud multoties excutere voluerint & tentarint, ne scilicet astringerentur illis legibus quæ in diplomate continentur, semper tamen ius suum retinuit Vniuersitas, & hodie etiamnum illa sacra quotannis, diebus prædictis celebrantur à Dominicanis. Porro prædictum instrumentum voluit Vniuersitas Theologorum sigillis seu chirographis roborari; tum ob professionem disciplinæ eminentioris, tum quia negotium de quo agebatur, & leges quibus Dominicani subdebantur, magis pertinebant ad Theologos: inter quos credibile est agitatam fuisse hanc Quæstionem, an liceret Dominium extrarium & profanum, seu vt vocant temporale, quod habebat Vniuersitas, cum sacro & religioso quod *spirituale* vocant, commutare. Quod verò licuerit, eorum sigillis seu chirographis attestari decuit.

PETRI DE CORBOLIO OBITVS.

Eodem anno 3. Iunij obiit insignis ille Theologus *M. Petrus de Corbolio* Archiepiscopus Senonensis, Innocentij III. in Theologica Facultate olim Magister, *Vir inæstimabilis litteraturæ*, inquit Vincentius. De quo præter ea quæ retulimus ad seculum 4. & in Catalogo virorum Illustrium, referre iuuat quæ scribit Cantipratanus l. 2. c. 51. §. 7. quomodo nempe se ille gesserit erga Peccatorem valde contritum, qui sua peccata confessus expirauit. Sic ergo ille. *Ad hoc etsi superuacuè probandum quiddam, quod nostro tempore in Gallia partibus accidit, fidelissima relatione traditum non silebo. Ad illum venerabilem virum M. Petrum de Corboel Senonensem Archiepiscopum quidam peccator qui propriam filiam violenter oppresserat, confessionis gratia venit.* Confessus igitur in maxima & mirabili contritione & la- " chrymis, quæsiuit si vnquam posset vllo dolore vel pœnâ à Domino veniam im- " petrare. Cui Præsul, ita inquit, indubitanter, si tanti mali pœnitentiam subire " volueris. Et ille vehementer exclamans, volo inquit, etiamsi mille mortes me " sustinere voluetis. Collachrymatus ergo infelici immò iam felicissimo peccatori, " Et ego inquit, septennem tantùm tibi pœnitentiæ pœnam impono.

" Tunc ille, quid est, ait, quod pœnitentiam mihi flagitiosissimo septennem " tantum iniungis, qui si viuerem vsque in finem mundi, tantum facinus pœnis " innumerabilibus diluere non valerem? Cui Præsul: Vade inquit, & tres dies " tantum in pane & aqua iciuna. Tunc amplius ille plorans & contundens se ro- " gabat vt pœnitentiam iniungeret salutarem. Supra modum ergo admiratus & " exhilaratus Antistes tandem definitiuè præcepit homini vt abiret & vnum tan- " tum *Pater noster* diceret, sciretque pro certo peccatum iam sibi esse dimissum. " Nec mora. Dirum ille emittens eiulatum & in terram procidens exspirauit. Nec " dubia fides est, sicut Deo dignus Episcopus postea prædicauit, quin idem pœni- " tens sine vlla alia Purgatorij pœna, validissimâ tantum contritione purgatus ad " gloriam euolauerit.

Obiit quoque hoc anno, vt aliqui scribunt, M. Heruæus Trecensis Episcopus in vtroque Iure peritus: cui successit M. Robertus eiusdem Ecclesiæ Decanus. Scribunt tamen alij prædictos hosce viros anno tantum 1222. obiisse.

Obiit quoque Robertus Rothomagensis Archiepiscopus nonis Maij: cui successit Theobaldus de Ambianis, vir strenuus & constans in defendendis Ecclesiæ iuribus. Item S. Dominicus Prædicatorum Institutor. Item Manasses Aurelianensis Episcopus, cui successit Philippus Betruerius patriâ Turonensis, Guil-

lelmi Bituricensis nepos: de quo non erit inutile quædam commemorare.

Erat ille Philippus ex nobili Berruriorum Gente oriundus, Geraldi Berruerij & Mathææ filius, nepos Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi, qui paulo post mortem ob insignia merita in sanctorum numerum relatus est, frater Archembaldi & Geruasij, qui Cruce-signati ad partes Transmarinas profecturi se suaque omnia pro Terræ-Sanctæ defensione dederunt. A Matre Dei ministerio à pueris deuotus, ad Academiam Parisiensem missus, & inde reuersus, Turonis Canonicus factus, deinde Archidiaconus. Sic enim legitur in eius vita in Patriarchio Bituric. c. 71. *Idem puer Philippus traditus studio litterarum in celeberrima Parisiorum Academiâ, non illecebrosis voluptatibus, quæ plerumque etiam generosos adolescentum animos alliciunt, frangunt & eneruant, indulgens, sed potius animo vincens ætatem, & suos eruditioni conatus destinans, tantum in litteris profecit, quantum magno futuro Antistiti opus erat. Deinde proficientibus magis in eo gratia Dei incrementis cum Diuinarum Scripturarum scientiâ & quotidianis virtutum exercitiis vbi interim adoleuisset, reuersus Turonos illico ob honestatem vitæ & laudabilem morum compositionem Canonicus Cathedralis Ecclesiæ efficitur, breui Archidiaconus futurus.* Hinc ad Episcopatum Aurelianensem assumptus post mortem Manassis, quem cum rexisset annis 14. iussu Gregorij IX. ad Bituricensem Ecclesiam se contulit vacantem per obitũM. Simonis de Soliaco, cum iam diu non potuissent de successoris electione conuenire electores. Quam in rem extant litteræ Gregorij in Pandectis Capituli Bituricensis. *Tantum*, inquit, *temporis elapsum est, quod ad Nos est Bituricensis Ecclesiæ prouisio deuoluta. Et volentes ei quæ inter vniuersas Metropoles speciali gaudet Priuilegio dignitatis, de tali prouidere personâ quæ tanto congruat oneri & honori, venerabilem fratrem nostrum Episcopum Aurelianensem, quem testimonia multorum fide dignorum, quæ quidem sunt credibilia, commendabilem reddiderunt, præfatæ Ecclesiæ concessimus in Archiepiscopum & Pastorem. Et transeundi ad eandem Ecclesiam sibi licentiam concedentes, plenam ei administrationem tam in spiritualibus, quàm in temporalibus duximus committendam &c.*

In Hocce Magno viro qui post mortem inter Cœlites relatus est, duo notanda quæ ad Historiam nostram magis faciunt. Primum est, quod cum Manasses Episcopus Aurel. cui successerat, B. Guillelmi Bituricensis festum instituisset, ille vt solennius redderet, Canonicis Aurelian. sexaginta libellas annui reditus an. 1226. mense Maio assignarit & donarit. Alterum, quod cum an. 1236. Ciuibus Aurelianensibus in scholares qui illuc post tumultum Parisiensem secesserant, factus fuisset impetus, Ciuitatem, ex ea egrediens, interdicto subiecerit, in eaque sacra celebrari vetuerit.

Anno 1222. Dominicani Parisienses tertiam celebrarunt Synodum suam Generalem: quo tempore M. Ioannes Ægidius insignis primum Philippi Augusti medicus, deinde Doctor & Professor Theologus, cum concionem ad Clerum haberet, tam vehementibus inductionibus & argumentis persuasibilibus vsus est, quibus homines ad spontaneam rerum abdicationem & indiuulsum Christi seruitium atque obsequium prolicerer, vt ipse in media concione è suggestu descendens veste exuta, Dominicani Instituti habitum induerit, moxque ad absoluendam concionem rursus suggestum ascenderit. Ita Triuetus & post eum Harpsfeldius. 1222.

Eodem anno Fridericus II. Imperator offensus Honorio summo Pontifici, quod sibi sacris interdixisset, item & Bononiensibus qui Pontificis partes tuebantur, Studium Generale Bononiense Patauium transtulit. Quod Gymnasium Patauinum 40. post annis ab Vrbano IV. & postea à Clemente VI. postremò ab Eugenio IV. fuit comprobatum. De hac autem Vniuersitatis translatione sic legitur in Annalibus Patauinis apud Riccobonum. *Ioannes Rusca Nouiomensis* II. Patauij Prætor dictus hoc anno iustè quidem ius dixit. Friderico in Ciuitates Ecclesiæ sæuiente præcipuéque in Bononiam, quam pœne euertit & Studium Generale, illâ fere penitus euersâ Patauium transtulit. Protinus ab Honorio III. Pontifice anathemate notatus, Imperialique dignitate priuatus. Non pauerunt tamen Academici Bononienses, nec adhuc an. 1225. cum idem Imperator eos Neapolim oblatis plurimis priuilegiis euocare conatus est.

Hoc eodem an. apud S. Germanũ de Laya mense Septembri Philippus Augustus

mortem sibi instare cernens Testamentum suum condidit, cuius executores constituit Garinum Syluanectensem Episcopum, Bartholomæum de Roia Franciæ Camerarium, & Fratrem Haymardum Thesaurarium Templi. Donauit autem & legauit Abbatiæ cuidam quam iusserat ædificari iuxta Pontem Carentonium, *de Charenton*: ibique constitui 20. sacerdotes Canonicos S. Victoris qui singulis diebus celebrarent diuina pro salute animæ suæ, ducentas & quadraginta libras Parisienses: & duo millia librarum Parisiensium ad faciendum ibidem ædificia & Capellam.

De M. Iordano et Scholaribus ad Domin. ordinem conversis.

Hoc anno M. Iordanus Natione Theutonicus de westphalia natus, fit secundus Dominicanorum Generalis, quem Ordinem rexit vsque ad an. 1236. vir erat tam suauis tamque fortis eloquentiæ in suis Concionibus, vt intra paucos annos Academiam Parisiensem Scholaribus & Magistris fere spoliarit, toramque prope ad suum Ordinem conuerterit: narrat Cantipratanus lib. 2. c. 19. cum vno „ tempore sexaginta pueros adhuc etiam rudes recepisse. *Memor sum*, inquit, *loci* „ *& temporis & personæ*, quod Beatissimæ memoriæ frater Iordanus Magister Or- „ dinis Prædicatorum secundus, Prædicator strenuus Iuuenes vno tempore tam par- „ uæ litteraturæ ad Ordinem recepit Parisius sexaginta, vt plures eorum vix possent „ vt audiui, cum multa repetitione ad matutinale Officium vnam legere Lectio- „ nem Super quo, vt dicitur, à fratribus grauiter ad Generale Capitulum accu- „ satus, Spiritu S. repletus dixit Sinite istos, ne contemnatis vnum ex his pusillis. „ Dico vobis quod multos & ferè omnes Prædicatores videbitis gloriosos, & per „ quos Dominus super multò lucidiores & litteratiores in salutem operabitur ani- „ marum. Quod nos veridico ore dictum vsque in hodiernum diem vidimus & „ videmus.

Aliud exemplum idem refert c.28. de Alberto adolescente & scholastico Parisiensi, quem Pater Comes de Flankenberg ad Regem miserat, quem cognatione attingebat, vt cũ filiis educaretur. At ille Iordani suaui conuersatione captus mũdum eiurauit, seque Ordini addixit. *Simili deuotione*, inquit, *etsi ætate* non simili, „ quia adultus magis, puer nobilissimus annorum 13. in Theutoniæ partibus fuit. „ Hic filius Comitis de Flankenberg à Matre missus est ad Regem Franciæ cogna- „ tum suum cum eius filiis educandus. At quoniam mos est in alienis maximè ter- „ ris Compatriotas sibi inuicem congaudere, accidit vt dictus puer Albertus no- „ mine beatissimæ memoriæ fratrem Iordanum Magistrum Ordinis Prædicatorum „ natione Theutonicum eo tempore Parisius commorantem & alios fratres Theu- „ tonicos visitaret. Cumq; id sæpius & diutius faceret, ex collocutione S. viri pue- „ ro cœperunt terrena vilescere & placere cœlestia, concepitque intrare Ordinem „ & apud M. Iordanum occultè pro Ordine petere. Erat autem puer parumper „ imbutus litteris, sed Magister inconstantem ducens affectum pueri, eum ad re- „ gimen Comitatus sui, cuius solus puer legitimus hæres erat, vt mansuetudine „ subditos gubernaret, potius hortabatur. Factus ergo puer annorum 16. per so- „ lennes Nuncios à Matre mandatus est, quasi ducturus vxorem nobilissimam, & „ Comitatus gubernacula suscepturus. Pater enim eius iam longa ætate senuerat. „ Dicit ergo puer militibus & seruis suis: Eamus videre Compatriotas nostros Fra- „ tres Ordinis Prædicatorum Parisius antequam recedamus. Veniens ergo cum „ suis omnibus ad Domum Fratrum, in conclaui seorsum Magistrum vocauit & „ Fratres, quorum pedibus prouolutus dixit, Contestor Deum coram vobis, quod „ hodie paratus sum mundum deserere & vobiscum in Ordine Christo Domino de- „ seruire. Quod si volentem respuitis, videat & iudicet ipse Deus, & non inul- „ tum ire à vobis meum sanguinem patiatur. Hæc vt dixit puer, Magister fleuit „ & fratres, & attoniti in verbis eius arctati sunt spiritu & soli Domino nego- „ tium commiserunt. Conuocato itaque Conuentu causam & verba pueri diligen- „ ter exposuerunt, & receptum statim habitu Ordinis induerunt. Quod vbi suis „ innotuit, planxerunt valde, & reuersi ad Patriam rumores tristissimos patentibus „ detulerunt. Cuius Pater senex assumptâ copiosâ familiâ Parisius venit, & cum „ filium violenter extrahere conaretur, à Nouiciis fratribus membratim fere lace- „ ratus ad patriam infecto negotio est reuersus.

Idem narrat consequenter ab adolescente Alberto auunculum suum Theodoricum Archidiaconum qui tunc quoque Lutetiæ studebat, quique quod om-

nes scholares formæ dignitate separatet, *Pulcher Teutonicus* dicebatur, fuisse ad eum Ordinem adductum, cum ab eo de relinquendo Prædicatorum Cœnobio & veste humili deponenda solicitaretur.

Circa hæc quoque tempora Henricus de Colonia qui à patruo Parisios vt Dialecticam & cæteras artes assequeretur, missus fuerat, eundem Ordinem ingreditur, vt narrat idem Author eod. lib. c. 43. idque ex admonitione Patrui mortui & ipsi apparentis. *Spiritu reuelante præfatus frater Henricus ex Colonia Ordinis Prædicatorum antequam ipse Ordo inchoatus fuisset, sicut per ipsum didicimus*, futurum eum præcognouit. Habuit patruum militem, sedulum in cultu Dei in partibus Teutoniæ, in oppido Montis Martis. *Hic dictū Henricum iuuenem sagacem videns ætate adultum, optimeque in Grammaticis institutum misit Parisius vt Dialecticam & artes cæteras assequeretur. Quod vt factum est, patruus eius defunctus est & intermissum est eius studium annis 3. quibus in prædicto oppido scholas rexit.* Et his quidem lapsis apparuit ei patruus suus dicens: Sumes in remedium pœnæ qua in purgatorio crucior, Hierosolymitanam Crucem quæ per Teutoniam prædicatur & transfretabis, & exacto ibidem tēpore cum redieris, *perges Parisius iuuenis; nouum Prædicatorum Ordinem, quem intrabis.* Paupertatem eorum non vetearis & non despicias paucitatem; quoniam in salutem multorum felicissimè coalescent & conualescent. Ad hæc verba dictus Clericus stupefactus sine vlla turbulenta cunctatione quod iussus erat, aggreditur. *Et factā peregrinatione vbi rediit & venit Parisius, inuenit Ordinem Prædicatorum noniter in partibus Albigensium inchoatum, Demumque iam inceptam Parisius, & sine hæsitatione aliqua paruo post tempore Ordinem est ingressus.*

Eodem anno natus est, vt scribunt Trithemius & Spondanus, Thomas Aquinas celeberrimus ille Ecclesiæ Doctor & Theologiæ Scholasticæ Princeps & vindex: alii scribunt eum natum an. 1223.

Anno 1223. Philippus Augustus Rex Francorum circa festum S. Petri ad Vincula fato fungitur; cuius mortem Cometa ardens & crinitus, qui paulo ante apparuerat, indicare visus est. Eius verò mors omnibus Academicis summo dolori fuit: erat enim Princeps Academiæ addictissimus, & licet illiteratus, omnium tamen litteratorum amantissimus. 1223.

Extat eius Epitaphium versibus Leoninis conscriptum hoc modo.

In crucis hoc signo Philippus Rex Ego signo.
Qui me confixi mundo clauis Crucifixi.
Cumque meum nomen in amoris consonet omen,
Facto seruaui quod nomine significaui.
Hinc de mercede Cœli securus in æde
Quomodo Rege regi gaudebam, seruio Regi:
Francorumque tribus domitis per bella tyrannis,
Quadraginta tribus rexi feliciter annis.
Bis sexcenteno bis deno cum tribus anno,
Postquam iustitia solem tulit aula Maria,
Sub Cancri sidus data Iulij cum prait idus,
A mundi regno translatus in æthera, regno
Cum verè viuis, factus de milite Ciuis.
Post breuis hic aui requiem breuiter requieui,
Fitque loco celebris cum signis gloria crebris.

Quantum verò eo regnante Vniuersitas floruerit, supra retulimus: nec pigebit adhuc verba referre incerti cuiusdam authoris, cuius MS. codex opera Alexandri Petauij prodiit in lucem, quanquam nihil aliud habet, quàm quod ait Rigordus. *Huius Philippi temporibus*, inquit, *quamplurimum florebat Parisius Studium litterarum: nec legimus tantam aliquando fuisse in aliqua mundi parte Scholarium frequentiam, quanta prædictum locum studendi gratiâ incolebat: quod non solum fiebat propter loci illius amœnitatem & bonorum omnium superabundantem affluentiam, sed & propter libertatem specialem & prærogatiuam defensionis, quam idem Philippus Rex & ante ipsum Pater eius Scholaribus impendebant, quippe cum in litterarum notitia Regnorum & Regum gloriam non mediocriter consistere superius sit expressum.*

Huius præclari viri exequias celebrarunt Regni Procères & Ecclesiæ Gallicanæ Antistites, qui ad synodum Parisiensem tum forte conuenerant. Adfuit & Bertrandus summi Pontificis Legatus, Cistercienfis Ordinis, Willelmus Remensis Archiepiscopus, Galterus Senonensis, viri nobiles & in aula præcipui, vt ait Guillelmus Brito.

Nec minus Archipater Remorum cum Senonensi
Galtero Guillelmus adest, qui Regis in aula
Præcipui, clarum genus alto è sanguine ducunt.
Nec non Bituricus Turono cum Præsule Primas,
Et qui Rotbomago Theobaldus præsidet vrbi,
Vir precibus vix flexibilis nimiique rigoris.

Post tumulatum Philippum Ludouicus Remos pergit, & sacro oleo more Prædecessorum suorum iniungitur, tum redit Lutetiam: vbi difficile dictu est quanta fuerit, quamque vnanimis lætitia. Nec defuit Vniuersitas tantis plausibus. Quippe ipsa Iustitium indicens, tam solemnem reditum festiuè celebrauit. Qua de re sic habet Nicolaus de Braya Poëta illius temporis, in Poëmate de Gestis Ludouici.

Inque breui spatio trabeatus Parisiensem
Ingreditur, Ducibus ipsum comitantibus, vrbem.
Ad Ducis ora sui nitet Vrbs venerabilis, & quas
Prouida cura Patrum veterum concesserat olim,
Exponuntur opes: certat cum lumine Phœbi
Fulgur gemmatum. Lux luce nouâ superari
Se stupet, & terris alium dare lumina solem
Sol putat & queritur solitum iubar exhebetari
Vestibus aurinomis. Rident fora, compita, vici,
Diuersisque locis ignescit serica vestis.
Grandæui ciues & feruens mente iuuenta,
Aspectuque graues annis sufferre paratus
Purpureos nequeunt; serui famulæque per vrbem
Se gaudent humeris secum gestare labores,
Nec se seruitium cuiquam debere fatentur,
Dum sua muriceos ad cultus lumina vertunt.
Et quibus ornatus ad tam solennia festa
Defuit, hos cultus vestisque precaria texit.
Per fora, per vicos celebrant certamina cuncti
Publica: nec prohibet Cerealia diues egeno,
Sed passim comedunt diffuso nectare venis.
Templa coronantur, cingunt altaria gemmæ,
Certant fumiferi cum aromata thuris odore,
Et circum pagos & compita læta choreas
Deducunt festi Iuuenes trepidæque puellæ.
Occurrunt Lyrici modulantes carminis odas,
Occurrunt Mimi dulci resonante viella.
Instrumenta sonant, non sistrum defuit illic,
Timpana, Psalterium, Cithara, symphonia dulcis,
Dulce melos Regi concordi voce canentes.
TVNC LABOR ET STVDIVM LOGICORVM LISQVE QVIESCIT.
CESSAT ARISTOTELES, NEC PLATO PROBLEMATA PONIT,
NEC CVRRIT SORTES PLAVSV DAMNANTE LABOREM.
Incedentis iter Regis lasciuia florum
Lasciuire facit. Rex alta palatia lætus
Intrans cum Ducibus Regali sede locatur.

Patri ergo successit Ludouicus VIII. filius cognomento Leo, annum agens

ætatis 56. Princeps bellicosissimus quidem, sed infelix expeditionibus Anglicanâ & Tolosanâ, in quibus duos amisit exercitus numerosissimos & potentissimos. Vnde & audacior factus Henricus III. Anglorum Rex ab eo Normaniam quam Philippus recuperatat, per Legatos repetiit ex Syngrapha. Quippe aiebant eum, cum in vrbe Londinensi quasi captiuus detineretur, vt saluti & reliquiis suorum consuleret, promisisse se redditurum, si Rex vnquam foret. Princeps istius Legationis fuit M. Stephanus de Langetona Archiepiscopus Cantuariensis. Rem sic narrat Mathæus Parisiensis.

Philippi obitu diuulgato Henricus Rex Anglorum misit Archiepiscopum Cantuariensem cum tribus Episcopis ad Ludouicum filium eius iam in Regem coronatum, constanter rogans vt redderet sibi Normaniam cum aliis terris transmarinis, sicut iurauerat in recessu suo de Regno Angliæ quando pax fuerat inter ipsum & Regem Angliæ facta, consentientibus Magnatibus vniuersis. Adhæc Ludouicus respondens dixit se Normaniam & terras alias iuste possidere, sicut ostendere paratus erat in Curia sua, si Rex Angliæ ad eam voluerit venire & ibidem iuri parere. Respondit prætetea quod iuramentum in Anglia factum ex parte Regis Anglorum fuerat violatum, dum Imprisii sui qui apud Lincolniam capti fuerant, ad redemptionem grauissimam sunt compulsi.

Eodem anno Guillelmus Episcopus Parisiensis peractis fere in Episcopatus regimine tribus annis cum dimidio, obiit die S. Clementis apud S. Clodoaldum longâ febre attenuatus. De hoc viro diximus ad an. 1206. & plura leguntur in Historia Episcoporum Antissiodorensium. Dici non potest, quantæ fortitudinis & constantiæ fuerit toto vitæ suæ tempore. Parisiis cum Rege ipso Philippo decertandum habuit & cum Vniuersitate. Cum Rege quidem, de quibusdam Ecclesiæ suæ iuribus, de quibus sic legitur in eius vita. Aduersus Regem regalesq; Ministros iura prosequens, controuersias quæ vsque tunc metu Regio per Episcoporum dissimulationem remanserunt indecisæ, tum quo ad ius quoddam quod Ecclesia in Castellulo Regis de Paruo Ponte scilicet, habere debebat, tum super Halis apud Campellos à D Rege factis, tum super iustitia & mensuris de territorio quodam apud S. Victorem, quod feodum *Clausum Brunelli* dicitur, ad concordem concordantiam per compositionem redegit. Cuius obtentu Rex Philippus qui tunc agebat in sceptris, redditus annuales 20. Librarum Parisiensis Monetæ Episcopo eiusque successoribus, & 100. solidos Capitulo in perpetuum assignauit. Hinc intelligimus fuisse Castellum Regium ad Paruum Pontem, quod vetustissimum fuisse creditur Comitum Parisiensium & Capetianorum Palatium. Vnde & coniectura sumitur, quamobrem illuc Musæ Palatinæ è regione Luparæa expulsæ commigrauerint, vt eorum scilicet patrocinio tutæ qui Reges diu egerunt, exercitiis suis liberius incumberent.

Cum Vniuersitate quoque dimicauit. Et 1. quidem cum Scholaribus vagis & dyscholis quos compescuit & coercuit. *Quorundam Scholarium Sicariorum, qui de nocte incedentes armati raptus, & adulteria committentes, & furta & cædes plerumque vel flagitia, quæ non solum pacem Scholarium & securitatem, sed & Ciuium ipsorum turbabant, sic exterminauit de villa, vt quosdam quasi huiusmodi præcipuos Sicariorum in carcerem præcipuum retruserit, quosdam exterminauerit, pacemque ac securitatem toti à talibus reddiderit Ciuitati: Cui non solum noctes, sed & dies ipsi valde erant suspecti.* contra eosdem extat edictum Officialis Parisiensis, *quod ad an. 1215. retulimus.* EP. PARIS. CONTRA VNIVERSITATEM.

Deinde cum Vniuersitate quoque ipsa litem exercuisse videtur, sed non tam felici successu; quippe contendebat Episcopus ipsam se inconsulto non posse statuta condere, idque si faceret, Iurisdictioni suæ & Ecclesiæ Parisiensis derogaturam. *Iscum Parisiensi Cathedræ 3. annis & fere dimidio bene & laudabiliter præfuisset, & tranquilla omnia fere (fecisset) exceptâ causâ Scholarium, qui iurisdictioni Ecclesiæ suæ & Cancellarij in quibusdam se emancipare volebant, quædam sibimetipsis authoritate propria statuta condentes, ac sibi ius condendi eiusmodi in præiudicium Episcopi & Cancellarij, vt credebat Episcopus, attribuere laborantes, chronicâ tandem quartanâ fractus valetudine, ex quo frater suus Manasses sæpe dictus de hac vita migrauerat, demum cum iam conualuisse videretur de quartana, febre correptus continuâ licet lentâ, domui suæ disposuit.*

Quæ sunt illa, in quibus Scholares Iurisdictioni Episcopi & Cancellarij nomi-

nis detogabant? ea certè de quibus conquestum legimus passim Cancellarium: puta 1. quod Vniuersitas proprium sibi *sigillum* fecisset. 2. quod *Theologi & Decretistæ* loca in quibus docere solebant inter duos Pontes, deseruissent, vt à Iurisdictione Cancellarij se subtraherent. 3. quod ipsa se non aduocato conuentus ageret seu Comitia haberet. 4. quod se etiam non conscio statuta noua legesque conderet Iurisdictioni Episcopali aduersantes. Credebat ergo Episcopus suâ plurimum interesse, cui à Philippo Augusto attributa fuisset Iurisdictio causarum tam Ciuilium quàm Capitalium ipsius Vniuersitatis; proindeque non posse ipsam propriâ authoritate absque licentia & consensu suo noua statuta condere. Intererat quoque plurimum Cancellarii, cui substractum fuerat emolumentum ex sigillo proueniens, & cognitio sublata communium negotiorum Vniuersitatis. At quotiescumque causa ista aut Romæ apud Pontifices, aut Parisiis apud Legatos disceptata fuit, iudicium semper latum est secundum Vniuersitatem, nec ei condendorum statutorum quæ ad disciplinam Scholasticam pertinerent, fuit vnquam derogata potestas.

Quod vt clarius innotescat, distinguenda sunt statuta duplicis generis. Quædam ad policiam Ciuilem & Ecclesiasticam pertinebant, seu ad disciplinam exteriorem Scholarum. Puta ne vlli de nocte vagarentur, ne armati incederent, ne in atrio Basilicæ nocturnos conuentus agerent, & alia eiusmodi, quæ sub certarum interminatione & inflictione pœnarum sanciri poterant non modo ab Episcopo, sed à Prætore Vrbano & à Præposito Parisiensi. Alia erant interioris disciplinæ Scholarum, puta de habitu Magistrali in actibus gestando, de lectionibus, de disputationibus, de exequiis defunctorum Magistrorum & Scholarium, de cooptatione Magistrorum in consortium Vniuersitatis, de eorum expulsione & alia id genus, quæ certè pendebant ab Vniuersitate. Itaque vt ipsa obstare non poterat, quominus aut Præpositus Parisiensis aut Episcopus statuta legesque ad Policiam spectantes ederent; ita nec illi, quominus ipsa de re sua sanciret quod æquum & opportunum esse videret, poterant vetare aut intercedere.

Ad hæc tempora notat Papyrius Massonius fuisse *Sauaricum* quendam Poëtam insignem summo inter Aquitanos loco natum, ad quem confluebant ex omni Gallia Poëtæ, quia eos ipse summis honoribus & præmiis afficiebat. Ac Poëtarum duo tantum erant tunc temporis genera. Alii Latinè scribebant, alij Gallicè: & isti similiter desinentes versus qui Rythmi vulgo appellantur, componebant. Vtriusque verò generis Poëtas Sauaricus ille *de Maloleone*, credo dictus, magno in pretio & honore habebat. Rythmorum autem vsus à Siculis ad Italos & alias gentes transierat, vt notat Petrarcha in præfatione ad Epistolas rerum familiarium. *Hoc genus*, inquit, *apud Siculos vt fama est, non multis ante seculis renatum, breui per omnem Italiam ac longius manauit: apud Græcorum olim ac Latinorum vetustissimos celebratum: siquidem Romanos veteres Rythmico tantum carmine vti solitos accepimus.* Idem Petrarcha in Triumpho Amoris, Gallici generis Poëtas 14. celebrat, quorum antiquissimum esse ait *Rudellum*, qui Ludouico VII. regnante Tripoli decessit: quò insanus eum amor nauigare coegerat. Deinde *Fulconem Massiliensem, tum Arnaldum Danielem* qui Philippo Rege floruit. Verum non modò Gallicè scribentes, Rythmos eiusmodi amarunt, sed hæc quoque scribendi ratio à Poëtis Latinis vsurpata est, vt patet ex multis multorum authorum operibus, quorum fragmenta passim retulimus.

Memorabile etiam est quod hisce temporibus aduenisse legimus. Nimirum Albigenses qui iam in plurimas terras dispersi erant, constituisse sibi Antipapam nomine Bartholomæum in finibus Bulgarorum: quâ de re sic Mathæus Parisiensis ad hunc an. Circa dies istos Hæretici Albigenses constituerunt sibi Antipapam in finibus Bulgarorum Croatiæ & Dalmatiæ nomine Bartholomæum: in quibus error ille adeo inualuit, vt etiam Episcopos & alios multos Regionum illarum ad suam allexerit prauitatem; contra quem Cardinalis Portnensis Episcopus & in partibus illis Apostolicæ sedis Legatus Rothomagensi Archiepiscopo scripsit in hæc verba.

PSEVDO PAPA ALBIGENSIVM

Venerabilibus Patribus D. G. Rothomagensi Archiepiscopo & eius Suffraganeis Episcopis salutem in Domino I. C. Dum pro sponsa veri Crucifixi vestrum cogimur

cogimur auxilium implorare, potius compellimur lacerari singultibus & plorare. Ecce quod vidimus, loquimur: & quod scimus, testificamur. Ille homo perditus qui extollitur super omne quod colitur aut quod dicitur Deus, iam habet perfidiæ suæ præambulum Hæresiarcham, quem Hæretici Albigenses Papam suum appellant habitantem in finibus Bulgarorum Croatiæ & Dalmatiæ iuxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt cæteri Albigenses, & ad eorum consulta respondet. Etenim de Carcassona oriundus vices illius Antipapæ gerens Bartholomæus Hæreticorum Episcopus funestam ei exhibendo reuerentiam, sedem & locum concessit in villa quæ Porlos appellatur, & seipsum transtulit in partes Tolosanas. Iste Bartholomæus in litterarum suarum vndique discurrentium tenore se in primo salutationis alloquio intitulat in hunc modum.

Bartholomæus Seruus Seruorum sanctæ fidei. Tali salutem. Ipse etiam inter alias enormitates creat Episcopos, & Ecclesias perfidè ordinare contendit. Rogamus igitur attentius & per aspersionem Sanguinis I. C. propensius obsecramus authoritate D. Papæ quâ fungimur in hac parte districtè præcipientes, quatenus veniatis Senonis in Octauis Apostolorum Petri & Pauli proximò futuris, vbi & alii Prælati Franciæ fauente Domino congregabuntur parati consilium dare in negotio prædicto, & cum aliis qui ibidem aderunt, prouidere super negotio Albigensi. Alioquin inobedientiam vestram D. Papæ curabimus significari. Data Planum 6. Non. Iulij. *Tum subiungit Mathæus*: Sed hunc tandem tumultum mors prædicti Antipapæ celeriter terminauit.

Anno 1224. turbatâ iterum Angliâ bellis ciuilibus Ludouicus Rex post aliquot dierum obsidionem Rupellam recepit: deinde totam Pictauiam. Ita paulatim Angli de Regno Francorum sunt expulsi. Refert quoque Mathæus Balduinum Comitem Flandrensem eundemque Imperatorem Constantinopolitanum post annosam & morosam incarcerationem in Flandriam reuersum, à multis suis Ciuibus recognitum à filia Comitissa ad Regem Francorum transmissum, postremò suspendio affectum fuisse. At nostri Annales eundem Pseudo-Comitem fuisse affirmant è Campania oriundum, vero nomine Bertrannum de Raiz dictum, vt legitur in Chronico Sam-Medardensi ad an. 1225. ab Erardo Milite Domino de Chastenay captum, in Flandriam reductum, per Villas & Castella & Nundinas circunductum, agnitum à multis & Patrem & Matrem & fratres aliosque cognatos; confessum etiam se Bertrandum de Raiz, postremò apud Insulam vrbem suspensum. 1224.

Hocce tempore florebat in Academia Paris. inter cæteros M. Guillelmus Brito insignis Poëta, multorum nobilium adolescentum præceptor, qui Philippidem suam Ludouico VIII. primo Regni sui anno dedicauit. Quam Philippo Patri se dedicaturum sperabat, si mors eum non rapuisset. Inter cœteros verò Discipulos habuit Petrum Carlotum Philippi Regis Spurium, ab Honorio III. Legitimationis tabulis donarum, quem mirificè prædicat his versibus, quos scribebat willielmus an. 55. ætatis, cum duodennis è Britannia Aremorica in Franciam venisset.

Tuquoque frater ades Karlote, simillima Regis
Magnanimi proles: cui te Natura creatrix
Vt Regale genus signis probat indubitatis,
Corporis esse dedit similem mentisque vigore.
Cuius iam sequeris vestigia, cuius in æuo
Tam tenero mores iam nunc imitaris & actus.
Si modo te fratresque tuos magnumque Parentem,
Vt potui, dignos celebraui carmine dignos
Si tibi totius animi virtute dicaui
Exhaustum subitò tenui de fonte libellum,
Impositique tuo Karlotida nomine nomen,
Vt tua Lectoris laus perpetuetur in ore,
Et virtus etiam post mortem nescia mortis
Famaque Karlorum viuat post fata superstes,
Quam soli faciunt vrnas euadere Vates,
Dum scriptis faciunt veterum meminisse minores.

Quorum fama perit, pereunt vbi carmina vatum,
Hoc quoque propitio cœlesti sidere vultûs
Vel semel illustra, gratumque impende fauorem,
Vt per te vigeat, vt te tutore Magistros
Errorum cuneos facie contemnat apertâ.

In fine verò Philippidos eundem Karlotum, qui tunc erat Thesaurarius Ecclesiæ Turonensis, sic alloquitur.

At tu cuius amor omni mihi crescit in horâ,
Vt libro sine laude tua supponere fidem
Arbitror esse nefas, animi qui nobilitate
Argumenta refers generis, clarique parentis
Te liquidò vt liqueat genitum Genitore Philippo,
Qui carie lotus, omni charismate charus
Karlotus verum meruisti nomen habere,
Qui proprium vero decorans agnomine nomen
Moribus exponis & vita nomen vtrumque.
Dogmata quem docui primum puerilia, cuius
Tam dociles habilis iucundat gratia sensus,
Vt mihi iam dignus videaris Doctor haberi,
Quintus adhuc decimus tibi vix licet annus agatur.
Ad te currenti, tibi se per vota liganti
Porrige Petre manum, vultuque recollige librum
Propitio, dignumque legi fac protinus ipsum,
Naturâ studioque data tibi vi rationis
Dux & Corrector fieri digneris eidem,
Quæ desunt supplens, resecare superflua callens.
Hic patris fratrisque tui præconia Regum
Excolit, hic stirpem Pipini & Francigenarum
Laudibus exequitur, primáque ab origine gentis
Successiua sequens generatim nomina, primo
Carmen in Octaui Ludouici terminat anno.

Igitur Guillelmus hoc suum opus absoluit & dedicauit hoc anno, aut certè superiori quo mortuus est Philippus, & quo cœpit regnare Ludouicus. Petrus autem iste Karlotus factus est Episcopus Nouiomensis an. 1240. anno ætatis circiter 32. Obiit verò an. 1249.

Initio quidem Regni sui felicissimus fuit atque fortunatissimus Ludouicus: nam vt dictum est, Rupellam recepit & totam Pictauiam. Attribuunt verò quidam Historici Rupellæ deditionem piis supplicationibus Ordinum Parisiensium. Sic enim legitur in Gestis Ludouici VIII. ab Authore incerto. *Dum hæc taliter agerentur diuino nutu in crastino B. Petri ad Vincula apud Parisius vniuersi ac singuli ab Ecclesia B. Mariæ vsq; ad S. Antoniũ Processiones solenniter celebrarunt, vt Rex & triumphator omnium triumphum concederet Regi suo. Huic autem processioni interfuerũt tres Reginæ, scilicet Ysamburgis quondam vxor Philippi Regis Franciæ, & D. Blancha Regina vxor Ludouici Regis cum filiis suis, ac Regina Ierusalem Domna Berengaria neptis Blanchæ Reginæ Franciæ: quarum nec non & populi lacrymosa suspiria Deus vltionum velociter exaudiuit. Nam sequenti die Ludouicus Rex dato conductu Anglicis Rochellam in deditionem accepit, nec non & villæ Burgensium iuramenta.* Dubium itaque non est, quin ad hanc supplicationem tam solennem conuocata fuerit Vniuersitas, quæ tunc temporis erat florentissima, si vnquam fuit. Post victoriam verò reportatam cum redijt Parisios, tota se effudit Ciuitas Principi suo congratulatura, vt discribit Nicolaus Braïus.

Iam stadij sexto Victor distabat ab vrbe,
CVI DEDIT ÆTERNAM FAMAM, CELEBRATA SOPHIÆ
NOMINE, QVO SOLO VETERES EXCEDIT ATHENAS.
Cum celeri cursu ruit omnis sexus & ætas
Obuiat, & Regem communi voce salutat,
Victoremque tenens auidis circumligat vlnis.

VNIVERSITAS NEAPOLITANA.

ANno 1225. Fridericus II. Imperator semper offensus Bononiensibus ob eam causam quam supra diximus, publico diplomate inuitauit omnes studiosos ad studium Neapolitanum quod recens instituit aut saltem priuilegiis donauit, prohibens ne quis aliò se conferret ad hauriendas bonas artes. Dolebat enim & molestissimè ferebat Bononiam nihilominus à Magistris & scholaribus frequentari: quam vt frequentiâ illâ spoliaret, instituit Patauinum studium paulo ante, deinde Neapolitanum, vltimò Viennense, vt dicemus ad an. 1237. De Neapolitani institutione loquitur Sigonius l. 5. Histor. Bononiens. *Fridericus*, inquit, *ex Germania Romam progressus 6. id. Maij pacem cum Mediolanensibus à Pontifice euocatis composuit, Bononiensibus autem iratus Gymnasii ius ademit studiososque litterarum omnium Bononia abire ac Neapolim se conferre præcepit. Verum ei nemo dicto audiens fuit.* Extat autem diploma Friderici apud Petrum de Vineis l. 3. Ep. 10. his verbis ad Magistrum quendam Petrum de Hibernia quem ad regimen Academiæ inuitat. 1225.

Noster instantet, quem in subditorum semper emolumenta dirigimus, solicitatur affectus, qualiter Regni nostri præclara possessio, sicut rerum vbertate victualium ad dispensationem Diuini nominis naturâ profluente tripudiat, sic id nostræ prouisionis edictum, virorum perfectione scientium fortunâ fauente valeat fœcundari. Ad quod etsi Progenitorum nostrorum Nos memoranda prioritas inuitet exemplo, dum diuersarum scientiarum Doctores dudum in Regno comperimus, & multos Artium beneficio Liberalium munimentis prouectos ad ardua, quos innata ruditas honoris & gloriæ reddidisset indignos; sic Nos super his & priorum tempora reuiuiscere volumus, vt quæ per interualla quantalibet quassata videntur, iam passa dissidia sub Iuuentutis nostræ primordiis sensibiliter iuuenescant. Ac dum Fideles Nostri Regnicolæ paratam sibi mensam propositionis inspexerint, non solum superuacuum sibi reputent aliena proinde flagitare suffragia, si gloriosum existiment extraneos alios ad gratitudinis eiusmodi participium euocare. Cumque Ciuitatem Neapolitanam antiquam vtique Matrem & Domum studii tam marinæ vicinitatis habilitas, quàm terrenæ fertilitatis fœcunditas reddant vtiliter tanto negotio congruentem, *Generale Studium* in Ciuitate ipsa mandauimus reformari: vt quam localis amœnitas plenitudine rerum gratificat, docentibus & addiscentibus vndique collecta commoditas efficiat gloriosam. Te igitur quem antiqua fidei præscripta sinceritas & præstita dudum felicis recordationis Domino Patri nostro grata seruitia Nobis efficaciter recommendant, de cuius etiam expertâ scientiâ, probitate cognitâ & doctrinâ probatâ in conspectu nostro iam pluries multorum testimonia claruerunt, ad celebranda communis Studii eiusdem festiua solemnia hilariter prouidimus inuitandum. Fidelitati tuæ præcipiendo mandantes, quatenus de fauore & gratia nostra securus, ad Ciuitatem ipsam ob reuerentiam Maiestatis Nostræ personaliter Recturus accedas: & vt certam concipias de Nostræ Gratiæ liberalitate fiduciam, firmiter te tenere volumus, quod in aduentu tuo in signum melioris auspicii, de valore annuo 12. vnciarum auri tibi faciat nostra munificentia prouideri. Rectorem inuitat.

Ita inuitat Petrū Rectoremque designat Academiæ: inuitat quoque Scholares omnes passim ad idem studium Neapolitanum propositis Priuilegiis & libertatibus, interdicens & cum interminatione pœnarum vetans ne vllus extra Regnum suum ad extranea studia peregrinetur, vt sic etiam Studium Parisiense ad quod ex omnibus mundi partibus concurrebant studiosi, suâ solitâ frequentiâ & celebritate priuaret. Maximè verò quia sæpius iam expertus erat omnes Academicos Parisienses Romano Pontifici addictissimos esse, quocum inimicitias exercebat. Sic igitur ille ad Scholares.

Deo propitio per quē viuimus & regnamus, cui omnes actus nostros offerimus, cui omne quod agimus, imputamus, in Regnū nostrū desideramus multos prudentes & prouidos fieri per scientiarum haustū ac seminarium Doctrinarum, qui Scholares inuitat.

„ facti discreti per studium & per obseruationem Iusti Deo seruiant, cui seruiunt „ omnia, & nobis placeant per cultum Iustitiæ, cuius præceptis omnes præcipimur „ obedire. Disponimus autem apud Neapolim amœnissimam Ciuitatem doceri „ artes cuiuscunque Professionis, vigere studia, vt ieiuni & famelici scientiarum „ in ipso Regno inueniant, vnde ipsorum auiditati satisfiat, neque compellantur „ ad inuestigandas scientias, peregrinationes expetere, nec in alienis regionibus „ mendicare. Bonum autem hoc Rei nostræ publicæ profuturum intendimus, cum „ subiectorum commoda speciali quadam affectionis gratia prouidemus, quos si- „ cut conuenit eruditos, pulcherrima poterit spes fouere & bona plurima prom- „ ptis animis exspectare; cum sterilis esse non possit accessio quam Nobilitas se- „ quitur, cum tribunalia præparentur, sequuntur lucra diuitiarum, fauor & gratia „ comparantur. Insuper studiosos viros ad seruitia nostra non sine meritis & lau- „ dibus conuocamus, securè illis qui discreti fuerunt per instantiam studij Iuris & „ Iustitiæ regimina committentes.

„ Hilares igitur & prompti satis ad professiones quas Scholares desiderant, ani- „ mentur: quibus ad inhabitandum eum locum concedimus, vbi rerum copia, vbi „ amplæ domus & spatiosæ satis, & vbi mores Ciuium sunt benigni: vbi etiam „ necessaria hominum per terras & maritimas facile transuehuntur. Quibus per „ Nos ipsos vtilitates quærimus, conditiones disponimus, Magistros inuestigamus, „ bona promittimus, & eis quos dignos viderimus, donaria conferemus. Illos si- „ quidem in conspectu Parentum suorum ponimus, & multis laboribus liberamus, „ à longis itineribus & quasi peregrinis absoluimus. Illos tutos facimus ab insidiis „ prædatorum, & qui spoliabantur fortunis suis & rebus longa terrarum spatia „ peragrantes, scholas suas leuioribus sumptibus & breuioribus cursibus à Libera- „ litate nostra se gaudeant assecutos. De numero autem Prælatorum quos ibi duxi- „ mus destinandos, mittimus M. R. de Varano Iudicem, & M. P. de Hibernia fide- „ les nostros Ciuilis scientiæ Professores, viros magnæ scientiæ, notæ virtutis & „ fidelis experientiæ quam nostræ semper exhibuerunt & exhibent Maiestati. „ De quibus sicut de aliquibus Regni nostri fidelibus fiduciam gerimus pleniorem. „ Mittimus quoque in scientia ....

Volumus igitur & mandamus vobis omnibus qui Prouincias regitis, quique admini-strationibus præsidetis, vt hac omnia passim & publicè proponatis, & iniungatis sub pœna personarum & rerum, vt Nullus Scholaris legendi causâ exire audeat extra Regnum, nec infra Regnum aliquis addiscere audeat alibi vel docere: & qui de Regno sunt, extra Regnum in scholis sub prædicta eorum parentibus iniungatis pœna vt vsque ad festum S. Michaelis in proximo reuertantur.

PRIVILEGIA. „ Conditiones autem quas Scholaribus concedimus, erunt istæ. 1. Imprimis „ quod in Ciuitate prædicta Doctores & Magistri erunt in qualibet Faculta- „ te. 2. Scholares autem vndecunque venerint, securè veniant morando, stando „ & redeundo tam in personis quàm in rebus nullam sentientes in aliquo læ- „ sionem. 3. Hospitium quod melius in Ciuitate fuerit, Scholaribus locabitur pro „ duarum vnciarum auri annua pensione: nec vltra æstimatio eius ascendet. Infra „ prædictam autem summam & vsque ad illam Hospitia estimatione duorum Ci- „ uium & duorum Scholarium locabuntur. 4. Mutuum fiat Scholaribus ab illis „ qui adhoc fuerint ordinati, secundum quod eis necesse fuerit datis libris in „ pignore & precario restituris, receptis à Scholaribus fideiussoribus pro eisdem. „ Scholaris verò qui mutuum recipiet, iurabit quod de terra aliquatenus non re- „ cedet, donec precaria restituet, vel mutuum ab eo fuerit exolutum, vel aliàs „ satisfactum fuerit Creditori. Prædicta autem Precaria à Creditoribus non reuo- „ cabuntur quandiu scholares voluerint in studio permanere. 5. Item omnes „ scholares in Ciuilibus sub eisdem Doctoribus & Magistris debeant conueniri. „ Omnes igitur amodo qui studere voluerint in aliqua Facultate, vadant Neapo- „ lim ad studendum, & nullus ausus sit pro scholis extra Regnum exire, vel infra „ Regnum in aliis scholis addiscere vel docere: & qui sunt de Regno extra Re- „ gnum in scholis vsque ad festum S. Michaëlis proximè venturum sine moræ dis- „ pendio reuertantur. De frumento autem, vino, carnibus, piscibus & alijs quæ „ ad victum pertinent, modum nullum statuimus, cum in iis omnibus abundet

Prouincia quæ venduntur Scholaribus ſecundum quod venduntur Ciuibus, & etiam per Contradam. Id. *Regionem*, *Contrée*.

Idem Imperator apud eundem Ep. 12. Ad Capitaneum Siciliæ de eadem Reformatione. *Solicitudo* continua curas noſtras exagitat, &c. Volentes itaque ſuper hoc Antiquorum gratam renouare temperiem & in Regni noſtri faſtigia tripudialibus nouitatis noſtræ principiis augmentare, VNIVERSALE STVDIVM in Ciuitate noſtra Neapoli conſultâ vtique deliberatione prouidimus reformandum; vt Ciuitas ipſa antiqua Mater & Domus ſtudij ſicut puritate fidei & ſitus amœnitate præfulget, ſic renouatæ quaſi paranympha ſcientiæ & ſingularium Hoſpitalaria Facultatum docentibus & addiſcentibus ſe præbeat gratioſam. Ad hoc igitur tam Celebre Conuiuium Magiſtros quoſlibet & Scholares hilariter inuitamus, fidelitati tuæ mandantes quatenus præſens Beneplacitum noſtrum per Iuriſdictionem tuam ſolenniter ſtudeas publicare, firmam ſingulis fiduciam oblaturus, quod Immunitates & libertates omnes quibus olim tam in Neapolitano quàm in Salernitano ſtudiis vti & gaudere ſunt ſoliti, faciemus vniuerſis & ſingulis illuc ire volentibus inuiolabiliter obſeruari.

Quia verò vetuerat alibi ſtudia exerceri præterquam Neapoli, nihilominus tamen aliâ Ep. ad Iuſticiarium Terræ Laboris ſcribit ſibi non fuiſſe in animo prohibere, quominus Grammatices Magiſtri in priuatis locis docere poſſent. Igitur Ep. 13. ſic habet.

Et ad perfectionem STVDII GENERALIS *quod nuper* in Ciuitate Neapoli prouidimus reformandum, particularia ſtudia vbique per Regnum mandauerimus interdici, noſtræ tamen intentionis non fuit ſic loca quælibet depauperare Doctoribus, vt artis Grammaticæ rudimenta nouiciis velut lactantis matris vbera famelicis infantibus præcidantur: ſed ad illos tantùm extendi volumus noſtræ ſerenitatis Edictum, qui Auditoribus ſuis ruditate depoſitâ in FACVLTATIBVS aliis ingenia potiora petentibus cibos iam poſſint ſcientiæ ſolidos miniſtrare. Propter quod fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus Magiſtris quibuſlibet qui per terras Iuriſdictionis tuæ pueros in Artis Grammaticæ primitiis edocent, nullam occaſione prædictâ moleſtiam inferas, ſed particularia eorum Studia regere ſine impedimento quolibet patiaris.

Narrat verò Sigonius l. 17. de Regno Italiæ Fridericum ſeu ſponte ſua, ſeu Pontificis authoritate an. 1227. Kalendis Februariis Edicto publico Bononienſibus Gymnaſij ius ereptum reſtituiſſe.

Eodem anno miſſus ab Honorio M. Romanus S. Angeli Diaconus Cardinalis ad extirpationem hæreſeos Toloſanæ Lutetiam venit, & habito ibi Concilio Ludouico Regi ſuſceptionem Crucis perſuadet. Cuius rei meminit Nicolaus Brajus in Poëmate de Geſtis Ludouici VIII.

Iam ſemel impleraт renouatis cornibus Orbem
Cynthia, cum muros ſubiit Venerabilis vrbis,
Cuius fama nitens totum ſuperuolat Orbem,
QVAM SACER IRRORAT FONS ET ORIGO SOPHIÆ,
Aduentuſque ſui cauſas oſtendit.

Similiter ab eodem Pontifice miſſus eſt in Angliam M. Otho; & vtrique Legato datum in mandatis, vt Clerum Gallicanum & Anglicanum ad nouam quandam Præbendarum contributionem adducerent. Cum enim vbique paſſim audirentur frequentes conqueſtiones Eccleſiaſticorum de inſatiabili nonnullorum Romanæ Curiæ Procerum cupiditate & exactione pecuniarum, Honorius vt huic malo mederetur, aliam exigendæ pecuniæ rationem propoſuit, nimirum à ſingulis Cathedralibus Eccleſiis duas Præbendas ſibi concedi; vnam ab Epiſcopo, alteram à Capitulo; & à ſingulis Abbatiis ſimiliter duas, vnam ab Abbate, alteram à Conuentu. Otho igitur Henrico Regi Anglicano Pontificis litteras tradit; at ille conſiderato rei grauiſſimæ momento maximum tam Magnatum quàm Prælatorum Conuentum habet apud Weſtmonaſterium die S. Hilarij eiuſdem anni more Gallicano, iubetque litteras recitari, quibus ad euitandum opprobrium vetuſtiſſimum concupiſcentiæ & auaritiæ (ſiquidem nemo poterat in Ro-

mana Curia negotium vllum expedire nisi cum magna effusione pecuniæ donorúmque largirione) & ad subleuandam Rom. Curiæ paupertatem prædictum remedium continebatur, hisque verbis, vt legere est apud Mathæum Parisiensem. " *Quoniam huius scandali & infamiæ Romana paupertas causa est*, debetis matris inopiam subleuare vt filij naturales. Quia nisi à vobis & aliis viris bonis & honestis dona reciperemus, deficerent nobis necessaria vitæ, quod esset omnino Romanæ incongruum dignitati. Ad istud itaque scandalum penitus eradicandum per consilium fratrum nostrorum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium, quandam prouidimus formam, cui si volucritis consentire, à scandalo Matrem vestram poteritis liberare & in Rom. Curia sine donorum obsequio exhibitionem Iustitiæ obtinere. Forma autem prouisa hæc est. Petimus imprimis ab omnibus Ecclesiis Cathedralibus duas nobis Præbendas exhiberi, vnam de portione Episcopi; & alteram de Capitulo. Et similiter de Cœnobiis vbi diuersæ sunt portiones Abbatis & Conuentus: à Conuentibus, quantum pertinet ad vnum Monachum æquali factâ distributione bonorum suorum: & ab Abbate tantundem.

Durius istud iugum ipsis visum est nimisque libertati Ecclesiasticæ contrarium: itaque & Prælati & Magnates post plures tandem moras responderunt se nullatenus vnquam id passuros.

Eadem in Francia sparsa est fama; idemque paulo post à M. Romano tentatum, nec feliciori successu: quippe cum hoc eodem anno Concilium apud Bituriges conuocasset contra Albigenses, dimissis Ecclesiarum & Capitulorum Procuratoribus & retentis paucis, quos sibi suffragaturos spectabat, rumore statim sparso illi habito consilio sic, vt ait Mathæus, allegauerunt. *Domine, audiuimus quod habetis litteras speciales à Curia Romana de exhibendis Præbendis in omnibus Ecclesiis Conuentualibus siue Cathedralibus. Quocirca multum miramur quod non in hoc Concilio proposuistis eas nobis audientibus quos specialiter tangunt. Vnde rogamus in Domino ne istud scandalum oriatur per vos in Ecclesia Gallicana, scientes quod sine maximo scandalo & inæstimabili damno non posset id ad effectum perduci. Quia esto quod aliquis assentiret, nullus esset eius assensus in rebus quæ omnes tangunt; cum fere omnes Maiores & generaliter omnes subditi, nec non & ipse Rex & omnes Principes parati sint contradicere & resistere vsque ad capitis expositionem & omnis honoris priuationem: præsertim cum videatur imminere propter hoc scandalum subuersio Regni & Ecclesiæ generalis*. De hac re amplius infra.

Legati autem isti duo propter hoc omnibus fere Ecclesiasticis, maximè verò Litteratis & Academicis Parisiensibus & Oxoniensibus inuisi fuerunt. Et vterque ab vtriusque Academiæ Scholaribus malè omnino habiti sunt & magno vitæ suæ discrimine expulsi. Otho quidem tardius; Romanus verò hoc ipso anno 1225. hac occasione. Quippe cum M. Philippus de Greua Cancellarius & Canonici ipsi Ecclesiæ Parisiensis conquesti fuissent apud eum, quod Vniuersitas spreto & abiecto Capitulari sigillo proprium sibi vindicasset, Vniuersitas verò ius suum tueri apud eundem non detrectasset, ille qui Capitulorum & Prælatorum animos sibi demereri satagebat vt meditatum de Præbendis consilium ad exitum perduceret, sententiam tulit contra Vniuersitatem ipsiusq; sigillũ confregit. Quo facto adeo exulcerauit omnium Scholarium mentes animosque, vt iis statim ad arma conuolantibus & domum in qua versabatur obsidentibus, post multos è suis neci datos vix potuerit euadere saluus: nec euasisset, nisi Regis authoritate compressus fuisset furentium ardor impetusq; retardatus. Si verũ est quod legitur in Additionibus Monachi San-Julianensis ad Chronicon MS. Canonici Turonensis, cuius meminerunt Sammarthani in vita Bartholomæi Episcopi Parisiensis.

De Sigillo Vniuersitatis.

Eodem anno 1225 Cum Vniuersitas Scholarium Parisiensium *in præiudicium Parisiensis Ecclesiæ* Sigillum proprium confecisset, dictoq; sigillo Vniuersitatis *negotia sigillaret, Parisienses Canonici coram Legato* (Romano) *S. Angeli Diacono Cardinale Legato Apostolico qui Parisius venerat, super sigillo Scholares conueniunt, & multum ab vtraque parte super hoc allegantes, quidquid his iuris in Legatum compromittunt, illudque Sigillum proprium ei reddunt. Qui habito super hæc admodum festinato consilio, præfatum Sigillum coram omnibus ibi fregit, omnesque qui deinceps Parisius sigillum Vniuersitatis facerent, vinculo anathematis innodauit.* Quo audito clamor in cœlum attollitur, rumor per vrbem egreditur, Scholares conueniunt & ad Domum Le-

gati cum gladiis & fustibus conueniunt tanquam ad Latronem. Quorum aduentum Legati homines cognoscentes portas obstruunt, arma rapiunt, se dominumque suum à furibundis Scholaribus defendentes. Tandem post vrgentes assultus scholarium, post portarum fractionem, post lapidum fulminationem, cum fere Legatus suique homines caperentur, Ludouicus Rex qui paulo ante à Meliduno venerat, & infortunium Legati audierat, seruientes & milites ibi misit, qui Scholares minis & armis repulerunt, & Legatum & Gentem suam indemnem, non tamen sine effusione sanguinis, seruauerunt. Quo facto Legatus ab vrbe egreditur, cum conductu, excommunicans generaliter Scholares qui hunc assultum fecerant, & alios qui ex parte eorum interfuerant in assultu. *Hæc Author ille*, quæ à nemine alio, quod sciam, commemorantur.

Ex his si vera sunt, intelligitur Vniuersitatem paulo ante hæc tēpora aut non habuisse sigillū proprium, aut penes se non habuisse, sed eius fuisse Custodem Cancellarium: & ob frequentes rixas & discordias quæ ipsi cum eo intercesserunt, statuisse tandem sigillum suum seruare, Arcamque habere communem, in qua & sigillum & Instrumenta publica aliæque Chartæ deinceps seruarentur. Certè nolim inficias ire quin litteræ Licentiatûs quas concedebat Cancellarius, Capitulari sigillo, cuius ipse custos erat, munirentur. Nam testimonium quod litteris illis consignabat, non erat capacitatis tantummodo doctrinæque testimonium, sed & professionis fidei. Quippe interest Episcopi videre & cauere, vt Doctores Ortodoxi admittantur ad docendum. Hincque etiam videmus vsu patum consecutis temporibus in Receptione Librariorum, Pergamenariorum & aliorum eiusmodi Vniuersitatis Officiariorum, qui postquam ab ea recepti fuerant, ad Officialem Parisiensem remittebantur, vt fidei professionem ederent, ab eoque litteras sigillo Officialitatis munitas obtinebant, vt alibi referemus.

Neque inficiandum quoque crediderim, quin si qua essent instrumenta publica conficienda antiquioribus temporibus, ea & Cancellarii manu scriberentur, & sigillo quoque eodem roborarentur. At postquam Episcopali constitutione Sigillo certum ius certumque emolumentum attributum est, Vniuersitas nolens huic se iugo submittere, quippe vetantibus summis Pontificibus, pro Licentiis impetrandis aliquid exigi, proprium ipsa sigillum habere voluit & custodire: ob idque *arcam communem* habuit, cuius claues quinque à Procuratoribus Nationum & à Rectore seruatæ sunt, & seruantur etiamnum, vt ex dicendis constabit.

Ad hunc annum scribit Bucholcerus Guillelmum Parisiensem qui biennio post factus est Episcopus Paris. Verbi Diuini prædicatione retraxisse ex Lupanaribus mulierculas, iisque Parisiis nouam Domum *Filiarum Dei* extruxisse & inchoasse.

Iam quid in Concilio Bituricensi actum sit, expediamus. Duplicem ob causam à Legato prædicto habitum intelligimus. 1. Quidem ad suadendam Crucem contra Raimundum Comitem Tolosanum & Albigenses hæreticos, quamobrem videri volebat venisse in Galliam. Deinde verò ad communicandas Papæ litteras de Præbendis. Ante omnia mota est quæstio de præsessione: nam conuenerant Archiepiscopi & Primates isti, Lugdunensis, Senonensis, Remensis, Rothomagensis, Turonensis, Bituricensis, & Auscienlis. Burdegalensis verò Romam ierat; & Narbonensis Ecclesia vacabat adhuc Pastore. Lugdunensis autem præsessionem sibi deberi contendebat; quam sibi quoque vindicabat Senonensis: tandem verò discordiæ metu sessum est *non quasi in Concilio*, inquit Mathæus, *sed vt in Consilio*. Tunc tamen agnoscebatur ab omnibus propè Lugdunensis vt Primas, teste Willelmo Britone in fine lib. 12. Philippidos, vbi enumerans Præsules qui Exequiis Philippi Augusti interfuerant, de Lugdunensi sic scribit. Concilium Bituricense.

Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat
Vt fama est, Primate regi, causasque referre
Difficiles, vt ibi lis vltima litibus esset:
Nec mittebatur Romam lis vlla, nisi quam
Lugdunense forum per se finire nequisset.

Cuius honoris adhuc memor est Epigramma Sigilli,
Quique monetatus datur ad commercia census.

Postea res Albigensium proposita, nec caruit difficultate. Nam Simon Monte-Fortius suam esse terram seu ditionem illam aiebat, quam Comes Raimundus possidebat, sibique & Patri à Rege Francorum Philippo & à Papa propter Hæresim Albigensem cuius fautor ipse Comes erat, fuisse adiudicatam & donatam: idque munimentis & instrumentis publicis confirmabat. Contra Comes satisfactionem obtulit & Regi & Papæ. *Cumque peteret Pars aduersa ab eo*, verba sunt Mathæi, *vt subiret iudicium 12.* PARIVM FRANCIÆ, *respondit Raimundus*. *Recipiat Rex homagium meum & paratus sum subire, quia forte non haberent me pro Pari, si secus fieret.*

Postquam verò ea de re diu multumque disputatum est, tandem iubente Legato singuli Archiepiscopi cum suis Suffraganeis seorsim deliberarunt & consilium suum scripto tradiderunt: quo facto Legatus eos omnes excommunicationi subiecit, qui deliberationes suas & consilia cuiquam reuelarent, aiens ea se velle cum Papa & Rege communicare. Sic omnium suspendit animos, bellum ne futurum esset contra Comitem, nec ne, donec anno sequente Crux suscepta est. Interim dimissis Capitulorum Procuratoribus, quos sibi forte minus fauentes agnouerat, retentisque tantùm Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & simplicibus Prælatis, ad Præbendarum negotium animum conuertit. At illi præsentientes quod habebat in mente, iamque ipsum Episcopis quibusdam & Abbatibus præcepisse, vt cum Præbendæ vacarent, ad opus D. Papæ reseruarent, intelligentes, substiterunt. Sic coactus est Legatus rem palam facere, & recitatis Papæ litteris multa quæ inde prouenirent commoda, suadere contendit.

Verum Ecclesia Gallicana Libertatum suarum amans & studiosa, tale Consilium vt pote ipsis omnino contrarium reiecit & ablegauit, hisque verbis Procurator Archiepiscopi Lugdunensis vsus est, quæ leguntur apud Mathæum. *Domine nullo modo volumus esse sine amicis in Curia, & largitate donorum.* Alij similiter istis. *Erit in qualibet Diœcesi vel ad minus in Prouincia Nuncius vnus continuus, Procurator Romanus, qui non viuet de proprio, sed graues exactiones & Procurationes exiget ab Ecclesiis Maioribus & forte Minoribus, vt nullus remaneat impunitus, nomenque Procuratoris habens Legati officio fungetur.* Item dixerunt. *Imminere turbationes Capitulorum: forte enim demandaret D. Papa cum vellet, Procuratori suo, vel alij, vt vice sua interesset electionibus qui eas turbaret*; & sic lapso tempore deuolueretur electio ad Curiam Romanam, quæ in omnibus vel pluribus Ecclesiis Romanos poneret, vel tales qui eis plurimum essent deuoti. Et sic nullæ essent partes Indigenarum Prælatorum vel Principum: cum multi sint viri Ecclesiastici, qui potius Curiæ Rom. quàm Regi vel Regno prouiderent. *Item addiderunt, Quod si proportionaliter fieret bonorum distributio, omnes in Curia fierent diuites*, cum multo plus essent recepturi quàm Rex proprius. Et sic Maiores non solum diuites, sed & ditissimi fierent. Cum igitur Vermis Diuitum sit superbia, Maiores vix causas audirent, sed eas in immensum differrent & Minores scriberent inuiti. Cuius rei experimentum in euidenti est, quia & modò negotia protrahunt etiam post percepta obsequia ex securitate percipiendi. Et sic periclitaretur Iustitia & oporteret conquerentes mori in Ianuis Romanorum tunc plenissimè dominantium. Item *cum vix possibile sit fontem cupiditatis desiccari*, quod nunc faciunt per se, tunc facerent per alios; & suis multò maiora quàm nunc dari munera procurarent; modica enim nulla sunt in conspectu Diuitum cupidorum. Item *Multa Diuitiæ facerent Romanos insanire*; & sic inter diuersas Parentelas tantæ orirentur seditiones, quod posset timeri totius excidium Ciuitatis, cuius etiam & modò penitus expers non est. Item *dixerunt, quod licet se obligarent, qui modo præsentes sunt, id non susciperent eorum successores, nec illam obligationem ratam haberent.* Denique ignis iste in fumum abiit, & coactus est Legatus palam fateri se nunquam in Curia eiusmodi exactioni consensum præstitisse. Sic in vtroque Regno Gallicano scilicet & Anglicano negotiatio ista Romanis malè successit: & statim Otho qui rem se facturum propriam aliâ ratione sperabat, ab Anglia in Italiam reuocatus est; Romanus verò ad promouendum Albigensium negotium in Gallia diutius substitit.

Anno

Anno igitur 1226. eiusdem Legati iussu susceptio Crucis vbique passim persouit. Eam que multi Prælati & laici Regis Ludouici exemplum secuti susceperunt, sed infeliciter sicut probauit exitus. Et fuerat etiam multis expeditio huiusmodi improbata. Quippe, vt legitur apud Mathæum, constabat Comitem in Concilio Bituricensi multis precibus persuasisse Legato vt veniret ad singulas terræ suæ Ciuitates, inquirens à singulis articulos fidei, & si quempiā contra fidē Catholicam inueniret sentientem, ipse secundum iudicium sanctæ Ecclesiæ, iustitiæ ex eis plenitudinem exhiberet. Et si Ciuitatem aliquam inueniret rebellem, ipse pro posse suo eam cum habitatoribus suis ad satisfactionem compelleret. Pro se ipso autem obtulit, si in aliquo deliquit, quod se fecisse non recoluit, plenam Deo & S. Ecclesiæ satisfactionem *vt fidelis Christianus*, & si Legatus vellet, etiam fidei examen subiret. Aiebant autem Legatum hæc omnia contempsisse, nec potuisse Comitem Catholicum gratiam inuenire, nisi pro se & heredibus suis hereditatem suam deserens abiuraret. 1229.

Igitur collectus est ingens exercitus, sed pene totus peste periit, & Ludouicus ipse apud Mompencetium morbo correptus interiit testamento prius condito, cuius partem quæ sequitur non pigebit referre; quippe inde colligi videtur fuisse vetus Palatium Regum in eo prope loco, vbi nunc est Regia Luparæa.

De Mobilibus nostris quæ penes Nos habemus, sic ordinamus. Donamus enim filio nostro qui nobis succedet in Regnum, *quidquid habemus in Turri nostra Parisius iuxta S. Thomam, videlicet in Terra & argento & pecuniā numeratā ad Regni defensionem*. Item volumus & præcipimus quod de Mobilibus Nostris omnes interceptiones nostræ emendentur, & Debita quæ debemus Nostris Creditoribus reddantur. Item legamus Charissimæ Vxori nostræ viginti millia librarum, Ducentis Domibus Dei viginti millia librarum. Item Abbatiæ S. Mariæ de Victoria prope Syluanectum, mille libras præter reditus illos quos ei donauimus, & volumus vt lapides nostri qui sunt in coronis vel anulis vel alijs *localibus similiter vendantur ad opus prædictæ Abbatiæ*. Ex ijs verbis patet nondum fuisse omnino completam Abbatiam de Victoria quam Philippus Pater ædificare cœperat in memoriam Victoriæ Bouinensis.

Successit ergo Ludouico VIII. Ludouicus IX. filius annos natus 12. quem, inquit Gaguinus, in Blanchæ Matris tutela Pater reliquerat. Eius erudiendi solicita Mater curam sine intermissione adhibuit; ita vt vigili studio elaboraret Christianis illum Institutis præclarisque moribus educari, deputatis ad id negotium Religiosis hominibus Ordinis Prædicatorum & Minorum, quorum Disciplinā ita didicit vitæ Sanctimoniam amare, vt illo tempore nemo religiosior habitus sit.

Defuncto igitur Patre Mense Septembri & ad San-Dionysianum sepulchrum elato, Regina ad inaugurationem filij Parisios Regni Proceres vocat: sed illi tergiuersantur, donec è vinculis liberati fuerint Ferrandus Flandrensis & Reginaldus Boloniensis, restitutaque sint oppida multa, quæ sibi per vim ablata dicebant. Quod vt intelligit Regina, de consilio M. Romani Legati, conuocato Regni Clero & paucis Proceribus die S. Andreæ filium coronari curat, clam ante illam inaugurationem elapsis Duce Burgundiæ, Comite Campaniæ Barrensi, S. Pauli & Britanniæ, qui sinistrum rumorem de Legato & Regina spargentes & varias causas prætexentes coniurarunt & minanti sunt bellum se moturos, nisi satis sibi fieret.

Eodem anno moritur Assisii D. Franciscus, in ea Ciuitate in qua natus erat, expletis 20. annis ex quo Christo penitus adhæserat, Apostolorum vitam & vestigia imitatus.

Rex Ludouicus Remis inungitur Dominica 1. Aduentus à Iacobo Suessionensi Episcopo, vacante tum sede Archiepiscopali, qui, inquit Nangius, summæ ingenuitatis puer velut surculus ex dulciflua abscissus arbore in primæuo flore radicem figens, cœpit odoriferos gratissimæ pueritiæ flores emittere, & sub disciplina egregiæ & venerabilis Matris suæ Blanchæ, qui eum sub protectione curatoria prudenter & diligenter educabat, liberalem animum ad sapientiam informare. Principia Gestorum eius scripsit Gilo de Remis Monachus San Dio-

nysianus virtutes & mores Gaufredus de Belloloco Ordinis Prædicatorum. Spicilegium verò composuit Guillel. Nangius Monachus quoque San-Dionysianus.

Huiusce venerandi Principis virtutes posteritati reliquit quoque scriptor quidam San-Dionysianus Anonymus præcipuè quoad litteraturam eius attinet & assiduitatem in Sacris Scripturis euoluendis & intelligendis atque enodandis

Quia verò, inquit, secundum *cuiusdam sapientis* dictum, nihil sapientis mentem sic ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat, & adiuuat ad opus bonum sicut *Sacrarum studium litterarum*. Sanctus iste Ludouicus Rex attendens quod superius præmisimus, Regem in libro legis iuxta Domini præceptum cunctis diebus legere, sacræ Lectioni studiosè insistebat. Habebat enim Bibliam glossatam & Originalia B. Augustini & aliorum sanctorum & alios sacros libros in quibus legebat & legi coram se multotiens faciebat illo medio tempore intra Prandium & somnum diurnum, & multotiens per somnum vsque ad vesperas, nisi grauioribus fuisset occupatus: prædictis etiam temporibus faciebat ad se vocari aliquos Religiosos vel alios honestos viros, cum quibus loquebatur de Deo, de sanctis & eorum actibus & interdum de historiis sacræ Scripturæ & de Vitis Patrum. Habebat enim libenter secum in mensa Prælatos vel alios Clericos, cum quibus de Deo loquebatur in mensa, loco lectionis quæ habetur in Conuentibus Religiosorum. Omni etiam die dicto Completorio à Capellanis in Capella redibat ad Cameram tuncque accendebatur vna Candela cerea magnæ quantitatis, & dum illa durabat, ipse legebat in Biblia vel in alio sacro libro. Siquidem erga Dei sanctum sermonem, vt pote qui ex Deo erat, tantæ deuotionis, tantæ reuerentiæ fuit, quod multotiens in Capellis Religiosorum sermonem, in scholis quorundam sacræ Scripturæ lectionem humiliter sedens inferius, aliis sedentibus in scamnis & locis superioribus audiebat. Sed & huius sancti Regis zelum ad Litterarum studium, ex eo quod sequitur, satis patet. Suo namque tempore orta dissensione Parisius inter Scholares & Burgenses, Clerici pluribus ex eis occisis Parisius egressi per diuersas Prouincias sunt dispersi. Attendens autem S. Ludouicus Thesaurum scientiæ cunctis aliis præminere thesauris (Lilium quidem signum est Regis Franciæ, vno solo folio, vt supra diximus, sapientiæ studium designans) ex talis thesauri carentia non mediocriter deturpatum) scholares reuocans benignissiméque recipiens fecit eis quidquid eis Burgenses fori-fecerant emendari, more Salomonis, in comparatione scientiæ dicens Diuitias nihil esse.

Quando quidem de hocce erga litteras & litteratos studio incidit mentio, non erit extra rem eâdem operâ referre, quantâ bonus ille Princeps diligentiâ Bibliothecam compararit post primam suam in Terram sanctam profectionem. Quâ de re sic Gaufredus de Bello-loco.

Audiui, inquit, *fidelis Rex dum* adhuc esset vltra mare, de quodam Magno Saracenorum Soldano, qui omnia librorum genera quæ necessaria esse poterant, Philosophicis Sarracenis diligenter faciebat inquiri & sumptibus suis scribi, & in armario suo recondi: vt litterati eorum librorum copiam possent habere quoties indigeret. Considerans igitur pius Rex quod filii tenebrarum prudentiores esse videntur filiis lucis, & erroris sui amplius zelatores, quàm sint filij Ecclesiæ veræ fidei Christianæ, concepit quod reuertens in Franciam omnes libros sacræ Scripturæ quos vtiles & authenticos in diuersis armariis Abbatiarum inuenire valeret, transcribi sumptibus suis faceret, vt tam ipse quàm viri Litterati ac Religiosi familiares sui in ipsis studere possent, ad vtilitatem ipsorum & ad ædificationem proximorum. Sicut cogitauit, ita & reuersus perfecit, & locum aptum & fortem ad hoc ædificari fecit, scilicet Parisius in Capellæ suæ Thesauro, vbi plurima Originalia tam Augustini, Ambrosii, Hieronymi atque Gregorij, nec non & aliorum Orthodoxorum Doctorum libros sedulò congregauit: in quibus quando sibi vacabat, valde libenter studebat & aliis ad studendum libenter concedebat. Maximè autem si vacare poterat ad studendum, propter dormitationem diurnam antequam prodiret in publicum, siue ad loquendum eum aduentantibus, siue ad Vesperas audiendum.

Potius autem volebat de nouo facere Libros scribi, quàm emere iam conscriptos, dicens quod hoc modo Sanctorum Librorum numerus & vtilitas copiosius augebatur. De his autem libris quos sicut diximus fecit scribi, & quos in armatio Parisius dereliquit, in suo disposuit Testamento, quod vna pars esset Fratrum Minorum, & altera Fratrum Prædicatorum, reliqua Monachorum Regalis Montis, Ordinis Cisterciensis, quos ipse fundauit omnino de suo. Quando studebat in libris & aliqui de familiaribus suis erant præsentes, qui litteras ignorabant, quod intelligebat legendo propriè & optimè nouerat coram illis transferre in Gallicum de Latino. Non libenter legebat in scripturis Magistralibus, sed in Sanctorum libris autenticis & probatis.

Anno 1227. Obiit Bartholomæus Episcopus Paris. cui successit M. Guillelmus Aruernus insignis bonarum Artium, deinde Theologiæ Professor, diuque sedem tenuit. Eius virtutes breuiter prædicat M. Nicolaus de Braya in opere quod de Ludouici VIII. gestis composuit. Sic enim eum compellat initio operis. 1227.

Et tu quem decorat virtutum schema, sophiæ
Gratia, quem Genitrix & Virgo pudica pudicum
Esse sibi gaudet famulum: quo Præsule ridet
Artibus ingenuis vernans vrbs Parisiensis;
Quò festinat eum Aluernia fomite felix
Gemma Sacerdotum, Cleri decus, huc ades, aures
Huc aduerte tuas, cœptis patiare Camœnam,
Præsidioque tui Braiæ Nicolaus alumnus
Gaudeat, & robur tua gratia conferat illi,
Plusquam Pierides, plusquam facundus Apollo
Conferet ingenii tua gratia sola iuuamen.

Eodem anno more Romano 4. Kal. Martij naturæ debitum soluit Honorius III. cui successit Hugolinus ex Comitibus Signiæ oriundus, Innocentij III. nepos Cardinalis & Episcopus Ostiensis, qui Gregorij IX. nomen sibi sumpsit Romæ 13. Kal. April. Vir intimâ S. Francisci familiaritate conspicuus, & patrui sui Innocentij in summo erga Academiam Parisiensem amore successor: vt patebit ex historia & rerum gestarum serie. Ciaconius eum sempiternâ laude & immortali memoriâ dignissimum prædicat, eumque ait fuisse animi magnitudine & vitæ sanctitate clarissimum, Diuini humanique Iuris consultissimum, authoritatis Ecclesiasticæ constantissimum assertorem. Primo autem sui Pontificatus anno singulare indulsit Dominicanis Priuilegium, quod magnorum postea dissidiorum radix fuit, nimirum vt vbique terrarum prædicare verbum Dei possent, confessiones audire & pœnitentias iniungere. Sic enim ille.

Gregorius Episcopus S. S. D. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis & Dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris & aliis Ecclesiarum Prælatis ad quos litteræ istæ peruenerint, salutem & Apost. bened. Quoniam abundauit iniquitas & refriguit Charitas multorum, ecce Ordinem Dilectorum filiorum FF. Prædicatorum Dominus suscitauit, qui non quæ sua, sed quæ sunt Episcopi quærentes, tam contra profligandas hæreses, quàm contra pestes alias mortiferas extirpandas dedicauerunt Euangelizatione Verbi Dei, in abiectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum sanctum propositum & necessarium ministerium fauore beneuolo prosequentes, Vniuersitati vestræ ipsos affectuosè duximus commendandos, Charitatem vestram rogantes & exorantes in Domino & per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dilectos filios fratres Ordinis memorati pro reuerentia Diuina ad Officium prædicandi, ad quod deputati sunt, recipiatis benigné, ac populos vobis commissos, vt ex ore ipsorum Verbi Dei semen deuotè suscipiant, & conferantur eisdem, cum ipsis authoritate nostra liceat Confessiones audire ac pœnitentias iniungere. Sedulò admonentes pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia, in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatenus ad prædicta suscipienda vestris exhortationibus populi præparati tanquam bona & fru- PRIVIL. DOMINICANORVM.

„ ctifera terra, pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, & „ dicti Fratres per cooperationem vestram suscepti ministerij cursum felicius con„ summando optatum reportent sui laboris fructum & finem, salutem videlicet „ animarum. Quia verò sæpe vitia sub specie virtutum occultè subintrant, & „ Angelus Sathanæ in Angelum lucis se plerumque simulare transformat, præ„ sentium vobis authoritate mandamus, quatenus si Qui de Prædicatorum Fra„ trum Ordine se dicentes in vestris partibus prædicauerint, ad Quæstum se pe„ cuniarum conuertendo per quod Religionem eorum qui paupertatem passi sunt, „ contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis & condemnetis. Datum Anagniæ 5. Kal. Octob. Pontif. nostri an. 1.

De hacce erga Dominicanos Gregorij inclinatione sic habet Thomas Cantipratanus l. 2. c. 57. n. 47. Hinc postea factum est, vt ipse Papa & Cardinales in „ Curia deuotissimi erga Prædicatorum Ordinem eum inconsuetis authoritatibus „ & priuilegiis exaltarent. Vnde successor ipsius Honorij Papæ D. Papa. Grego„ rius, Fratri Ioanni, dicto de Argentina, quondam Bosnensi Episcopo, Magistro „ *Prædicatorum Ordinis facto, cum magna deuotione dixit. Me tibi Charissime quasi pro* „ *incude Papam orbis constituo, linguam autem tuam pono pro malleo, vt secundum om*„ *nia Priuilegia, quæ Ordini tuo expediunt, vel etiam quæ alijs Religiosis quibuscumque* „ *vsque in præsens concessa sunt, scribi facias & bullari.* Nec mora. Magister Ordinis, „ & qui cum eo erant fratres, omnibus Registris Apostolicorum inspectis, omnia „ Priuilegia, quæ sibi commoda & vtilia pro confirmatione Ordinis essent, vel fore „ possent, consensu fratrum Cardinalium & Curiæ bullata & subscriptionibus in„ signita solenniter acceperunt.

Ad hunc annum leguntur in Bibliotheca Patrum Tom. 4. quædam Statuta à D. Stephano Episcopo Parisiensi facta aduocatis Magistris in Theologia circa quasdam Theses Theologicas & Philosophicas quæ hæresim sapere videbantur. Et in indice Chronologico ad seculum 13. sic habetur. *R. P. N. Stephani Parisiensis Episcopi contra varios in fide errores & eorum Professores Anathema an. D. 1227. Die Dominica qua cantatur Lætare Ierusalem, in Curia Parisiensi.* Sed quàm parum diligenter hæc scripta sint, nemo non videt, qui Catalogum Episcoporum Parisiensium inspexerit: in quo non Stephanum, sed M. Guill. Aruernum hoc Anno in Episcopali Cathedra sedentem inueniet, post mortem Bartholomæi. Similiter errat turpissimè Indicis illius Collector, qui Guillielmum I. Paris. Episcopum 63. vixisse eodem seculo ait Vrbani IV. temporibus, damnauisséque errores detestabiles aliquot contra Catholicam veritatem an. D. 1240. Tunc enim sedebat adhuc Gregorius IX. Pontifex Max. & Guillelmus diu ante Vrbani IV. tempora obiit. Turpius adhuc errat cum Stephanum Parisiensem Episcopum 67. fratrem Ludouici Grossi Regis Gallorum suspicatur fuisse, composuisseque Rescriptum de quorundam errorum & librorum damnatione an. 1270. & 1277. nam Ludouicus Grossus centum annis & amplius ante Stephanum obierat.

CANCELLARIVS SAN-GENOVEFIANVS.

Eodem anno conquesti apud Gregorium Pontificem Hebertus Abbas & Conuentus San-Genouefianus, quod Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis Magistros in Theologia & Decretis docentes adstringeret vinculo etiam iuramenti ad docendum inter duos Pontes, contra consuetudinem, itaut in Monte aut in alijs locis circumuicinis docere non auderent, obtinuerunt ab eodem litteras ad Radulfum tunc Abbatem S. Ioannis Baptistæ de Vineis, & M. Radulfum de Coudun tunc quoque Cantorem & Archidiaconum Suessionensem (qui anno 1243. factus eiusdem vrbis Episcopus, obiit an. 1245.) vt in veritatem inquirerent. Scripsit quoque ad Cancellarium Parisiensem, qui tunc erat Philippus de Greua, nobilis ciuis Parisinus & valde litteratus. Talis autem est Bulla.

„ Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei dilecto filio Cancellario Parisiensi „ Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilecti filij Abbas & Conuentus S. „ Genouefæ Parisiensis nobis insinuare curarunt, quod cum ad ius eorum pertineat, „ *vt Doctores Theologiæ ac Decretorum ac Liberalium Artium de ipsorum licentia liberè*

regere valeant in Parochia & terra eorum infra Parisiens. murorum ambitum constitutas Theologiæ Decretorumque Doctores ad regendum inter duos pontes adstringis vinculo Iuramenti: propter quod etsi Doctores Artium de licentia ipsorum regant in prædicta parochia, Theologiæ tamen & Decretorum Doctores non audent regere in eadem. Vnde non solum honori, sed etiam vtilitati Monasterij sui plurimum derogatur. Volentes igitur eiusdem Monasterij honores & iura illibata seruari, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus si præmissis veritas suffragatur, illos qui prædictas scientias in Parochia & terra ipsa docere voluerint, & ipsi ad id eas reputauerint esse idoneos, id facere sine contradictione permittas: alioquin Dilectis filijs Abbati & Priori Sancti Ioannis in Vineis, & Radulpho de Coudun Archidiacono Suessionensi nostris damus litteris in mandatis, vt partibus conuocatis audiant hinc inde proposita, & causam huiusmodi, si partes consenserint, debito fine decîdant, facientes quod decreuerint, per censuram Ecclesiasticam firmiter obseruari: alioquin eandem ad nos remittant sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem, quo per Procuratores idoneos propter hoc nostro se conspectui repræsentent. Datum Laterani 10. Kal. Decemb. Pôntificatus nostri anno 1.

Bulla verò ad Abbatem S. Ioannis de Vineis & M. Radulfum de Coudun iisdem prope verbis concepta legitur in hunc modum.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Abbati & Priori sancti Ioannis in Vineis & M. De Coudun Archidiacono Suessionensi Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilecti filij Abbas & Conuentus sanctæ Genouefæ Parisiensis suâ nobis insinuatione monstrare curarunt, quod cum ad Ius eorum pertineat, vt Doctores Theologiæ & Decretorum ac Liberalium Artium de ipsorum licentia liberè regere valeant in parochia & terra eorum infra Parisiensium murorum ambitum constituta, Cancellarius Parisiensis Theologiæ Decretorumque Doctores ad regendum inter duos Pontes adstringit vinculo Iuramenti. Propter quod etsi Doctores *Artium de licentia ipsorum regant in prædicta Parochia, Theologiæ, tamen vel Decretorum Doctores non audent regere in eadem* Vnde non solum honori; sed etiam vtilitati Monasterii sui plurimum derogatur. Volentes igitur eiusdem Monasterii honores & iura illibata seruari, dicto Cancellario nostris dedimus litteris in mandatis, vt si præmissis veritas suffragatur, illos qui prædictas scientias in Parochia & terra ipsa docere voluerint & ipsi ad id reputauerint eos esse idoneos, id facere sine cōtradictione permittat. Ideoq; discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus si dictus Cancellarius mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos partibus conuocatis audiatis hinc inde proposita & causam huiusmodi, si partes consenserint, fine debito decîdatis, facientes quod decreuerint per censuram Ecclesiasticam firmiter obseruari. Alioquin eandem ad nos remittatis sufficienter instructā, præfigentes partibus terminum competentem, quo per Procuratores idoneos propter hoc nostro se conspectui repræsentent. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrûm ea nihilominus exequantur. Datum Laterani 10. Kal. Decembris Pontificatus nostri anno primo.

Ex his Bullis tria intelliguntur maximè notanda. Primum est antiquitas Cancellarij San-Genouefiani, seu quod idem est iuris dandæ licentiæ docēdi in Monte & Parochia San-Genouefiana, his verbis, *ad ius eorum pertineat vt de ipsorum licentia in Parochia & terra eorum infra Parisiensium murorum ambitum constituta liberè regere valeant*. Vnde confirmatur id quod alibi diximus de causa & occasione instituendi duplicis Cancellarij. Nam pars Vniuersitatis, quæ Montem San-Genouefianum & loca subiecta occupauit, ibi obtentâ ab Abbate vel à Cancellario licentiâ liberè docere potuit, & similiter ea quæ Atrium Basilicæ & alia loca Episcopalis iurisdictionis inhabitauit, à Cancellario Parisiensi regendi potestatem obtinuit

Alterum est, quod Doctoribus Artium omnino licebat vbilibet regere: nec eis Cancellarius Paris. hanc facultatem derogabat. *Doctores Artium de licentia ipsorum Abbatis & Conuentus, regunt in prædicta parochia.* Et hinc intelligitur Facul-

tatis Artium cum Cancellario San-Genouefiano coniunctio & neceffitudo. Seu quia prima Vniuerfitatem compofuit, vt multi volunt, feu quia in Monte potiffimum & in valle fubiectâ fedem fixit.

Tertium denique eft, quod etfi non contradiceret Cancell. Parif. quominus Artiftæ docerent in Monte, quod idem dicendum de Medicis, nolebat tamen Theologos & Decretiftas alibi docere quàm inter duos pontes, vt eos haberet fibi obnoxios & fubiectos. Cuius rei caufa præcipua & primaria repetenda eft ex antiquiffima inftitutione Cathedræ Theologicæ, cui Cancellarius Magiftrum idoneum præficere folebat; vt ante docuimus. Non eft autem dubium quin eiufmodi Magiftrum imò & Decretiftam aliquem propter affinitatem doctrinæ ifti loco adftringere poffet. An verò eandem poteftatem in cæteros Theologiæ & Decretorum Magiftros exercere valeret, quæftio fuit iftis temporibus agitata: & verifimile eft hifce rationibus vtrinque, Cancellarium nempe Parif. & San-Genouefianos vfos fuiffe.

1. Quidem pro Cancellario militabat ratio prællata de inftitutione Cathedræ Theologicæ ante ipfiufmet Vniuerfitatis inftitutionem & erectionem. 2. Quia per plura fecula pauci admodum fuerunt Theologi: nec alii forte quàm Epifcopales feu Clauftrales. 3. Quia Epifcopi & proinde Cancellarii plurimum intereft infpicere in Doctrinam Theologorum & Decretiftarum, ne forte diuagentur docendo lolliumque frumento admifceant: id autem commodè fieri non poterat, fi à Bafilica & à Clauftro, hoc eft ab oculis Epifcopi longius abfcederent.

Contra San-Genouefiani hifce rationibus caufam fuam tueri poterant. 1. Quod hactenus immunes fuiffent ab omni fubiectione Epifcopali quoad forum & procurationem vt vocant, proindeq; fui iuris effe licentiam impertiri docere volentibus in fundo fuo, nec vllatenus id fibi derogatum erga Magiftros Liberalium Artium: quamobrem non derogari aut denegari debere erga Theologos & Decretiftas, pro quibus par ratio militabat. 2. Fatebantur quidem Epifcopum ius habere fcholæ Theologicæ, talemque Scholam exerceri confueuiffe in Clauftro, cum ea propriè fchola effet Canonicorum & Cleri Parifienfis, item & Diœcefanorum. At cæteras contendebant effe Regiæ inftitutionis & publicas, ad quas non modò Parifienfes & Galli, fed & omnium Gentium Nationumque Difcipuli admitti folebant: eas verò certo loco adftringere iniuriofum effe memoriæ Caroli M. qui Palatinas fcholas omnibus patere voluit, & publicæ libertati contrarium 3. Quia talis erat vfus hactenus obferuatus, vt tam Theologi quàm Artiftæ docerent in Monte & alibi pro opportunitate fcholarum & hofpitiorum. Idque confirmare poterant plurimis exemplis eorum, qui à temporibus Petri Abaëlardi, hoc eft ab an. circiter 1100. ad fua vfque tempora indifcriminatim in Clauftro aut Atrio & in Monte aliifve locis Theologiam docuerant. 4. Quia nullâ lege poterant id fibi Epifcopus & Cancellarius Parifienfis priuatim arrogare, non etiam Pontificiorum Priuilegiorum authoritate, cum nullum in hanc rem proferrent, imò cum Calixtus Pontifex, qui Ciuitatis Parifienfis ftatum probè nouerat, an. 1. fui Pontificatus nempe an. 1119. Gilbertum feu Gerbertum Epifcopum Parifienfem fibi demereri voluiffet, Authoritate Apoftolica mandauit, vt omnes Clerici & Abbates honorem & reuerentiam ipfi, & fucceffloribus obedientiamque præftarent: quibus in litteris non omififfet mentionem facere Magiftrorum & fcholarium qui tunc erant Lutetiæ frequentiffimi, fi aut Epifcopo & Cancellario, aut ipfi Ecclefiæ Matrici quoad fcholæ publicæ regimen fubditi fuiffent. Legitur autem Callixti Bulla in Chartulario Parifienfi fub hoc lemmate. *Littera Calixti Papæ, vt omnes & Clerici & Abbates ad fedem Parifienfem pertinentes obedientiam & reuerentiam femper Epifcopo Parifienfi exhibeant.*

Calixtus Ep. S. S. D. Venerabili fratri G. Epifcopo & Canonicis Parif. Ecclefiæ, Sal & Ap. Ben. Apoftolicæ adminiftrationis debito prouocamur fuam Ecclefiis dignitatem & Iuftitiam conferuare. Quapropter qua veftram Matricem B. Mariæ Ecclefiam in fuæ dignitatis ftatu volumus per Dei gratiam permanere, *Prouide præfentis fcripti ftabilitate ftatuimus, vt omnes & Clerici & Abbates ad fedem Parifienfem pertinentes* (tibi Chariffime frater) *G. Epifcopo tanquam Paftori fuo & tanquam membra capiti adhærentia & fuccefforibus tuis debitam obedientiam & reuerentiam femper exhibeant.* Illud etiam iuxta fanctorum Canonum cenfuram decerni-

mus, vt si aliquis Ecclesiæ Paris. Canonicus ad Episcopatus fuerit honorem promotus & alterius Ecclesiæ gubernacula beneficiaque susceperit, illius de qua assumptus est Ecclesia, priuetur Canonica. Datum Laterani 5. Kal. Apr. indict. 1.

Ex his ergo euincere poterant San-Genouefiani Scholas Vniuersitatis non esse Iuris Episcopalis, sed Claustralem tantummodo: de qua conuenerant inter se Stephanus Episcopus & Capitulum circa an. 1123. vt in certo loco cooperto haberetur, ablegatis inde extraneorum scholis, vt in *addendis* retulimus ad 2. tom. Quod conuentum seu pactum cum obiecisset Stephano Theobaldus Noterius Archidiaconus in Curia Rom. apud Honorium II. Cardinales quibus commissa est disceptatio litis, inter quos erat Petrus Leonis tit. S. Calixti Academiæ Paris. olim alumnus, & Ioannes Cremensis tit. S. Crysogoni, ita decreuerunt. *De scholis verò vnde inter Episcopum & Canonicos Paris. emersit discordia, Domnus Theobaldus contra voluntatem Episcopi nullatenus veniet.* Legitur hæc Charta in Chartulario Ecclesiæ Paris. data an. 1127.

Quid super ea Quæstione statutum sit à summo Pontifice Gregorio, credò non extat. Sed ex iis quæ vsurpata sunt consecutis temporibus, satis conjicitur Cancellarium Parisiensem aut causâ cecidisse, aut ante iudicium eiusdem defensionem abiecisse. 1. quidem quia aliquanto post M. Robertus de Sorbona scholam Theologicam instituit & erexit eo prope loco vbi nunc est hodie. 2. quia Cancellarius San-Genouefianus etiam Theologis docendi licentiam impertiuit aliquando, & post hæc tempora, vt patet ex Bullis Alexandri IV. quas suo loco referemus.

3. Cum circa an. 1380. lis exorta fuisset inter scholam Academicam Decretistarum & scholam Claustralem de iuribus Academiæ, quæ sibi vindicabat Claustralis, Decano & Capitulo Parisiensi causam propugnantibus, Decretistis verò Academicis repugnantibus, Clemens VII. Auenione sedens anno sexto sui Pontificatus, Christi an. 1383. nullâ habitâ ratione Iuris quod prætendebant Canonici, sed pro sua tantùm authoritate Magistrum Claustralem & Auditores ipsius Academicis accenseri voluit, dummodo & ea lege vt Decreta Facultatis Decretorum seruarent. Et quod maximè Quæstionem præallatam illustrat, non contendebat Capitulum Decretistas non alibi posse legere quàm inter duos Pontes; non derogabat Facultati Decretorum libertatem docendi in clauso Brunelli seu in Scholis suis nec statutorum condendorum potestatem: sed hoc solummodo volebat, vt Magister quē præficiebat scholæ Claustrali, liberè legere posset Decreta absque licentia Facultatis, cum 'is esset vsus vt talem Magistrum ipsi præficerent; atque etiam è Canonicis aliquem. At Decretorum Facultas contendebat neminem posse docere publicè absque licentia sua, secus nec ipsum nec eius Auditores inter Academicos reputatum iri. Verba Decani & Capituli notatu digna sunt. *Diuturnis temporibus fuisse & esse in eadem Ecclesia obseruatum, quod vnus Canonicus ipsius Ecclesiæ huiusmodi Decretorum Doctor, qui huiusmodi Doctoratus insignia in studio prædicto susceperit, potest absque Licentia Doctorum, Decani Facultatis & Collegii in Scholis Claustri eiusdem Ecclesiæ Decreta ipsa legere: & quod ipse sic legens reputatur Regens in Facultate prædicta, & omnibus priuilegiis & libertatibus & immunitatibus vtitur atque gaudet quibus Doctores Decretorum ipsorum eadem Decreta in vico Clausi Brunelli Parisius legentes vtuntur & gaudent.*

Quid ad hæc Facultas Decretorum? *præmissa non esse vera:* quid Pontifex? Nos cupientes Quæstioni finem imponere, ipsamque Ecclesiam SPECIALIS IN HAC PRÆROGATIVA gratiæ decorare, motu proprio non ad ipsorum Decani & Capituli vel alterius pro eis instantiam, sed de NOSTRA MERA LIBERALITATE concedimus, quod deinceps in perpetuum, vnus Canonicus prædictæ Ecclesiæ Præbendam inibi obtinens, Decretorum & ipsorum Doctor qui in eodem studio insigne susceperit, memorata Iura Canonica in dictis scholis ordinariè valeat legere prædictorum Decani, Facultatis & Collegii, vel aliquorum seu alicuius ipsorum licentiâ super hoc minus requisitâ. Quodque Canonicus eiusdem Ecclesiæ iura prædicta in eisdem Scholis legens, verus Regens in iisdem Iuribus perinde reputetur, ac si iura prædicta ordinariè in vico legeret supradicto.

Ex his ergo luce meridiana clarius patet Scholam Claustralem ad Clementis

VII. tempora non fuisse inter Academicas reputatam, nisi quatenus ei præficiebantur Magistri Academici & de consensu Academiæ; secus, priuatam tantummodo fuisse habitam. Ac proinde Cancellarium Parisiensem plus æquo ius suum & authoritatem extendere voluisse, cum Theologos & Decretistas non Claustrales ad docendum inter Pontes Iuramenti vinculo adstringere voluit.

Vnde ergo, inquiet aliquis, ista Theologos & Decretistas imo, ista tam vniuersalis omnium Facultatum Magistros licentiandi potestas? diximus alibi, & breuiter repetimus. Cum Vniuersitas Corpus sit Laïcum aut Laïco simile, proculdubio non potuit ipsa sibi Licentiam docendi impertiri, sed necesse fuit ab aliquo Ecclesiastico obtinere. Et eam quandiu in scholis Palatinis morata est, ab Archicapellano obtinuit, vt alibi docuimus. Postquam verò inde migrauit, pars à Cancellario Parisiensi, pars à San-Genouefiano pro opportunitate & loco habitationis obtinuit: nec vlla lege certâ eaurum fuisse crediderim, vt ab vno potius quàm ab altero obtineretur. Et hoc est quod iuxta antiquam consuetudinem obseruari petebant à Gregorio San-Genouefiani, liberumque volebant esse vnicuique adire vtrum vellet Cancellarium. Veruntamen decentius visum est Theologis & Decretistis Parisiensem adire, tum propter Episcopalem dignitatem & sedem, tum quia ea loca frequentius inhabitauerant, tum cum pauciores adhuc erant numero: vnde ex consuetudine eundem adierunt, postquam & multiplicati fuerunt, & aliis quoque in locis docere cœperunt.

Quod ad Professores verò Medicinæ attinet, tam id eis fuisse crediderim liberum quàm Artistis. Quia tamen Canonici ipsi Parisienses eam profiteri non dedignabantur, vt exemplis Obizonis, Petri Lombardi, Ægidij Corboliensis & plurimorum aliorum liquet: & primas scholas in vico proximo non longè ab atrio, primos etiam conuentus aut apud S. Genouefam de Ardentibus, aut ad *Cupam* vt vocabant *nostræ Dominæ*, in inferiori parte Basilicæ Parisiensis, habuerunt, conuenientius certè fuit à Cancellario Parisiensi, quàm à San-Genouefiano licentiam petere & obtinere. Vnde & ad Posteros vsus transmissus est, & hodie etiamnum obseruatur.

1228. Anno 1228. cum post diuturnum & grauissimum Albigensium bellum, pacem tandem indulsisset Ludouicus Raimundo Comiti Tolosano, illum adegit certum persoluere stipendium seu salarium Magistris in Theologia, in Decretis & in Artibus, quos ex Academia Parisiensi Tolosam misit ad confundendam hæreticorum væsaniam, si insanire pergerent. Et hoc est initium Vniuersitatis Tolosanæ: nam licet olim florentissima fuisset omnium optimarum Artium exercitio, vnde *Palladia Tolosa dicebatur*, nondum tamen Theologicam Facultatem exercuerat. Sic igitur in fœdere continetur. *Item quatuor millia drachmarum deputabuntur ab ipso Raimundo duobus Magistris Theologiæ, duobus Decretistis, seu Magistris Liberalium Artium & duobus Magistris Grammatices Regentibus Tolosæ, quæ diuidentur hoc pacto. Singuli Magistrorum Theologiæ habebunt singulis annis quinquaginta marchas vsque ad decennium, scilicet annuatim. Vterque Magistrorum Decretorum habebunt 30. marchas vsque ad decennium. Singuli Magistri Artium habebunt 20. marchas vsque ad decennium.*

VNIVERSITAS TOLOSANA.

In eadem Vniuersitate Tolosana hisce temporibus docebat Franciscus Accursius Regis Angliæ Aduocatus, & respondit publicè an. 1227. sumpto disserendi argumento *ex lege circa Cod. de sentent. quæ pro eo quod interest.* Teste Bartolo in d. l. vn. Vnde patet Iuris etiam Ciuilis disciplinam ibidem exercitam fuisse. Renatus Chopin. l. 3 de Doman. ait constanter tenendum esse Vniuersitatis Tolosanæ nomen eximium, statuta, Comitialia Collegij Decreta ad Regiam esse Francorum concessionem referenda. Iason vero ait Priuilegia studij Paris. eidem fuisse indulta. De quibus agunt Willielmus Cuneus & Baldus nuncupatim in l. *omnia priuilegia* Cod. de Episc. & Cleric. Panormit. in Cap. vlt. *ne Cler. vel Monach.* De Erectione huiusce Academiæ per Romanum Pontificem dicemus infra ad an. 1233.

De pace Tolosana pauca scripsit M. Guillelmus de Podio Laurentii: sed hoc præsertim memorabile. *Erat pietas*, inquit, *virum tantum videre* (nempe Raimundum Comitem Tolosanum) *qui tanto tempore tot & tantis nationibus poterat restitisse, duci nudum in camisio & braccis & nudis pedibus ad altare. Erant præsentes*

tes adhuc duo Rom. Ecclesiæ Cardinales, vnus Legatus noster in Regno Franciæ, & alius in Regno Angliæ Episcopus Portuensis. Id peractum est Parisiis quò ex Meldensi Ciuitate vbi pax sancita est, omnes Regni Proceres conuenerant.

Eodem anno Gregorius Pontifex datis ad Magistros Theologiæ Paris. litteris grauiter eos increpat qui elatiori spiritu, ostentandæ Philosophiæ causâ Scripturarum difficultates & inexplicabilia dogmata enucleare contendebant, quique nimis addicti ratiocinationi humanæ fidem euacuabant, naturæ tribuentes quod soli gratiæ tribuendum erat. Præcepit itaque vt deinceps in explicandis aperiendisque Scripturarum Sacrarum oraculis sanctissimorum Patrum doctrinam, non Philosophorum fucatas rationes adhiberent. Legitur Epistola l. 2. Ep. 20. & apud Continuatorem Baronij ad hunc annum. Est autem eiusmodi.

AD THEOLOGIAE MAGISTROS SCHOLASTICIS TRICIS NIMIS ADDICTOS.

Gregorius Episcopus Seruus Ser. Dei. Dilectis filiis Vniuersis Doctoribus & Magistris Theologiæ Parisius docentibus Sal. & Apost. Bened. Tacti dolore cordis intrinsecus, amaritudine repleti sumus absinthij, quod sicut nostris est auribus intimatum, Quidam apud Vos spiritu vanitatis vt vter, distenti positos à Patribus terminos profanâ transferre satagunt nouitate, cœlestis Paginæ intellectum SS. Patrum studiis certis expositionum terminis limitatæ quos transgredi non solum est temerarium, sed profanum, ad doctrinam Philosophicam naturalium inclinando, ad ostentationem scientiæ, non profectum aliquem Auditorum: vt sic videantur non Theodacti, seu Theologi, sed potius Theophanti. Cum enim Theologiam secundum approbatas traditiones Sanctorum exponere debeant, & non carnalibus carnis, sed Deo potentibus destruere omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & captiuum in obsequium Christi omnem reducere intellectum, ipsi doctrinis variis & peregrinis abducti redigunt caput in caudam & ancillæ cogunt famulari Reginam, videlicet documentis terrenis cœleste, quod est gratiæ, tribuendo naturæ. Profectò scientiæ naturalium plus debito insistentes ad infirma & egena elementa mundi, quibus dum essent paruuli, seruierunt, reuersi & eis denuò seruientes tanquam imbecillis in Christo, lacte non solido cibo vescuntur, & videntur cor nequaquam gratiâ stabilisse: propter quod spoliari gratuitis & in suis naturalibus vulnerati ad memoriam non reducunt illud Apostoli quod ipsos legisse credimus tam frequenter: Profanas vocum nouitates, & falsi nominis scientiæ opiniones deuita, quam Quidam appetentes exciderunt à fide. O improuidi & tardi corde in omnibus quæ diuinæ gratiæ assertores Prophetæ, videlicet Euangelistæ ac Apostoli sunt locuti, cum natura per se quicquam ad salutem non possit, nisi gratiâ sit adiuta. Dicunt Præsumptores huiusmodi qui Doctrinam naturalem amplexantes verborum folia & non fructus Auditoribus suis apponunt, quorum mentes quasi siliquis pastæ vacuæ remanent & inanes, & eorum anima non potest in crassitudine delectari, eo quod sitibunda & auida aquis Syloé currentibus cum silentio non potatur; sed eis potius quæ de torrentibus philosophicis hauriuntur, de quibus dicitur: Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ, quia satietatem non afferunt, sed anxietatem potius & laborem. Nonne dum ad sensum Doctrinæ Philosophorum ignorantium Deum sacra eloquia diuinitus inspirata extortis expositionibus, imò distortis inflectunt, iuxta Dagon arcam fœderis collocant & adorandam in templo Domini statuunt imaginem Antiochi? & dum fidem conantur plus debito ratione adstruere naturali, nonne illam reddunt quodammodo inutilem & inanem? Quoniam fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Credit denique intellecta natura, sed fides ex sui virtute gratuita intelligentia credita comprehendit quæ audax & improba penetrat, quo naturalis negauit attingere intellectus. Dicant huiusmodi naturalium sectatores ante quorum oculos gratia videtur proscripta, quod verbum quod erat in principio apud Deum, factum est Caro & habitauit in Nobis, estne gratiæ an naturæ? Absit de cætero quod pulcherrima mulierum à Præsumptoribus stibio peruncta oculos coloribus adulterinis fucetur, & quæ à suo sponso circumamicta varietatibus & ornata monilibus prodit splendida vt Regina, consutis Philosophorum semicinciis, veste sordidâ induatur. Absit vt boues fœdæ ac confectæ macie quæ nullum dant saturitatis vestigium, speciosas

deuorent, craſſaſque conſumant. Ne igitur huiuſmodi dogma temerarium & peruerſum vt cancet ſerpat & inficiat plurimos, oporteat que filios perditos plorare Rachelem, præſentium vobis Authoritate mandamus & diſtrictè præcipimus, quatenus prædictâ væſaniâ penitus abdicatâ ſine fermento mundanæ ſcientiæ doceatis Theologicam puritatem, non adulterantes verbum Dei Philoſophorum figmentis, ne circa altare Dei videamini lucum velle contra præceptum Domini plantare, & mellis commixtioni ſacrificium fermentare doctrinæ in ſinceritatis & veritatis azimis exhibendum. Sed contenti terminis à Patribus inſtitutis mentes auditorum veſtrorum fructu cœleſtis eloquii ſaginetis, vt foliis verborum ſemotis limpidas aquas & puras tendentes ad hoc principaliter, vt vel fidem adſtruant vel mores informent, hauriant de fontibus Saluatoris: quibus tel ferri internâ craſſitudine delectentur. Datum Peruſii Non. Iulij, Pontif. noſtri an. 2.

Ab eodem Pontifice per litteras perierant Academici noſtri ſuorum confirmationem Priuilegiorum, præſertim vero illius ſtatuti, quod de licentia danda, de conſtitutionibus faciendis, ordinandis lectionibus & puniendis rebellibus, temporibus Innocentij III. inter ipſam Vniuerſitatem & Cancellarium Pariſienſem factum fuerat à Roberto Cardinale, deinde à Romano iuſſu Honorij. Quod quidem libenter indulget Pontifex & eiuſdem ſtatuti confirmationem demandat Archiepiſcopo Remenſi & Epiſcopo Siluanectenſi ac Decano S. Quintini, vt patet ex hac Bulla.

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Remenſi & Epiſcopo Siluanectenſi & Dilecto filio Decano S. Quintini Nouiomenſis Diœceſis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. *Dilecti filij Magiſtri & Vniuerſitas Scholarium Pariſienſium Nobis humiliter ſupplicarunt, vt compoſitionem quæ inter ipſos ex vna parte & bonæ memoriæ Epiſcopum & dilectos filios Cancellarium & Capitulum Pariſienſe ex altera, ſuper dandâ licentiâ ab eodem Cancellario Magiſtris volentibus incipere in ſingulis Facultatibus & faciendis conſtitutionibus, de ordinandis Lectionibus & diſputationibus, ac puniendis Rebellibus per ſubſtractionem ſocietatis, & taxandis hoſpitiis ac quibuſdam articulis mediante filio noſtro R. S. Angeli Diacono Cardinale tunc Apoſtolicæ ſedis Legato amicabiliter interceſſit, Apoſtolico dignaremur munimine roborare. Ideoque Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Compoſitionem eandem, ſicut ſine prauitate facta eſt, & ab vtraque parte ſponte recepta, faciatis per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remota firmiter obſeruari. Quod ſi non omnes his exequendis poteritis intereſſe, duo veſtrûm ea nihilominus exequantur.* Datum Aſſiſiij Nonis Iunii, Pontificatus noſtri an. 2.

Ita ſæpe coacta eſt Vniuerſitas ad ſummorum Pontificum authoritatem recurrere, hoc maximè ſeculo, quo Cancellarij Pariſienſes nihil non mouerunt, vt ſe ipſius negotiis & regimini immiſcerent: quippe ſemel, bis terue repulſam paſſi non deſiſtebant aut repetere ſigilli cuſtodiam, aut ſtatutorum condendorum derogare poteſtatem. Sed quàm id perperam quamque contra omnem morem conſuetudinemque tentarint, patet & ex Reformatione Cardinalis Roberti, & ex Bullis Honorii, quas ad annos. 1215. & 1218. retulimus.

Certè ſi Honorius ex relatione virorum fide dignorum aut ex inſtrumentis publicis competiſſet Vniuerſitatem ius ſibi nouum arrogaſſe, dum ſtatuta condebat inconſultis Epiſcopo aut Cancellario, non minus eam conſuetis arctaſſet limitibus, quàm arctauit & compeſcuit expreſſâ Bullâ Canonicos Eccleſiæ Pariſienſis, qui adueniente ad Cathedram Pariſienſem Guillelmo de Silligniaco, ſtatuta quædam noua eo inconſulto & irrequiſito fecerant & faciebant: quæ quidem Bulla legitur in Chartulario Epiſcopali ſub hoc lemmate. *Littera quod Capitulum Pariſienſe non poteſt facere aliquod ſtatutum Epiſcopo ſuo irrequiſito.* Eſtque eiuſmodi.

Honorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis Pariſienſi Capitulo Sal. & Apoſtolicam Benedictionem. Cum conſuetudinis vſuſque longæui non ſit leuis authoritas, & plerunque diſcordiam pariant Nouitates, authoritate vobis præſentium inhibemus, ne abſque Venerabilis fratris noſtri Epiſcopi veſtri conſilio & conſenſu immutetis Eccleſiæ veſtræ conſtitutiones & conſuetudines approbatas, vel nouas etiam inducatis, irritas decernentes ſi quas forte feciſtis in ipſius Epiſcopi præiudicium poſtquam eſt regimen Eccleſiæ Pariſ. adeptus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, in-

dignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani 6. non. Martii Pontif. nostri an. 5.

Ad eundem annum notat Mathæus Parisiensis M. Vuillielmi Scoti in Episcopum Dunelmensem electionem Romæ irritam fuisse factam, in eiusque locum suffectum Robertum Saresberiensem Episcopum: & loco Sarisberiensis electum à Canonicis M. Robertum Bingeham. Item M. Stephanum de Langetona Cantuariensem Archiepiscopum, de quo tam multa supra retulimus, diem extremum obiisse 7. id. Iulij apud Slindonam, & Cantuariæ sepultum fuisse, eoque sepulto Monachos impetratâ à Rege eligendi licentiâ elegisse de gremio Ecclesiæ suæ *M. Walterum de Hemesham*: Regi autem non placuisse huiusce viri electionem, nec Episcopis Suffraganeis, sine quorum consensu non debuerat celebrari. Electum verò cum quibusdam Monachis Romam contendisse; at summum Pontificem intellectis nonnullis criminibus quæ illi obiiciebantur, confirmationem distulisse; imò electionem quoque paulo post reprobasse. De Stephano verò sic scribit Henricus Knyghton l. 2. *Is est qui Biblia apud Parisium quotauit, libros Regum exposuit, vitam Regis Richardi dictauit, multaque alia industria sua opera posteris reliquit.*

Eodem anno obiit Eustachius Londinensis Episcopus, inque eius locum à Canonicis suffectus est M. Rogerus Niger, *vir*, inquit Mathæus, *in litteratura profundi pectoris, honestus ac per omnia laudabilis, religionis amator ac defensor, omni genere superbia carens, Canonicus de gremio Ecclesia sua electus.* Isti omnes in Vniuersitate Parisiensi Magisterium fuerant adepti & exercuerant.

Eodem anno summo Reipub. Christianæ damno Gregorius Pontifex & Fridericus Romanorum Imperator in aperta dissidia proruperunt. Gregorius Imperatorem excommunicauit. Imperator apud omnes Christianos conquestus est datis litteris se sine causa à Gregorio excommunicatum, suadens communem iniuriam communi periculo esse propulsandam. Itaque contra Papam grauissimam seditionem excitauit, patrimonium eius inuasit, Româ expulit, concitatis in eum Romanis Ciuibus, & Perusium vsque fugere coëgit. Nihilominus tamen idem Imperator, vt ostenderet, quàm malè sibi crimen impingeretur contractæ cum inimicis fidei amicitiæ, in Terram sanctam cum ingenti exercitu profectus est & opima spolia de iis reportauit.

Eodem anno Ludouicus IX impensè in litteras & in omnes Litteratos pronus, litteris vt vocant patentibus confirmauit omnia priuilegia, quæ Academia Parisiensis à Philippo Augusto acceperat, præsertim verò illud quod an. 1200. concessum fuerat ad securitatem scholarium, Iurisdictionem fori Ecclesiastici & alias libertates: easdemque Philippi litteras confirmando referri voluit.

„ In nomine sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Amen. *Ludouicus Dei Gratia Francorum Rex.* Nouerint Vniuersi præsentes pariter & futuri Nos Chartam inclytæ recordationis Philippi Aui nostri quondam Franciæ Regis Illustris inspexisse in hæc verba. In nomine sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Amen. Philippus D. G. Francorum Rex. Nouerint Vniuersi præsentes pariter & futuri, quod propter illud enorme flagitium quo Parisienses Clerici simul & Laici quinque numero à quibusdam Maleficis interfecti sunt, talem Iustitiam faciemus, quod Thomam illum tunc Præpositum de quo super omnes alios Scholares conquesti sunt, quod factum negat, in perpetuis vinculis detinebimus in arcta custodia & paupere victu quandiu vixerit: nisi forte elegerit Parisius publicum aquæ subire iudicium: in quo si ceciderit, damnatus erit: si liberatus fuerit, nunquam Parisius deinceps vel alibi vsquam in terra nostra propria Præpositus noster vel Balliuus erit, nec alibi, dum id euitare possimus per rationem, nec Parisius intrabit de cætero &c. Cætera videantur ad an. 1200. Tum subiungit Ludouicus.

„ Nos autem prædicta omnia approbamus & volumus, & Sigilli nostri authoritate & Regij nominis Charactere inferius annotato præcipimus confirmari. Actum apud Fontem-Bleaudum anno Dominicæ Incarnationis 1228. mense Augusti, Regni verò nostri an. 3. adstantibus in Palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa, Dapifero nostro B. Roberto Buriculario. Data vacante Cancellaria.

Hoc anno aiunt Dominicani Rolandum de Cremona donatum fuisse Do-

ctoratu in Theologia, primumque Cathedram publicam & ſolemnem in ea Facultate occupaſſe: quam M. Iordano ante conceſſam fuiſſe ſcribunt. M. Ioannes de S. Ægidio Inſtituti quoque Dominicani Profeſſor eodem tempore alteram ſcholam habuit in eadem Facultate.

DISPERSIO VNIVERSITATIS Pariſienſis.

AD annum 1229. omnes ferè Scriptores notant diſſidium inter Academicos Scholares & Ciues Pariſienſes ortum: quanquam more Gallicano videatur an. 1228. accidiſſe, nempe Bacchanaliorum diebus, quibus ſolent ſcholaſtici feriari. Hanc autem diſſenſionem abſente Rege & extruendo Regalis-montis cœnobio animum applicante ortam ſcribit Gaguinus. *Interea*, inquit, *dum circa Cœnobij inſtitutionem Rex animum intendit, ſeditio inter Ciues & Pariſienſes Scholaſticos inſurgit: itaut nonnullis vtrinque occiſis cum ſibi de iniuriis acceptis ſatis non eſſe factum Scholaſtici querantur, eò indignatio proceſſit vt de transferendo ſtudio, hoc eſt, vt vulgò loquuntur, Vniuerſitate conſultarent. Quos etiam Rex Anglus Francorum perpetuus & implacabilis hoſtis clandeſtinis nunciis, vt id facerent, ſollicitabat. Daturum ſe illis dicens, ſi Oxoniam tranſirent, domos ad diuerſandum, libertatemque atque priuilegia conceſſurum. Sed Ludouico cura fuit Scholaſticos continere, ne Nobile Regnum litterario ſplendore priuaretur, quem Diuus Carolus M. authore Alcuino Pariſijs locauerat.* Hæc paucis verbis Gaguinus, qui ſeditionem quidem notat, at cauſam ſubticet. Breuiter etiam Chronicon Fiſcanenſe. *An. 1229. facta eſt diſcordia inter Reginam & Clericos Pariſienſes, & multi ſubmerſi fuerunt in Sequana.* Et Chronicon Simonis Montisfortis, *Anno Domini 1229. facta fuit Pariſius inter Scholares maxima diſſenſio.*

Fuſius verò & accuratius totam hanc Hiſtoriam deſcribit Mathæus Pariſienſis, prout eam audierat ab iis qui è Francia in Angliam ſeceſſerant: non enim antè reuocari potuerunt Magiſtri, quàm ſummus Pontifex Gregorius & Rex Ludouicus eos certis & perpetuis ad ſecuritatem priuilegiis donarunt. Sic igitur rem narrat. *Eodem anno* feriâ ſecundâ & tertiâ ante Cineres, quibus ſolent diebus Clerici ſcholares ludis vacare, exierunt quidam Clerici ab vrbe Pariſiacenſi verſus S. Marcellum propter aëris commoditatem, vt ludis ibi intenderent conſuetis. Quò cum perueniſſent & in ludis componendis aliquandiu ſe recreaſſent, inuenerunt ibi caſu vinum optimum in taberna quadam & ad bibendum ſuaue. Vbi inter Clericos potantes & caupones de pretio vini contentione ſubortâ cœperunt ad inuicem alapas dare & capillos laniare, quo vſque homines villæ accurrentes Caupones liberauerunt de manibus Clericorum: ſed & vulnera repugnantibus Clericis inffligentes, bene fuſtigatos & egregiè, eos in fugam compulerunt. Illi autem lacerati in Ciuitatem reuertentes commouerunt ſodales in vltionem ſuam. Qui in craſtino cum gladiis & fuſtibus ad S. Marcellum venientes & domum cuiuſdam Cauponis violenter ingredientes, vaſa omnia vinalia confringentes vinum per domus pauimentum diffundunt. Et procedentes per plateas quoſcunque inuenerunt viros aut mulieres acriter inuadunt, & plagis impoſitis ſemiuiuos relinquunt. Prior verò S. Marcelli cum tantam hominibus injuriam cognouiſſet illatam quos defendere tenebatur, querimoniam coram Romano Legato & Epiſcopo Pariſiacenſi depoſuit: qui ſimul ad Reginã, cui tũ Regni diſpoſitio cõmiſſa fuerat, properantes rogabant eam, vt talem iniuriam præciperet vindicari. At illa muliebri procacitate ſimul & impetu mentis agitata, Præpoſitis Ciuitatis & quibuſdam Ruptariis ſuis dedit illico in mandatis, vt ſub omni celeritate armati ab vrbe exeuntes huius violentiæ authores, nulli parcentes punirent. Illi autem qui proni erant ad omnem crudelitatem exequendam, Portas Ciuitatis cum armis egreſſi inuenerunt extra vrbis mœnia Clericos multis ludis intendentes, qui in violentia præfata nullam penitus culpam habuerunt. Qui enim ſeminarium tumultuoſi certaminis mouerunt, erant de partibus conterminis Flandriæ, quos vulgariter *Picardos* nominamus. Sed hoc non obſtante Lictores in eos irruentes quos inermes viderant & innocentes,

alios occiderunt, alios vulnerauerunt: atque alios plagis impoſitis ſpoliantes immiſericorditer tractauerunt. Quidam verò ex eis per fugam euadentes, in vineis & cauernis latitabant. Inuenti ſunt autem inter vulneratos duo Clerici diuites & magnæ Authoritatis interfecti, quorum vnus erat genere Flandrenſis, & alius Natione Normanus. Huius autem trangreſſionis enormitas cum ad aures Magiſtrorum Vniuerſitatis perueniſſet, conuenerunt omnes in præſentia Reginæ & Legati ſuſpenſis prius Lectionibus & Diſputationibus vniuerſaliter, inſtanter poſtulantes de tali iniuria ſibi Iuſtitiam exhiberi. Indignum enim ſibi videbatur quod tam leui nacta occaſione quorundam contemptibilium Clericorum tranſgreſſio in præjudicium totius redundaret Vniuerſitatis, ſed pœnam daret in vltione qui culpam perpetrauit in tranſgreſſione. Sed cum tandem omnimoda eis iuſtitia tam à Regina & Legato, quàm ab Epiſcopo Ciuitatis denegata fuiſſet, facta eſt vniuerſalis diſceſſio Magiſtrorum & Scholarium diſperſio: ceſſauit Doctorum Doctrina & Diſcipulorum Diſciplina: ita quod nec vnus famoſus ex omnibus in Ciuitate remanſerit. Et remanſit orbata ſuo Clerico Ciuitas, quæ ſolet in illo gloriari. Tunc receſſerunt famoſi Anglici *M. Alanus de Becoles M. Nicolaus de Frenhem, M. Ioannes Blondus, M. Radulphus de Maidenſton, M. Willelmus de Dunelmo* & multi quos longum eſſet numerare. Quorum tamen maxima pars Ciuitatem Andegauenſium Metropolitanam ad Doctrinam elegit Vniuerſalem. Sic ergo à Nutrice Philoſophiæ & Alumna ſapientiæ Ciuitate Pariſiaca recedentes Clerici, Legatum Romanum execrantes Reginæ muliebrem maledixerunt, ſuperbiam, imò eorum infamẽ concordiã: Recedentium autem quidam famuli, vel mancipia, vel illi quos ſolemus *Goliardenſes* appellare, verſus ridiculos componebant dicentes.

Heu morimur ſtrati, vincti, merſi, ſpoliati,
Mens mala Legati nos facit iſta pati.

Quidam autem honeſtior verſificator per Apoſtrophen, id eſt informationem perſonæ, vt ſi loqueretur Vrbs Pariſius Clero ſub planctu ait.

Clere tremiſco metu, quia vis contemnere me tu.
Perfundor fletu, mea damna fleo, fle tu.

Tandem procurantibus diſcretis perſonis elaboratum eſt, vt factis quibuſdam pro tempore exigentibus vtrobique culpis Pax eſt Clero & Ciuibus reformata & Scholarum Vniuerſitas reuocata.

Reprehenſa eſt à multis illius temporis Regina ob nimiam ſeueritatem, quod ſcilicet nimis aſperè Magiſtros conquerentes & de ſeceſſione cogitantes exceperit. Maximum enim non modo vrbi Pariſienſi & Regno Gallicano, ſed toti terrarum Orbi ſeceſſio illa damnum intulit. Cum enim ex omni parte Lutetiam confluerent Diſcipuli, qui inde poſtea eruditionem reportabant, vbi clauſas ſcholas reperetunt, alii aliò proficiſcentes, plurimi vacui & inanes Patriam repetentes, loca omnia mœrore & triſtitia repleuerunt. Offenſa autem erat Vniuerſitas præſertim Romano Apoſtolicæ ſedis Legato S. Angeli Cardinali Diacono, tum ob id quod relatum eſt, tum quia an. 1225. Sigillum Vniuerſitatis confregerat. Quæ cauſa fortaſſe fuit, cur Gregorius Pontifex eum reuocarit eodem anno, cui M. walterum de Maruis Epiſcopum Tornacenſem ſubſtituit.

Muſas autem Pariſienſes ita errantes & certo lare carentes pollicitationibus & præmijs euocat Henricus III. Anglorum Rex in Angliam, loca commoda & amœna offert, priuilegia non modo ea quæ Pariſiis habebant, ſed & ampliora pollicetur. Extant eius ad Vniuerſitatem litteræ in Roberti Hari Memorabilibus Vniuerſitatis Oxonienſis, his verbis conceptæ.

Henricus Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ Comes Andegauiæ, Magiſtris & Vniuerſitati Scholarium Pariſius ſtudentium ſalutem. Tribulationibus & anguſtiis non modicis quas ſub iniquã lege Pariſius eſtis perpeſſi, humiliter compatientes, ob reuerentiam Dei & ſanctorum

Ecclesia vobis piè subueniendo statum vestrum cupimus ad debitam reduci libertatem. Vnde vestræ duximus Vniuersitati significandum, quod si vobis placeat ad Regnum nostrum Angliæ vos transferre, & in eo causa studij moram facere, Ciuitates, Burgos vel villas quascunque velitis eligere, vobis ad hoc assignabimus, & omnimoda sicut decet libertate & tranquillitate quæ Deo placere & vobis sufficere debeat, vos gaudere faciemus. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes teste meipso apud Radingum. 16. die Iulij, anno Regni nostri 13.

Nec dubito quin multi præsertim Angligenæ & alii Henrico subditi Oxoniam se contulerint, quorum Principes supra retulimus ex Mathæo Parisiensi. Eiusdem rei meminit Paulus Æmylius l. 7. *Lutetiæ*, inquit, *florebant liberalia studia. Iuuentutis concursus vndique illuc fiebat.* Scholastici suorum nonnullos à Ciuibus pulsatos conquesti, alii in alia cæterarum vrbium Musæa concessêre. Anglus proposita ingentium præmiorum, honorum, vacationum, emolumentorum spe aliquot eorum millia Oxonium elicuit. Solitudo exiliumque litteris indictum videbatur. Rex non minus decoris Liberales Artes, humaniora studia, sacram Disciplinam, cultum ingeniorum Francis quàm arma afferre prædicans, egregiamque consociationem fore in bellicarum rerum gloria cum Diuinarum humanarumque rerum cognitione, Doctrinaque conjuncta Regiæ vrbis Ciues ad officium colendosque Doctores Discipulosque reuocauit. Suus ingenuis artibus honos habitus.

Ex illa igitur Academicorum Magistrorum & Discipulorum dispersione accidit Academiæ Parisiensis detrimento, vt multæ hic & illic Vniuersitates enatæ sint, Aurelianensis, Andegauensis, Pictauiensis, Remensis, & aliæ alibi. Nam licet in illis vrbibus essent exercitia nonnulla litterarum, in ijs tamen nec studia generalia erant Priuilegijs Pontificiis & Regijs nobilitata, nec ea frequentia Docentium & Discentium. At secedente cum Magistris magnâ Discipulorum turbâ, prout vel fortuna dedit, vel voluntas tulit, ibi sedem domiciliumque statuêre litterarum. Quâ de re sic Bernardus in Chronico. *An. Domini prætaxato 1229. facta fuit Parisius inter Scholares dissensio, quam mox secuta est ad tempus multifaria dispersio. Alii quidem Remis, alij Andegauis, alij Aurelianis, alij in Angliam, alij in Italiam vel in Hispaniam, siue in alias mundi prouincias causâ studii sunt profecti. Multi quoque Magistri & Scholares Tolosam venerunt & rexerunt ibidem.*

Cum igitur omnes viri boni tam tristem lugubremque florentis Academiæ statum cernerent, tantamque Parisiensium Scholarium dispersionem, reliquias seruare & sparsas reuocare laborarunt, authoresque Regi fuerunt & Reginæ ne quid peius accideret, vt iniurias Academicis per ciues illatas reparari curarent: qui sano consilio tum demum acquiescentes partim blandâ pollicitatione, partim priuilegijs, partim verò iniuriarum reparatione plurimas tantæ dispersionis reliquias reuocarunt. Quâ de re sic Nangius ad an. 1230. *Eodem anno*, inquit, *magna dissensio Parisius inter Clericos & Burgenses quosdam fuit orta. Nam Burgenses de Clericis occiderunt: & ideo Clerici à Parisius recedentes per diuersas mundi Prouincias dispersi sunt. Videns autem Rex Franciæ Ludouicus quod studium Litterarum & Philosophiæ, per quod Thesaurus scientiæ qui cunctis aliis præeminet & præualet, acquiritur, recessisset Parisius, quod primò venerat ab Athenis Romam, & à Roma cum militiæ titulo in Galliam, grauiter cœpit dolere. Metuensque Rex piissimus ne tantus & talis Thesaurus à Regno suo elongaretur, eo quod Diuinæ salutis sapientia & scientia, & ne ipsi aliquando à Domino diceretur: Quia repulisti scientiam, repellam te; supradictos iam Clericos mandans redire, redeuntes clementissime recepit, & ab ipsis Burgensibus quidquid antea Clericis forefecerant, fecit ipsis celeriter emendari. Si enim tam pretiosissimus Thesaurus sapientiæ salutaris, qui olim de Græcia sequendo Dionysium Areopagitam Parisius ad partes Gallicanas deuenerat cum fide & militiæ titulo, de Regno Franciæ tolleretur, maneret vtique liliatum signum Regis Franciæ, quod trini floris folio depictum est, in vna parte sui mirabiliter deformatum. Nam ex quo Deus & Dominus noster I. C. voluit tribus prædictis gratiis, scilicet fide, sapientia & militia specialius quàm cætera Regna Regnum Franciæ sua gratia illustrare, consueuerunt Reges in suis armis & vexillis florem Lilij depictum cum tribus foliis comportare. Quasi dicerent toti mundo, fides sapientia & militia titulus abundantius quàm cæteris sunt Regno nostro Dei prouisione & gratia seruientes. Duplex enim*

par flos lilii sapientiam & militiam significat: quæ duo sequentes de Græcia in Galliam Dionysium Areopagitam cum fide quam ibidem Dei gratia seminauit, tertium florem Lilii facientem custodiunt & defendunt. Nam fides gubernatur & regitur sapientia, ac demum militia defensatur. Quamdiu enim prædicta tria fuerint in Regno Franciæ fortiter & ordinatè sibi inuicem cohærentia, stabit regnum. Si autem de eodem separata fuerint, vel auulsa, omne illud in seipsum diuisum desolabitur atque cadet. Ita vaticinatur Nangius.

Ea quoque de re sic scribit Anonymus Monachus San-Dionysianus in vita eiusdem Ludouici. *Sed & huius sancti Regis Zelum ad litterarum studium ex eo quod sequitur, satis patet. Suo namque tempore orta dissensione Parisius inter* Scholares *&* Burgenses, *Clericis pluribus ex eis occisis Parisius egressi per diuersas Prouincias sunt dispersi. Attendens autem S. Ludouicus thesaurum scientiæ cunctis aliis præminere thesauris, & Lilium quod signum est Regis Franciæ vno solo folio; vt supra diximus, sapientiæ studium designans, ex talis thesauri carentia non mediocriter deturpatum, Scholares reuocans benignissimeque recipiens fecit eis, quidquid eis Burgenses forefecerant, emendari more Salomonis, in comparatione scientiæ dicens Diuitias nihil esse.*

Non parum autem contulit ad restitutionem Musarum Parisiensium Gregorius Pontifex, ad cuius aures cum peruenisset tam lugendæ dissipationis rumor, eamque Regiorum Ministrorum & Legati sui culpâ accidisse, existimauit quàm citissimè dandam esse operam, vt omnis discordia tolleretur, læsis & oppressis satisfieret, florentissimumque Gymnasium in pristinum decus splendoremque vindicaretur. Itaque 6. Kal. Decemb. eius anni ad Ludouicum adolescentem & ad Blancam matrem Regentem hasce dat litteras, quibus admonet quantum suo Regno damnum inferent, si patiantur Magistros exulare; totum enim Gallicani Regni splendorem ex Musæo Parisiensi deriuari.

Gregorius Episcopus seruus ser. D. Dilectis filijs Ludouico Francorum Regi & Blanchæ Matri eius Reginæ Illustribus sal. & Apost. Ben. In tribus quæ appropriatione nominis tribus in S. Trinitate personis attributa noscuntur, *potentia, sapientia* & *benignitate* videlicet Regum Francorum eiusdem S. Trinitatis imitando vestigium patet præ Regnis aliis à longis retro temporibus floruisse, in strenuitate militum potens, *in Clero litterarum scientia prædito sapiens*, & in clementi Principum bonitate benignum: quorum medio si duo destituantur extrema, in vitia conuertentur. Quoniam potentia nisi fuerit sapientiâ temperata, in præsumptionem luxuriat, se in arrogantiam extollendo: benignitas verò si eâdem suffulta non fuerit, in dissolutionem degenerat & efficitur fatuitati cognata. Igitur sapientia necessaria est vtrique, sine qua neutra illarum nomen virtutis obtinet vel effectum. *Sapientia verò nutritur studio litterarum*, quo quasi fluuio de loco deliciarum egresso non solum Regnum prædictum irrigatur & fœcundatur per Spiritus S. gratiam, verum etiam Paradisus Ecclesiæ generalis, cuius alueus Parisiensis Ciuitas, ex eo quod idem studium Parisius viguit, hactenus noscitur extitisse. Vnde vestra credimus interesse solicita diligentia & solicitudine satagere diligenti, vt studium diebus vestris translatum alibi à Parisius, illuc quasi flumen ad alueum reuocetur: ne forsan ex translatione huiusmodi ad nihilum redigatur per plura loca diuisum, velut fluuius distortus ab alueo & in riuos diuisus arescit, & per hoc cœlum claudi Scripturæ, ac imbrem suum nubes continere contingat, & incompluta terram Vniuersalis Ecclesiæ remanere, nec-non in tenebras Solem & Lunam conuerti, stellas inuolui caligine huiusmodi tenebrarum, ac sic de prædicto Regno deleri Trinitatis vestigium prælibatum, quoniam in vestram ignominiam redundaret, si diebus vestris idem Regnum huiusmodi priuatum gloria redderetur, nec expediret quod in ipso Regnantibus tanti honoris adscriberetur amissio, quam suis seruare temporibus Reges inclyti ex innata sibi clementia propensius studuerunt, ex diuersis mundi Nationibus in supradicta Ciuitate collectam multitudinem, ad aquas sapientiæ hauriendas benignius confouentes, ac prouidè supportantes, si quando excedebat. Sanè ad nostram noueritis audientiam peruenisse, quod inter vos ex vna parte & dilectos filios Magistros & Scholares Parisienses ex alterâ dissensione subortâ, iidem Magistri cum scholaribus damnis & iniuriis lacessiti à Parisius discesserunt *studium* alibi transferendo. *Nos ergo* vtilitatibus prouentutis ex prædicti fluminis ad alueum

Epistola Gregorii IX. ad Regem & Reginam.

» reditu aspirantes & volentes incommoditatibus quæ possunt ex discessu emergere, obuiare, Venerabilibus fratribus nostris Cenomanensi & Syluanectensi Episcopis, & M. Ioanni Archidiacono Catalaunensi nostris damus litteris in mandatis, vt ipsi vice nostra inter vos ac Magistros & Scholares præfatos interponant solicitè partes suas ac impendant solicitudinem diligentem & operam efficacem, vt Magistris & Scholaribus antedictis de datis damnis & irrogatis iniuriis congruè satisfiat, restitutâ ipsis solitâ libertate, ac à claræ memoriæ Philippo Rege Francorum concessâ *Studium Parisius* reuocetur. Quocirca excellentiam vestram rogamus attentius & monemus ac exhortamur in Domino, quatenus benignitatis Prædecessorum vestrorum inhærentes vestigiis ob reuerentiam Apostolicæ sedis & nostram, ipsos plenius admittatis in gratiam Regiam & fauorem acquiescendo monitis & exhortationibus prædictorum, ea executione celeri sicut decet, clementiâ solitâ exequentes; ne si secus egeritis, quod non credimus, sapientiam & benignitatem, sine quibus vix potentiæ vnitas potest persistere, videamini abiecisse, ac Nos qui Regnum ipsum hactenus cœlitus benedictum vt dedecoretur à dedecore huiusmodi non possumus æquanimiter tolerare, super hoc prouidere aliter compellamur. Datum Perusij 6. Kal. Decemb. Pontif. nostri an. 3.

Scripsit idem Pontifex eodem argumento ad Cenomanensem & Syluanectensem Episcopos & ad M. Ioannem Archidiaconum Catalaunensem, vt discordes animos conciliare conarentur, atque ad Academiam Parisios reuocandã, omni studio & operâ apud Regem & Reginam incumberent. Scripsit quoque ad Guillelmum Aluernum Episcopum Parisiensem, acrius increpando quod discordias aleret & foueret, occasionemque saltem transferendæ aliò Academiæ iniecisset. De eo enim præcipuè conquesti fuerant apud Pontificem Magistri Parisienses, quod ab eo, à quo protegi & conseruari debuissent, derelicti & proditi fuissent. At aliunde Episcopus, Cancellarius & Capitulum Parisiense iniquo ferentes animo suam in multis capitibus ab Academia Iurisdictionem & licentiam limitatam fuisse, malebant eam aliò transferri, quàm sibi ab ea imperari. Itaque reuocationi & restitutioni in integrum moram diu soli attulerunt.

EXCOMMVNICANTVR SCHOLARES.

Quinimo eodem anno Episcopus Paris. & Legatus multas sententias excommunicationis tulerunt in Magistros & Scholares, qui se iuramento obstrinxerant non ante redituros in Ciuitatem Paris. quàm sibi ad votum satisfieret. Item in eos qui spretâ authoritate Episcopi & Cancellarij, Andegaui & Aureliæ licentias impertiebantur docendi. Nam magistri summi Pontificis voluntatem piè interpretantes, cum nec Cancellarium Parisiensem aut San-Genouefianum haberent, iuxta formam à Roberto Cardinale præscriptam ipsi per se Baccalaureos & Licentiatos creabant prius debitè examinatos: quos vetuit Gregorius denuò examinari post reuocatum Studium, ne in nouos tumultus relaberetur Vniuersitas.

Item contra eosdem Magistros & Scholares in Concilio Prouinciali apud Senonas habito constitutio edita & promulgata, vt ij qui secesserant Iuramenti seruandi causâ Aureliam aut Andegauum, fructibus Beneficiorum suorum per biennium priuarentur Beneficiati: qui verò Beneficia non haberent, iis indigni reputarentur, nisi intra præscriptum temporis spatium redirent. Sed eam sicut & multas alias eiusmodi irritas fecit postea Gregorius, vt ad an. 1231. referemus.

Eodem anno M. Richardus Ecclesiæ Lincolniensis Cancellarius ad Archiepiscopatum Cantuariensem cum elogio Romæ promotus est repulso Waltero Monacho à commonachis Cantuariensibus electo, Procurantibus id negotium apud Pontificem M. Alexandro de Stauenesse Episcopo Cestrensi, M. Henrico de Sranford Episcopo Roffensi, & M. Ioanne de Heutona ab Anglorum Rege missis. Ille autem Richardus olim multis Romanis Cardinalibus in Academia Paris. innotuerat: eratque vir eminentis scientiæ & litteraturæ & conuersationis honestæ Eius & primatûs Cantuariensis elogium hac Bullâ Gregorius complectitur ad suffraganeos Cantuarienses data.

» *Gregorius Episcopus, &c.* Ex commissa nobis à Domino cura Pastoralis Officij & concessa licet immeritis, plenitudine Ecclesiasticæ potestatis, cogimur Ecclesiarum omnium per quotidianam instantiam solicitudinem & curam gerere,

eisque

eisque cum necessitas *ingruerit, & ex iustitiæ debito & ex gratiæ beneficio paterna diligentia prouidere. Inter cæteras autem particulares Ecclesias & Metropoles vniuersas ad Cantuariensem Ecclesiam tanquam ad nobilissimum sedis Apostolicæ membrum in eius opportunitatibus oculos considerationis expendimus, quam Mater Ecclesiarum Apostolica sedes tantò benigniori debet fauore prosequi, quanto eam inter alias diuina dispositio in spiritualium plenitudine & temporalium vbertate gratia prætulit ampliori. Hanc etenim velut Paradisum voluptatis & hortum deliciarum ordinatione sua plantauit Altissimus, de qua producere voluit lignum scientiæ boni & mali: in institutione Dignitatis Metropoliæ lignum vitæ, in ordine Religionis Monasticæ & Regularis obseruantiæ disciplina, ligna pomifera: in Suffraganeis quæ per operationem sanctam delectant in visu, per fidelem doctrinam delectant in gustu, per opinionem bonam recreant in olfactu. De eodem loco fluuius egreditur per quem gloriosissimi Thomæ Martyris sanguis exprimitur, qui dum vitam mortuis, sanitatem ægrotis, libertatem seruis & audaciam timidis contulit, inde progrediens in quatuor proculdubio capita deriuatur. Cuius miraculorum excellentium signa dum solicitâ meditatione discutimus, raras & insolitas Diuinæ plantationis delicias inuenimus. Huius itaque Paradisi custodiæ bonæ memoriæ Stephano quondam Cantuariensi Archiepiscopo S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali, viro vtique pereminentissimè donis scientiæ & munere gratiæ supernis carismatibus delibuto, & erepto de carnis ergastulo, & ad Paradisi cœlestis iucunditatem & requiem sicut speramus & credimus, euocato, Dilecti filii Cantuariensis Conuentus electionem celebratam ab eis de Waltero Monacho Cantuariensi nobis præsentare curarunt. Quæ primò electionis merita & examinata personæ litteratura, iustitiâ mediante, cassata, hominem culminis quem per vitam & scientiam, intellectum pariter & affectum ad imaginem & similitudinem Dei conditum, habentem per salutarem Doctrinam vitæ spiraculum, in Paradiso vt operetur & custodiat illum, duximus collocandum M. Richardum Lincolniæ Cancellarium, quem tam ex fratrum nostrorum, qui cum in scholis nouerant, quàm ex venerabilium fratrum nostrorum Roffensis & Conuentriensis Episcoporum & aliorum plurium testimonio virum didicimus eminentis litteraturæ, conuersationis honestæ, famæ integerrimæ, excellentissimæ industriæ, zelatorem animarum & Ecclesiasticæ libertatis, Cantuariensi Ecclesiæ de fratrum nostrorum consilio præsentibus præfatis Episcopis præfecimus in Archiepiscopum & Pastorem. Quapropter fraternitatem vestram monemus & hortamur per Apostolica scripta mandantes, quatenus tanquam Charitatis filii & deuotionis, ipsum ad honorem omnipotentis Dei & Apostolicæ sedis & Cantuariensis Ecclesiæ recipientes cum humilitate debita & deuotione sincera intendatis eidem, & tanquam Patri & Pastori animarum vestrarum & Metropolitano vestro obediatis humiliter & deuotè. Gaudere quidem debetis in Domino, quod illius gratia principaliter cooperante qui inspirando præuenit & adiuuantem prosequitur, prouisum est laudabiliter Ecclesiæ viduatæ. Data. &c.

Quantò M. Richardum ampliori laudum præconio attollit, tantò magis Walterum à Monachis electum ob ignorantiam deprimit: nam cum Regis Henrici Legati quos supra commemorauimus, ob multas rationes intercessissent ne rata haberetur eius electio, institerunt potissimum vt de fidei nostræ mysteriis coram D. Cardinalibus interrogaretur, quorum petitioni subscribente Pontifice, *cum Electus* coram illis constitutus *requisitus esset de descensu Domini ad inferos, vtrum in Carne vel sine Carne descenderit, malè respondit. Item de confectione Corporis Christi in altari, malè respondit. Item requisitus de Rachele qualiter plorabat filios suos, cum primò esset mortua, malè respondit. Item requisitus de sententia excommunicationis contra Iuris ordinem lata, malè respondit. Item requisitus de Matrimonio, si alter contrahentium infidelis decesserit, malè respondit.* Hæc ex Mathæo Paris. Itaque suffraganeis omnium votis meritò reiectus est, & M. Richardus electus, ac paulo post nim. die SS. Trinitatis consecratus.

Eodem anno Soldanus Babyloniæ internis bellis oppressus, cum Friderico Imperatore de decennalibus induciis pactus vrbem Hierosolymitanam & totam Terram quam Dominus noster I. C. suo sanguine consecrauit, sine vllo præ-

lio & sanguinis Christiani effusione restituit, & Captiuos omnes abire permisit. Ingressus igitur Hierusalem Imperator sancta loca resecrari iussit: at quia fuerat à summo Pontifice excommunicatus, nullus est eo præsente ausus sacra facere. Solus M. walterus Ordinis Dominicani in suburbio Missam celebrauit, cui fidelium omnis multitudo interfuit. Verum gaudii huius extrema luctus occupauit, insurgentibus in Imperatorem Templariis militibus & Hospitalariis, qui præclarum factum Imperatori inuidentes, illud sibi arrogare voluerunt: ex alia verò parte Ioanne de Brenne Imperii terras occupante, Pontificiis viribus adiuto. Quamobrem Fridericus cum exercitu in Italiam redire coactus est.

1230. Anno 1230. erat adhuc Iustitium in Palladio Parisiensi, pauci Magistri iiq; fere gregarii remanserant; cæteri melioris notæ huc illuc secesserant, scholares dispersi vagabantur, nulla amplius comitia, nullus Magistratus in Academiæ solio. Omnes quidem tam Galli quàm Alienigenæ tam tristi spectaculo mouebantur. Sed qui primas in Regni administratione tenebant, Regis & Reginæ Regentis animos à reuocandis Magistris auertebant, existimantes serius ocius redituros in Lycæum antiquum vltro cum Discipulis, quandoquidem ipsi per se sibi exilium indixerant.

Huiusce itaque dissipationis occasionem arripientes Dominicani, ne omnino conticescerent Musæ Parisienses, Magisterium in Theologia & Cathedras Doctorales ad publicè profitendum tum primùm ambierunt, & conniuentibus Guillelmo Episcopo Parisiensi & Cancellario, Cathedram vnam Magistralem in Theologia primum inuaserunt, vt nonnullos saltem discipulos retinerent. Deinde succedente sibi hoc primo conatu, etiam post restitutum studium Parisiense, antequam eius membra bene coaluissent, paxque fuisset cum Episcopo & Cancellario firmiter composita, alteram Cathedram Theologicam erexerunt.

Tunc erat Ordinis Magister Generalis F. Iordanus qui suis Concionibus, integritate vitæ, probatissimis moribus, excellenti doctrina & sanctitatis exemplo plusquam mille fratres in Ordinem pellexit, & è Magistris Parisiensibus quam plurimos: eo igitur Ordinem regente & plurimam apud Regem authoritatem habente duas illas scholas facile obtinuerunt. Quã de re sic F. Ludouicus de Valle-Oleti Hispanus Dominicanus qui scribebat an. 1413. vt patet ex quodam eius MS. quod seruatur in Bibliotheca Victorina. *Is primò*, inquit, fratribus Parisius „ legendo & post prædicando discurrens per orbem fere 20. annis citra mare & vl- „ tra annuncians Iesum Christum, plus quam mille Fratres ad Ordinem traxit. Sub „ eo introducta est consuetudo cantandi *Salue Regina* post Completorium. Sub eo „ fuerunt prius Licentiati fratres Prædicatores ad legendum Sententias Parisius, „ & habuerunt duas scholas, in quibus primo legerunt F. Rolandus Cremonensis „ & F. Helias Gallicus, & F. Albertus Teutonicus, qui postea propter suam in- „ comparabilem sapientiam cognominatus est Magnus. Ipse & est qui induxit „ consuetudinem de faciendis Collationibus Parisius Scholaribus. Sub eo & „ intrauerunt Parisius Ordinem Prædicatorum tot Magistri in Theologia, Docto- „ res in Iure, Baccalarii & Magistri in Artibus & alii innumerabiles, quod prop- „ ter eorum gratiam prædicationis & alia miranda quæ faciebat, totus mundus ex „ auditu stupebat. Consueuerat enim de duabus Quadragesimis vnam Parisius tenere. *Qui Conuentus eo ibidem existente Apum Alueare videbatur.* Obiit iste Iordanus teste Mathæo Paris. an. 1237. veriùs quàm alii an. 1234. in portu maris, cum ad conuersionem Sarracenorum iter arripuisset: qua de re sic legitur in Chronico Cœnobii S. Petri Senonensis. *An. 1234. F. Iordanus Ordinis Prædicatorum Magister missus ad prædicandum Sarracenis obiit in portu maris.* A Reginaldo qui post Dominicum, Ordinem rexit, in Ordinem adscitus fuerat, tunc Baccalaureus in Theologia, eratque natione Teutonicus, vt narrat prædictus Ludouicus de Valle-oleti.

Cum ergo plurimi in Theologia Magistri seculares qui prius docuerant, ad Ordinem istũ transissent, habitu deposito seculari & induto Monachali docere perstiterunt: quæ res magnorũ inter Academicos & Dominicanos dissidiorum causa fuit & seminariũ. Postquã enim Academici priorem Disciplinam resumpserunt, & in societatem redierunt, collapsam videntes absentiã suã rem Academicam, & veriti ne alii Religiosorum Ordines idem facere contenderent, similem successũ

sperantes, vt primum potuerunt, hocce Decretum communibus votis sanxerunt, & edixerunt, *Vt nullus Regularium Conuentus duas simul Cathedras solemnes & Theologicas in posterum obtineret.* Huiecce Decreto Dominicani se minimè obtemperaturos professi sunt: quandoquidem duas Cathedras iam per aliquot annos pacificè occuparant, & laudabiliter rexerant. Vtcumque tamen inter eos & Academicos pax coaluit vsque ad an. 1250. quo tempore alia orta est occasio dissidii, vt suo loco referemus.

Eodem anno Henricus Rex Anglorum ditionem Cismarinam recuperare conatus parum profecit, seque recepit ad suos. Ludouicus tandem cum Regni Proceribus pacem iniit: In Petrum verò Mauclerum Britanniæ minoris Ducem sententiam perduellionis tulit: cuius authores fuerunt Galterus Senon. Archiepiscopus, Galterus Carnotensis, Guillelmus Parisiensis Episcopi, Comes Flandriæ, Theobaldus Comes Campaniæ & alii plurimi, eiusque subditos & Barones ab omni fidelitate & vt vocant, homagio absoluit.

Hisce temporibus florebant plurimi insignes viri tam seculares quàm Regulares. E secularibus Guillelmus Antissiodorensis insignis Theologus, qui Summam Theologiæ Scholasticæ edidit, Gualterus Pictauiensis, Guillel. Parisiensis & alii plures. E San-Dionysianis Guillelmus, vir teste Trithemio in Diuinis scripturis iugi studio peritus, atque in Disciplinis secularium litterarum egregiè doctus, ingenio & eloquio clarus ac temporum cognitor insignis, qui Historiarū volumen edidit & Epistolas plures ad diuersos. Ex Ordine Minoritarum Antonius de Padua Vlixponensis B. Francisci discipulus, qui ante ingressum in Ordinem Franciscanorum Theologiam Tolosæ, Bononiæ & Patauii multos annos gloriosè docuerat. Obiit anno 1231. miraculorum multitudine coruscans. E Dominicanis M. Iordanus de quo supra. Ioannes de Abbatis-villa, natione Gallus qui ex Magistro Parisiensi factus est Archipræsul Bisuntinus, & alii complures.

Cum autem crebris fulminibus excommunicationum ferirentur Magistri qui secesserant, Rex quoque Episcopi suasionibus impulsus edicta in eos promulgaret, duos è numero suorum Legatos miserunt Romam ad Pontificem Gregorium, MM. Gaufridum Pictauiensem, & Willelmum Antissiodorensem viros scientia eminentes, qui eius authoritatem implorarent apud Regem & Magnates, certisque statutis factis, & iniuriis reparatis pacem conciliarent. Illi autem cum M. Ioanne Pagio tam feliciter & constanter in eam rem incubuerunt, vt anno sequente omnino pax fuerit Vniuersitati restituta, reuocati Magistri & Scholares, disciplina refloruerit, Academia Priuilegiis Pontificiis & Regiis confirmata fuerit & in perpetuum munita. Legati Vniversitatis ad Pontificem.

Eodem anno Guillelmus Episcopus Parisiensis certam agri Carduneti partem ab Abbate S. Victoris obtinuit ad construendam in ea Parochialem Ecclesiam *vbi olim Capellam fuisse nonnulli commemorant*, quæ S. Nicolai de Carduneto dicta est: quam in rem extant hæ litteræ Petri Abbatis San-Victorini in Chartulario Episcopi Parisiensis post hoc lemma. *Littera concessionis cuiusdam Pecia terra super fundatione Capellania S. Bernardi in Cardoneto in hac verba.* Ecclesia S. Nicolai in Carduneto.

"Vniuersis Christi fidelibus præsentibus & futuris Frater Petrus dictus Abbas S. Victoris Paris. & eiusdem loci Conuentus salutem in Domino Notum facimus Vniuersitati vestræ, quod ad petitionem venerabilis Patris nostri Guillelmi Paris. Episcopi quandam peciam terræ in Cardoneto sitam in Censiua nostra quinque tantum Quarterios continentem, eidem concessimus ad construendam Capellam in eadem & locum Presbyterij secularis; & censum & quidquid iuris in prædicta pecia terræ habebamus, quittauimus eidem, saluo omni iure nostro & Dominio in omni terra alia circumadiacente, quod habebamus ibidem ante constructionem eiusdem Capellæ; ita tamen quod prædicta Capella & locus in statum alium sine assensu nostro non poterit mutari. Et in huius rei memoriam & munimen præsentes dedimus litteras sigillorum nostrorum munimine roboratas. *Actum anno D. 1230. mense Aprili.* In lemmate legitur. *Capellania S. Bernardi* certè pro S. Nicolai."

Extat in eodem Chartulario *Transcriptum littera super ordinatione & Compositione litis inter Rectorem Ecclesia S. Nicolai de Cardoneto & Abbatem & Conuentum S. Victoris Paris. super fundatione ipsius Ecclesia in hac verba.*

" Omnibus præsentes litteras inspecturis, Officialis Curiæ Paris. Sal. in Dom. Notum facimus Nos an. Dom. 1259. die Dominica qua cantatur *Lætare Ierusalem* vidisse & inspexisse litteras inferius annotatas in hæc verba. *Guillelmus permissione diuina Parisiensis Ecclesiæ Minister indignus Omnibus præsentes litteras inspecturis Sal. in Dom.* Noueritis quod Dilecti in Christo filij Abbas & Conuentus S. Victoris Paris. dederunt & concesserunt nobis & Presbytero Ecclesiæ S. Nicolai de Chardonneto censum & quidquid Iuris habebant in quadam pecia terræ sita iuxta poncellum Beueris in Censiuâ ipsorum in Cardoneto 24. tesias in longitudine & decem & octo in latitudine continente, ad Ecclesiam S. Nicolai in ea tantummodo constituendam, retinentes sibi & Ecclesiæ suæ penitus & expressè in tota alia terra circumiacente censum, Dominium & omnimodam Iustitiam quæ ad Dominos fundi noscitur pertinere. Ita tamen quod prædicta Ecclesia vel locus in statum alium sine assensu ipsorum non possit de cætero transmutari. Debet autem prædictus Presbyter S. Nicolai ponere fundamenta prædictæ Ecclesiæ in ripa aluei Beueris secundum longitudinem Ecclesiæ eiusdem & etiam de suo facere pauimentum in fundo prædicti aluei secundū longitudinem prædictam. Et cum prædictū pauimentum defecerit, ad monitionem prædictorum Abbatis & Conuentus illud congruè reparare, saluo tamen iure ipsorum quod semper habuerunt & habent in prædicto Alueo ad illum cum opus fuerit emundandum ab immundiciis. Ne verò Ecclesia S. Victoris propter prædictam concessionem læderetur in posterum aut aliquod incurreret detrimentum, nos de voluntate & assensu dicti Presbyteri dedimus & expressè quittauimus dictæ Ecclesiæ S. Victoris in perpetuum totam terram quam tenebamus in manu mortua in censiua dictæ Ecclesiæ in Cardoneto, nihil in ea nobis aut successoribus nostris penitus retinentes, excepto tantummodo cemiterio benedicto quod certis metis limitari fecimus & distingui. Et quia oportet viam fieri per ante Ecclesiam S. Nicolai vsque ad Sequanam, per medium Cimiterium via fiet. Statuimus etiā vt Presbyter prædictæ Ecclesiæ S. Nicolai quicunque fuerit, nullum ius parochiale possit petere in familia S. Victoris vel quacunque persona alia in eadem Ecclesia commorante occasione parochiæ superius nominatæ. Quod si aliquis de familia dictæ Ecclesiæ S. Victoris vxorem & familiam in parochia S. Nicolai habuit, in ipsa familia sicut in aliis parochianis suis parochiale ius habebit. In cujus rei testimonium & munimen præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Dom. 1243. mense Aprili. Harum autem transcriptum litterarum sigillo Curiæ Paris. fecimus sigillari saluo iure alieno. Datum anno & die antedictis.

1231. Anno 1231. cœperunt Musæ Parisienses reflorescere post bienne exilium, & disciplina reuocari. Non ante tamen redire voluerunt Magistri & pristino labori incumbere, quàm sibi satisfieret de iniuriis illatis. Et quia Episcopum & Cancellarium Parisiensem præcipuos dissidij authores esse credebant, eorum potestatem certis finibus coerceri à summo Pontifice petierunt. Simul quoque reformata est Vniuersitas, & multæ constitutiones circa Licentias omnium Facultatum, lectiones, disputationes, hospitia, bona Scholarium, Turbatores Academiæ & aliæ eiusmodi ab eodem Pontifice Gregorio conditæ sunt: quæ deinceps legum vices obtinuerunt. In hanc rem extat aurea Papæ Bulla data Laterani idibus Aprilis.

Reformatio Vniversitatis. *Gregorius Episcopus S. S. Dei* Dilectis filiis vniuersis Magistris & Scholaribus Parisiensibus salutem & Apostolicam Benedictionem. Parens scientiarum Parisius velut altera Cariatsepher Ciuitas litterarum clara claret: magna quidem, sed de se maiora facit optari docentibus & discentibus gratiosa: in qua vtique tanquam in Officina sapientiæ specialì habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo ritè conflatur. Ex quibus prudentes eloquij mystici murenulas aureas vermiculatas argento cudentes & fabricantes monilia ornata lapidibus pretiosis, imò nulli pretio comparandis sponsam Christi decorant & decorant. Ibi ferrum de terra tollitur: quia dum terrena fragilitas fortitudine solidatur, lorica fidei, gladius spiritus, & cætera inde fit Christianæ militiæ armatura, potens aduersus aëreas potestates & lapis calore solutus in eis vertitur, quia corda lapidea S. Spiritus afflata feruore dum ardent, incenduntur & fiunt

prædicatione sonora, præconantia laudes Christi. Quare non est dubium quin Deo & hominibus grauiter displiceret, quisquis in Ciuitate prædicta gratiam tam insignem niteretur vllatenus disturbare, vel disturbantibus se pro viribus potenter non opponeret & patenter. Vnde cum super dissensione ibi diabolo instigante suborta Studium enormiter disturbante Quæstiones ad Nos delatas audiremus, diligenter eas potius Prouisionis moderamine quàm iudiciali sententia de fratrum nostrorum sententia duximus sopiendas.

Circa statum itaque Scholarum & Scholarium hæc statuimus obseruanda. Videlicet quod quilibet Cancellarius Parisiensis deinceps creandus, coram Episcopo vel de ipsius mandato in Capitulo Parisiensi, vocatis ad hoc & præsentibus pro Vniuersitate Scholarium duobus Magistris in sua Institutione iurabit, quod ad regimen Theologiæ & Decretorum bonâ fide secundum conscientiam suam loco & tempore, secundum statum Ciuitatis & honorem ac honestatem Facultatum ipsarum non nisi dignis Licentiam largietur, nec admittet indignos *Personarum & Nationum* acceptione suminotâ. Ante verò quàm quenquam licentiet, infra 3. menses à tempore petitæ licentiæ tam ab omnibus Magistris Theologiæ in Ciuitate præsentibus, quàm aliis viris honestis, & litteratis, per quos veritas sciri possit de vita, scientia, & facundia; nec non proposito & spe proficiendi ac aliis quæ sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat & inquisitione sic factâ, quid deceat & quid expediat, bona fide det vel neget secundum conscientiam suam petenti Licentiam postularam.

Magistri verò Theologiæ ac Decretorum quando incipient legere, præstabunt publicè iuramentum, quod super præmissis fidele testimonium perhibebunt. Cancellarius quoque iurabit quod Consilia Magistrorum in malum eorum nullatenus reuelabit Parisiensibus Canonicis, libertate ac iure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate.

De Physicis autem & Artistis ac aliis Cancellarius bona fide promittet examinare Magistros, & non nisi dignos admittens repellet indignos.

Cæterum quia vbi non est Ordo, facile repit horror, Constitutiones seu ordinationes prouidas faciendi de modo & hora legendi & disputandi, de habitu ordinato, de mortuorum exequiis, nec non de Bachalariis: qui & quâ horâ & quid legere debeant, ac hospitiorum taxatione, seu etiam interdicto & rebelles ipsis constitutionibus vel ordinationibus per substractionem societatis congruè castigandi, concedimus Facultatem. Et si forte vobis substraheretur hospitiorum taxatio, aut quod absit, vobis aut alicui vestrum iniuria vel excessus inferatur enormis, vt pote mortis vel membrorum mutilatio, nisi congruè infra 15. dies fuerit satisfactum, liceat vobis vsque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones. Et si aliquem vestrum indebitè incarcerari contigerit, fas sit vobis nisi commonitione præhabitâ cesset iniuria, statim à lectione cessare, Si tamen id videritis expedire.

Præcipimus autem vt Parisiensis Episcopus sic castiget excessus, quod Scholarium seruetur honestas, & maleficia non remaneant impunita: sed occasione delinquentium non capiantur vllatenus Innocentes. Imo si contra quemquam suspicio fuerit orta probabilis, honestè detentus idoneâ cautione præstitâ cessantibus Carcerariorum exactionibus dimittatur. Quod si forte tale crimen commisit quod incarceratione sit opus, Episcopus culpabilem in carcere detinebit. Cancellario habere proprium carcerem penitus interdicto.

Prohibemus insuper ne Scholares pro contracto debito de cætero capiantur, cum hoc sit Canonicis & legitimis sanctionibus interdictum. Sed nec Episcopus vel Officialis eius, vel Cancellarius pœnam pecuniariam pro excommunicationis emenda, vel alia qualibet Censura requiret. *Nec Cancellarius* à licentiandis Magistris iuramentum vel obedientiam, seu aliam exiget cautionem, nec aliquod emolumentum seu promissionem pro licentiâ concedendâ, iuramento sæpius nominato contentus.

Porro Vacationes Æstiuæ non extendantur de cætero vltra mensem: sed vacationum tempore Bachalarij, si voluerint, suas continuent lectiones.

Inhibemus autem expressius vt Scholares per Ciuitatem armati non incedant, & Turbatores pacis & studij Vniuersitas non deffendat. Et illi qui simu-

» lant se Scholares, nec tamen Scholas frequentant nec Magistrum aliquem pro-
» fitentur, nequaquam Scholarium gaudeant libertate.

» Ad hæc iubemus, vt Magistri Artium vnam lectionem de Prisciano, & vnam
» post aliam ordinariè semper legant, & libris illis Naturalibus, qui in Concilio
» Prouinciali ex certâ causâ prohibiti fuêre, Parisius non vtantur: quousque exami-
» nati fuerint, & ab omni errorum suspicione purgati.

» Magistri verò & Scholares Theologiæ, in Facultate quam profitentur se stu-
» deant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostentent, sed satagant fieri
» Theodocti; nec loquantur in linguâ populi, & populi linguam Hebræam cum
» Azotica confundentes: sed de illis tantùm Quæstionibus in Scholis disputent,
» quæ per libros Theologicos & sanctorum Patrum Tractatus valeant termi-
» nari.

» Præterea de bonis Scholarium qui intestati decedunt, vel rerum suarum Or-
» dinationem aliis non committunt, sic diximus prouidendum, videlicet vt Epis-
» copus & vnus de Magistris quem ad hoc Vniuersitas ordinauerit, recipientes
» omnia bona Defuncti, & in loco tuto & idoneo deponentes statuant certum
» diem, quo illius obitus in patriâ suâ valeat nunciari. Vt illi ad quos bonorum
» eius erit successio deuoluta, possint Parisius accedere, vel idoneum Nuncium
» destinare. Et si venerint vel miserint, restituantur eis bona cum cautela
» quæ fuerit adhibenda. Si verò non comparuerit aliquis, ex tunc Episco-
» pus & Magister bona ipsa pro anima Defuncti, prout expedire viderint,
» erogabunt: nisi forsan ex aliqua iusta causa venire nequiuerint succes-
» sores, & tunc erogatio in tempus congruum differatur. Verum quia Magi-
» stri & Scholares, qui damnis & iniuriis lacessiti iuramento inuicem sibi præstito
» à Ciuitate Parisiensi dissipato studio discesserunt, nisi sunt causam age-
» re non tam propriam quàm communem; Nos generaliter Ecclesiæ necessitate
» ac vtilitate pensatâ volumus & mandamus, vt postquam à Charissimo in Chri-
» sto filio nostro Illustri Rege Francorum Magistris & Scholaribus priuilegia ex-
» hibita fuerint & de ipsorum Malefactoribus emendæ taxatæ, Parisius licitè
» studeant nulla prorsus de morâ vel reditu infamiali irregularitate notandi. *Nulli*
» *ergo* omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prouisionis, constitutionis,
» concessionis, prohibitionis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario con-
» traire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis
» Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum La-
» terani Idib. April. Pontif. nostri an. 5.

Ex hacce Bulla multa colligimus scitu digna 1. Tum primum videri nonnullis introductos in Academiam *Gradus* quos vocant *Scholasticos*, Baccalaureatûs, Licentiatûs & Doctoratûs: aut saltem eorum consequendorum & obtinendorum formam modumque præscriptum. Vnde Renatus Choppinus lib. 3. de sacra Politia hanc Bullam referens, ad marginem præfigit, *Apostolicum diplomade formâ & modo decorandi Academicis Gradibus Scholastici*. At doctissimus nostri temporis Medicus D. Morellus in Responsione ad M. Simonem Curtaudum Montispessulanum in Medicina Doctorem, qui asserebat suam Vniuersitatem professione Medicinæ antiquiorum esse Parisiensi, hanc Gregorianam Bullam expendens, ait *Lutetiam vocari Ciuitatem scientiarum, quod iam à multis seculis disciplinæ & scientiæ in illa docerentur: Academiam Paris. frequenter ibi appellari Vniuersitatem. Eo tempore, circa an. 1231. Gradus fuisse introductos Baccalaureorum, Licentiatorum & Doctorum siue Magistrorum*

2. Vetitum aliquid pro concedenda Licentiâ à Candidatis exigere. Hinc Choppinus loco citato *Litterariâ laureâ insignitis merito suo fauendû, à quibus proinde Rom. Sacer Senatus vetuit exigi quicquam hoc nomine à Parisiensis Academiæ Cancellario, eximij laboris ornamenta illis conferenti. Durum quippe maioribus nostris visum fuit, [illegible] virtuteque parta Scholastica Dignitatis insignia pretio comparari ab inopibus præsertim Mineruæ Candidatis, quibus assiduæ lucubrationes sola sunt certissimæque Diuitiæ &c. Cum igitur statum successu perpetuus Scholæ Parisiensis Antistes officio abuteretur ad quæstum, grauesque munerum exactiones, quæ à promotis in scholasticos gradus munera extorquebat, cohibita est eiusmodi sordium intemperies à sanctissima sede*

& Pontificio Rescripto Gregorii IX. sumptuariam legem Academicarum Insularum ita dictantis.

3. Tunc temporis adhuc Theologicæ & Canonicæ Facultatis Magistros in Nationibus fuisse sub Procuratoribus & Decanis. Vetat enim Gregorius, ne in iis licentiandis Cancellarius vllam habeat *Personæ aut Nationis* rationem. Frequenter enim inter Magistros dissidia contingebant, dum alii aliis præferri cupiebant ob Nationum dignitatem & præcessionem seu ordinem, quas proinde præferri alias aliis debere aliqui putabant, alii negabant:qua de re fusius alibi.

4. Ex eadem Bulla facile est ea confirmare quæ de duplici statutorum genere supra diximus:quorum alia ad interiorem Academiæ & scholarum disciplinam pertinebant, qualia sunt ea quæ de hora legendi & disputandi, de habitu, de exequiis & aliis eiusmodi condita fuerant:& ea voluit Gregorius iuxta antiquum morem ab Vniuersitate pendere. Alia ad exterius eiusdem Vniuersitatis regimen spectabant, qualia sunt ea quæ ad tranquillitatem studii necesse erat condere, puta contra vagos scholasticos & arma gestantes, vno verbo contra eorum excessus: & ea statuta Gregorius pendere iudicauit à Iurisdictione Episcopali, quam declinare videbatur voluisse Vniuersitas propter crebras excommunicationes, quibus ab Episcopo aut à Cancellario feriebatur.

Vt autem supradicta statuta facilius & promptius executioni demandarentur & seruarentur, idem Pontifex ad Regem scripsit rogans vt Scholarium libertatem procuraret, curaretque domos illis iusto pretio locari. Bulla est eiusmodi.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Charissimo in Christo Filio Illustri Regi Francorum sal. & Apost. bened. Parens scientiarum Parisius velut altera Cariathsepher Ciuitas litterarum clara claret. Magna quidem, sed de se maiora facit optari. Docentibus & Discentibus gratiosa. In qua vtique tanquam in Officina sapientiæ speciali habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo rite conflatur. Ex quibus prudentes Eloquij murenulas mystici aureas, vermiculatas argento, cudentes & fabricantes monilia ornata Lapidibus pretiosis, imò nulli comparandis pretio sponsam Christi decorant & decorant. Ibi ferrum de terra tollitur, quia dum terrena fragilitas fortitudine solidatur, lorica fidei, gladius spiritus & cetera inde fit Christianæ militiæ armatura, potens aduersus aëreas potestates, & lapis calore solutus in æs vertitur, quia corda lapidea S. Spiritus afflata feruore dum ardent, incenduntur & fiunt prædicatione sonora, præconantia laudes Christi. Quare non est dubium, quin Deo & hominibus grauiter displiceret, quisquis in Ciuitate prædicta gratiam tam insignem niteretur vllatenus disturbare, vel disturbationibus se pro viribus non opponeret potenter etiam & patenter. Vnde cum super dissensione ibi Diabolo instigante sub orta studium enormiter disturbante Quæstiones ad Nos delatas audiuimus diligẽter, eas potius prouisionis moderamine quàm Iudiciali sententia de fratrum nostrorum consilio duximus sopiendas. Quia verò sicut interest Regiæ Maiestatis & Celsitudinis, vt in Ciuitate ipsa studium pristinum reformetur, ita & honori tuo expedit & saluti, vt quæ per Nos prouisa sunt, affectu & effectu beneuolo prosequaris. Serenitatem tuam rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatinus progenitorum tuorum secutus exemplar exhibeas te Scholaribus fauorabilem & benignum, priuilegium Claræ memoriæ Philippi Regis Aui tui eis innoues & obserues, & facias ab aliis obseruari. Hospitiorum quoque taxationem per duos Magistros & duos Burgenses ad hoc de consensu Magistrorum electos iuramento præstito fideliter faciendam: Sine, si Burgenses non curauerint interesse, per duos Magistros, sicut fieri consueuit, eis sine difficultate concedas, cum alias nimis chara hospitia conducere cogerentur. Et quia honor Regis est, vt Iustitiam diligens iniuriis aduerseris, emendam quæ pro iniuriis illatis scholaribus dicitur ordinata, facias adimpleri. Preces & monita taliter impleturus, quòd propitiationem Diuinam exinde vberius mereatis, & Nos mansuetudinem tuam possimus merito commendare. Datum Laterani 18. Kal. Mai. Pontif. nostri anno 5. AD REGEM.

Idem Pontifex pro posse incumbens dandæ paci & securitati Scholaribus conciliandæ, vt Ciuium animos terrore impleret, iussit diligenter inquiri in cædem il-

lam quæ ab Incolis S. Marcelli perpetrata fuerat, Inquisitionemque ad se mitti: quam in rem extat hæc Bulla ad Canonicos Parisienses.

AD CANONICOS MARCELLI. „ Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Magistris warnerio „ Tenusino Parisius commoranti & Simoni de Alteis, ambobus Canonicis Sal. & „ Apostolicam Benedictionem. Cum intersit Reipub. ne crimina remaneant impu- „ nita, eo quod faciliras veniæ incentiuum tribuit delinquendi, immane flagi- „ tium quod Decanus & alii quidam de Villa S. Marcelli Parisius in occisione „ Scholarium perpetrasse dicuntur, nolentes relinquere indiscussum, Discre- „ tioni vestræ per Apostolica scripta mandamus vt inquiratis super hoc solicitè ve- „ ritatem, quam si inueneritis, Nobis per vestras litteras fideliter intimetis, vt ex „ vestra Relatione sufficienter instructi procedamus exinde, pro vt secundum „ Deum viderimus procedendum. Datum Laterani 13. Maias, Pontif. Nostri an- „ no 5.

Item quia audiuerat Regem reuocando Magistros & Scholares Edicto suo vetuisse, ne quis deinceps libertatem eorum violare auderet, iussisséque vt Ciues iurarent se pacem cum Scholaribus pro posse seruaturos, ipse idem mandauit fieri à Clientibus Episcopi Parisiensis, Incolis S. Marcelli, & Clientibus etiam San-Germano-Pratensibus: cuius rei fidem faciunt tres Bullæ sequentes.

„ *Gregorius* Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis Decano & Capitu- „ lo S. Marcelli Parisiensis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum non „ deterioris sed melioris conditionis apud vos ac homines vestros quàm apud alios „ Burgenses Ciuitatis Parisiensis debeant esse Scholares, Deuotionem vestram mo- „ nemus attentè per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandantes: quate- „ nus homines vestros de S. Marcello pro pace ac securitate scholarium ad illa „ constringere procureris, ad quæ Ciues Parisienses per Regale Priuilegium sunt „ adstricti, mandatum nostrum taliter impleturi, quod eisdem Scholaribus non „ tam necessitate quàm voluntate exhibentes vos fauorabiles & benignos diuinæ „ ac nostræ gratiæ vos reddatis meritò aptiores. Datum Laterani 8. Kal. Maias, „ Pontif. nostri an. 3

AD EPISCOPUM PARIS. „ *Gregorius Episcopus &c.* Venerabili fratri Parisiensi Episcopo Salutem & „ Apostolicam Bened. Cum non deterioris sed melioris conditionis apud te „ ac homines tuos quàm apud apud alios Burgenses Ciuitatis Parif. debeant esse „ Scholares, Discretionem tuam monemus attentè per Apostolica scripta distri- „ ctè præcipiendo mandanres, quatenus homines tuos de Burgo S. Germani pro „ pace ac securitate Scholarium ad illa restringas ad quæ Ciues Parisienses per „ Regale Priuilegium sunt adstricti, mandatum nostrum talirer implerurus, quod „ eisdem Scholaribus non tam necessitate quàm voluntate exhibens te fauorabi- „ lem & benignum, Diuinæ ac nostræ gratiæ te reddas meritò aptiorem. Datum „ Laterani 8. Kal. Maij, Pontif. nostri an. 5.

AD ABBATEM S. GERMANI. „ *Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei* Dilecto filio Abbati S. Germani de „ Pratis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum non deterioris, sed melio- „ ris conditionis apud te ac homines tuos, quàm apud alios Burgenses Ciuitatis „ Parisiensis debeant esse scholares, Discretionem tuam monemus attentè per „ Apostolica scripta districtè præcipiendo mandantes, quatenus homines tuos „ de Burgo S. Germani pro pace ac securitate scholarium ad illa restringas ad quæ „ Ciues Parisienses per Regale Priuilegium sunt adstricti, mandatum nostrum tali- „ ter impleturus, quod eisdem Scholaribus non tam necessitate quàm voluntate „ exhibens te fauorabilem & benignum, Diuinæ ac nostræ gratiæ te reddas meritò „ aptiorem. Datum Laterani id. April. Pontif. nostri an. 5.

Et ne quid prætermitteret idem Pontifex vnde Scholarium commodis consulere posset, quia Instrumenta seu Tabulæ publicæ perierant, quibus Domum aliquam S. Thomæ de Lupara, quam Bursarij possederant, sibi vindicare possent, iussit inquiri, seu potius inceptas iamdudum inquisitiones & attestationes perfici. Nam sedente summo Pontifice Honorio Romanus Cardinalis iussu eiusdem Pontificis, & precibus Scholarium adductus inquiri curauerat rei veritatem, multasque attestationes conscribi fecerat: sed aliis negotiis distracto & interueniente Honorij obitu res perfici non potuerat. In eam itaque rem Gregorius hanc Bullam dedit.

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei MM. Iacobo Archidiacono Morinenſi & waruatio Tenuſino Canonico Pariſius commoranti ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut intelleximus, Dilectus filius noſter Romanus S. Angeli Diaconus Cardinalis Portuenſis Electus tunc Apoſtolicæ ſedis Legatus ſuper domo S. Thomæ in Lupara, Venerabili fratri Midardingo Epiſcopo Florentino tunc Canonico Papienſi Pariſius commoranti, & dilecto filio Bituricenſi Archidiacono inquiſitionem commiſerit faciendam, licet vſque ad concluſionem atteſtationum fuerit in negorio ipſo proceſſum, propter varias tamen occupationes eiuſdem Legati nondum exinde finaliter eſt ſecutus effectus. Ne igitur inquiſitio inutiliter videatur incepta, niſi fuerit, ſicut conuenit, conſummata, Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus atteſtationibus ipſis, ſi potuerint inueniri, receptis, aperiatis eaſdem & negotio finem debitum imponatis. Quod ſi forte inueniri non potuerint, vos inquiſitionem iterum facientes, procedatis exinde, prout ſecundum Deum videritis procedendum. Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Laterani 4. Kalend. Maii Pontific. noſtri anno 5.

Ad Candidicos Pariſ. pro domo S. Thomæ de Lupara.

Quia verò duo Magiſtri qui ad ſummum Pontificem ab Vniuerſitate miſſi fuerant, omnium illarum Bullarum, Priuilegiorum, Reformationis ſuaſores, inſtigatores & authores fuerant, atque maleuolorum quorundam criminationibus Regi & Reginæ Regenti inuiſi videbantur, ideoque verebantur regredi Pariſios, idem Pontifex ſuis litteris vtrumque rogauit, vt eos paterentur pacificè ſcholas reſumere, néue detractoribus & maleuolis fidem adhiberent. Prior Bulla ad Regem eſt eiuſmodi.

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Chariſſimo in Chriſto filio Illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum debeatur gratia gratioſis, ita quod nequeat ſine notâ negari, eo quod virtus ſibi vendicat vbique fauorem, honor eſt bene meritos honoranti, quia titulum nanciſcitur bonitatis, qui bonos Charitatis amplexatus affectu, in his ſibi complacet ſimilitudinis ratione. Hinc eſt quod dilectos filios MM. Gaufridum Pictauienſem & willielmum Antiſſiodorenſem qui vitâ, ſcientiâ & doctrinâ præclari, dum erudiunt plurimos ad ſalutem, tanquam ſtellæ micant in Eccleſiæ firmamento, Maieſtati Regiæ duximus fiducialiter commendandos: quanquam forte apud te non egeant ſuffragiis alienis, quos ſincerè diligere credens propriæ meritis probitatis. Ideoque Celſitudinem tuam rogamus & monemus & hortamur in Domino, quatenus eos de mandato noſtro redeuntes Pariſius ad regendum benignè recipiens & honeſtè pertractans, ita ipſos tua proſequaris gratia & fauore, quod apud Deum meritum & laudes apud homines merearis, Noſque pro eis tibi grates referre non immeritò debeamus. Cæterum cum iidem Magiſtri pro Reformatione ſtudii ad ſedem Apoſtolicam perſonaliter laborantes honorem Regis & Regni tractarent, nec quidquam fuerint contra moliti, ſi quid, quod non credimus, ad ſuggeſtionem maleuolam Detractorum contra eos vel M. Ioannem Pagium ſuſpicionis forſitan concepiſti, omnino deponens ſtudeas ipſos propenſius honorare, vt illis ſua mentiatur iniquitas, & iſtis propriæ puritatis atteſtetur veritas. Datum Laterani 2. Non. Maii Pontific. noſtri an. 5.

Ad Regem.

Poſterior Bulla ad Reginam Regentem eſt eiuſmodi, & iiſdem planè verbis quibus præcedens, concepta.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Illuſtri Reginæ Franciæ ſal. & Apoſt. bened. Cum debeatur gratia gratioſis, ita quod nequeat ſine notâ negari, eo quod virtus vendicat vbique fauorem, honor eſt bene meritos honoranti, quia titulum nanciſcitur bonitatis qui bonos Charitatis amplexatus affectu, in his ſibi complacet ſimilitudinis ratione. Hinc eſt quod Dilectos filios MM. Gaufridum Pictauienſem & Willielmum Antiſſiodorenſem qui vitâ, ſcientiâ & Doctrinâ præclari dum erudiunt plurimos ad ſalutem, tanquam ſtellæ micant in Eccleſiæ firmamento, ſerenitati Regiæ duximus fiducialiter commendandos, quanquam forte apud te non egeant ſuffragiis alienis, quos ſincerè diligere crederis propriæ meritis probitatis. Ideoque Celſitudinem tuam rogamus, monemus & hortamur in Domino, quatenus eos de mandato noſtro

Ad Reginam.

„ redeuntes Parisius ad regendum benignè recipiens & honestè pertractans, tecum „ & à Charissimo in Christo filio nostro Rege Francorum Illustri filio tuo in gra- „ tia recipi faciens, ita ipsos tua prosequaris gratia & fauore, quod apud Deum „ meritum & laudes apud homines merearis, Nosque pro eis tibi grates referre „ non immeritò debeamus. Cæterum cum iidem Magistri pro reformatione stu- „ dij ad sedem Apostolicam, personaliter laborantes honorem Regis & Regni „ tractarint, nec quicquam fuerint contra moliri, si quid (quod non credimus) „ ad suggestionem malevolam Detractorum, contra eos vel contra M. Ioannem „ Pagium suspicionis forsan concepisti, omnino deponens studeas ipsos propen- „ sius honorare, vt & illis sua mentiatur iniquitas, & istis propriæ puritatis veri- „ tas attestetur. Datum Laterani 2. Non. Maij Pontif. nostri an. 5.

Et quia complures Artium Professores Aureliam & Andegauum secesserant docendi gratia, ob idque Edicto Regio & Senonensis Synodi Decreto priuati fuerant reditibus Beneficiorum suorum à Legato sedis Apostolicæ, vt ante diximus, mandauit idem Pontifex Decano Senonensi & M. Simoni de Alteis vt Magistros prædictos reuocarent ad Academiam Parif. benignè cum iis agendo, omnia illis restituendo authoritate Apostolica & à quibuscunque Censuris absoluendo. Item cum iis dispensat de secundo seu iterato examine iuxta scilicet recentem suam examinandi & licentiandi rationem, qui ante examinati fuissent iuxta veterem formam Aureliæ, Andegaui aut Parisiis. Nam Magistri qui secesserant, aliis quoque licentiam impertiuerant iuxta statuta Romani Legati; Episcopus autem & Cancellarius edixerant ne quis licentiam impertiretur absq; authoritate sua. Itaque Pontifex ne nouis turbis occasio daretur, cuiuscunque generis licentias pro hac vice tantum approbat. Sic ergo ille.

AD DECANUM SVESSION. PRO LICENTIATIS TEMPORE SECESSIONIS.

„ *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Dilectis filiis Decano Suessionensi & M. Simoni de Alteis Canonico, ambobus Salutem & Apost. Ben.* Cum sicut Nobis est pro „ certo relatum, Magistri Artium & Philosophiæ Facultatis, qui in Andegauensi „ vel Aurelianensi Ciuitate licentiâ obtentâ rexerunt, prius à Dilectis filiis Can- „ cellario Parisiensi vel Abbate S. Genouefæ aut à Magistris discessionis tempore „ iuxta formam à Dilecto filio nostro Romano S. Angeli Diacono Cardinale Por- „ tuensi Electo tunc Apostolicæ sedis Legato traditam examinati fuissent: quia si „ eos iterum examinari vel licentiari contingeret, ex hoc posset in studium disces- „ sionis occasio suboriri, volumus & mandamus quatenus eis pro bono pacis hac „ vice, vt liberè legant Parisius, authoritate nostra largiamini facultatem. Contra- „ dictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo. „ Generales quoque sententias in scholares turbationis tempore promulgatas sine „ difficultate qualibet relaxetis, & Constitutionem illam editam in Prouinciali „ Concilio Senonensi, videlicet vt scholares qui pro suo iuramento seruando An- „ degauum accesserint, fructibus Beneficiorum suorum biennio priuarentur, nec „ aliquod Beneficium conferretur eisdem, in irritum reuocetis. Datum Laterani 3. „ Non. Maij Pontific. nostri an. 5.

Eodem anno Mauricius Episcopus Cenomanensis ad sedem Rothomagensem translatus est iussu Gregorii, cum aliquandiu vacasset post obitum Theobaldi Ambianensis: cui maior quidem pars Capituli successorem designauerat M. Thomam de Freauilla, tunc eiusdem Ecclesiæ Decanum. Sed cum altera pars consensum præstare recusasset, re delatâ ad Curiam Rom. Mauricius assumptus est, & Thomas Baiocensis factus Episcopus, sicque vacauit Decanatus, nec nisi an. 1233. suffectus est successor M. Stephanus de *Castro Anuri* vir magnæ litteraturæ, qui diu Parisiis rexerat.

Eodem quoque anno Richardus Cantuariensis Archiepiscopus, vir facundiæ admirabilis, scientia & moribus incomparabilis, vt ait Mathæus Paris. cum Româ rediret, apud S. Gemmam obiit: cuius auditâ morte Monachi Cantuarienses Radulphum de Neuilla, Cicestrensem Episcopum & Henrici Regis Cancellarium in successorem delegerunt: sed à summo Pontifice confirmationem impetrare non potuerunt, obsistente M. Simone de Langetona, qui inter cæteras rationes, hanc afferebat, fore scilicet, si Radulphus confirmaretur, vt tota Anglia iugum Papale excuteret, quod maximè optabat; quoniam ille Regi & libertati Anglicanæ addictissimus erat. Itaque irritâ hac electione Mona-

chi Priorem ſuum Ioannem eligunt, nec plus proficiunt, quia viſus eſt eſſe nimis ſimplex & ſenior quàm vt tantum onus ſuſtinere valeret. Alium ergo nominant, nempe M. Ioannem Blondum, qui cum quibuſdam aliis in Angliam ſeceſſerat ob tumultum Pariſienſem anni 1229. *Tunc verò in Theologia ſtudebat apud Oxoniam & legebat,* teſte Mathæo Pariſienſi. Ille verò cum Monachis profectus repulſam quoque tulit, quia largitione ſuffragia corrupiſſe credebatur operâ Petri wintonienſis Epiſcopi: deinde verò quia contra Canones Concilij Generalis duo Beneficia poſſidebat, quibus erat annexa cura animarum. Eo tandem proceſſum eſt, vt M. Edmundus Eccleſiæ Sareſberienſis Canonicus, cuius vitam & mores cum Pariſiis degeret, ſupra expendimus, electus fuerit & confirmatus an. 1233.

Ad annum 1232. narrat Nangius in Geſtis Ludouici IX. vnum è Clauis qui- 1232.
bus corpus D. N. I. C. Cruci affixum fuerat, qui à temporibus Caroli Calui in æde San-Dionyſiana ſeruabatur, cum populo daretur ad oſculandũ, 3. Kal. Martias amiſſum fuiſſe, eamque ob rem magnum fuiſſe vbique luctum, ipſam quoque Vniuerſitatem Pariſienſem mirum in modum conturbatam fuiſſe & afflictã. Sic ergo ille. *Sequenti anno ſanctiſſimus Clauus Domini, vnus de illis ex quibus Corpus Dominicum Cruci affixum dicitur extitiſſe, qui à tempore Caroli Calui Regis Francorum & Imperatoris Rom. in eadem Dionyſij Eccleſia dono ipſius permanebat, cecidit de vaſe ſuo, dum daretur Gentibus ad oſculandum; & ſic perditus fuit inter multitudinem oſculantium 3. Kal. Martij: ſed 1. die Aprilis ſequentis multis prodentibus miraculis inuentus ad prædictam Eccleſiam cum gaudio & magna exultatione in die ſancto paraſceues eſt allatus. Huius Claui ſanctiſſimi amiſſione dolor & compaſſio, quæ Regi Ludouico & matri eius Reginæ ac multis accidit, non puto obmittendum. Audientes verò Rex & Regina Mater eius tam pretioſiſſimum theſaurum in Regno ſuo fuiſſe perditum, vehementer doluerunt dicentes quod ſibi nihil penitus potuiſſet nunciari vnde poſſent aut deberent grauius moleſtari. Illuſtriſſimus autem & pius Iuuenis Rex Ludouicus tandem præ doloris magnitudine exclamaſſe dicitur, ſe maluiſſe optimam Regni ſui Ciuitatem hiatu terræ funditus periiſſe. Qui ſtatim viros eloquentes & eruditiſſimos à latere ſuo mittit, qui dolorem & fletum Abbatis & Conuentus S. Dionyſij, quos inconſolabiliter contriſtatos audierat, verbis bonis & conſolatoriis leuigarent. Ipſe quoque in propria perſona venire voluit, ſed diſcreta ſuorum conſideratio non permiſit. Qui confeſtim clamari voce præconis per plateas Ciuitatis Pariſius iubet, vt ſi quis Clauum Dominicum inuenerit, citò reddat, & ſecurus de vita, de fiſco Regio percipiat 100. libras. Quid referam quanta doloris ac mœroris anxietas audito tali nuncio Pariſienſes afflixerit? Omnis ſexus, omnis ætas, omnis conditio atque* Scholarium ibidem Studentium *innumera multitudo in lachrymas reſoluuntur, concurrunt ad Eccleſias, Diuinæ bonitatis ſuffragium ſub tam graui periculo flagitantes. Et ita commune damnum tanquam ſpeciale & proprium vnuſquiſque deplorabat.*

CLAVVS DOMINICI CORPORIS AMISSVS.

Hoc anno Gregorius Pontifex nonnulla indulſit Mendicantibus priuilegia, ſaluo tamen in multis iure Prælatorum, ſed in aliquibus læſo: quæ habentur in lib. 5. Decretal. Gregor. tit. de Exceſſibus Prælatorum. Ex quibus intelligimus, quantum iam illis temporibus, quibus vix bene nati erant Mendicantes, ſuſpecti eſſent Prælatis.

PRIVILEGIA MENDICANTIVM CONTRA PRAELATOS.

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Vniuerſis Eccleſiarum Prælatis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Nimis iniqua &c. Cum Religioſi viri abnegantes ſalubriter ſemetipſos elegerint in paupertate Chriſto pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes, non deſunt plerique tam Eccleſiarum Prælati quàm alii, qui cœca cupiditate ſeducti propriæ auiditati ſubtrahi reputantes, quidquid prædictis fidelium pietas elargitur, quietem ipſorum multipliciter inquietant. Volunt namque contra Regulam à ſede Apoſtolica approbatam & ſui Ordinis Inſtituta ipſis inuitis eorum Confeſſiones audire ac eis iniungere pœnitentias & Euchariſtiam exhibere, nec volunt vt Corpus Chriſti in eorum Oratoriis reſeruetur, & fratres ipſorum defunctos apud Eccleſias ſuas compellunt ſepeliri, & eorum exequias celebrari. Et ſi quis decedentium fratrum alibi quàm in ſuis Eccleſiis eligat ſepulturam, funus primò ad Eccleſias ſuas deferri cogunt, vt oblatio ſuis vſibus cedat, nec ſuſtinentes eos habere Campanam, vel Cœmeterium benedictum certis tantum temporibus per-

mittunt ipsos celebrare Diuina. Volunt quoque in Domibus eorum certum numerum fratrum, Sacerdotum, Clericorum & Laicorum, nec non cereorum, lampadarum & ornamentorum pro voluntate sua taxare, ac residuum cereorum, quando nouiter apponuntur, exigunt ab eisdem. Nec permittunt, quod noui sacerdotes eorum alibi quàm in Ecclesiis suis celebrent primas Missas, eos nihilominus compellentes, vt in quotidianis Missis quas in suis locis & altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant & reseruent quidquid etiam eis dum celebrant Missarum solennia, intra Domorum suarum ambitum piâ fidelium deuotione donatur, ab ipsis extorquere donationis nomine contendentes, quod eisdem tam in ornamentis altaris, quàm in libris Ecclesiasticis absolutè confertur, vindicant perperam iuri suo. Quocirca mandamus quatenus vniuersi & singuli à prænotatis grauaminibus desistatis, subditos vestros ab huiusmodi compescendo. Ibidem enumerat 12. grauamina Mendicantium eorundem à quibus præcipit abstineri.

Nimis praua, & infra. Cum quidam viri Religiosi vt puta FF. Prædicatores & Minores, quorum Ordinem & Regulam sedes Apostolica noscitur adprobasse, in arctissima paupertate Christo pauperi famulentur, plerique Prælati & alii eos ad Synodos suas cogunt accedere, ac suis constitutionibus subiacere. Nec his contenti Capitula & scrutinia in locis fratrum pro his corrigendis facturos se comminantur, fidelitatem iuramento firmatam ab eorum Ministris & Custodibus exigentes. Eis quoque vt tam extra Ciuitates quàm intra eum eis processionaliter veniant, ex leui causa mandantes excommunicationis sententiam fulminant in Benefactores ipsorum; & idipsum fratribus comminantes eos de locis in quibus Domino famulantur, satagunt amouere, nisi eis obediant in omnibus prædictis. Adhoc ne fratres ad honorabiliores Ciuitates & villas religiosè ac honestè valerent conuocari, à populis deuotè vocati accedere audeant inhibentes tam in accedentes fratres quàm in receptatores eorum præsumunt excommunicationis sententiam promulgare. Ab eis etiam de hortorum fructibus Decimas, nec non de habitaculis fratrum, sicut de Iudæorum domibus contendunt reditus extorquere, adserendo quod nisi fratres morarentur ibidem, ab aliis habitatoribus prouentus aliqui soluerentur. Et vt ipsos suæ subdant totaliter ditioni, eisdem Ministros & Custodes volunt præficere pro suæ arbitrio voluntatis. Quocirca mandamus quatenus vniuersi & singuli à prænotatis grauaminibus desistatis subditos vestros ab eiusmodi arctius compescendo.

CONTRA MENDICANTES.

Hæc Priuilegia magnarum postea in Ecclesia turbarum causæ fuerunt: & Gallicani nostri Proceres cum Academia Parisiensi sæpe ea irritari & abrogari curarunt, vt patebit ex historia. Nam illis freti Mendicantes impune spernebant authoritatem Episcoporum, supraque cæteros se se extollebant, nullum Ordinem præ suo æstimantes. Mathæus ad an. 1235. eos arguit vehementer ex eo, quod cum Paupertatem Christianam profiterentur, in possessiones tamen cæterorum Monachorum vario sub prætextu inuolarent.

Eodem tempore, inquit, *Quidam de fratribus Minorum*, nec non & aliqui de ordine Prædicatorum impudenter nimis suæ Professionis & Ordinis immemores, in territoria aliquorum Nobilium Cœnobiorum se clam ingesserunt, sub prætextu Officii sui adimplendi & velut post crastinam prædicationem recessuri. Sed vel infirmitatem vel quippiam aliud simulantes manserunt: & fabricato ex ligno altari superpositoque Altariolo lapideo benedicto secum allato *Missas clandestinas demissâ voce celebrarunt, confessiones multorum receperunt etiam Parochialium in præiudicium Presbyterorum.* Dicebant namque se talem à D. Papa suscepisse potestatem; vt eis scilicet fideles quæ suo erubescunt sacerdoti confiteri, vel dedignantur, quia consimili peccato constringuntur, vel timent quia temulento confiteantur, quibus iniungant Minores pœnitentias & absoluant. Interim ad Rom. Curiam misso Procuratore festino & diligenti contra Religiosos in quorum degebant territorio, concessam impetrarunt cum aliquo adiuncto beneficio mansionem. Quod si forte adhuc eis satisfieri non videretur, in verba contumeliosa & comminatoria proruperunt, *Ordinem alium quàm suum reprobantes*, aliosque de numero fore damnandorum asserentes, nec parcere callo plantarum suarum, donec thesauros aduersariorum suorum licet multos exhausissent. Vnde in multis cede-

bant eis Religioſi, deferentes propter ſcandalum & propter Potentum offendiculum. Erant enim Magnarum Conſiliatores & Nuncij, etiam D. Papæ Secretarii, nimis in hoc gratiam ſibi ſecularem comparantes. Aliqui tamen in Curia Rom. Contradictores inuenientes obuiis rationibus refrenati, confuſi receſſerunt, dicente eis toruo vultu ſummo Pontifice. *Quid eſt hoc, Fratres, quò prorumpitis? nonne profeſſi eſtis paupertatem ſpontaneam, vt diſcalceati & inglorij peragrantes vicos & caſtella & loca remotiora, prout opus exigit, verbum Dei humiliter ſeminetis? Præſumitis iam inuitis Dominis feudorum manſiones vobis vſurpare? Iam videtur in magna ſui parte Religio veſtra expirare & doctrina refutari.* Hoc audito recedentes modeſtius ſe habere cœperunt, qui prius multiplicauerunt loqui ſublimia gloriantes, & infra ſepta alterius arbitrio alieno morari & detineri recuſantes.

VNIVERSITAS TOLOSANA.

ANno 1233. Gregorius Pontifex Vniuerſitatem Toloſanam à Legato ſuo iam erectam ſpeciali Bullâ confirmauit & adinſtar Pariſienſis eam priuilegiis dotauit. Hæc eſt 2. Franciæ ſeu Regni Gallicani Vniuerſitas: nam à temporibus Caroli M. ad hæc vſque Pariſienſis non modo prima, ſed vnica fuit Galliarum Vniuerſitas, ſeu Studium Generale Priuilegiis Regum & Pontificum fundatum & decoratum. At quia in partibus Toloſanis viſa eſt periclitari Religio Christiana propter paucitatem raritatemque Doctorum virorum, Ludouicus IX. è re Christiana eſſe exiſtimauit Toloſæ ſtudium Generale conſtituere, vt ad an. 1227. retulimus. Deinde Cardinalis Portuenſis electus authoritate Apoſtolica eandem Vniuerſitatem erexit. Poſtremò hoc anno Gregorius Erectionem approbauit. Et quanquam Pariſienſis intercedere primum conſtituerat, quia amplitudinem ſuam tantundem imminui & coarctari videbat, euicit tamen Christiana Religio, & è ſuis Magiſtris plurimos illuc miſit, vt exemplo ſuo atque inſtituto Maiorum Hæreticos confunderent & hæreſes extinguerent. Bulla igitur Gregorii eſt eiuſmodi. 1233

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei *Dilectis filiis Vniuerſitati Magiſtrorum & Scholarium* Toloſanorum Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Olim operante illo qui vult omnes homines ſaluos fieri & neminem vult perire, per miniſterium Dilecti filii noſtri Portuenſis electi tunc in illis partibus Apoſtolicæ ſedis Legati inter Eccleſiam & nobilem virum Comitem Toloſanum pace, præeunte Diuinâ gratiâ, reformatâ, idem Legatus tam prouidè quàm prudenter attendens quod fides Catholica, quæ pœne penitus videbatur in illis partibus profligata, inibi refloreret valeret, ſi illic *Litterarum ſtudium* crearetur, duxit proinde ſtatuendum vt in Ciuitate Toloſana cuiuſlibet licitæ Facultatis ſtudia plantarentur, quorum Magiſtris, vt liberius poſſent vacare ſtudiis & doctrinis, à iam dicto Comite fuit promiſſum certum ſalarium. Nos igitur quod ſuper præmiſſis factum eſt, gratum & ratum habentes, vt eadem libertate quâ gaudent *Pariſienſes Scholares*, vos omnes & qui vobis ſucceſſerint in hac parte perpetuò gaudeatis, deuotioni veſtræ perpetuò duximus concedendum. Nihilominus vt Ciues Toloſani domos vacantes ad habitandum ſcholaribus locare ſub cōpetenti pretio taxando à duobus Clericis & totidem Laicis viris diſcretis Catholicis & iuratis, communiter electis vobis locare cogantur. Et vt ſcholares Theologiæ ſtudiis inſiſtentes ac vniuerſi Magiſtri in Ciuitate commorantes præfati Beneficiorum & præbendarū ſuarum prouentus, ac ſi in Ciuitatibus in quibus eadem obtinent, reſiderent, quotidianis diſtributionibus quæ illis qui Diuinis interſunt Officiis, aſſignantur, duntaxat exceptis, concedantur integrè, ſtatuentes. Sancimus præterea quod nulli Magiſtri, Scholares vel Clerici ac Seruientes eorum, quod abſit, ſi contingeret eos in quocunque maleficio deprehendi, ab aliquo Laico iudicentur, vel etiam puniantur, niſi forſitan Iudicio Eccleſiæ condemnati ſeculari Curiæ relinquantur. Et vt Laici teneantur ſtudentibus in cauſa qualibet coram Eccleſiaſtico Iudice reſpondere ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Gallicanæ. Nec non & vt Comes iam dictus, Ciues Toloſani, Balliui eiuſdem Co-

mitis & Barones terræ perſonis & rebus Scholarium ſecuritatem & immunitatem promittere compellantur, & à ſuis ſubditis faciant illud idem. Et ſi quid eos, vel eorum Nuncios in bonis ipſorum, pecunia, vel rebus aliis ſpoliauerint, ipſi vel emendare faciant, vel emendent. Et vt quicunque Magiſter ibi examinatus & approbatus fuerit in qualibet Facultate, vbique ſine alia examinatione regendi liberam habeat poteſtatem. Adhæc cum ſæpe præfatus Comes in Reformatione pacis ſe obligauerit præſtito iuramento, vt certum Salarium vſque ad certum tempus certo numero Magiſtrorum exſoluat, ſtatuimus vt illud ſine diminutione qualibet perſoluat. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ Conceſſionis & Conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani 3. Kal. Maii Pontif. noſtri an. 7.

Scripſit quoque idem Pontifex ad ipſum Comitem in eam rem, hancque ad eum Bullam dedit.

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio & nobili viro Comiti Toloſano Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Olim operante illo qui vult omnes homines ſaluos fieri & neminem vult perire, per Miniſterium dilecti filii noſtri Romani Portuenſis Electi, tunc in illis partibus Apoſtolicæ ſedis Legati inter Eccleſiam & te pace Diuinâ præeunte gratiâ, reformatâ, dictus Legatus tam prouidè quàm prudenter attendens quod fides Catholica, quæ pene penitus videbatur de illis partibus profligata, inibi reflorere valeret, ſi illic litterarum ſtudium crearetur, duxit prouidè ſtatuendum, vt in Toloſanâ Ciuitate cuiuſlibet licitæ Facultatis ſtudia plantarentur: quorum Magiſtris, vt liberius poſſint vacare ſtudiis & doctrinis, à te fuit promiſſum certum ſalarium & ſtatutum. Vnde Nos quod ſuper præmiſſis factum eſt, gratum & ratum habentes, vt eâ quâ gaudent *Pariſienſes Scholares, perpetuò Magiſtri Scholares Toloſæ, & omnes qui eis ſucceſſerint in hac parte, gaudeant libertate, ipſis duximus concedendum.*

Statuimus nihilominus vt Ciues Toloſani Domos vacantes ad inhabitandum Scholaribus pro competenti pretio taxando à duobus Clericis & totidem Laicis, viris diſcretis, Catholicis & iuratis communiter electis ab ipſis, locare cogantur.

Sancimus præterea quod nulli Magiſtri & Scholares vel Clerici ac Seruientes eorum, ſi quod abſit, contigerit eos in quocunque maleficio deprehendi, ab aliquo Laico iudicentur, vel etiam puniantur, niſi forſitan Iudicio Eccleſiæ condemnati ſeculari Curiæ relinquantur, & vt Laici teneantur ſtudentibus in.... coram Eccleſiaſtico Iudice reſpondere ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Gallicanæ.

Necnon & vt Te, Comes Toloſane, Balliui tui, & Barones terræ ſecuritatem & immunitatem ſub Iureiurando promittere compellamini perſonis & rebus *Scholarium ac etiam Nunciis eorundem* & à veſtris ſubditis illud idem fieri faciatis *Et ſi qui eos vel eorum Nuncios* in terris veſtris pecunia vel rebus aliis ſpoliauerint, vos vel emendari faciatis, vel etiam emendetis.

Ad hæc & tu cum in reformatione pacis te obligaueris præſato iuramento, vt certum Salarium vſque ad certum tempus certo numero Magiſtrorum exſoluas, ſtatuimus vt illud ſine qualibet diminutione perſoluas vſque ad terminum conſtitutum, & plenariè ſatisfacias de ſubſtractis. Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus attentius ac monendam per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus Magiſtris & Scholaribus ſupradictis te fauorabilem exhibeas & benignum, ſtatuta præfati Electi illibata conſerues, & ab omnibus tuæ Iuriſdictioni ſubiectis facias firmiter obſeruari. Datum Laterani pridie Kal. Maias Pontif. noſtri an. 7.

Eodem anno M. Edmundus olim in Academia Pariſienſi Profeſſor celeberrimus, Canonicus Sareſberienſis ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem extollitur triplici iam abrogatâ Cantuarienſium Monachorum electione. Quâ de re ſic Mathæus. *Quoniam iam caſſatis tribus Eccleſia Cantuarienſis electis, præfata fuit diu Eccleſia à Paſtore viduata, ſimilis facta ſacra vxori Tobiæ & filiæ Raguelis tot viris viduata, dedit Monachis, qui cum electo caſſato venerant, poteſtatem eligendi M. Edmundum*

Ecclesia Sarisberiensis Canonicum , virum honesta conuersationis & bene litteratum, in Pastorem animarum suarum. Cui etiam pallium transmisit, ne tanta sedes Metropolitana à Pastore diutius frustraretur. Anno verò sequente consecratus à est Rogero Londinensi Episcopo præsente Rege Henrico cum 13. Episc.

Anno 1234. post mortem Mauricij Rothomagensis Archiepiscopi M. willielmus 1234.
de Dunelmo qui diu rexerat in Artibus Lutetiæ, à maiore Capituli parte electus est in successorem : sed aliâ parte contradicente noluit electioni de se factæ subscribere, antequam D. Papæ Gregorio probata fuisset. *Delata est causa ad Curiam Rom.* vt legitur in Chronico Rothomag. *& scripsit D. Papa Iudicibus ad hoc electis à partibus , vt requirerent vtrum vellet consentire , vel non : & quia non consensit requisitus , reddita fuit electio Capitulo Rothomagensi , & durauit ista contentio fere per annum.* Rarum profectò istis temporibus modestiæ Christianæ exemplum , quibus cæteri multitudini Beneficiorum inhiabant. In eius ergo locum postulatus M. Petrus de Collemedio, Vniuersitatis Par. olim Rector, qui willielmi exemplo non precibus acquieuit eligentium, donec à Pontifice iussus est acquiescere.

Eodem anno M. Rodulphus Ebifach Magister in Theologia Parisi. ad Minoritas se contulit. Cuius Conuersio hoc initium habuisse legitur in Annalibus Minorum. *Cum semel ex studio fessus somno opprimeretur , apparuit ei Diabolus comminatus oculorum cæcitatem dicens ,* Ego te stercoribus excæcabo. *Vno & altero die eadem repetit minas malus artifex , quem semel digitos oculis inferre volentem, violenter repulit Magister inquiens.* Abi in malam rem , non ru me, sed Ego te excæcabo. *Atque ecce sequenti die dum è Rostris doceret , allata ei Regis Angliæ littera , quibus pinguem ei offerebat Episcopatum. Memor ille visionum præteritarum, hæc inquit , illa stercora diuitiarum , quibus Diabolus dicebat me excæcaturum.* Ego eius eludam „
artes & procul faciam puluerem hunc rerum terrenarum. Nec mulram interpo- „
suit moram, quin statim Minorum se committeret sodalitio. Ita legitur in prædi- „
ctis annalibus. „

Eodem anno obiit M. Hugo Foliotb Herefordensis Episcopus, eique successit M. Robertus de Maidestan vir in litterali doctrina famosus, inquit Mathæus : estque ex iis Magistris Parisiensibus vnus, qui in Angliam an. 1229. secesserant.

Eodem anno Gregorius Pontifex Max. S. Dominicum Prædicatorum Institutorem Catalogo Cœlitum adscripsit, suamque in eam rem mentem omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & Presbyteris significari voluit hac Bulla.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepis- „
copis & Episcopis & Dilectis filiis Abbatibus & Prioribus, Archidiaconis, „
Decanis, Præpositis, Archipresbyteris & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos lit- „
teræ istæ peruenerint, Salutem & Apostol. Benedictionem. *Fons sapientiæ Patris* „
Dominus noster I. C. cuius natura bonitas , opus misericordia , redimens & renouans quos „
creauit , qui vineam quam de Ægypto transtulit, vsque ad consummationem seculi non reli- „
quit , sapienter signa propter instabiles mentes innouat , & mirabilia contra diffidentiam „
incredulitatis immutat , dum in Ecclesiæ nascentis exordio post obitum Moysi , videlicet „
finem legis ascensurus equos in Euangeliorum quadrigis , quæ verè sunt sanitas, arcu sa- „
cri eloquii , quem donec Iudeus infirmetur , intenderat & iuramentis quæ in patribus no- „
stris disposuerat , suscitatis , confidentiam Iericho , gloriam mundi, quem prædi- „
cationis fremitu obstupefactis Gentibus vicerat, calcaturus, viam equis suis in ma- „
ri faceret, & in Rahab salutis latitudinem Gentium signo coccineo figuraret, „
in prima Quadrigarum 4. egredientium in Zacharia de medio duorum montium „
æreorum protulit equos rufos populorum Principes , fortes terræ , qui per obe- „
dientiam fidei Deo Abraham Patris credentium in fundamentum noui fœderis „
adhærentes ad Ducis instar tinctis de Bosra , id. tribulationis angustia vestibus, „
cuncta suæ signa militiæ rubricarunt , vt pro futuræ gloriæ gaudio præsentem „
gladium non timentes effecti martyres id. testes suæ legis, libro confessionis vo- „
ce subscriberent & forinsecus miraculorum signis ad stipulationum robur apposi- „
tis librum & tabernaculum quod Deus & non homo fixit, ac Euangelici vasa „
Ministerii, non brutorum sed rationabilium hostiarum sanguine tingerent & in „
vniuersam spatiosi maris faciem sagenâ prædicationis expensâ multiplicatam su- „

per numerum de cunctis quæ sub cœlo sunt Nationibus Ecclesiam congregarent. Sed quia præsumptio multitudinem & malitia subsecuta est libertatem, in Quadriga secunda sub colore qui lugentibus ac pœnitentibus congruit, equestrem cuneum deputauit, qui ad Claustrale desertum ductus per spiritum sub noui Israelis auriga sanctissimo Benedicto velut sub altero Elisæo, filiis Prophetarum communis vitæ bonum occasione multitudinis perditum in iucundæ cohabitationis gratâ societate restituit & sic vnitatis scissum rete reficiens, ac per opera pietatis ad terram Aquilonis, vnde omne malum panditur, proficiscens, eum fecit in ingressis thesauros niuis & contritis corde quiescere, qui dedignatur in corpore subdito peccatis habitare. Post quos quasi lassum renouaturus exercitum, & redditurus iubilum post lamentum applicitis ad Quadrigam tertiam equis albis fratribus Cisterciensis Ordinis & Florensis, velut tonsarum greges geminæ charitatis fœtibus vberes de pœnitentiæ lauacro fecit ascendere, S. Bernardo ariete ouium in virtute spiritus quâ ex alto indutus extitit, & in abundantia frumenti Vallium præeunte, vt transeuntes liberati per eum in fortitudine clament ad Dominum, dicant hymnum & ponant castra Dei exercituum super mare. Nouo igitur Israelè his tribus agminibus, turmis totidem quas Philistium fecerant, occurrente hora vndecima, cùm dies iam declinasset ad vesperam, & propter iniquitatis abundantiam, charitate plurimum frigescente vergeret Iustitiæ radius ad occasum, quia vineam, ad quam pater-familias operarios diuersis temporibus denarii conductos conuentione præmiserat, & quâ sua dextra plantarar, non solum vitiorum vepres & spinæ peruaserunt, sed iam propemodum vulpeculæ demolientes conuertere in alienæ vitis amaritudinem intendebant, aduersus infestissimam multitudinem militiam adunare voluit promptiorem, & sicut impræsentiarum cernimus post trium signis differentium tirocinia Quadrigarum, in Quadriga quarta equos varios & robustos Prædicatorum & Minorum Fratrum agmina cum electis Ducibus simul in prælium directurus, spiritum S. Dominici suscitauit, & ei velut Equo suæ gloriæ præbens fidei fortitudinem & feruorem, Diuinæ prædicationis hinnitum circundedit collo eius. Qui gerens à pueritia cor senile, ac in mortificatione carnis eligens viuere, vitæ requisiuit authorem, & Deo deditus, ac in Nazaræum sub B. Augustini regula consecratus, sedulum circa sancta Samuelis imitatus obsequium, in castigatione desiderii pissimum Danielis continuauit affectum. Iustitiæ semitas & sanctorum vias strenuus Athleta custodiens, & vel ad momentum de tabernaculo Domini, de Militantis Ecclesiæ Magisterio & ministerio non discedens, carnem spiritui & sensualitatem subiiciens rationi, & factus vnus cum Deo spiritus, totus in eum per excessum mentis pergere studuit, & sobriæ compassionis studiis à caritate proximi non recessit: quo sagittante delicias carnium & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis Hæreticorum secta contremuit, omnis Ecclesia fidelium exultauit. Ætate crescente creuit & gratia: quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum ad eloquia Dei dedit animum, & per Euangelium Christi multos generans in conuersione tam strenuæ multitudinis Euangelicæ Dignitatis officium profitentis, nomen & opus in terra meruit obtinere Maiorum. Pastor & Dux inclytus in populo Dei factus nouum Prædicatorum Ordinem instituit meritis, ordinauit exemplis, nec miraculis confirmare desiit euidentibus & approbatis. Nam inter opera sanctitatis & signa virtutis, quibus in carne positus claruit, diuersorum curatis languoribus, loquela mutis, visu cœcis, surdis auditu, gressu paraclyticis & sanitate pristina multarum generibus inualetudinum restitutis apertè patuit, qualis spiritus in eiusdem sanctissima gleba corporis habitauit. Cum igitur ex multa familiaritate, quam nobiscum in minori constitutis officio habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis vitæ testimonio constitissent, essentque postmodum de miraculorum veritate dictorum facta nobis per testes idoneos plena fides, Nos cum commisso Nobis grege Domini confidentes eius posse suffragiis per Dei misericordiam adiuuari, vt cuius in terris solatium gratiosæ familiaritatis habere meruimus, eius in cœlis potenti patrocinio gaudeamus, ipsum de fratrum nostrorum consilio & assensu ac omnium tunc apud sedem Apostolicam consistentium Prælatorum Catalogo sanctorum adscribere decreuimus, statuentes firmiter ac Vniuersitati vestræ

veſtræ præſentibus iniungentes, vt Nonis Auguſti ante diem quo poſita carnis ſarcina diues meritis penetrauit in ſancta, ſimilis ſanctorum factus in gloria, eius natalitia celebretis & faciatis ſolemniter celebrari; quatenus eius partibus Deus, quem viuens coluit, exoratus gratiam in præſenti ſeculo & gloriam nobis tribuat in futuro. Nos verò tanti Confeſſoris venerabilem ſepulturam, quæ miraculorum fulgoribus generalem illuſtrat Eccleſiam, cupientes dignis Chriſtianæ deuotionis honoribus frequentari verè pœnitentibus & confeſſis illam in feſtiuitate præfata annis ſingulis cum deuotione ac reuerentia debita viſitantibus, de omnipotentis miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi, annum vnum de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Reate 3. Id. Iulii Pontif. n. an. 8.

Anno 1235. cum M. Petrus de Collemedio Præpoſitus Eccleſiæ San-Audomarenſis in Flandria noluiſſet ſubſcribere electioni de ſe factæ in Archiepiſcopum Rothomag. donec Papæ voluntatem intellexiſſet, ab eo tandem iuſſus eſt ſubſcribere, & Pariſiis in æde Templariorum oblatũ munus accepit. Qua de re ſic legitur in Chronico Rothom. *Hoc eodem anno die veneris infra octauas Paſcha celebrata fuit electio in Eccleſia Rothomagenſi: & fuit electus concorditer vir venerabilis M. Petrus de Collemedio Præpoſitus Eccleſiæ B. Audomari in Flandria: & quia non conſenſit requiſitus, miſſum fuit ad Curiam ad ipſum poſtulandum, & iniunxit ei D. Papa mandato, quod reciperet in virtute obedientiæ; & ſic ad vltimum conſenſit infra octauas B. Dionyſij apud Pariſius in domo Templariorum: & ſic permanſit electus habens omnem adminiſtrationem bonorum Archiepiſcopatus tam ſpiritualium quàm temporalium vſque ad vigiliam B. Laurentii Martyris.* 1235.

Eodem anno, vt ſcribit Mathæus, Gregorius Pontifex videns Decretalium tædioſam prolixitatem, ſub quodam compendio eas eleganter abbreuiatas & collectas ſolemniter & authenticè per totius mundi latitudinem legi præcepit & diuulgari. Earum libros quinque eo quo nunc ſunt ordine per M. Raimundum Barcinonenſem Dominicanum, Capellanum & Pœnitentiarium ſuum digeſtos edidit, eoſque in Scholis Iuris Canonici deinceps legi mandauit, vt in præfatione ait ad Vniuerſitatem Bononienſem.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filiis Doctoribus & Scholaribus vniuerſis Bononiæ commorantibus Sal. & Apoſt. Bened. Rex Pacificus piâ miſeratione diſpoſuit ſibi ſubditos fore pudicos, pacificos & modeſtos. Sed effrenata poteſtas ſui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia iurgiorum tot quotidie noua litigia generat, vt niſi Iuſtitia conatus eius ſua virtute reprimeret, & quæſtiones ipſius implicitas explicaret, ius humani fœderis litigatorum abuſus extingueret, & dato libello repudij Concordia extra mundi terminos exularet. Ideoque lex proditur vt appetitus noxius ſub Iuris regula limitetur, per quam genus humanum vt honeſtè viuat, alterum non lædat, ius ſuum vnicuique tribuat, informatur. Sanè diuerſas Conſtitutiones & Decretales Epiſtolas Prædeceſſorum noſtrorum in diuerſa ſparſas volumina, quarum aliquæ propter nimiam ſimilitudinem & quædam propter contrarietatem, nonnullæ etiam propter ſui prolixitatem, confuſionem inducere videbantur, aliquæ verò vagabantur extra volumina ſupradicta, quæ tanquam incertæ frequenter in Iudiciis vacillabant, Ad communem & maximè Studentium vtilitatem per dilectum filium fratrem Raimundum Capellanum & Pœnitentiarium noſtrum in vnum volumen reſecatis ſuperfluis prouidimus redigendas, adiicientes Conſtitutiones noſtras & Decretales Epiſtolas, per quas nonnulla quæ in prioribus erant dubia, declarantur. Volentes igitur vt hac tantùm Compilatione vniuerſi vtantur in iudiciis & in ſcholis, diſtrictius prohibemus, ne quis præſumat aliam facere abſque authoritate ſedis Apoſtolicæ ſpeciali.

DECRETALIVM GREGORII LECTIO IN SCHOLIS INSTITVTA.

Iſte Raimundus cognomen habebat de Penna-forti, eratque Catalanus natione, vel vt alij ſcribunt Prouincialis, Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis, vir, inquit Trithemius, in Diuinis Scripturis eruditus & ſecularium litterarum non ignarus, ingenio promptus & Iuris Canonici notitiâ inſignis, nomen ſuum varia ſcribendo immortale reddidit, & ſibi Eccleſiam ſuis opuſculis perpetuò debitricem obligauit. Nam iuſſu Gregorij compilauit Decretales, ſummam de Caſibus, Conſtitutiones Ordinis ſui & quædam alia. Tunc in Acade-

mia Bononiensi florebant M. Albertus Galioti patriâ Parisiensis, Canonum & Legum Ciuilium Professor interpresque famosissimus, *qui Margaritam Quæstionum* edidit & *Declamationes Iudiciorum*. Odofredus Beneuentanus Azonis quondam auditor & Iacobi Baldewini postmodum Præceptor, qui multos insignes post se discipulos reliquit, vt notat Trithemius. Verum aliqui contra docent Iacobum Balduinum Odofredi præceptorem fuisse. Innocentius IV. tunc etiam Bononiæ docebat & solemnem fecit Apparatum in Decretales insignisque Legista fuit. Præterea plurimos alios, qui cum laude tunc ibidem profitebantur.

Eodem anno Hugoni de Velles Lincolniensi Episcopo defuncto successit *M. Robertus Grosse-teste* Academiæ Paris. alumnus, vir litteratissimus & à primis annis in scholis educatus. Henrico de Sandfordia Roffensi Antistiti successit M. Richardus de wendene: & alij Magistri ad alias dignitates Ecclesiasticas promouentur: illi autem fere omnes ex Academia Paris. secesserant: & eos Henricus Angliæ Rex ad Beneficia prouehebat, vt alios exemplo tali alliceret ad transfretandum.

Eodem anno Gregorius Papa litteras dedit ad vniuersum Orbem Christianum inuitaos ad Crucem suscipiendam contra Infideles. Ad opus verò prædicationis & remissionis peccatorum delegit potissimum Prædicatores & Minores tunc in Curia Rom. potentissimos. *Assignati sunt*, inquit Math. *Prædicatores à D. Papa in opus Crucis & animarum aberrantium lucri-factionem per Orbem vniuersum, Fratres de Ordine Prædicatorum, ac Minorum cum Magistris in Theologia perfectis, vt pote M. Ioannes de S. Albano oriundus, aliquando Decanus Ecclesiæ S. Quintini, postea Thesaurarius Ecclesiæ Sarisberiensis, & alij viri discreti atque sancti: qui in opus Euangelij prof. cti prædicauerunt vbique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.*

QVÆSTIO DE PLVRALITATE BENEFICIORVM. Hoc anno, teste Spondano, ex Thoma Cantip. celebris Conuentus habitus est Parisius tam Regularium quàm Secularium Doctorum ad hanc Quæstionem discutiendam, an liceret Clerico duo aut plura Beneficia Ecclesiastica possidere. Quæ autem fuerit tunc conclusio, liquet. Spondanus enim post Thomam Cantipratanũ ait tum decretum fuisse ab omnibus præterquam à duobus Doctoribus, Arnoldo & Philippo, nemini licere plura Beneficia possidere: anno enim 1238. solemni Conuentu apud Dominicanos celebrato sententia ita promulgata est, vt ad illum an. dicetur. Thomas autem disertè sic habet. *Fuerat autem habita disputatio longâ valde & multo solennior ante annos tres: in quâ etiam omnes Magistri Theologiæ exceptis duobus determinasse probantur idem per omnia, quod & supra, quorum vnus fuit M. Philippus Cancellarius Paris. & alter M. Arnoldus postmodum Ambianensis Episcopus.* Hinc Magistri Theol. in Scholis priuatis tam Regulares quàm seculares eandem quæstionem agitarunt, & periculum erat seditionis, nisi Guillelmus Episcopus authoritate Episcopali hanc difficultatem determinasset, vt suo loco dicetur.

Porro hunc M. Philippum Cancellarium Parisiensem fuisse Dominicanis infestissimum docet Cantipratanus: & quanquam disertè referat ob pluralitatem beneficiorum damnatum apparuisse (quod idem refert Albertus M. lib. de Sacramentis, & ex eo Ioannes Raulinus in Doctrinali mortis tract. 3. c. 3.) occasionem tamen mortis reiicit in odium quo Prædicatores prosequebatur. Sic enim ille lib. 2. c. 20. *Narrabo & de M. Philippo Cancellario Parisiensi, de quo superius loco suo retuli. Hic contra Fratres Ordinis Prædicatorum in omni fere publicâ statione & sermone Parisius latrabat. Et quidem cum ipse diebus 25. ante mortem contra eos crudeliter prædicasset, sequenti Dominicâ F. Henricus dictus de Colonia, dicti Ordinis feruentissimus & discretissimus Prædicator, Parisius coram Vniuersitate singulis quæ contra Fratres dictus Cancellarius prædicauerat, retractatis ad vnguem omnia luculentissimè per diuinæ Scripturæ paginam improbauit. Cuius improbationis confusione Cancellarius mox tactus dolore cordis intrinsecus repente contremuit & infirmatus ad mortem, obiit tali modo vt in præcedentibus iam audistis.* Obiit autem ille an. 1237. eique successit M. Guiardus, itaque primæ quidem de pluralitate Beneficiorum Disputationi interfuit non secundæ, quæ an. 1238. habita est, vt infra dicetur. Ita ergo obliti Dominicani licentiæ docendi publicè, quam à M. Philippo Cancellario impetrauerant, quia sibi paulo infestiorem sentiebant, eius mortis sibi pœnam vindi-

carunt. Huius autem Philippi de Greua dicti sermones extant 330. super Psalterium editi Brixiæ an. 1600.

M. autem Guillelmus Parisiensis Episcopus qui diu in Theologia rexerat, Beneficiorum pluralitati maximè aduersabatur & diuitias ex Beneficiis partas detestabatur; adeo vt Canonici cuiusdam intestatò mortui bona quæ sibi vindicare poterat, iusserit pauperibus distribui: vt narrat Cantipratanus lib. 2. c. 55. *Audiuimus*, inquit, *de Venerabili Guillelmo nato Aluerniæ, Parisiensi Episcopo quod cum nunciaretur ei quendam Canonicum Ecclesiæ Paris. intestatum decessisse, & ipse de Iure Canonico in tribus millibus drachmarum succedere deberet eidem, complosis manibus respondit, Absit hoc à me, sed heu misero pecunia sua secum sit in perditionem: & hæc dicens præcepit pecuniam in vsus pauperum erogari.*

Anno 1236. Hæresis Paterinorum & Bulgarorum quæ in Flandria & Francia iam cœperat agere radices, diligenti studio & cura FF. Prædicatorum & Minorum extirpata est, & plurimi eorum ignibus consumpti sunt. Cuius rei testis est Mathæus Parisiensis ad an. 1236. *Circa dies istos*, inquit, inualuit hæretica prauitas eorum qui vulgariter dicuntur Paterini & Bulgares in partibus Transalpinis, de quorũ erroribus malo tacere quàm loqui: adeo quod fidei puritatẽ in finibus Franciæ & Flandriæ ausi sunt perturbando violare. Sed diligenti ministerio & indefessâ prædicatione Minorum & Prædicatorum & Theologorum, præcipuè F. Roberti de Ordine Prædicatorum qui cognomento Bugre dicebatur, quia ab illo conuersus habitum susceperat Prædicatoris, qui malleus Hæreticorum dicebatur, confusa est eorum superstitio & error deprehensus. Quamplures autem ex vtroque sexu ad fidem conuerti refutantes, fecit incendio conflagrari, ita quod infra duos vel tres menses circiter quinquaginta fecit incendi, vel viuos sepeliri. 1236. THEOLOGORVM NOSTRORVM.

Et ad an. 1238. eadem de re sic loquitur. *Currentibus autem eorundem dierum curriculis*, Quidam Monachus de Ordine Prædicatorum nomine Robertus cognomento Bugre, vir quidem competenter litteratus & doctus, & in officio prædicationis efficax & expeditus in Regno Francorum multos comperit hæreticâ prauitate maculatos, præcipuè tamen in Flandria, vbi de more solebant incolæ vsurarum vitio plus cæteris Nationibus diffamari. Quos omnes in fide diligenter examinatos & vacillantes vel exorbitantes adiutus brachio sęculari & D. Rege Francorum impendente subsidium fecit idem Frater Robertus incendiis incinerari. Ipsos autem nomine vulgari Bugaros appellauit, siue essent Paterini siue Iouiani, vel Albigenses, vel aliis hæresibus maculati. Ipsemet enim Robertus memoratus antequam habitum Religionis suscepisset, Bugarus extiterat, quapropter omnes eorum Complices nouerat & factus est eorum accusator & malleus & inimicus familiaris. Tandem verò abutens potestate sibi concessâ & fines modestiæ transgrediens & iustitiæ, elatus, potens & formidabilis bonos cum malis confundens inuoluit & insontes, & simplices puniuit. Authoritate igitur Papali iussus est præcisè, ne amplius in illo officio fulminando desæuiret. Qui postea manifestius clarescentibus culpis suis quas melius æstimo reticere, quàm explicare, adiudicatus est perpetuo carceri mancipari.

Hos & alios eiusmodi Hæreticos variarum quidem sectarum, sed omnes à Catholica fide deuiantes excommunicauit Pontifex Gregorius sub his nominibus, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Albigenses, Passaginos, Publicanos, Iosepinos, Arnaldistas, Speronistas, Luciferianos: & in eos legitur eius Decretalis. Eiusmodi verò hominum commeatu, conuentu & receptaculo infamem fuisse tunc temporis vrbem Mediolanensem scribit Mathæus, ob idque à Friderico Augusto fuisse oppugnatam.

Eodem anno teste Mathæo facta est prædicatio solennis Crucis tam in Anglia quàm in Francia à FF. Minoribus & Prædicatoribus & ab aliis famosis Clericis, Theologis & Religiosis, iis qui se Cruce signarent contra Turcas, Iudæos & Infideles cæteros, plenam concedentibus peccatorum indulgentiam.

Eodem anno Aureliæ, quò post tumultus Parisienses secesserant plurimi scholares & Magistri, inter Ciues & Scholasticos orta est grauis seditio, cuius occasio fuit muliercula quædam: quæ verò causa fuerit ignoratur. Sed qualiscunque fuerit, multi nobiles scholares fuerunt interfecti, aut submersi: quorum mor- SEDITIO AVRELIANENSIS.

tem excidio Aurelianensium vlti sunt eorum parentes & affines. Huc de re sic Mathæus Paris.

Anno quoque eodem circa dies Pentecostes orta est dissensio lamentabilis in " Ciuitate Aurelianensi inter Clerum & Ciues, muliercula quadam incentiuum " seminariumque discordiæ suscitante. Eatenus quoque cœpit tumultus ventila- " tus incrementum, quod occisi sunt in Ciuitate à Ciuibus Scholares, Iuuenes il- " lustrissimi & genere præclari, Nepos scilicet Comitis de Marchia, nepos Co- " mitis Campaniæ, scilicet Regis Nauarræ, propinquus consanguineusque Co- " mitis Britanniæ: & quidam alius ptopinquus consanguinitate nobili Baroni Et- " kenwaldo de Burbone, & alii multi, quorum aliqui in flumine Ligeri sunt sub- " mersi, alii trucidati, alii verò qui euaserunt, vix in speluncis & vineis & diuersis " latibulis delitescentes à mortis discrimine sunt erepti. Quo audito Episcopus " Ciuitatis accinctus zelo Iustitiæ exiit à Ciuitate, & ipsis Malefactoribus excom- " municatis Ciuitatem ipsam supposuit interdicto. Insuper Magnates prænominati " audientes suorum stragem Consanguineorum, ingressi hostiliter Ciuitatem mul- " tos Ciuium sine Iudicii expectatione in ore gladii trucidarunt Alios quoque dum " à quibusdam Nundinis remearent, clitellis & sarcinis oneratos ensibus adhuc " cruentatis in itinere detruncarunt. Nec cessauit mota seditio, donec Regium " mandatum per vtrarumque partium voluntates factis compositionibus tumul- " tum prudenter temperaret. Episcopus Aurelianensis tunc temporis erat Philip- pus de Iouy qui obiit anno 1237. cique successit Hilarius Iuris Canonici Inter- pres & Theologiæ Magister, in sacris litteris apprimè eruditus: sed statim eo mortuo, eodem anno suffectus Guillelmus de Bussy qui cum aliis multis Epis- copis interfuit consecrationi sacræ Capellæ Parisiensis.

Eodem anno fatali quadam necessitudine coniuncta Oxoniensis Academia cum Parisiensi, vehementer turbata est orta inter ciues & scholares discordiâ: quæ adeo exarsit, vt vix Rex authoritate suâ eam sedare potuerit. Quâ de re idem Ma- thæus. *Eod m anno, inquit*, orta est contentio inter Clerum Oxoniæ & Ciues: " & vix procurantibus Rege & Magnatibus, Episcopis quoque & aliis viris au- " thenticis lite post magnum tempus sopitâ, est Vniuersitas pristino statui resti- " tuta.

Eodem anno Gregorius Pontifex grauiter obiurgauit Raimundum Comitem Tolosanum datis ad eum litteris 4. Kal. Maii, quod cum Lutetiæ pacem ini- uisset cum Rege Franciæ Ludouico & Ecclesiâ Catholica, ea lege vt ad exscin- dendam hæresim, in Terram sanctam expeditionem instrueret, & Magi- stris Vniuersitatis Tolosanæ Salarium pensitaret, neutrum præstitisset, imò Stu- dium illud iam propè dissolutum esset ob negata stipendia, quæ se daturum pol- licitus fuerat. Sic igitur eum compellat.

GREGORII EPIST. AD COMITEM DE VNI- VERSITATE TOLOSAN.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei Nobili viro Comiti Tolosano spiritum Con- silij sanioris. Olim ad Apostolicæ sedis perlato notitiam, quod in partibus Albigen- sibus vineam Domini tribulus & vrtica repleuerant, & in terram Iuda Rex Baby- loniæ veniens templum Domini vasis aureis Catholicæ fidei spoliaucrat, illuc fe- licis recordationis Innocentius & Honorius Prædecessores nostri Cultores, quo ex ipsa herbas pestilentes vomere prædicationis excerperent, Claræ memoriæ " Ludouicum Regem Franciæ & alios de Regno suo Crucis signaculo insignitos, " qui mucrone Iustitiæ à Templi sanctuario sordes contaminationis raderent, desti- " narunt, sperantes quod ibi Botrus Catholicæ fidei in calicem Domini compri- " mendus erumperet, & Hierusalem expurgata Regem pauperem sedentem su- " per pullum Asinæ subiugalis cum palmis recipiens & floribus exultaret. Cum " ad id dicti Prædecessores nostri plurimum laborantes non potuissent proficere, " & laborem eorum nostrorum peccatorum crederentur merita vacuasse; Nos " attendentes quod omne quod est ab improbo, labore deuincitur, & Pharao vt li- " beret Israelem non nisi plagis contritus pluribus emollitur, humeros nostros " huius laboris fasci subiecimus, & venerabilem fratrem nostrum Portuensem Epis- " copum tunc S Angeli Subdiaconum Cardinalem commisso sibi legationis " officio ad partes illas duximus destinandum, qui eo faciente qui bonum opus " aspirando præuenit & prosequitur adiuuando, maxillas eorum qui inconsuti- " lem Christi tunicam lacerabant, in fræno cohibuit, vulpeculas patuulas quæ

Dominicam demoliebantur vineam, intercepit. Er vt fides Carholica ſtatui antiquo plenè poſſet reſtitui in pace inter Eccleſiam & Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Franciæ Regem Illuſtrem ex parte vnâ, & te ex parte altera, ipſius ſtudio reformara, & Concilio propter hoc Toloſæ habito, nonnulla ſtatuta edidit, ac ad hæreſim fortius confutandam Toloſæ ſacræ Paginæ ac aliarum Artium ſtudium ordinauit. Verum quia immundus ſpirirus domum à qua eiectus fuerar, ſcopis mundaram rurſus ingredi nitirur, & Pharao liberaros Hebræos irerum ſibi ſubiugare conatur, poſt ipſius receſſum Venerabilibus frarribus noſtris, primò videlicet Epiſcopo Tornacenſi & poſtmodo Archiepiſcopo Viennenſi Apoſtolicæ ſedis legaris, vt ſuper Carholicorum grege noctis vigilias vigilanres lupos à Dominico coërcerent ouili, duximus Legatio nis officium commirtendum. Sed ecce quod verebamur, accidit, & timor quem timebamus, euenit. Nam ſicut ex inſinuatione ipſius Archiepiſcopi conrra Hæreticos inquiſirionis exercebat officium, & fummo ſtudio laborabat, vr educto, obſtetricante ipſius manu, Colubro rortuoſo ptodirenr in lucem opera renebrarum à Ciuitare Toloſana, Vicarius tuus & Conſules Ciuitaris eiuſdem, qui ne conrra Hæreticos procedatut, diuerſa difficulrarum obſtacula interponunt, poſt illaras ſibi multas iniurias non ſine turpi violentia eiecerant &c... Tu verò qui iuxta formam prædictorum Concilii & pacis Eccleſias & viros Eccleſiaſticos defeudere, iura & libertarem ipſorum inregrè conſeruare, ac ad confutandos Hæreticos efficax præbere conſilium, & eos capientibus certam ſoluere pecuniæ quanriratem: nec non Magiſtris Toloſæ regentibus vſque ad certum rempus annis ſingulis exhibere Salarium, ac cum pluribus Burgenſibus & Militibus Terræ tuæ in Terræ ſanctæ rransfrerare ſubſidium iuramenro præſtiro tenebaris, Salarium ipſum prædictis Magiſtris, propter quod præfarum Studium dicirur diſſolutum, ſubrrahens & formas iniquas ſtatutis noſtris & iuri contrarias circa Hæreticorum inquiſirionem ad eorum fauorem poſtulans obſeruari, inquiſirionem Hærericorum multipliciter impedis, & plures in Terra rua Hærericos condemnatos publicè habirare permittis, & eis aliunde ad terram ipſam confugienribus ſecurum refugium exhibens, ſuſpectos & diffamatos de Hæreſi Conſiliarios & familiares tecum habens, ipſos ad publica promouere officia in præmiſſis conrra ſtaruta vel pacem ac præpoſirum iuramenrum venire. Er ſicur ex conſiderarione factorum ruorum conicitur, Hæreticorum faurorem, récepxarorem, defenſorem, & eorum fautoribus non veritus te fauorabilem exhibere, ſuper his ſœpe monirus re corrigere non curaſti &c. Cum igirur quo prædicta in maiorem attenrara ſunr perniciem fidei, eo minus à nobis debent ſub ſilenrio prærerjri, Mandamus quarenus præmiſſa omnia ad mandari prædicti Legati per te corrigas &c. Alioquin eidem Legaro Noſtris damus litteris in mandaris, vt te & alios prædictos ad præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam appellarione remota compellat, & præfatas ſentenrias in ſingulis ſuæ legationis Eccleſiiis, omnibus diebus Dominicis & feſtiuis pulſaris Campanis, Candelis accenſis, authorirate noſtra vſque ad ſatisfactionem condignam faciat ſolenniter innouari. Darum Vireibii 4. Kalend. Maii. Ponrific. noſtri an. 10.

Ea de re Legarum ſuum admonuit, eique iniunxit vt Toloſanum ſtudium inſtauraret, & edicta legeſque quæ Eccleſiaſticam legem infringere viderentur, reſcinderet.

VNIVERSITAS VIENNENSIS ET Salernitana.

ANno 1237. Fridericus II. Romanorum Imperator Academiam Viennenſem
inſtituir teſte wolfango Lazio, ſumpto ex Romana & Pariſiorum Vniuer- 1237.
ſitate exemplo: Nam illa ſimiliter ex 4. Narionibus compoſira eſt, Auſtriaca,
Rhenenſi, Hyngarica & Boemica, quarum ſingulæ, varias quoque prouincias
conrinent. De Conſilio verò prædictæ Vniuerſitatis ſic ſcribit Lazius l. 3. cap. 5.
Rerum Viennenſium. *Ad Conſilia Rectoris & Conuenticulum Academiæ, quod Conſi-
ſtorium vocant, ex ſingulis quique Facultatibus Decani, & ex totidem Nationibus Procu-*

vatores conueniunt. Facultates autem 4. sunt; Nationum item 4. genera sunt. Illam verò Academiam postea pœne collapsam instaurarunt Albertus II. & Rudolphus an. 1363.

SALERNITANA. Idem Fridericus Salerni Gradus Doctorales in Medicina instituit, vtque Medici nonadmitterentur ad praxim Medicinæ,qui non ante fuissent examinati à duobus Magistris in Arte peritis: quemadmodum Gregorius IX. Parisiis voluit Theologiæ Candidatos à Magistris illius scientiæ consultis examinari. Sic ergo ille in legibus Siculis.

1. REGVLA. „ *Attendentes* graue dispendium & irrecuperabile damnum, quod posset contingere ex imperitia Medicorum, iubemus in posterum nullum Medici titulum prætendentem audere practicare aliter vel mederi, nisi Salerni primitus & in Conuentu publico,Magistrorum iudicio comprobatus cum testimonialibus litteris de fide & sufficienti scientia tam Magistrorum quàm Ordinatorum nostrorum ad præsentiam nostram, vel nobis à Regno absentibus, ad illius præsentiam qui vice nostra in Regno remanserit,ordinatus accedat, & à nobis vel ab eo medendi licentiam consequatur: pœnâ publicationis bonorum & annalis carceris imminente his qui contra huiusmodiSerenitatis Edictum in posterum ausi fuerint practicare. Præsenti etiam lege statuimus, vt nullus in Medicina & Chirurgia nisi apud Salernum regat in Regno, nec Magistri nomen assumat nisi diligenter examinatus in præsentia Nostrorum Officialium & Magistrorum Artis eiusdem. Ordinati verò (illi erant bini sacramento adstricti) *quorum* fidei prædicta sunt commissa, si fraudem in credito ipsis Officio commisisse probetur, vltimo supplicio feriendos esse censemus.

2. REGVLA. „ *Quia* autem nunquam sciri potest scientia Medicinæ nisi de scientia Logicali præsciatur, statuimus quod nullus studeat in Medicinali scientia,nisi prius studeat ad minus triennio in scientia Logicali: *post triennium si voluerit, ad studium Medicinæ procedat,* per quinquennium scilicet: Ita quod Chirurgiam quæ est pars Medicinæ,intra prædictum tempus addiscat. Post quod & non ante concedatur sibi licentia practicandi, examinatione iuxta Curiæ formam præhabita, &nihilominus recepto pro eo, de tempore prædicto studii, testimonio Magistrali. Iste Medicus iurabit seruare formam Curiæ hactenus obseruatam, eo adiecto quod si peruenerit ad notitiam suam,quod aliquis Confectionarius minus bene conficiat, Curiæ denunciabit,& quod pauperibus consilium gratis dabit. Iste Medicus visitabit ægrotos suos ad minus bis in die ad requisitionem Infirmi,semel nocte: à quo non recipiet per diem si pro eo non egrediatur Ciuitatem vel Castrum, vltra dimidium tarrenum auri. Ab infirmo autem quem extra Ciuitatem visitat, non recipiet per diem vltra tres tarrenos cum expensis Infirmi,vel vltra 4. tarrenos cum expensis suis. Non contrahat societatem cum Confectionariis. Non recipiat aliquem sub cura sua ad expensas suas pro certâ pretij quantitate. Nec ipse etiam habebit propriam stationem. Confectionarij verò facient confectionem expensis suis cum testimonio Medicorum iuxta formam constitutionis: nec admittentur ad hoc vt teneant confectiones nisi præstito iuramento, quod omnes Confectiones suas secundum prædictam formam facient sine fraude.Lucrabitur autem Stationatius de confectionibus suis secundum istum modum. De Confectionibus & Medicinis simplicibus quæ non consueuerunt teneri in Apothecis vltra annum à tempore emptionis, pro qualibet libra poterit & licebit 3. tarrenos lucrari. De aliis verò quæ ex natura Medicaminum, vel alia causa vltra annum in Apotheca tenentur, pro qualibet vncia licebit lucrari 3. tarrenos. Nec stationes eiusmodi erunt vbique,sed in certis Ciuitatibus per regnum, vt inferius describetur. Nec tamen post completum quinquennium practicabit,nisi per annum integrum cum consilio experti Medici practicauerit.

3. REGVLA. „ Magistri verò extra illud quinquennium libros authenticos tam Hippocratis quàm Galeni in Scholis doceant,tam in Theorica quàm in Practica Medicina.

„ Salubri etiam Constitutione sancimus vt nullus Chirurgicus,ad Practicam admittatur,nisi testimoniales litteras afferat Magistrorum in Medicinali Facultate Legentium, quod per annum saltem in ea parte Medicinæ studuerit, quæ Chirurgiæ instruit Facultatem, & præsertim Anatomiam humanorum corporum in Scholis didicerit, & sit in ea parte Medicinæ perfectus, sine quâ nec incisio-

nes salubriter fieri poterunt, nec fracta fractura curari.

In Terra qualibet Regni nostri nostræ Iurisdictioni subiecta duos viros circunspectos & fidedignos volumus ordinari, & corporali per eos præstito sacramento teneri, quorum nomina ad Curiam nostram mittentur, sub quo cum testificatione electuaria & scrupi ac aliæ Medicinæ legaliter fiant & sic factæ vendantur. Salerni maximè per Magistros in Physica hoc volumus approbari. Præsenti etiam lege statuimus, vt nullus in Medicina vel Chirurgia nisi apud Salernum vel Neapolim legat in Regno: nec Magistri nomen assumat, nisi diligenter examinatus in præsentia nostrorum Officialium & Magistrorum Artis eiusdem. 4. Regula.

De huiusce scholæ celebritate nihil hîc dicimus. Alibi enim sufficienter ostendimus eam ab omni æuo Medicinæ arte Medicorumque peritiâ floruisse, & ad eam ex omnibus orbis Christiani regionibus concurrere solitos olim, quicunque Artem illam perfectè callere cupiebant.

Eodem anno idem Fridericus Mediolanenses expugnauit. Academia Bononiensis valde sibi ad eodem Imperatore timuit à quo iussa fuerat anno prædicto, vrbem deserere, & aliò commigrare. Quà de re sic Mathæus Par. *Vniuersitas* autem Clericorum Bononiensium nimis sibi timuit, quia significauerat eis anno præterito Imperator, vt in pace recederent: & obedire mandatis eius contempserunt.

Eodem Vniuersitas Patauina grauiter afflictata est ob tyrannidem Acciolini, quæ hoc anno incepit & durauit vsque ad an. 1256 quo toto tempore Gymnasium intermissum est. Ibi autem erant duæ Vniuersitates: vna Iuris Pontificii & Cæsarei, altera Medicinæ & Artium. Vtrique autem præerat tantùm vnus Rector. Deinde creati sunt duo Rectores qui vtramque æquè Vniuersitatem regerent. Postremò tandem suam quisque Vniuersitatem factâ segregatione & separatione rexit, diuisaque sunt statuta, quæ ante à communibus Rectoribus composita fuerant. Vniuersitas Patauina.

Circa Vniuersitatem verò Parisiensem, vt ei pax & securitas perpetuò asseretetur, vetuit Gregorius per Archiepiscopum Remensem, Episcopum & Decanum Ambianensem, ne quis eam turbaret. Turbatores verò pacis illius voluit excommunicationis fulmine feriri: vt patet ex hac Bulla.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Remensi, Episcopo & Dilecto filio Decano Ambianensi Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilectos filios Magistros & Scholares Parisienses speciali volentes fauore fouere, quem iidem mereri videntur, Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsos in libertatibus, quas eis indulsimus, confirmantes, non permittatis eos contra indulgentias nostras temerè perturbari. Turbatores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; præsentibus litteris post quinquennium non valituris. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrûm ea nihilominus exequantur. Datum Viterbii 2. Id. Iunii Pontific. nostri an. 11.

Idem Pontifex, vt omnem auferret occasionem conquerendi de quibusdam Excommunicationis sententiis, quæ ab Officiale Parisiensi aut ab aliis sœpe non satis legitimè & circumspectè in Scholares promulgabantur, priuilegium singulare concessit (quod tamen aliqui iam ante ab Innocentio III. indultum arbitrantur) ne vllus in Vniuersitatem, Rectorem, vel Procuratores eiusdem auderet sine mandato speciali sedis Apostolicæ, Excommunicationis fulmen iaculari. Priuilegium contra Excommunicationes.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis vniuersis Magistris & Scholaribus Parisiensibus Salutem & Apost. Bened. Non decet Nos vobis Apostolicum negare fauorem, quem vestris videmini meritis comparare, dum dantes operam sapientiæ, quod plurimum Nos delectat, nostræ vos gratiæ cooptatis, qui aliquando Disciplinis Scholasticis insudantes, ad summum sumus licet immeriti Magisterium euocati. Hinc est quod quieti vestræ paterna volentes diligentia prouidère, authoritate vobis præsentium indulgemus, vt nullus in Vniuersitatem Magistrorum vel Scholarium, seu Rectorem vel Procuratores eorum, aut quenquam alium pro facto vel occasione Vniuersitatis, Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti Sententias audeat promulgare absque mandato sedis Apostolicæ speciali. Et si fuerit promulgata, ipso iure sit irrita & inanis, præsentibus litteris post septennium non valituris. Datum Viterbij 2. Id. Iunij, Pontif. nostri an. 11.

Ex hac Bulla intelligimus nondum fuisse constitutas Facultates segreges, seu nondum Ordines à Nationibus distinctos habuisse, nec Decanos: cum enim Gregorius vetet excommunicari Rectorem, vel Procuratores, aut Magistros aut Scholares, non oblitus certè fuisset in priuilegio commemorare Decanos, si tum distincti à Procuratoribus Nationum fuissent. Præterea cum in hacce Bulla non meminerit vllius similis priuilegij ante se Vniuersitati concessi, credibile est non ab Innocentio III. vt aliqui putant, sed à Gregorio primùm fuisse indultum, quod Innocentius IV. postea Perusij confirmauit an. 1251.

Idem Pontifex eodem anno aliâ Bullâ constituit de pretio hospitiorum iuxta ea quæ à Rege Ludouico statuta fuerant, non eorum verò modo quæ ad Laicos, sed etiam quæ ad Religiosos & Clericos seculares pertinebant. Isti enim suas domos ab eiusmodi taxatione immunes esse contestabantur. Suæ verò constitutionis executionem Archiepiscopo Senonensi & aliis eiusdem Ecclesiæ Dignitatibus sic demandauit.

PRIVILEGIVM DE HOSPITIIS.

Gregorius Episcopus S. S. D. Venerabili fratri Archiepiscopo & Dilectis filiis Archidiacono & Præcentori Senonensi Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilecti Filii Magistri & Scholares Paris. sua nobis petitione monstrarunt, quod cum olim iidem in soluendis Hospitiorum suorum pensionibus intolerabiliter grauarentur, tandem de consensu & voluntate Carissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Franciæ deliberatione prouida Taxatores ad hoc viros prouidos deputarunt. Verum quia nonnulli Religiosi & Clerici seculares qui domos habent Parisius, taxari domos ipsas minimè patiuntur, propter quod graue scandalum oritur inter Ciues, prouideri super hoc per sedem Apostolicam petierunt. Cũ igitur indignũ sit, vt iidem Religiosi & Clerici super hoc exhibeant se difficiles: in quo alios præcipuè Laicos decet beneuolè eos præuenire, Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, Taxatores idoneos in eorundem Religiosorum & Clericorum domibus authoritate Apostolica deputetis, Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore substraxerint, per Censuram eandem appellatione cessante cogatis testimonium veritati perhibere. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu frater Archiepiscope, cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Viterbii 17. Kalend. Iul. Pontif. nostri an. 15.

Eodem anno cum conquesta fuisset Vniuersitas apud eundem Pontificem, quod licentia impertita fuisset ab Episcopo Paris. vacante Cancellaria, pleno iure, non aduocatis Magistris Vniuersitatis, & sine vlla præuia inquisitione in vitam, mores & scientiam Candidatorum, contra vetera statuta & Bullas Pontificias: quodque etiam idem Episcopus semper Vniuersitati infestus emisisset fulmen excommunicationis in eos qui suis Decretis parere detrectarent & mandatis, Idem Pontifex hac Bulla ad Meldensem & Ambianensem Episcopos datâ iussit inquiri in rei veritatem, & in excessus Officialis Paris. qui dicebatur ipsam Vniuersitatem illegitimè excommunicasse.

„ *Gregorius* Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Meldensi
„ & Ambianensi Episcopis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Exposita No-
„ bis Magistrorum & Scholarium Parisiensium petitio continebat, quod cum eis
„ à sede Apostolica sit indultum, vt nulli Scholarium dari debeat licentia Parisius
„ ad regendum in aliqua facultate, nisi prius Parisiensis Cancellarius qui pro tem-
„ pore fuerit, ad quem licentiare tales pertinere dignoscitur, præsentibus duobus
„ Magistris Regentibus, qui bonâ fide secundum suam conscientiam, licentiam
„ eandem concedat, inquisitione primitus habitâ intra tres menses de vitâ, scientiâ,
„ spe ac proposito proficiendi & aliis omnibus quæ requirenda sunt, contra huius-
„ modi præstitum iuramentum nuper Cancellaria Paris. vacante, Venerabilis frater
„ noster Episcopus Parisiensis, præmissis omnibus prætermissis, & eisdem Magi-
„ stris reclamantibus & inuitis, quibusdam Scholaribus in Decretis regendi con-
„ cessit licentiam pro suæ libito voluntatis, in eorum præiudicium & grauamen:
„ propter quod ex parte ipsorum fuit ad nostram audientiam appellatum. Sed Of-
„ ficialis eiusmodi Episcopi, appellatione huiusmodi contemptâ, in eosdem Magi-
„ stros & quosdam alios qui Principiis Licentiatorum à dicto Episcopo renuerunt
„ interesse, de facto cum de iure non posset, excommunicationis sententiam pro-
„ mulgauit. Quare super hoc petierunt sibi salubriter prouideri. Quocirca frater-

nitati

nitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus si ita res se habeat, ab "
eisdem Magistris & Scholaribus sufficienti & idoneâ cautione receptâ, quod si ita "
constiterit prædictam sententiam rationabiliter esse latam super his pro quibus "
lata extitit, dicti Episcopi mandato parebunt, relaxantes ipsam iuxta formam "
Ecclesiæ ad cautelam, audiatis, si quid fuerit attentatum, & appellatione re- "
motâ fine debito terminetis, facientes quod decreueritis authoritate nostra fir- "
miter obseruari. Alioquin sententiam ipsam sicut rationabiliter est prolata, fa- "
ciatis eadem authoritate vsque ad satisfactionem condignam appellatione re- "
motâ inuiolabiliter obseruari, nullis litteris, veritati & Iustitiæ præiudicantibus "
à sede Apostolica impetratis. Datum Viterbii Non. Augusti Pontific. nostri an. "
II. "

Paulo post idem Pontifex speciali Bulla confirmauit statuta an. 1231. edita circa modum Licentiandi in Theologia & Decretis, quæ cum intellexisset ab Episcopo Paris. violari, eadem confirmare voluit, & hac Bulla interdixit Episcopo, ne vllo pacto ea infrigeret & aut infringi permitteret.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis vniuersis Magistris " & Scholaribus Parisiensibus Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quia ad " hoc potissimè vota nostra dirigimus, vt Ecclesiæ filiis quietis opportunæ gratiam " procuremus, olim pro statu vestro pacifico piè statuimus obseruandum, quod " quilibet Cancellarius Parisiensis ex tunc creandus coram Episcopo vel de ipsius " mandato in Capitulo Parisiensi, vocatis adhoc & præsentibus pro Vniuersitate " Scholarium duobus Magistris in sua institutione iurabit, quod ad regimen Theo- " logiæ & Decretorum bonâ fide secundum conscientiam suo loco & tempore " secundum statum Ciuitatis & honorem ac honestatem facultatum ipsarum " non nisi dignis licentiam largietur, nec admittet indignos personarum accep- " tione submota. Ante verò quam quenquam licentiet infra 3. menses a tempore " petitæ Licentiæ, tam ab omnibus Magistris Theologiæ in Ciuitate præsentibus " quàm aliis viris honestis & litteratis per quos veritas sciri possit, de vitâ, scientiâ " & facundiâ, nec non proposito & spe, quid deceat & quid expediat bona fide " det vel neget secundum suam conscientiam petenti licentiam postulatam, prout " in Apostolicis litteris super hoc concessis plenius continetur. Verum quia statuta " edidisse non sufficit, si firma illorum authoritas non subsistat, ne Parisiensis Epis- " copus qui pro tempore fuerit, seu quilibet alius contra prædictam licentiæ for- " mam aliquomodo venire præsumat, authoritate præsentium districtius inhibe- " mus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, " vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare præsumpserit, indigna- " tionem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit in- " cursurum. Datum Viterbii 7. id. Septemb. Pontific. nostri an. II. "

De Licentia Theologorum et Decretistarum.

Hoc anno obiit M. Gaufridus de Augo Gall. d'*Eu* Ambianensis Episcopus ab an. 1223. Doctor primum Medicus, deinde Doctor Theologus insignis, cui successit in Episcopatu Arnoldus etiam in Theologia Magister, qui cum Guillelmo Cancellario pluralitatem Beneficiorum propugnauit. Gaufridi autem tale est Epitaphium.

De Iordano Dominicano.

Ecce premunt humile Gaufridi membra cubile;
Seu minus aut simile nobis parat omnibus ille,
Quem Laurus geminâ decorauerat in Medicinâ
Legeque Diuina, decuerunt cornua bina,
Clare vir Augensis, quo sedes Ambianensis
Creuit in immensis, in Cœlis auctus, Amen, sis.

Eodem anno F. Iordanus 2. Dominicanorum Minister Generalis, huiusce quondam Vniuersitatis alumnus, & Baccalaureus vt ferunt in Theologia, qui nomen dederat Ordini an. 1220. admittente Mathæo Priore, eum peregrinationis sactæ desiderio pulsus mare conscendisset, submergitur cum duobus sociis, de cuius morte statim, vt innotuit, admouiti sunt per litteras Dominicani Parisienses.

Gotifredus & Reginaldus Ordinis Prædicatorum, Pontificis maximi Pœnitentiarij Præsidenti ac Fratribus Cœnobii Parisiensis Salutem. Noueritis quod iniun-

» dantis maris sæuitiæ ac suo impetu propellente ad littus triremem, in qua dul-
» cis Pater noster M. Iordanus cum duobus fratribus erat, ipse & 99. homines li-
» berati sunt ab hoc seculo nequam: super hoc tamen, Charissimi, non paueat cor
» vestrum, quia Nobis orphanis Pius pater & Deus totius consolationis remedium &
» post tempestatem prouidit tranquillum. Nam dum iacerent corpora inhumata vt
» testantur, qui de illo naufragio euaserunt, qui eos tradiderunt propriis manibus
» sepulturæ, luminaria de Cælo super eos singulis noctibus effulserunt, sed & cruces
» multæ super eos visæ sunt & à multis. Ad quod miraculum loci incolæ confluen-
» tes tanti odoris fragrantiam hauserunt, quod iuxta testimonium eorum qui post
» visa miracula eos tres sepeliêre, vsque post decem dies odor nimius ab eorum ma-
» nibus non recessit; sed & per circuitum sepulturæ eiusdem odoris suauitas latius
» emanauit, vsquequo fratres de Achon venerunt cum nauigio, & eos in suam Ec-
» clesiam transtulerunt, vbi dictus Pater quiescit, & multa multis beneficia præstat.
» Per omnia Benedictus Deus Amen.

De Alberto M.

Hocce tempore Albertus Magnus summam cum celebritate docebat in platea quæ hodie etiamnum M. Albetti nomen præfert: missus quippe Lutetiam, anno 1236. Doctoratus apicem consecutus fuit, & per triennium publicè docuit, deinde Coloniam reuersus Scholas in Theologia habuit, ibique Thomam Aquinatem Discipulum habuit, vt scribunt Historici Dominicani. Paulo tamen aliter Thomas Cantipratanus l. 1. c. 20. nam Thomam Coloniæ studuisse antequam Albertus Lutetiam migraret, scribit: *clam*, inquit, *prolapsus* à curia R. fugit & in Coloniam Agripinam venit, studuitque in loco illo, quo vsque præclarus Lector fratrum ibidem F. Albertus Parisius translatus est, & pro incomparabili scientia Theologiæ Cathedram sortitus est. Post quem & idem Frater Thomas consimilis solemnitatis regimen & Cathedram adeptus est: & digno remuneratus honote, ad decus Ordinis incolumis perseuerat. Verum Thomas non ante an. 1247. Parisios venisse legitur, ad studendum: cum scilicet Albertus à Ioanne de Valdeshuzen Generali Dominicanorum qui an. prædicto Capitulum Generale habuerat apud Monrem-Pesulanum impetrasset ei licentiam migrandi Parisios, vt Gradus Doctoralis in Theologia honorem consequeretur.

Hunc Albertum audiuit in Theologia Thomas Cantipratanus, quem ait præter lectiones & disputationes diurnas, Psalterium Dauidicum legere solitum singulis fere diebus, & contemplationi Diuinæ ac meditationibus incumbere. *Vidi*, inquit l. 2. c. 57. *& certissimè expertus sum, sicut Auditor eius per multum tempus, quod Venerabilis ille Frater Ordinis Prædicatorum Magister Albertus, cuius superius fecimus mentionem, multis annis fere quotidie, cum tamen in Cathedra Theologia regeret, tantùm de die & nocte orationibus incumbebat, vt Psalterium Dauidicum legeret, & interdum dictis horis & lectionibus & disputationibus terminatis contemplationi Diuinæ & meditationibus insudaret.* Idem Cantipratanus subiungit Prosam à se in honorem M. Iordani Generalis rogatu Fratrum conscriptam & compositam.

Gaude Felix Theutonia
Tempus instat lætitia,
Quondam virtutis gloria
Surgit virore gratia,
Rorem misericordia
Spondens in abundantia
Si vas sit capax venia.
Riuum rorantem edidit
Fons aquis indeficiens.
Qui patens idem indidit
Riuis latè scaturiens:
Quem bibens ager sitiens
Fructum centenum reddidit
Triplo centenum faciens.
Pater Iordanus effluit,
Vt Riuus fonte, gratiâ,
Quem nunquam quis imminuit,
Bibens ex indigentia:

Sed stat misericordiâ
Plenus, qui pressos doluit
Dira mundi miseria.
Allexit ore melleo
Multos vt Christo viuerent,
Spreto cultu phalereo
Cultum cordis induerent,
Et verba vita spargerent,
Ore flammantes igneo
Frigus peccati pellerent.
Orbato sanctus oculo
Fabro lumen restituit,
Et fame presso populo
Multiplicatum prabuit
Panem turba, dum eguit:
Christum sequens miraculo;
Per quem hoc munus habuit.
Prece Sancti conceperat,

Vxor viri Bohemia,
Prolem sancto denouerat,
Ob spem maioris gratiæ:
Sed abortiua specie
Nesciuit quid commiserat
Sancti Patris custodia.
Peractis horis pluribus
Voti memor efficitur,
Inclamat Sanctum precibus
Et in fletus resoluitur:
Nec mora vita redditur
Puer, datis vagitibus:
Et sic Iordanus dicitur.
Sathan Sanctum aggreditur,
Tentat modis mirificis,
Odor fuscatus spargitur
Dum sacris instat mysticis:
Sed non valet artificis
Diu dolus, dum proditur
In prece viri supplicis.
Hinc terram sanctam adiit
Fratres illic inuisere,
Sed cum per mare rediit
Mergendo cœpit psallere
Christumque benedicere,
Sicque cœlum mox subijt
Vt signis datur credere.
Nec mora mox iucundius
Columna lucis maxima,
Quæ dum de Cælo micuit,
Membra lustrans sanctissima,
In quo transisset anima
Videntes scire voluit
In re manifestissimâ.
Adiecta Sancto littori
Cæli lampas emicuit,
Quæ ter superstans funeri
Quartò quoque resplenduit
In hunc quem secum habuit,
Et sic recursu celeri
Rupta nube non patuit.
Corpus fragrans mirificè
Curatur à fidelibus,
A Græcis datur vnicè
Latinis & Gentilibus
Laudes Christo cum fletibus:
Et sic verum magnificè
Sub tribus patet testibus.
Hinc in Achon delicia
Fertur Pater almificus
Recipitur cum gloria
Fit mox signo mirificus:
Sanatur Paralyticus,
Sicque virtutum gratia
Propalatur magnificus.
Antiqua tunc prodigia
Iubar nouum recipiunt,
Prece Sancti Dæmonia
Victa clamant & fugiunt;
Et surdi sonos audiunt,
Claudos soluit lætitia,
Cæci lumen recipiunt.
Nunc Patris tam eximij
Sequamur Nos vestigia,
Vt digni Patris filij
Patris ditemur gratia:
Sicque secum in gloria
Sortem sperantes præmij
Ducamur ad Cælestia, Amen.

Eodem anno, teste Mathæo, venit in Angliam Otho seu Othobonus Legatus Apostolicus S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, ab Henrico Rege, vt fama tulit, aduocatus, contra verò plurimorum bonorum virorum, inter quos erat Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus, voluntatem. Modestè tamen se gessit initio & muneribus abstinuit; at aliquando post indignationem Ecclesiasticorum & præcipuè Oxoniensis Vniuersitatis odium incurrit: vt infra dicetur. Ad eum extant apud eundem Mathæum litteræ M. Ioannis de Columna Cardinalis etiam Diaconi, de statu Romanæ Ecclesiæ, à qua Græci recens se se diuulserant. In iis autem litteris honorabilem facit M. Ioannis de Abbatis-Villa Doctoris Parisiensis olim Archiepiscopi Bisuntini, postea Cardinalis Sabinensis mentionem. *Accedit ad doloris cumulum*, inquit, *nobilis illa Columna, quæ tam magnificè structuram Ecclesiæ sustentabat, recolendæ videlicet memoriæ Dominus Sabiniensis, subitò subtractus de medio; molestia primùm dolore percussus, ac postremum infirmitate lentâ vexatus obiit in Domini potentias ingressurus, ruina casum occasionaliter Matri relinquens cum gemitu & mærore.*

Causa mœroris præcipua erat schisma Græcorum, qui expulso Imperatore suo Baldwino Petri Antissiodorensis Comitis filio, Germanum Patriarcham Constantinopolitanum constituerant Antipapam & veteribus erroribus nouos addiderant. *Visâ*, inquit, *tantâ* malitiâ & oppressione (Rom. Ecclesiæ) erigitur Græca Ecclesia contra Romanam, Imperatorem suum expellendo & soli Archiepiscopo suo Constantinopolitano nomine *Germano* obediendo. Qui procaciter *Græcorum* errores non tantùm veteres, imò nouos & adinuentos diffundens,

„ enormiter à Religione Catholica delirat. Eorum enim hæc est desipientia. Asserunt Spiritum Sanctum non à filio, sed à Patre solo procedere, eo quod scriptum reperiatur *Spiritus veritatis qui à Patre procedit*. Præterea conficiunt ex fermentato. Et in multis Latinis contradicunt & eos spernunt, Ecclesiam Rom. in pluribus condemnantes, magis tamen eius facta quàm dicta. Constituit igitur sedem suam quasi alter Lucifer in Aquilone, scilicet in Constantinopoli, Græcorum Ciuitate Metropolitana; filius scilicet degener & Antipapa, *vocans Ecclesiam suam & asserens digniorem; & Ecclesiam Romanam sororem eius dicens esse, non Matrem*. Extant apud eundem authorem eius litteræ ad Gregorium, & Gregorij ad ipsum.

1238. DE PLVRALITATE BENEFICIORVM. Anno 1238. habita est solennis & celeberrima Disputatio in Capitulo Dominicanorum, seu potius determinata tandem quæstio de pluralitate Beneficiorum, quæ triennio ante agitata fuerat inter M. Guillelmum Episcopū Parisiensem, Hugonem, Guerricum de S. Quintino & Godefridum de Bleuel Dominicanos, ac Ioan. de Rupella Franciscanum ex vna parte; & M. Philippum Vniuersitatis Paris. Cancellarium, M. Arnoldum, deinde Ambianensem Episcopum & quosdam alios ex altera. Guillelmus Episcopus cum Dominicanis & Franciscanis contendebat neminem posse legitimè duo Beneficia retinere. Contra Philippus, Arnoldus & alii qui cum iis sentiebant, pluralitatem Beneficiorum admittebant. Verum post longam dissertationem prior tandem sententia præualuit, statutumque neminem posse duo Beneficia retinere, absque peccato mortali, si vnum ad victum vestitumque sufficeret.

In hacce disputatione magnum sibi nomen famamque peperit M. Hugo de S. Caro Baccalaureus Licentiatus in Theologia & Magister Regens, tunc Dominicanus, qui post longam in Philosophia & Theologia inter seculares Academicos obitam & exercitam professionem, à M. Iordano Ordinis Prædicatorum Ministro togam Religiosam sumpserat & in eodem Ordine tertius Cathedram Theologicam tenebat, testibus Stephano Salaniaco, Bernardo Guidone & Thoma Malauenda in Annalibus Prædicatorum ad an. 1287. qui insuper de hacce Disputatione sic habet c. 30.

„ Quo in officio, *docendi* constitutus *Hugo* disputatione solemni per Guillelmum Parisiensem Episcopum in Cœnobio Prædicatorum eiusdem vrbis institutā cum aliis SS. Theologiæ Doctoribus plura Beneficia obtinentes damnauit. *Wernerus* in Fasciculo temporum. Contra pluralitatem Beneficiorum facta est illa solemnis disputatio Parisius an. Dom. 1238. in qua determinatum est per SS. Doctores quod sine periculo peccati mortalis nemo tenere potest duo Beneficia, quorum alterum sufficeret ad sustentationem suam. Et quidem aliter opinati fecerunt contrarium, quos Diuina Iustitia horribiliter damnauit: *Eiusdem condemnationis meminit Genebrardus in Chronico*. Anno 1238. Theologi Parisienses post longam disputationem definiunt neminem posse duo Beneficia, si vnum sufficeret ad alendum eum, obtinere sine mortali peccato.

Aduersus hancce Determinationem acerrimè pugnauit M. Philippus de Greua Cancellarius, seque nunquam illi subscripturum professus est. Et cum forsan in morbum incidisset, admoneretúrque ab Episcopo opinionem reuocare metu damnationis, respondisse fertur se velle experiri an talis Simoniacus damnaretur; post mortem verò eidem Episcopo apparuisse, dixisseque se flammis addictum æternis triplicem ob causam: nimirum quod de fructibus Beneficiorum nihil distribuisset pauperibus: deinde quod Theologorū, de vnitate Beneficiorum sententiæ nimis contumaciter repugnasset: denique quod longo tempore cum graui offendiculo in carnali libidine impudicus vixisset. Ita Meyerus lib. 8. certè post Cantipratanum & Albertum M. qui quod Philippus Dominicanis aduersaretur, hanc de eo forte fabulam contexuerunt, quam nemo alius illius temporis commemorat, non ipse Guillelmus Parisiensis qui de pluralitate Beneficiorum quam damnabat, Tractatum edidit. Quem fatalem euentum non est credibile prætermissurum fuisse, cum maximè conferret ad sententiæ suæ confirmationem.

Verum audiamus Cantipratanum illius reuera temporis scriptorem, & qui tum erat Parisius cum Quæstio illa agitata est. Ille autem sic habet l. 1. de Api-

bus c. 19. n. 5. *Volo vt quicunque* hæc legerit, ſciat me anno ab incarnatione Domini 1238. fuiſſe Pariſius, vbi venerabilis Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus qui in Theologia iam rexerat, conuocationem fecit omnium Magiſtrorum in Capitulô FF. Prædicatorum. Propoſita ergo Quæſtione de pluralitate Beneficiorum, ſolerti & valde longâ diſputatione probatum eſt duo Beneficia, dummodo vnum valeret 15. libras Pariſienſes, teneri cum ſalute animæ non poſſe. Hoc determinauit prædictus Epiſcopus. Hoc F. Hugo Ordinis Prædicatorum, poſtmodum Rom. Curiæ Cardinalis: hoc F. Guerricus & F. Gaufridus eiuſdem Ordinis: F. Ioan. de Rupella Ordinis FF. Min. & alii quamplures Magiſtri Theologiæ determinauerunt in ſcholis propriis ſucceſſiuè. Fuerat autem habita diſputatio longa valde & multo ſolennior ante annos tres: in qua etiam omnes Magiſtri Theologiæ exceptis duobus determinaſſe probantur idem per omnia, quod & ſupra, quorum vnus fuit M. Philippus Cancellarius Pariſ. & alter M. Arnoldus poſtmodum Ambianenſis Epiſcopus. Quid autem de iſto Philippo contigerit, audiamus. Agonizantem in morte, dictus Guillelmus Pariſ. Epiſcopus paternâ ſolicitudine viſitauit, rogauitque eum vt ſingulari opinioni cederet de pluralitate Beneficiorum, & omnia Beneficia ſua excepto vno in manus Eccleſiæ reſignaret: & hoc conditione media, vt ſi conualeſceret, ei ſupplere vellet de ſuo proprio quod dimiſiſſet. Renuit, experiri ſe velle dicens vtrum eſſet damnabile plura Beneficia tenere. Mortuus eſt ergo ſic. Poſt paucos autem dies, cum dictus Pariſienſis Epiſcopus finitis Matutinis orare vellet, vidit inter ſe & lumen quaſi vmbram hominis tætram nimis. Eleuata ergo manu conſignat ſe. Et ſi ex parte Dei ſit, præcipit, vt loquatur. Cui reſpondet apparens: Alienus à Deo ſum, ſed tamen mirabilis factura eius. Et Præſul, Tu quis es, inquit? cui ille reſpondit. Ego ſum Cancellarius ille dudum miſerrimus. Rurſus Epiſcopus elato altius gemitu. Et quomodo, inquit, tibi eſt ſic dolenti? Malò, ait, imò quàm peſſimè, quia damnatus ſum æternâ morte. Et Epiſcopus, Heus ait, Chariſſime quæ cauſa tuæ damnationis? Tres ſunt, inquit, cauſæ quare morte perpeti ſum damnatus. Vna eſt, quod decreſcentes fructus annuos contra pauperes timidè (forte temerè) reſeruaui. 2. eſt quod contra ſententiam plurimorum de pluralitate Beneficiorum quaſi licitè retinendorum opinionem propriam defenſaui. Et in hoc me periculo mortalis culpæ commiſi. 3. eſt & illa grauiſſima omnium, quod abominabili carnis vitio in multorum ſcandalum multo tempore laboraui. Et ad Epiſcopum mox ſubiungit. Eſtne, inquit finitus mundus? & Epiſcopus: Miror, ait, te litteratiſſimum quondam virum hoc quærere, cum me adhuc viuum cernas & omnes non viuentes adhuc mori neceſſe ſit, antequam mundus inſtante iudicio finiatur. Et ille: Non mireris, inquit, quia nec ſcientia, nec opus, nec ratio eſt apud inferos venienti. Et hæc dicens, vmbra ab oculis mirantis euanuit. Ipſe autem Epiſcopus, non tamen ſub perſona ſua quaſi hæc vidiſſet, in prædicatione ſua omnibus Clericis recitauit.

Subdit Cantipraranus. Simili modo cum Quidam Clericus maximæ litteraturæ prope me agonizans in morte mandaret & conſilium quæreret, quaſi in proximo migraturus, reduxi ei ad memoriam diſputationem illam ſolennem & Determinationem de pluralitate Beneficiorum Pariſiis factam, cui ille interfuerat Doctor magnus, conſuluique illi cum magna inſtantia lachrymarum, vt vnam Præbendarum dimitteret, quia duas contra animam ſuam tenuerat, quarum vna ad omnem vitæ copiam omni Clerico ſufficere potuiſſet. Tum ille facie conuerſâ diſſimulans hoc tantum reſpondit. *Orate Dominum, vt inſpiret.* Nec diu poſtea cum receſſiſſem, & tenuiſſimo ſpiritu vix hærente hoc idem quod conſulueram, ei quidam Conſobrinus ſuus iuuenculus cum maximis lachrymis inclamaret, cum voce non poſſet, manu innuens expirauit. Poſt cuius obitum cum Quidam è noſtris ſtupefactus nimium cogitaret, cur tantus homo & tantus Clericus, ſi mortale peccatum eſſet, plura Beneficia tenere in tali ſtatu mortuus extitiſſet. Mox ſemi-uigilanti defunctus apparens dixit: *Hac duplicitas Præbendarum ſola cauſa eſt, pro qua infelix ego in perpetuum damnatus ſum.* Sequente numero refert magnorum virorum authoritatem & nomina, qui contra pluralitatem Beneficiorum diſputarunt. *Super ead. quæſtione*, inquit, cum B. memoriæ Iacobus de Vitriaco tunc quidem Achonenſis Epiſcopus, Poſtea vero Ro. Eccleſiæ Cardi-

„ nalis M. Robertum de Chorton Romani apicis Cardinalem monentem ante pri-
„ mam Damietæ obsidionem interrogaret, respondit. Dico iam migraturus à vitâ,
„ quod mortale & damnabile est, dum tamen vnum competens sit, beneficia plura
„ retinere. Hoc idem M. Petrus Cantor S. Mariæ Parisiensis & dixit & scripsit.
„ Hoc idem M. Guiardus Cameracensis Episcopus verbo huiusmodi confirmauit.
„ Nollem inquit, pro toto Arabiæ auro vna tantum nocte duo beneficia retinere: &
„ certus tamen essem, quod de mane vnum illorum idoneo homini conferretur, &
„ hoc propter incertæ vitæ discrimina. Super hoc etiam narrante F. Bernardo quo-
„ dam Pœnitentiario D. Papæ & fratre Ordinis Prædicatorum, cum beatissimæ me-
„ moriæ Papa Gregorius IX. interrogaretur si posset de plenitudine potestatis cum
„ plurium beneficiorum detentoribus dispensare, respondit: *Non possum*, inquit,
„ nisi tantum super vexatione detinentium dispensare.

Porro aiunt Philippum Cancellarium elegisse sepulturam inter FF. Minores, obiisseque die ipso Natali Domini: & hoc ei Epitaphium inscriptum, quod nullam rei quæ accidisse fingitur, mentionem facit.

Census, Diuitiæ viuenti quid valuere?
Si caream requie, nil possunt illa valere.
Me nunc terra tegit. Tegat & te. Te precor, ora
Vt mihi sit requies: sit & hæc tibi mortis in hora
Qui me nouisti, nunc hic scis membra recondi.
Dicere quique potes SIC TRANSIT GLORIA MVNDI.

Obierat ille anno 1237. & successorem habuit in Cancellariatu M. Guyardum, de quo supra.

Arnoldus verò siue Arnulphus Ambiani oriundus, priuignus Rogerii de Furni-Valle Medici Ludouici VIII. & IX. Gaufrido Ambianensi in Episcopatu successit, & huic Disputationi interfuit, Doctorisque Theologi titulo insignitur in vita Gregorii IX. in Conciliis Generalibus. Videndus Dionysius Carthusian. art. 7. de pluralitate Benef.

Similiter in Concilio Londinensi cui præsedit Otho Cardinalis Legatus an. 1237. eadem materia proposita, sed non sic decisa: vt legere est apud Mathæum, qui Walteri de Cantelupo Episcopi Wigorniensis in hanc rem verba refert, quibus nempe Legatum affatus est. *Pater sancte, cum multi nobiles, quorum sanguis*
„ *noster est, plura obtineant beneficia, cum quibus nondum dispensatum est, quorum etiam*
„ *aliqui prouecta sunt ætatis*, & vsque ad præsens honorificè vixerunt, & hospitali-
„ tatem ad posse procurando eleemosynas patentibus ianuis erogarunt, durum
„ esset nimis tales suis Beneficiis spoliatos in ignominiosam tradi paupertatem.
„ Quidam verò Iuuenes feroces ac strenui maximis periculis se opponerent, an-
„ tequam suis se sinerent priuari Beneficiis, vnico tantum retento. Quod bene
„ perpendo per memetipsum. Antequam enim ad istam vocarer didignitatem, pro-
„ posui in animo meo quod si vnicum amitterem Beneficium talis prætextu Con-
„ stitutionis, omnia amitterem. Vnde timendum est quod multi ad præsens in simi-
„ li proposito perseuerent. Quoniam igitur multitudo talium in causa est, sanctæ pa-
„ ternitati vestræ supplicamus, quatenus ob salutem vestram & nostram super huius-
„ modi statuto D. Papam consulatis. Præterea cum statutum vestrum in Religione
„ S. Benedicti ad omnes æqualiter se extendat, & durum sit multis, tum propter
„ locorum penuriam, & præcipuè Monialibus, cum sint debiles & fragiles, hoc
„ statutum obseruare, necesse est huic rigori discretum addere temperamentum.
„ Super quo etiam postulamus, vt D. Papam super his velitis consultare.
„ Consultus verò Papa sic respondit. *Gregorius.. Dilecto filio Othoni S. Nicolai in*
„ *carcere Tulliano Diacono Cardinali Apostolicæ sedis Legato*, Salutem & Apostolicam
„ Benedictionem. Cum sic intellexerimus, quod nulli Clerici habentes plura Bene-
„ ficia sint in Regno Angliæ, & contra eos ptopter Parentum potentiam iuxta Ge-
„ neralis statuta Concilii sine turbatione Regni & sanguinis effusione procedi non
„ possit, attendentes quod si peccatum non debeat pro scandalo vitando commit-
„ ti, bonum tamen quod agi debeat, prudenter interdum intermittitur, vt scanda-
„ lum euitetur, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si contra
„ dictos Clericos sine scandalo procedere non poteris, subsedere procures.

Eodem anno orta eſt vehemens diſcordia inter prædictum Othonem & Scholares Oxonienſes: adeo vt ægrè ſaluti ſuæ conſuluerit. Rem fusè narrat Mathæus Pariſienſis ſcriptor horumce temporum. *Tunc vero* temporis, inquit, D. Legatus cum Oxoniam aduentaſſet, & honore ſummo prout decuit reciperetur, hoſpitatus eſt in Domo Canonicorum, ſcilicet in Abbatia de Oſeneie. Clerici verò Scholares eidem Xenium honorabile in poculentis & eſculentis tranſmiſerunt ante prandij tempus, & poſt prandium, vt eum ſalutarent & reuerenter viſitarent, ad hoſpitium ſuum venerunt. Quibus aduenientibus Ianitor quidam Tranſalpinus minus quàm deceret aut expediret, facetus, & more Romanorum vocem exaltans, & ianuam aliquantulum patefactam tenens ait, Quid quæritis? quibus Clerici, Dominum Legatum, vt eum ſalutemus. Credebant enim confidenter vt eſſent honorem pro honore recepturi. Sed Ianitor conuiciando loquens in ſuperbia & abuſione, introitum omnibus procaciter denegauit. Quod videntes Clerici impetuosè iuuenes intrarunt. Quos volentes Romani reprimere pugnis & virgis cædebant: & dum obiurgantes ictus & conuicia geminarent, accidit quod quidam pauper Capellanus Hibernienſis ad oſtium Coquinæ ſtaret, & vt quippiam boni pro Deo acciperet, inſtanter more pauperis & famelici poſtulauerat: quem cum Magiſter coquorum Legati (frater Legati erat ille, & ne procuraretur aliquid venenoſum, quod nimis timebat Legatus, illum iſti officio præfecerat quaſi hominum ſpecialiſſimo) audiuit, nec exaudiuit, iratus in pauperem proiecit ei in faciem aquam feruentem hauſtam de lebete vbi carnes pingues coquebantur. Ad hanc iniuriam exclamauit quidam Clericus de confinio Walliæ oriundus: Proh pudor! vt quid hoc ſuſtinemus? & arcum quem portauit, tetendit (dum enim tumultus accreuerat excitatus, Clericorum aliqui arma quæ ad manus venerant, arripuerunt) & ipſe miſſâ ſagittâ Corpus Coci quem Clerici ſatyricè Nabuzardan ideſt Principem Cocorum vocitabant, tranſuerberauit. Corruente igitur mortuo clamor excitatur. Ad quem ſtupefactus Legatus & nimis perterritus timore qui poſſet in conſtantiſſimum virum cadere, in turrim Eccleſiæ indutus cappa Canonicali ſe recepit, ſeratis poſt terga oſtiis. Vbi cum noctis opacæ conticinium tumultum pugnæ diremiſſet, Legatus veſtimentis Canonicalibus exutus, equum ſuum optimum aſcendit expeditus, & ducatu eorum qui vada ſecretiora nouerant, amnem qui proximus erat, licet cum periculo tranſiuit, vt ad protectionem Regis alarum ocius aduolaret. Clerici enim furia inuecti Legatum etiam in abditis ſecretorum latebris quærere non ceſſabant clamantes & dicentes, VBI EST ILLE VSVRARIVS, SIMONIALIS, RAPTOR REDITVVM ET SITITOR PECVNIÆ, QVI REGEM PERVERTENS ET REGNVM SVBVERTENS DE SPOLIIS NOSTRIS DITAT ALIENOS? Inſequentium autem adhuc clamores cum fugiens Legatus audiret, dixit intra ſe. CVM FVROR IN CVRSV EST, CVRRENTI CEDE FVRORI.

Et patienter omnia tolerans factus eſt ſicut homo non audiens, & non habens In ore ſuo redargutiones.

Cum autem vt prædictum eſt, amnem vix pertranſiſſet, paucis pro difficultate tranſitus, comitantibus, cæteris in Abbatia latitantibus, ad Regem anhelus & turbidus vſque peruenit, & lachrymabiliter, ſingultibus ſermones ſuos interrumpentibus, rei geſtæ ordinem, grauem ſuper hoc reponens querimoniam, tam Regi quàm ſuis Collateralibus explicauit. Cuius querulis ſermonibus cum Rex attonitus nimis compateretur, miſit properanter Comitem Warenniæ cum armata manu Oxoniam, eos qui latuerant, Romanos eripere & Scholares arripere. Inter quos captus eſt truculenter M. Odo Legiſta, & ipſe cum aliis triginta vinculis & carceribus in Caſtro de Waligeford, quod non multum diſtat ab Oxonia, ignominiosè mancipatus. Legatus verò contrito laqueo liberatus Epiſcopis conuocatis nonnullis Oxoniam ſuppoſuit Interdicto: & omnes illi enormi facto conſentaneos excommunicauit. Poſtea in bigis more latronum ad arbitrium Legati Londinum ſunt tranſuecti, & ibidem carceri & vinculis, arctæque cuſtodiæ, redditibus ſpoliati & anathemate innodati mancipantur.

Legatus verò qui verſus partes Angliæ Aquilonares tetenderat, flexo loco Londinum reuerſus eſt. Et vix auſus in Regali hoſpitio Epiſcopi Dunelmenſis, vbi ſolitò hoſpitabatur, commorari, ſignificauit Rex Ciuitati Londinenſi vt eun-

DISCORDIA OXONIENSIS.

dem Legatum diligentibus excubiis cum armata manu vt pupillam oculi custodirent, Maior Ciuitatis cum Ciuium Vniuersitate.

Legatus igitur Archiepiscopum Eboracensem & omnes Episcopos Angliæ authoritate quâ fungebatur, vt Londinum conuenirent districtè conuocauit, de statu Ecclesiæ & Cleri periclitantis 16. Kal. Iunii communiter tractaturi. Quod cum die præfixo conuenissent, tractatum est diligenter per Episcopos, vt saluaretur status Clericalis *Vniuersitatis veluti secunda Ecclesia.* Quibus & Legatus condescendit, saluo tamen honore Ecclesiæ Rom. ne improperando diceretur, vt qui venerat Clerum cum Ecclesia reformare, potius deformaret. Tandem suggestum est Legato ab Episcopis & Vniuersitate Cleri, quæ ibidem in præsenti fuit, quod certaminis discrimen à familia sua sumpsit exordium, & in fine certaminis Clerus deteriorem calculum reportauit. Insuper iam de Clero pars magna ad nutum suum carceri mancipatur, & pars reliqua mandato suo parens parata fuit humiliter subire in loco ab Oxonia circiter tribus distante dietis; ad petitionem tot & tantorum virorum, ad misericordiam inclinare debere. Tandem elaboratum est, quod hanc faceret Legatus misericordiam, quod comitantibus Episcopis pedes euntibus Scholares omnes ibidem congregati ab Ecclesia S. Pauli, quæ ferè per vnum milliare ab hospitio Legati distabat, pedes irent: ita tamen quod cum venirent ad hospitium Episcopi Carleolensis, illinc sine capis & mantellis discincti & discalceati, vsque ad hospitium Legati procederent, humiliter veniam postulantes, misericordiam & veniam consequendo conciliarentur, quod & factum est. Videns autem D. Legatus hanc humiliationem, recepit eos in gratiam suam restituens Vniuersitatem loco suo ipsius Municipii, Interdictum cum sententia misericorditer ac benignè relaxando, litterasque eis conficiendo, ne illis proinde nota infamiæ aliquando procaciter obiiceretur.

Eandem historiam tractat Marhæus westmonasteriensis, & curiosas aliquot circunstantias attexit, quas non erit superfluum referre: quanquam in facto cum Parisiensi conuenit. Sic ergo ille rem narrat.

Eodem anno, inquit Otho Dominus Legatus in festo Paschæ apud Lincolniam extitit. Inde post quindenam Paschæ per Oxoniam transitum faciens apud Oseneiam diuertit, vbi familia sua Clericos Scholares eiusdem villæ ad iurgia & conuicia prouocante habitus est conflictus inter eos, itaut ipsis irruentibus in Romanos & Romanis resistentibus Cocus famulatus D. Legati fuit ibi interfectus, pluribus ex vtraque parte lethaliter vulneratis. Dictus siquidem Legatus vsque ad vesperas à Clericis obsessus turrim Ecclesiæ ascendens præ timore secretius misit ad Regem apud Abendunum tunc existentem, rogans instanter vt ipsum ab obsidione liberaret, qui in crastino per milites suos vsque wahngeford conductum præstitit eidem. Vbi omnes qui in ipsum insultum fecerunt, publicè excommunicauit, & officio & Beneficio priuatos denunciauit, & irregulares promulgauit. Omnes nihilominus Ecclesias Oxoniæ interdicto supposuit studium ibi suspendendo. Quas sententias per Wintoniensem Episcopum & de Euesham & de Abendonia Abbates in crastino Apostolorum Philippi & Iacobi Clero & populo conuocato cum magna solennitate apud S. Fridesvvidam Oxoniæ fecit publicari & executioni demandari. Rex verò propter pacem suam infractam M. Odonem de Kilkenni qui dicto insultui dicebatur interfuisse cum 18. aliis scholaribus capi fecit & in carcerem detrudi, Priuilegio Clericali penitus relegato; & sic tota æstate apud Oxoniam scholaribus dissipatis studium suspendebatur. Tandem Abbas & Canonici Osseneiæ & Magistri Oxonienses Regentes discalceatis pedibus, capitibus discoopertis, superioribus vestibus exutis & discinctis veniam à Legato pluries humiliter petierunt: & sic ad ultimum per mediam Ciuitatem Londoniensem vsque ad domum Dunelmensis Episcopi, vbi hospitium eius tunc fuerat, proficiscentes, veniam consequi meruerunt studio apud Oxoniam restituto & dictis sententiis relaxatis.

Eiusdem Historiæ meminit Thomas Walsingham, sicque breuiter eam refert. *Otho Apostolica sedis* Legatus cum ad Abbatiam de Osney iuxta Oxoniam receptus fuisset, insultum passus à scholaribus ad Campanile transfugit. Qui postea Londoniis in Scholares Oxoniæ sententiam excommunicationis fulminauit, studiumque

diumque diſpetiit. Vnde factum eſt vt Quidam nouam Ciuitatem Sarum ad ſtudium elegerint.

Eodem anno celebris agitata eſt Quæſtio in Anglia occaſione Coniugii Simonis de Monte-forti cum Alienora, ſorore Henrici Regis quæ votum ſolenniter fecerat coram Edmundo Archiepiſcopo Cantuarienſi; ſuper quo Simon à Papa diſpenſari petierat: cuius precibus cum annuiſſet Pontifex, conſulti Theologi reſponderunt non poſſe licitas eſſe nuptias: nec Papam poſſe cum illâ de voto ſolenni diſpenſare, authoritate fulti M. Petri Lombardi. Quâ de re ſic Mathæus Pariſ.

Interim Simon de Monte-Forti cum gratiâ Imperatoris & litteris ſupplicatoriis ſe transfert ad Curiam Rom. & effusâ & præmiſſâ infinitâ pecuniâ à Domino Papa impetrauit, vt quamuis votum ſolenniter factum coram Edmundo Archiepiſcopo repugnaret, liceret illicitis aburi amplexibus. Scripſitque D. Papa Legato Othoni, vt pro præfato Simone de Monte Forti ſolenniter ſententiaret. Quo audito Frater Willielmus de Abendune de Ordine Prædicatorum & multi alii periti zelum Dei præ oculis habentes increpauerunt hanc ſententiam: ſanctitatem Papæ circumueniri & animas periclitari, Chriſtumque zelotypari veraciter affirmantes. Quia licet ſicut pars aduerſa proteſtatur, habitum cum velo non aſſumpſerit mulier, de qua agitur, annulum tamen quo ſe Chriſto ſubarrauit, vel potius deſponſauit, aſſumpſit, & ſic ſponſo Chriſto indiſſolubiliter copulatur, teſtante authentico ſcripto in Sententiis M. Petri in Tractatu de voto, ſcilicet lib. 4. in quo præmiſſis rationibus & authoritatibus Sanctorum & Canonum ſubinfert: *Ex his apparet Virgines vel viduas voto continentia adſtrictas*, ſiue fuerint velatæ ſiue non, nullatenus Coniugium ſortiri poſſe. Quod itidem de omnibus intelligendum eſt, qui continentiam vouerunt. Quod autem erat ante licitum, poſt votum erit illicitum.

Agitata quoque eſt Quæſtio de Raptu mulierum per Dæmonem. Et M. Albertus in Diſputatione coram Epiſcopo Pariſienſi exemplum recens protulit, quod legitur apud Cantipratanum l. 2. c. 5 §. 57. de filia Comitis Suauelenbergenſis quæ à Dæmonibus noctu inuiſibiliter rapiebatur. In partibus Theutoniæ pleniſſima fratrum Prædicatorum & Minorum & præcipuè B. memoriæ Epiſcopi Ioannis Magiſtri Ordinis Prædic. atteſtatione percepi puellam eſſe nobiliſſimam filiam Comitis de Suawelenberch in Clauſtro Monialiū enutritam, quæ per aliquas horas noctis à Dæmonibus rapitur, & in ipſo raptu inuiſibilis & incontrectabilis comprobatur. Et hoc cum quidam frater eius carnalis de Ordine FF. Minorum experiri certius voluiſſet, accepit dictam puellam ſororem ſuam in gremio & brachiis eā fortiſſimè ſtrinxit ac tenuit: & tamen veniente horâ raptus de manibus tenentis inuiſibiliter & incontrectabiliter tollebatur. Hoc exemplum M. Albertus Frater Ordinis Prædic. Theologus in Diſputatione Pariſius adduxit, cum coram Epiſcopo Pariſ. prædicta Quæſtio de raptu Mulierum talium moueretur; ſicut ab illis plenâ fide percepimus, qui in diſputatione fuerunt.

Eodem anno M. Guiardus ſeu Wiardus de Lauduno Doctor Theologus, Eccleſiæ & Vniuerſitatis Pariſienſis poſt M. Philippum de Greua Cancellarius, poſt M. Godefridum de Fontanis virum quoque tam doctum quàm nobilem factus eſt Epiſcopus Cameracenſis. Scripſit autem Guiardus Tractatum de diuinis Officiis, Dialogum de mundi creatione & Sermones de Paſſione Domini. Vide eius Operum elenchum in Athenis Belgicis Sewertii. Falluntur qui aiunt eum obiiſſe an. 1242. nam Concilio Lugdunenſi cui præſedit Innoc. IV. interfuit an. 1245. vbi ab aliquo Cardinale interrogatus an Papa poſſet committere Simoniam, reſpondit non plus poſſe quàm quemlibet alium. Quâ de re ſic Cantipratanus l. 2. c. 3. p. 5. *Super hac Quæſtione* (de Simonia) *Quidam Maiorum Eccleſiæ à venerabili Magiſtro Guiardo Cameracenſi Epiſcopo in Lugduno, vbi Papalis curia tenebatur, ſub ſpecie ironiæ quæſiuit dicens.* Credis-ne tu, Frater Epiſcope, quod ſummus Pontifex poſſit committere Simoniam? *At ille audaci vultu conſpicuus, Non credo, inquit, ſancte Pater, immò potius certiſſimè ſcio quod * viliorem Papa poſſit quàm ego vel aliquis in mundo: & ſi dubitaueris, vel forte diſſimulas, per teſtamentum vetus & nouum manifeſtè probabo. Quo audito calumniator probra non intulit, ſed ſtatim quaſi verbo captus obmutuit, cernens vtique viſum eſſe*

idoneum ad omnem veritatis regulam comprobandam.

1239. SVSCEPTIO CORONAE SPINEAE. Ad an. 1239. refert Nangius Coronam Domini spineam in Franciam delatam summâ cum humilitate & deuotione susceptam à Rege Ludouico, Clero Parisiensi & vniuersis Ciuibus, atque in sacta Capella, quam iuxta Palatium „ suum construxerat, piè fuisse collocaram. *A nemore* Vicenarum, inquit, „ quintâ feria post Assumptionem Beatissimæ Mariæ Virginis ipsam Rex & „ fratres sui cum maximo Cleri plebisque tripudio nudis pedibus vsque ad Eccle- „ siam sacratissimæ Mariæ Virginis Matris Domini Parisius attulerunt. Ibi enim „ ex præcepto Regio Odonem Clementis Abbatem Ecclesiæ S. Dionysii cum suis „ Monachis oportuit interesse. Qui Monachi illucescente aurora in nemore Vi- „ cenarum quinta feria prælibata se Albis & Cappis induentes, grossos in manibus „ tenentes cereos honestius cæteris cunctis Processionibus, quæ ibi aderant, cum „ Rege & Clero Parisius deuenerunt. Processio quidem Monachorum B. Diony- „ sii in media Naui Ecclesiæ B. Mariæ Parisiensis remansit à cæteris Processionibus „ separata. Cantor præ cæteris Cantoribus aliarum Processionum omnes Cantus „ incipiebat. Et tunc maximè in Naui Ecclesiæ Matris Domini Antiphonam ad „ honorem eiusdem Matris & Virginis Mariæ, scilicet *Aue Regina Cælorum* into- „ nans inchoauit: quod omnes obstupuerunt audientes. Inde vsque ad Capellam, „ quam D. Rex in sua Domo Parisius mirabili & sumptuoso opere sibi construi fe- „ cerat, Monachi S. Dionysii sacrosanctam Coronam cum hymnis & canticis dul- „ cisonis deduxerunt, vbi ad honorem sanctissimæ Coronæ cereos quos gestabant „ in manibus, in conspectu omnium qui ibi aderant, deuotè & humiliter obtule- „ runt.

„ Non multum post audiens & intelligens deuotissimus Rex Ludouicus, quod „ Constantinopolitanus Imperator quandam summam pecuniæ mutuò sumpserat „ & posuerat in loco pignoris, Vexilla Dominicæ passionis scilicet maximam par- „ tem sanctissimæ Crucis, in qua Christus pro nobis pependit & Spongiam cum „ quâ aceto in siti sua suspensus potatus fuit, & ferrum lanceæ sanctissimum, quod „ latus ipsius sacratissimum pro nostrarum seruandis animarum vulneribus perfo- „ rauit, tantarum Reliquiarum metuens alienationem, vilipensis huius mundi Di- „ uitiis, vt Christum lucrifaceret, per personas authenticas & honestas redemptas „ suis opibus sacrosanctas Reliquias, quæ nostræ sunt vetissima redemptionis insi- „ gnia, sibi fecit Parisius apportari. Et sicut sanctam Coronam, vt superius dictum „ est, sic & istas pretiosas Reliquias Archiepiscoporum, Pontificum, & Abba- „ tum caterua vallatus mirabili, vsque ad Capellam domus suæ cum Processione „ Cleri & populi deuotissimè & humiliter deportauit, & Cappam pretiosam & ad- „ mirabilem ex auro & argento lapidibus pretiosis intextam ad prædictas sacras „ Reliquias honorificè recondendas fecit subtili & admirabili operum varietate „ fabricari. In eadem verò Capella Canonicos & Capellanos, qui ibidem Diuinum „ seruitium in perpetuum celebrarent, instituit, atque magnos reditus eisdem, vt „ inde sustentarentur, sicut decebat Maiestatem Regiam, assignauit.

SERMO M. GVALTERI CORNVTI. Hanc Historiam susceptionis Coronæ spineæ fusius prosequitur M. Galterus Cornutus Archiepiscopus Senonensis, qui huic negotio adfuit & præfuit, vt legitur in MS. Chronico S. Petri Senonensis, iamque tum institutam fuisse festi- " uitatem ob memoriam diei, patet ex eius sermone ad Clerum.

" Hodiernæ festiuitatis gaudia, Fratres Carissimi, sub annuæ celebritatis obse- " quio deuotissimè recolentes, imprimis summo huius nostræ solennitatis Patri lu- " minum, in quo omne datum optimum & omne donum perfectum, sursum cor- " dibus eleuatis gratias referamus, & laudes eius toto cordis affectu & vocis mini- " sterio personemus.

" Gratias tibi Deus cuius immensa bonitas oculis consuetæ misericordiæ secula " nostra respiciens hanc mundi & vitæ nostræ vesperam cœlestis gratiæ fulgore per- " fudit, terram nostram incomparabili thesauro ditauit, Genti & Regno nostro " quasi summum post multos accumulauit honorem. Lætetur in tis sacris solemniis " Ecclesia Gallicana & tota gens Francorum sine differentia sexuum, Dignitatum " ac Graduum pari causa resultet, quia sufficiens est omnibus causa lætitiæ. Com- " mune igitur sit omnibus gaudium, quia causa communis est gaudiorum. Hæc " est illa præclara festiuitas, in qua missum sibi à Domino pretiosissimum munus

Francorum terra ſuſcepit. Illam videlicet ſacroſanctam ſpineam Coronam quam caput noſtrum D. I. C. pro nobis factus obediens Patri vſque ad mortem Crucis tempore paſſionis ipſius venerando Capiti ſuo per manus impiorum permiſit imponi. Beatus itaque Ioannes qui ſupra pectus Domini procliuis in cœna de fonte ſapientiæ hauſit quod ſcriberet (cui concordant etiam ſancti Euangeliſtæ, Mathæus & Marcus) in Euangelio ſuo de præſenti Corona ita dicit, *Milites plectentes Coronam ſpineam* impoſuerunt Capiti eius; & rurſum. *Exiuit* ergo Ieſus portans ſpineam Coronam & purpureum veſtimentum. De ipſa etiam ſacroſancta Domini Corona longè præcedenti tempore fuerat Sibyllino vaticinio prædictum, ſicut B. Auguſtinus in lib. de Ciuit. Dei teſtatur his verbis. *Inſerit* Lactantius operi ſuo quædam de Chriſto vaticinia Sibyllæ, ſed quæ ipſe ſigillarim poſuit, ego arbitratus ſum coniuncta eſſe ponenda, tanquam vnum ſit prolixum quæ ille plura connumerauit & breuia. *In manus*, inquit, Infidelium poſtea veniet. Dabunt autem Deo alapas manibus inceſtis & impurato ore expuent venenatos ſputos. Dabit verò ad verbera ſimpliciter ſanctum dorſum & colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat quod verbum vel vnde venit, quod inferis loquitur, & Coronâ ſpineâ coronetur. Et infra. *Inſipiens* Gens Deum tuum non intellexiſti ludentem mortalium mentibus, ſed ſpinis coronaſti & horridum fel miſcuiſti. Sicut igitur D. I. C. ad ſuæ Redemptionis exhibenda myſteria terram promiſſionis elegit, ſic ad paſſionis ſuæ triumphum deuotius venerandum noſtram Galliam videtur & creditur ſpecialiter elegiſſe, vt ab ortu ſolis ad occaſum laudetur nomen Domini, dum à climate Græciæ quæ vicinior dicitur Orienti, in Galliam partibus Occidentis contiguam aut confinem ipſe Dominus ac Redemptor noſter ſuæ ſacratiſſimæ Paſſionis ſancta tranſmitteret inſtrumenta. Et ſic veluti compartitis honoribus terræ alteri alteram adæquauit. Honorarum enim geſtis inſignibus per multa tempora Regnum Franciæ tempore noſtro per ſedulam Regis Ludouici, nec non & Religioſæ Matris ſuæ Blanchæ vigilantiam Corona capitis ſui cum multa gloria & honore multiplici dignatus eſt coronare. Expurgatis igitur Cordium oculis imaginemur Dei filium pro ſalute noſtra ſpinis coronatum, ad quod nos inuitat Spiritus S. in lib. Canticorum ad fideles animas ita dicens, Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum Mater ſua. Hoc de matre Synagoga indubitanter intelligitur. De qua Chriſtus verus Salomon, id. Pacificus ſecundum originem carnis proceſſit.

Qualiter autem huius pretioſæ gemmæ Theſaurus ad nos vſque peruenit, cum nobis & ſcientia pectoris & facundia linguæ non ſuppetant, minimè ſufficimus enarrare. Verum quia Regis ad hoc acceſſit imperium, cui tanquam præcellenti ſecundum Apoſtolum oportet obedire de materia præſenti prout ſe habet veritas, quantum Dominus permiſerit præſentibus & poſteris, etſi verbis rudibus fideliter tamen conabimur aperire. Sublatis rebus humanis Petro prius Comite Niuernenſi, poſtmodum Imperatore Conſtantinopolitano & Imperatrice Yolanda vxore ſua, ad quam de morte Henrici fratris ſui Imperatoris Clariſſimi deuenerat idem Imperium, ſuperfuit ex eis eximiæ indolis adoleſcens Balduinus quem eadem Imperatrix pepererat in vrbe Conſtantinopolitana.

Videntes igitur Latini Principes Græciæ miſerabile diſcrimen Imperii, quod à ſchiſmatica Græcorum Gente multis in locis inuaſum, pro maiori parte violenter fuerat occupatum, multâ deliberant vigilantiâ, quod eis poſt Deum implorandum ſit auxilium, vel vnde ſperari valeat anguſtiis ſuis ſolatium exhibendum. Tandem communi conſilio tam nobilium quàm minorum per authoritatem S. nominis Gregorii Papæ Ioannes de Brena vir approbatæ virtutis, qui propter egregiæ probitatis induſtriam, nec non & deuotæ Chriſtianitatis merita prius Regnum Hieroſolymitanum adeptus fuerat, ad impertiendum huic tanti doloris plagæ remedium, electus eſt concorditer Aduocatus. Deſponſata enim Maria prædicti Ioannis filia eidem hæredi Imperii Balduino, ipſe Ioannes Imperii Conſtantinopolitani, nec non & ipſius hæredis adminiſtrationem ſuſcepit & curam. Non ſolum autem adminiſtrator generalis Romaniæ factus eſt, ſed coronatus ſolenniter ad vitam ſuam Imperator vocatus ſeruatâ eidem Balduino

genero suo cum ad ætatem venitet, legitimâ Imperii dignitate. Postmodum autem factis amicis duobus Græcorum maioribus Satrapis, Vastrachio videlicet & Auxano, qui prius discordes fuetant adinuicem, hostium Imperii creuit potentia, statu Latinorum plurimum imminuto. Videns itaque Ioannes Imperator quod hostes suos & Græcorum multitudinem à finibus suis non posset expellere, vel eorum resistere potestati, communicato cum Prælatis & fidelibus Imperii Consilio de communi consensu Generum suum Balduinum ad partes Gallicanas transmisit. Duplex autem adventus ipsius causa dicitur extitisse, scilicet vt à Rege Ludouico, de cuius Sanguine ex vtraque parte Patris & Matris ortum habuerat, & à prudentissima Matre eius Blancha, cuius neptem duxerat in vxorem, à nobilibus etiam Franciæ Regni Baronibus Consanguineis suis in tanto necessitatis articulo sibi & suis peteret subueniri. Alia insuper causa suberat, vt hæreditatem fratrum qui sine hærede decesserant, adiret, Marchionatum scilicet Namurcensẽ cum pertinentiis & Castellaniam Curtineti. Ingressus siquidem Regnum Franciæ, ab ipso Rege & Matre sua & Baronibus Regni susceptus est grataniter, honorificè & iocundè. Si quas etiam in adeunda hæreditate difficultates reperit, per Regis mandatum & potentiam penitus sunt amotæ. Dumque in partibus Gallicanis moram faceret, hæreditatis propriæ detentus negociis & in petendo subsidio sollicitus plurimum & intentus, de partibus Romaniæ suscepit nuncium, qui aures eius & animum subitis rumoribus perculit & turbauit. Nunciauit enim prout res erat, virum illustrem Ioannem Imperatorem socerum suum iuxta naturæ debitum, subtractum vitæ mortali: statum & Constantinopolitanæ Ciuitatis & terræ alterius si quam extra muros eiusdem vrbis habebat, ita per incursus hostium arctatum penitus & oppressum, quod vix eis ad campos pateret aditus. Intus autem vxor sua, Proceres & vulgus quotidianis egebant alimentis. Discurrebant etenim liberè per regionem hostiles impetus non permittentes in vrbe deferri victualia: congregatis turmis hoc animo vt ipsam Cõstantinopolim obsiderẽt. Adhæc maior rem vrgebat desolationis cumulus, quia multi de populo, de nobilibus aliqui, præsentibus deuicti angustiis & futura metuentes pericula, noctu vel aliàs furtiuè muros Ciuitatis exibant, & per mare vel viarum discrimina fugientes propter metum se certioribus exponebant periculis. Propter quod erat dubium, ne si vrbem hostilis circuiret obsidio, non inuenirent proceres quos ad munitionem murorum in propugnaculis collocarent. Verbis huiusmodi tristibus turbabatur adolescens heres Imperij. Vnde frequentius Regem Francorum Matremque eius & amicos suos circuit sollicitus, humiliter interpellans miserabiliter obsecrat, vt sibi subueniant & Imperium Romaniæ quod per Francos potenter & gloriosè fuerat acquisitũ, non permittant rursus in Græcorũ infideliũ redigi seruitutem. Litteras exhibet Papæ Gregorij, quibus eiusdẽ Imperij necessitati sucurrentibus eandem concedit Indulgentiam quã in subsidiũ Terræ-Sanctæ proficiscentibus concessotat Concilium Generale. Ad hæc mouentur Rex & Regina, de thesauris suis magnas ei pecuniæ conferunt quantitates, stipendiarios ipsi quærunt & sociant milites, alios quos nouerant egregios bellatores. Nonnulli de Consanguineis eius quos & pietas & carnalis affectus induxerat, eidem sciutamento confœderant pollicentes seipsum pro viribus secuturos. Perpendẽs igitur idem Balduinus deuotionem Regis & matris ipsius, de sacrosancta spinea Corona facit eisdem mentionem. Dicit itaque se nouisse relatione veridica proceres inclusos in vrbe Constantinopoli ad hanc calamitatis inediam deuenisse, quod incomparabilem thesaurum illum Coronæ Domini (quæ totius Imperij titulus erat & gloria specialis) oportebat eos alienis vendere, vel ad minus titulo pignoris obligare. Vnde ardenter habebat in votis quatenus ad Regem Consanguineum, Dominum & Beneficium suum, nec non ad Regnum Franciæ, de quo parentes ipsius vtrique processerant, huius pretiosæ gemmæ honor inæstimabilis & gloria perueniret. Verum quia idem Balduinus perceperat, quod si tam pretiosa res ei venderetur pecuniæ pretio, Regis conscientia læderetur, affectuosa prece cum lachrymis eidem supplicat vt munus illud honorificum ab ipso recipere dono dignetur & gratis. His auditis Rex prudenter intelligens id à Domino fieri, gauisus est in hoc quod ille, qui Coronam eandem pro nobis gesserat in opprobrium, volebat eam à suis fidelibus piè & reuerenter honorari in terris, donec ad iudi-

tium veniens eam suo rursus imponeret capiti iudicandis omnibus ostendendam. Gaudebat igitur quod ad exhibendum honorem huiusmodi suam Deus prælegerat Galliam, in qua per ipsius clementiam fides viget firmiter & cultu deuotissimo salutis nostræ mysteria celebrantur.

Rex igitur referens grates vberrimas Balduino, gratanter annuit se munus illud inæstimabile recepturum ab ipso. Mittuntur ocyus à Rege Constantinopolim pro complendo negotio Iacobus & Andreas Fratres Ordinis Prædicatorum, quorum alter, scilicet Iacobus Prior fratrum eiusdem Ordinis fuerat in vrbe prædicta, vbi Coronam ipsam frequenter viderat, & ea quæ circa illam erant, optimè cognoscebat. Mittit etiam cum eis Balduinus nuncium specialem fide dignum cum patentibus litteris, quibus mandat Baronibus, vt Nunciis Regalibus sancta Corona tradatur. Post multos itaque viarum anfractus, ingredientes Constantinopolim inueniunt ad pium Regis propositum viam à Domino præparatam. Tanta enim Imperij Barones arctauerat angustia, quod sacratissimam Coronam pro ingenti summa pecuniæ compulsi sunt Venetis obligare. Ciues autem Venetiæ qui Thesaurum illum nobilem plurimum affectauerant, hanc obtinuerunt conditionem apponi, quod nisi Corona sancta per Hæredem Imperij vel Barones redimeretur infra terminum, videlicet solennitatem SS. Martyrum Geruasij & Prothasij, ipsa caderet in commissum: ita quod illa pignoris obligatio conuerteretur in titulum venditionis pro pecunia iam soluta. Apposuerunt insuper quod illud pignus inæstimabile Venetiam intetim transferretur. Barones lectis Domini sui litteris, sancto proposito Regis Francorum & hæredis Imperij plenius intellecto deuotè adimplent mandatum Domini gerentes in votis, vt de Venetorum manibus educta, si fieri posset, in honorem rediret Ecclesiæ Gallicanæ. Conueniunt ergo cum Venetis vt Nuncij Regales, quorum vita & habitus religionem testabantur, illud Sacrosanctum portarent Venetiam adiunctis sibi solemnibus Nunciis Imperij, præsentibus etiam magnis Ciuibus Venetorum. Signatur loculus sigillis Procerum non sine lachrymarum fluuiis & eiulatu publico defertur ad nauem. Comitesitaque tam sacri pignoris de ipsius confisi præsidio, media hyeme quæ solet esse Nautis inuia, circa Natiuitatem Domini maris fluctibus se committunt. Vastachius verò pessimus zelator Imperij per exploratores rem nouerat de transferenda Corona. Anxius igitur & intendens qualiter eam Nuncius posset eripere, per diuersos sinus maris quibus transituri videbantur, copiam galearum dispergit: sed Nunciis venientibus in nomine Domini nihil contrarietatis obsistit. Ingrediuntur Venetiam, ouanter recepti, beatissimam Coronam cum vase signato in Thesauraria Capellæ B. Marci Euangelistæ cum diligentia & deuotione deponunt. Relicto ibidem fratre Andrea custode Thesauri nobilis frater Iacobus cum Nunciis Imperii festinanter ad Regem accedit, rem gestam & statum negotii Regi fideliter exprimit & Reginæ. Gaudent ambo & omnes quibus id secretum communicant, lætitia ineffabili sperantes in Domino quod ipse qui cœperat, votum eorum feliciter consummaret. Præparant itaque Nuncios solennes & discretos cum fratre Iacobo à Nunciis Imperii, mittentes eos Venetiam instructos plenius & munitos de pecunia ad redemptionem sacri pignoris obtinendam. Imperatori Friderico scribitur vt si opus sit, Nunciis Regalibus conductum, consilium conferat & iuuamen. Expeditè veniunt Venetiam, fratrem Andream inueniunt cum thesauro. Procurante Diuina Clementia tunc temporis in partibus illis negotiabantur nati de Regno Franciæ Mercatores. Exhibitis sibi litteris Regalibus, de mutuo exponunt pecuniam ad libitum Nunciorum. Redimitur sanctum pignus dolentibus Venetis, sed pro conditionibus initis non valentibus obuiare. Agnitis sigillis Procerum, vasculum S. Coronæ suscipiunt Nuncij se viæ laboribus committentes. Conductus securitatem, vbi decuit per Imperatoris ministros habuerunt. Protectos insuper Diuini muneris præsentia nihil in via contrarium contristauit. Nulla eis intemperies aeris nocuit, nec stilla pluuiæ cecidit super eos, licet ipsis susceptis in hospitio pluisset pluries abundanter. Præmittunt Nuncios, qui iam vsque Trecas munus sacratissimum nunciant aduenisse. Exhilaratus Rex plurimum cum Matre sua & fratribus, assumptis secum Galtero Senon. Archiepiscopo, Bernardo Anicensi Episcopo & aliis Baronibus & militibus quos habere subito potuit,

festiuius occurrit: in villa quæ per quinque leucas distat à Senonis & Villa-Noua Archiepiscopi dicitur, Thesaurum quem desiderauerat cum nunciis inuenit, consignatum vas ligneum reseratur, apparent circa vas argenteum sigilla Baronum. Attulerunt autem præfati Nuncij sigilla Procerum cum litteris Patentibus ad Regem & Balduinum.

Facta igitur collatione ipsorum cum sigillis, quibus erat sacræ Coronæ vas signatum, inueniunt vera esse. Fractis itaque signaculis huiusmodi, nec non sigillo Ducis Venetiæ, quod ad maiorem certitudinem appositum fuerat, argenteum vas recludunt. Inueniunt de auro purissimo loculum pulcherrimum in quo sancta Corona iacebat: sublato huius operculo, visa est ab omnibus qui aderant inæstimabilis margarita. Quanta itaque deuotione, quantis fletibus & suspiriis inspecta fuerint à Rege & Regina & aliis, vix posset perpendi. Commorantur in aspectu pro amoris desiderio tam deuotum sentientes feruorem mentium, quasi viderint coram se Dominum spinis præsentibus coronatum. Post paulum ipsam includunt in vasculis. Consignantur sigillo Regio, quod in die festo B. Laurentij Martyris est completum.

Anno igitur 1239. in crastino Laurentij Martyris huius pretiosæ gemmæ Thesaurus Senonis deportatur, occurrentibus in viâ populis vniuersis: exultat omnis cœtus hominum sine differentia sexuum & ætatum. In primo Ciuitatis ingressu Rex nudis pedibus, sola indutus tunicâ cum fratre suo Roberto Comite humiliato similiter sacrum onus humeris suis suscipit deportandum. Prosequuntur & procedunt milites reiectis calceis. Exiit obuiam iocunda Ciuitas, Clericorum Conuentus processionaliter veniunt. Clerici matricis Ecclesiæ sericis ornati, Monachi cum cæteris Religiosis Sanctorum corpora deferunt & Reliquias quas imaginatur hominum deuorio, tanquam Sancti desiderent occurrere Domino venienti. Certatim concrepant laudes Domini, tapetibus & palliis ornata Ciuitas res suas pretiosas exhibet, campanis & organis resonat & populi iocundantis applausu. Cerei cum candelis tortilibus per plateas & vicos singulos accenduntur. Defertur in Ecclesiam Protomartyris Stephani, populis detegitur, & tanta causa iocunditatis aperitur.

In die crastina Rex versus Parisius vrbem Regiam dirigit iter suum insigne vasculum deferens. Omnium voce laudatur dicentium: Benedictus qui venit in honore Domini, cuius Ministerio Regnum Franciæ tanti præsentia muneris exaltatur. Octaua die extra muros iuxta Ecclesiam B. Antonij in Campi planitie construitur eminens pulpitum astantibus pluribus Prælatis, Ecclesiarum Conuentibus, indutis sericis, exhibitis Sanctorum pignoribus in tanta Populorum frequentia quanta Parisius exierit. Monstratur loculus ex pulpito. Diei felicitas & causa gaudij prædicatur. Post hæc intra muros Ciuitatis infertur à Rege & fratre suo discalceatis vt prius, & præter tunicas vestimentis depositis. Omnes etiam Prælati cum Clericis & viris Religiosis nec non & militibus, nudis pedibus antecedunt. Quanta per vrbem iucunditas, quot signa & iudicia gaudiorum in conspectu venientium visa sint, nemo sufficeret enarrare. In Pontificalem Ecclesiam B. Virginis inducitur, vbi persolutis Deo & Beatissimæ matri eius deuotis laudibus cum thesauro nobili solenniter ad Regis Palatium reuertuntur. Collocatur in Capella Regia B. Nicolai cum multo gaudio Domini Corona. His itaque solenniter peractis Parisius exit fama celebris, diuulgatur insigne spectaculum primum per loca vicina, deinde per remotas Ciuitates & villas: concurrunt festinanter ad gaudium, videre desiderant causam felicitatis præsentium temporum & totius Regionis. Quia verò non conceditur eis videre, quod cupiunt, ex causis aliquibus abscondito thesauro Domini & fideliter consignato, certatim ad campos confluunt, ardenter deosculantur pulpitum, in quo exhibitum fuerat vas prædictum. Ibi si credendum est personis fide dignissimis, per virtutem sacri Diadematis & propter deuotionem fidelium circa languentes operatus est multas virtutes & miracula Dominus I. C. cui est laus, honor & Imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Eodem anno orta inter Episcopum Lincolniensem & Canonicos de Iure visitationis contentione, qui à Decano suo non ab Episc. visitari debere contendebant, tandem de Arbitris conuenerunt, quorum vnus fuit M. Alanus de Becco-

les seu de Bleccles, vnus ex iis qui Parisiis recesserant in Angliam. Sed cum non potuisset controuersia dirimi, & Canonici Romanum Tribunal appellassent, Aduocatum pro se apud Pontificem constituerunt M. Odonem de Kinkelni *Legum Professorem apud Oxoniam*; de quo supra mentio facta est in tumultu Oxoniensi.

Eodem anno Gregorius Pontifx Fridericum Imperatorem nominatim anathemate feriit: quæ excommunicatio ingentis belli causa fuit. Eodem M. Nicolaus de Fetnham, de quo supra diximus, eligitur in Episcopum Cestrensem à Monachis, reluctantibus tamen Canonicis, qui ius electionis ea vice ad se pertinere dicebant: quanquam omnes personam electam maximè approbarent. Nicolaus iste in Academia Parif. diu rexerat inter celeberrimos, & in Angliam cum aliis multis suæ Gentis secesserat. Erat autem teste Mathæo Parisiensi, *Vir optimè Litteratus, & quod pluris est, multiplici virtutum gratia decoratus, statura elegans, discreto sermone facundus, vultu & gestu maturus & modestus, ne nauus reprobationis propositum eorum posset impedire. Quod cum Rex acceptasset & Clerus & populus, M. Nicolaus vt vir profundi pectoris videns rem esse litigiosam & inconfinio Regionis Anglicanæ, & reputans se more humilis & discreti viri tanto oneri insufficientem, ponderansque tot animarum custodiendarum onus, cum honore constanterrefutando resignauit.*

Res autem Ecclesiæ & totius orbis Christiani in deterius quotidie ibant propter dissidium Gregorii Papæ & Friderici Imperatoris. Ab vtraq; enim parte graues scribebantur litteræ scandalo, iniuriis & conuiciis plenæ, vitia Romanorum Purpuratorum detegebantur, Princeps Christianus quasi Diaboli filius lacerabatur. Hinc consilium peregrinationis abiicitur: in alterutram partem Reges & Magnates descendunt. Papa excommunicat: pro nihilo habetur excommunicatio, & Antipapa & Anti-Christus appellatur. Sarraceni Christianos opprimunt. Græcia suum Antipapam Germanum nomine contra Romanam Ecclesiam erigit.

Imperator Fratrem Heliam Franciscanum Papæ opponit, qui summus Minorum Minister seu Generalis fuerat & Concionator famosissimus. Asserebat autem ille vana & bruta esse Fulmina Gregorii, sine causa iactari, Papam malè contra Iura Imperii debacchari, pecuniam tantummodo sitire & variis modis extorquere, preces, Missas, processiones, ieiunia, quæ solent oppressos à persecutionibus liberare, non curare, inquit Mathæus Parif. Hinc ergo & illinc emittuntur scripta in vulgus & vaticinia mundi finem prædicentia: inter quæ celebre istud est quod in cubiculo Papæ repertum.

Fata docent, stellæque monent, auiumque volatus
Totius mundi malleus vnus erit.
Roma diu titubans variis erroribus acta
Totius mundi desinet esse caput.

Quos versus interpretabantur Imperiales in perniciem Romanæ Curiæ. Contra Papales in Imperatorem hos versus retorserunt.

Fama refert, Scriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tua vita breuis, pœna perennis erit.

Plurimum oberat Romanæ Curiæ auaritia, quæ illi ab Imperialibus semper obiiciebatur. Plurimum verò Imperialibus excommunicationes crebræ. Demum Papa de consilio Cardinalium Fridericum de culmine Imperii deiectum pronunciat, & vt Franciam tunc adhuc cunctantem sibi deuinciret, Roberto fratri Regis Ludouici Imperium offert & diadema: in eamque rem ad Regem & Barones scripsit adhortans *ne dignitatem sponte oblatam apertis brachiis suscipere pigritarentur.* At fortiter & generosè huiusmodi munus Francia respuit, his verbis, apud Mathæum.

Quo spiritu vel ausu temerario Papa tantum Principem, quo non est maior, imò nec par inter Christianos, non conuictum nec confessum de obiectis " "

» sibi criminibus exhæreditauit & ab apice Imperiali præcipitauit? Qui si meri-
» tis suis exigentibus deponendus esset, non nisi per Generale Concilium cassan-
» dus iudicaretur. De transgressionibus suis non est hostibus suis fides exhibenda,
» quorum Papa dignoscitur esse Capitalis. Nobis adhuc insons, imo bonus fuit
» vicinus: nec quid sinistri de eo vidimus in fidelitate seculari vel fide Catholica.
» Scimus autem quod Domino N. I. C. fideliter militauit Marinis & bellicis pe-
» riculis se confidenter opponens. Tantum Religionis in Papa non inuenimus. Imò
» qui eum debuit promouisse & Deo militantem protexisse, eum conatus est ab-
» sentem confundere & nequiter supplantare. Nolumus nosmetipsos in tanta peri-
» cula præcipitare, vt ipsum Fridericum tam potentem impugnemus, quem
» tot Regna contra Nos iuuabunt & causa iusta præstabit adminiculum. Quid ad
» Romanos de prodiga sanguinis nostri effusione, dummodo suæ vitæ satisfacere-
» mus? Si eum per Nos & alios deuicerit, omnes Principes mundi conculcabit,
» sumens cornua iactantiæ & superbiam, quoniam ipsum Fridericum magnum
» Imperatorem contriuerit. Sed ne in vacuum Papale mandatum videamur sus-
» cepisse, licet magis constet hoc ob odium Imperatoris quàm nostri dilectionem
» ab Ecclesia Rom. deriuasse, mittemus Nuncios prudentes ex nobis ad Impera-
» torem: qui quomodo de fide Catholica sentiat, diligenter inquirant, Nos su-
» per hoc certificaturos. Etsi nil nisi sanum inuenerint, cur infestandus est? sin
» autem & ipsum, imò etiam ipsum Papam, si malè de Deo senserit vel quemli-
» bet mortalium vsque ad internecionem persequemur. Hæc cum audissent, sub-
» dit Mathæus, Nuncii Papales, confusi recesserunt. Misit quoque Rex ad Impe-
» ratorem Nuncios suos in eam rem, qui ab eo honorificè excepti & de omnibus
» quæ ad fidem Catholicam & causam dissidii certiores facti in Galliam redierunt.
» Noranda est verò in hanc rem Gallicana generositas. Nam cum Imperator gratias
» Nunciis ageret & Regi, quod Papæ postulatis non acquieuissent incognitâ cau-
» sâ, responderunt. *Nolit Deus vt vnquam ascendat in cor nostrum vt aliquem Chri-
» stianum sine manifesta causa impugnemus. Nec nos pulsat ambitio.* Credimus enim
» Dominum nostrum Regem Galliæ, quem linea Regii Sanguinis prouexit ad sce-
» ptra Francorum regenda, excellentiorem esse aliquo Imperatore, quem sola ele-
» ctio prouehit voluntaria. Sufficit Domino Comiti Roberto fratrem esse tanti
» Regis. *Et his dictis cum dilectione & gratia Imperiali recesserunt.* Et sic sua spe fru-
» stratus Papa de congregando Concilio cogitauit.

Ad eundem an. refert Mariana l. 13. c. 1. Ferdinandum Regem animo ad pacis artes conuersò Palentinam scholam ab Alfonso auo suo constitutam, loci commoditate inuitatum Salamanticam transtulisse, vbi Alfonsus quidem, ne subditis suis necesse foret eruditionis causa Castilliam petere, nouæ scholæ fundamenta posuerat, sed exigua & inchoata tantum. At Ferdinandus filius, & postmodum Alfonsus nepos pro eo studio quo litteras complectebatur, curâ & liberalitate eo vsque auxit, vt nulla vllibi maiora virtuti præmia, neque Artium professoribus vberiora stipendia sint proposita.

Obseruat tamen Dominicus Bannez Facultatem Theologiæ ad an. vsque 1416. nullis stipendiis fuisse donatam, donec Benedictus 13. qui Petrus à Luna dictus est, primus ibi Cathedram Theologiæ instituit.

LIBRI THALMVDICI DAMNANTVR AB VNIVERSITATIS. Academia Parisiensis iussu Gregorii Pontificis perlegit & examinat Hebræorum *Thalmuth* quod illi futilibus mendaciis, fabellis & blasphemiis in contemptum Christianæ Religionis consarcinauerant, examinatum verò publicè cremauit. Gregorii in eam rem litteras ad Academiam, item Academiæ responsum post librum damnatum & combustum nondum mihi videre licuit. Bullæ tamen Gregorianæ meminit Innocentius IV. vt dicemus ad an. 1244. Tunc autem Iudæi florentissimam habebant in Hispania Academiam: florebatque inter cæteros R. Abraham Abben Ezra Hispanus, qui Commentariis vetus Testamentum illustrauit. Refert vero Thomas Cantipratanus lib. 1. de Apib. c. 3. Archiepiscopum quendam qui combustionem Thalmudicorum librorum à Ludouico Rege sub pœnâ mortis decretam impediuerat, repentinâ morte sublatum fuisse. *Vidi*, inquit, *& ipse alium Archiepiscopum in Galliæ partibus virum litteratum & nobilem, circa quem talis vindicta nutu Dei contigit. Deuotissimus in Principibus Rex Franciæ Ludouicus anno circiter ab Incarnatione Dom. 1239. instigante fratre Henrico de*

Colonia Ordinis Prædicatorum Prædicatore peroptimo sub pœna mortis concremari fecit Parisius nefandissimum librum Iudæorum qui Thalmud *dicitur, in quo inaudita hæreses & blasphemia contra Christum & matrem eius locis plurimis erant scripta. Huius itaque libri diuersa exemplaria ad comburendum Parisius allata sunt. Flentes ergo Iudæi adierunt Archiprasulem qui Regis Consiliarius summus erat, & pecuniam ei pro conseruatione librorum innumerabilem obtulerunt. Quâ corruptus Regem adiit & ad voluntatem suam iuuenilem animum mox inuertit. Redditis ergo libris Iudæi solennem diem agi constituunt omni anno: sed invanum, aliud spiritu Dei ordinante. Reuoluto enim anno, die certo & ipso loco quo libri execrabiles redditi sunt Iudæis, hoc est in Vicenniis prope Parisios, dictus Archiepiscopus ad consultationem Regis veniens diro viscerum dolore correptus est & eadem die cum eiulatu maximo vita finem accepit. Fugit autem Rex de loco cum tota familia nimium verens ne cum Archiepiscopo diuinitus feriretur. Nec multò post, vt prius instigante dicto Fratre Henrico Iudæorum libri congregati sunt sub mortis pœna, & in maximâ multitudine sunt combusti.*

Qois ille est Archiepiscopus, quem indigitat Cantiptatanus? certè Gualterus Senonensis Archipræsul, qui in Regni administratione primas obtinebat, & iam obtinuerat sub Philippo Augusto, cum willielmo Remensi. Is enim legitur an. 1240. mense Iulio quandam compositionem inter Iudæos & Gibaudum Verani Toparcham factam confirmasse tatamque habuisse; vnde elicitur non fuisse omnino infensum Iudæis. Obiit autem IX. Kal. Maias an. 1241. Cæterum ex Bulla Innocentii quam ad an. 1244. referemus, intelligimus mandatum fuisse Vniuersitati à Gregorio IX. vt libros illos examinaret & damnaret. Sic enim legitur. *Licet Cancellarius Parisiensis* & Rectores *ac Regentes Parisius in sacra Pagina de mandato felicis recordationis Gregorii Papæ prædecessoris nostri tam prædictum abusionis librum quam alios quosdam cum omnibus glossis suis perlectos in parte ac examinatos ad confusionem perfidiæ Iudæorum publicè coram Clero & populo incendio concremarint, prout in litteris eorum perspeximus contineri, quia tamen &c.*

Quare in his litteris *Rectorum* verbo, non *Rectoris* vtitur? forte quia tunc dissidentibus, vt accidit aliquando, Nationibus creati fuerant duo Rectores Vniuersitatis. Vel potius *Rectorum* nomine Procuratores quoque Nationum subintelligit, qui cum Rectore Vniuersitatis negotia tractabant, Vniuersitatem que ipsam regebant. Nam Cancellarius acceptas à Gregorio litteras cum Rectore communicauerat, vt Vniuersitatem conuocaret: Rector verò per Procuratores conuocatis Nationibus & electis Magistris Thalmudicos illos libros damnauit.

HÆRETICÆ PROPOSITIONES damnatæ.

ANno 1240. Guillelmus Aruernus Episcopus Parisiensis congregato Magistrorum Vniuersitatis Parisiensis Conuentu ad deliberandum de materia fidei, de Consilii sententia decem errores qui in Academia contra Catholicam fidem & piam consuetudinem docebantur, damnauit, totidemque oppositas illis assertiones publicauit, vt legimus in Bibliotheca Patrum, vbi præponitur hic titulus vice præfationis.

Isti sunt detestabiles errores contra Catholicam veritatem reperti in quibusdam Scriptis, quos quicunque dogmatizauerit, vel defenderit, à Venerabili Patre Guillelmo Parisiensi Episcopo conuocato Consilio omnium Magistrorum tum Parisius Regentium vinculo anathematis est innodatus. Et ideo illos cauere debent omnes Professores fidei orthodoxæ.

1. Est quod Diuina essentia in se nec ab homine videatur vel videbitur. Contra quod firmiter credendum est, quod in sua essentia vel substantia vel natura videbitur ab omnibus Glorificatis.

2. Error est, quod licet Diuina essentia eadem sit in Patre & Filio & Spiritu sancto, tamen hæc essentia in ratione formæ vna est in Patre, Filio & Spiritu sancto. Et in his tamen forma idem est quod Diuina essentia. Contra quod firmiter

credendum est, quod vna est, essentia substantialis vel natura in Patre & Filio & Spiritu sancto, & eadem essentia in ratione formæ.

3. Est, quod Spiritus Sanctus prout est amor & nexus non procedit à Filio, sed tantum à Patre. Contra quod asserendum est quod Spiritus S. prout est amor & nexus procedit ab vtroque.

4. Est, quod multæ veritates fuerunt ab æterno, quæ non sunt ipse Deus. Contra quod asserendum est.

5. Est, quod primum Nunc, vel Principum & creatio passio non sunt, Creator vel Creatura.

Contra quod credendum est, quod *Principium est Creator & Creatio, passio est Creatu a.*

6. Est, quod Angelus malus in primo instanti suæ creationis fuit malus, & nunquam fuit non malus.

Contra quod tenendum est quod aliquando fuit bonus.

7. Est quod nec animæ glorificatæ erunt in cœlo empyreo cum Angelis, sed in cœlo Aqueo vel Crystallino quod est super Firmamentum: quod etiam dicere præsumunt de B. Virgine.

Contra quod credendum est, quod idem est locus SS. Anglorum & Beatarum Animarum, scilicet Cœlum Empyreum. Et quod idem erit Corporum glorificatorum humanorum. Et similiter idem est locus spiritualis hominum Beatorum & SS. Angelorum.

8. Quod Angelus in eodem instanti potest esse in diuersis locis, & est vbique, si velit esse vbique. Contra quod credendum est.

9. Quod qui habet meliora Naturalia, de necessitate habebit maiorem gratiam & gloriam. Contra quod asserendum est.

10. Est quod Diabolus nunquam habuit vnde posset stare. Nec etiam Adam in statu Innocentiæ.

Contra quod dicendum est, quod Diabolus & Adam habuerunt, vnde possent proficere.

ASSERTIONES OPPOSITÆ Erroribus.

1. Firmiter tenendum est & nullatenus dubitandnm, quod Deus in sua substantia, essentia vel natura videbitur ab Angelis sanctis & animabus glorificatis.

2. Item quod vna est essentia substantialis vel natura in Patre & Filio & Spiritu Sancto, & eadem essentia in ratione formæ in Patre, Filio & Spiritu Sancto.

3. Item quod Spiritus Sanctus, prout est nexus & amor procedit ab vtroque, scilicet à Patre & Filio.

4. Item quod vna sola veritas fuit ab æterno quæ est Deus. Et quod nulla veritas fuit ab æterno quæ non sit illa veritas.

5. Item quod primum Nunc est creatio, Passio est Creatura.

6. Item quod malus Angelus aliquando fuit bonus & non malus, & post peccando est malus.

7. Item quod idem est locus corporis scilicet Empyreum Cœlum, SS. Angelorum & BB. Animarum: & idem erit corporum humanorum glorificatorum: & similiter idem est locus Spiritualis SS. Angelorum & Hominum Bonorum.

8. Item quod Angelus est in loco per distinctiones, ita quod si est hic non est ibi in eodem instanti. Impossibile est enim eum in eodem instanti esse vbique, cum hoc sit proprium Dei.

9. Item quod secundum quod præordinatum est & prædestinatum à Deo, dabitur gratia & gloria.

10. Item quod malus Angelus & Adam habuerunt vnde possent stare, etsi non vnde possent proficere.

Quis fuerit Errorum supradictorum author, non legitur in Bibliotheca Patrum: at Mathæus Parisiensis eos Dominicanis adscribit: iis certè qui Cathedras Theogiæ obtinuerant Parisiis & publicè docebant. *Ipsis temporibus* inquit, *videlicet post festum S. Michaelis, vt moris est, studiis Scholarum & Scholarium reflorescentibus incipiebant Magistri Theologiæ, præcipuè tamen præcipui Prædicatorum & Minorum Lectores, disputare & differere subtilius & celsius quàm decuit aut expediuit. Qui non verentes tangere montes à gloria Dei opprimendi, nitebantur secreta Dei inuestigabilia temere perscrutari & Iudicia Dei quæ sunt abyssus multa, nimis præsumptuosè indagare. Vnde defecerunt scrutantes scrutinio & errauerunt in inuio, Deo vindice, cui plus placet firmæ fidei simplicitas sobria, quàm nimis transcendens in Theologia subtilitas. Et cum tutius sit & magis meritorium simpliciter à Patribus tradita accipere & credere, quàm probata, & ea quibus humana ratio præbet experimentum, experiri, se super se extulerunt.*

Sed hæc cum scirent Ecclesiarum Prælati, Ecclesiæ & fidei Christianæ præcauentes, Euangelicis & Propheticis authoritatibus innitentes præsumptuosos ausus eorum refrænando, fidelibus, congregatione Orthodoxorum factâ, fidei veritatem sanius propalarunt. Sequuntur errores.

1. Primus eorum error erat, quod Diuina essentia in se nec ab homine clarificato nec ab Angelo videtur, nec videbitur.

Ad hunc Prælati. Hunc errorem prohibemus & Assertores eius & defensores excommunicamus. Firmiter enim credimus & asserimus quod Deus in sua essentia, vel substantia, vel natura videbitur ab Angelis Sanctis & ab homine clarificato.

2. *Alius Error.* Quod licet Diuina essentia vna sit in Patre & Filio & Spiritu sancto, tamen vt hæc essentia est in ratione formæ, vna est in Patre & Filio, & non vna in his & in Spiritu sancto, & tamen forma idem est quod essentia Diuina.

Ad hunc Prælati. Hunc Errorem prohibemus & Assertores eius & Defensores excommunicamus. Firmiter enim asserimus quod vna essentia, substantia, siue natura est in Patre & Filio & Spiritu sancto & eadem essentia in ratione formæ eadem est in Patre & Filio & Spiritu sancto.

3. *Alius est error.* Quod Spiritus S. prout est Amor vel nexus non procedit à Filio, sed tantum à Patre. Hunc errorem &c. firmiter enim credimus & asserimus, quod Spiritus Sanctus prout est amor vel nexus, procedit ab vtroque.

4. *Alius error est*, quod nec anima clarificata, nec corpora clarificata erunt in Cœlo Empyreo cum Angelis, sed in cœlo aqueo seu Crystallino quod est supra Firmamentum. Quod etiam dicere præsumunt de B. Virgine. *Hunc errorem* prohibemus &c. firmiter enim credimus & asserimus, quod idem locus corporalis scilicet cœlum Empyreum Angelorum, & animarum sanctarum, & idem erit hominum glorificatorum, & similiter locus idem communis spiritualis hominum & Angelorum.

5. *Alius error.* Quod malus Angelus in primo instanti creationis suæ fuit malus & nunquam fuit non malus. *Hunc errorem* damnamus, prohibemus & assertores eius & defensores excommunicamus. Firmiter enim credimus & asserimus, quod aliquando fuit bonus & non malus, & postea peccando factus est malus.

6. *Alius error.* Quod multæ fuerunt veritates ab æterno quæ non fuerunt Deus. *Hunc errorem* prohibemus &c. firmiter enim credimus & asserimus, quod vna sola veritas fuit ab æterno, quæ Deus est, & nulla quæ non sit Deus.

7. *Alius error.* Quod Angelus in eodem instanti potest esse in diuersis locis, & etiam vbique, si vellet.

Hunc errorem prohibemus &c. Firmiter enim credimus & asserimus Angelum esse in loco definito, ita quod si est hîc, non est alibi in eodem instanti. Impossibile enim est vnum esse vbique, cum sit proprium solius Dei.

8. *Alius error.* Quod principium, Nunc & Creatio, Passio, non est Creator nec Creatura.

Hunc errorem prohibemus, &c. Firmiter enim credimus & asserimus quod fuerit Creatura.

9. *Alius error.* Quod malus Angelus nunquam habuit vnde stare potuit, neque Adam in statu Innocentiæ.

Hunc errorem prohibemus &c. firmiter enim credimus & asserimus quod ha-

mitate Regentium Parisius Theologorum manifestè recedatur. Quia igitur totis affectauimus Charitatis visceribus, quod omnia inter vos etiam honestè & secundum ordinem fiant sicut præcipit Apostolus, vestram discretionem omni quâ possumus affectione & deuotione rogamus, monemus & exhortamur in Domino nostro I. C. *quatenus omnes Lectiones vestra ordinaria horâ legenda matutinâ de nouo sint Testamento vel veteri, vt sitis similes Patri-familias proferentes de Thesauris vestris noua atque vetera, non alia quadam velut horum media*, aut ab ἀγυγεγραφοῖς pluribus superædificata quorum doctrinæ est aliud tempus conuenientius accommodandum.

Antequam ex Anglia pedem referamus, non erit ingratum addere quæ habet Mathæus Paris. de quodam Carthusiensi qui Cantabrigiæ visus est schisma velle in Ecclesiam inducere propter exactiones Gregorii Papæ & conceptam in Fridericum iram. Captus enim & Londinum deductus ad Legatum Othonem sic respondit. *Gregorius non est Papa.* Non est caput Ecclesiæ. Sed aliud est caput Ecclesiæ. Ecclesia profanata est, nec debent in ea diuina celebrari, nisi redædificata fuerit. Vasa & vestimenta eius reconsecranda sunt. Diabolus solutus est. Papa Hæreticus. Polluit Ecclesiam, imò mundum Gregorius qui Papa dicitur. Et præsentibus & audientibus D. Abbate R. de Enesham & M. Nicolao de Frenham, Magistris quoque P. de Burdegalis & H. de Susa & multis aliis. Dixit Legatus illi deliranti: Nonne concessa est desuper potestas Domino Papæ soluendi animas atque ligandi, vt vices B. Petri exequatur in terris? Et cum omnes expectarent quid responderet, credentes Iudicium ab hac sua responsione dependere, ait sub interrogatione & non sub assertione: Quomodo possum credere, quod cuidam Simoniali & vsurario, forte maioribus facinoribus inuoluto concedatur talis potestas, qualis concessa fuit B. Petro, qui immediatè factus eius Apostolus sequutus est Dominum, non tantum incessu pedum sed virtutum claritate? ad quod verbum erubuit Legatus & ait quidam de circunsedentibus.

Stulto rixandum non est, furno nec hiandum.

Reuera cum eodem anno Gregorius Decimas quasdam exigere voluisset ad inferendũ Imperatori bellum, multi reclamarunt, imo ipsimet Cardinales & Romani Ciues, postularuntque ad tollendum diffidium celebrari Concilium Generale, Imperatorem audiri: interim verò iustitium armorum indici. Annuit Pontifex: at annuisse paulò post pœnituit. Imperauit M. Ioanni de Columna Cardinali Imperatorem adire, & renunciare nolle se pactis Iustitii legibus vti: quod cum ille facere detrectasset, veritus inconstantiæ leuitatisque notam, Papa dixisse fertur: *de cætero te non habeo pro Cardinale.* Et ille, *Nec ego te pro Papa.* Et sic recessit, inquit Mathæus, de amico factus aduersarius.

Hinc sopitæ resurrexerunt Guelphorum & Gibellinorum factiones, & in diuersa studia miserrimè scissa est Ecclesia: plurimis enim etiam verè Catholicis videbatur Gregorius priuatas iniurias vlcisci potius quàm publicas: quippe Imperator fratrem eius suspendi iusserat, & multos eiusdem affines & consanguineos bonis quæ in Imperio possidebant, spoliauerat. Nihilominus adhæsit Francia Gregorio, nec passa est in eo, quanquam forte non omnino inculpabili, Ecclesiam opprimi. Vnde Imperator paulo acrius scripsit ad Regem Ludouicum. *Admiramur super Francorum prudentia, quod non subtilius cæteris Papales astutias consideratis, vel non attenditis cupiditates. Proponit enim ipsius ambitio insatiabilis omnia fidelium Regna suo subiicere dominatui, ab Anglorum conculcata corona sumens exemplariter consequentiam, & vt culmen Imperij suis inclinet pedibus, ausa est præsumptuoso conatu & ausu temerario proteruius inhiare.*

Interim conueniebant ad Concilium quod indixerat, ex Anglia & Gallia Prælati cõplures: at eorum plurimi cum Iacobo Prenestino qui olim in Francia Legatus extiterat, Otbone S. Nicolai in Carcere Tulliano, & Gregorio de Romagna Cardinalibus & Legatis, capti sunt ab Imperialibus & in vinculis aliquandiu retenti, quos inter è nostris extitit M. Petrus de Collemedio Rothomagensis Archipræsul, Academiæ Parisiensis olim Rector: ex Abbatibus verò M. Stephanus

de Lexintona tunc Abbas Sanigniacensis, qui tamen fratris sui Ioannis strenuissimi militis & Anglorum Regis Nuncii operâ liber euasit & illæsus. Sic ergo dissipatis Prælatis Concilium haberi non potuit, & Papa paulo post obiit.

1241. SVSCEPTIO S. CRVCIS. Anno 1241. sancta Crux D. N. I. C. quæ post tempora Saladini reposita fuerat apud Damietam, delata est Parisios summaque cum religione & pietate à Rege & Regina recepta, primùm in Ecclesia Sancti Antonij, ipsa die Veneris ante Pascha. Deinde in Basilicam B. Virginis, tum in Capellam sanctam delata. Dici non potest quanto concursu, quantaque omnium vrbis Ordinum, præsertim verò Religiosorum, Magistrorum & Scholarium Academiæ Parisiensis deuotione celebrata fuerit supplicatio solennis dum deferebatur. Rex ipse post triduanum ieiunium, nudis pedibus, discinctus, capite detecto, ex æde San-Antoniana in suburbio sita ad Basilicam vsque D. Virginis Crucem sanctam baiulauit: Eadem mentis ad Deum eleuatione & incessus modestiâ procedebant fratres Regis & Reginæ ac Proceres Regni. Illic verò peracto sacrificio & dictis orationibus idem Rex Crucem in Capellam Regiam ad Palatium suum simili modo detulit. Sic ea de re Mathæus Paris.

Dominus noster I. C. Rex Regum & Dominus Dominantium, cuius Iudicia » abyssus, multa, in cuius manu corda sunt Regum, dans salutem quibus vult, » ipsum Regnum Franciæ his tribus dotauit & ditauit in breui tempore beneficiis » pretiosis, videlicet Coronâ prædictâ (nempe spineâ quam anno 1239. à Venetis » ingenti pretio Rex redemerat) & Cruce Domini de quâ iam dictum est, & » Corpore B. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi & Confessoris inauditis mi- » raculis euidenter coruscanti.

MORS GVALTERI SENONENSIS. Eodem anno 11. Kal. Maias obiit M. Gualterus Cornutus, Archiepiscopus Senonensis ex Decano Parisiensi & Electo in Episcopum Paris. assumptus an. 1223. ad Archiepiscopatum. Filius erat Simonis Cornuti Domini Villæ-nouæ prope Monasteriolum oppidū, & Henrici Clementis Franciæ Mareschalli è sorore nepos, Philippi Augusti & Ludouici VIII. Clericus: præcipuus in Aula cum Guillelmo Remensi Archiepiscopo Minister, Regi addictissimus, qui cum à partibus Regiis contra Honorium Papam stetisset, vix Archiepiscopalis promotionis confirmationem obtinuit. Diu philosophiam & postea Theologiam Lutetiæ docuerat: vt patet ex testimonio M. Guillelmi Britonis Poetæ celeberrimi, cuius versus ad an. 1220. retulimus. Iacet autem Gualterus in Choro Metropolis Senon. à dextra parte Aquilæ sub tumba ærea hisce carminibus notata.

Præsul Galterus iacet hic in puluere verus
Cultor Iustitiæ, Cleri pater, arca sophiæ.
Non parcunt generi nec honori fata, nec æri.
M. scribis ad bis C. quater X. addens quoque scribe I.
In summa appositâ, sic finitur sacra vita.
Dum viguit tua, dum valuit, Galtere, potestas,
Fraus latuit, pax magna fuit, regnauit honestas.

Eodem anno obiit quoque Gregorius IX. Pontifex Max. valde senex Academiæ olim Parisiensis discipulus: vt ipsemet testatur in quadam Bulla suâ. Aiunt autem ægritudine confectum obiisse, quod per Fridericum Imperatorem, cui odium indixerat immortale, prohiberetur Coucilium Rom. quod conuocauerat celebrare, captosque Prælatos qui per Ditionem Imperatoris transibant, liberare. Eo igitur fatis functo decem Cardinales qui soli supererant electionem successoris celebraturi, petierunt & impetrarunt ab Imperatore, vt duos quos in carcere detinebat, liberaret, ea lege vt post electionem si vellet, redirent. Quinque ex iis, nempe Ægidius Ispanus, Stephanus filius Comitis Episc. Portuensis, Romanus de Viterbio, Ioannes de Columna, Robertus de Sumercote Anglicus, Galfridum Mediolanensem elegerunt: quæ electio placuit Imperatori. Tres *Romanum* Cardinalem Legatum olim in Francia, cum tumultus Vniuersitatis Paris. » an. 1229. accidit: quam electionem reprobauit. *Tres residui*, inquit Mathæus, » *elegerunt quartum scilicet Romanum*, cui electioni opposuit se Imperator: habuit » enim ipsum infamem tum *propter persecutionem Vniuersitatis Parisiacæ*, tum

quia imponebatur ei, quod fouerat diſſidium inter Papam Gregorium iam defunctum & ipſum Imperatorem. Otto igitur inter eligentes ſchiſmate, non ſtatim conſenſio fuit. M. Robertus de Sumercote Cardinalis Anglicus in Conclaui obiit: & quidam alius. Otho qui diu in Anglia Legatus fuerat, rediit ad vincula apud Imperatorem. Stetit tamen prior electio Galfridi viri quidem moribus prædîti & ſcientia, ſed valde ſenis & debilis, qui Cœleſtini nomine aſſumpto, vix 18. dies ſedit. Eo mortuo ſedes vacauit anno vno & nouem menſibus, tandiu ſcilicet, quandiu Cardinales qui à Friderico capti fuerant, in carcere detenti ſunt. Cœleſtino verò ſedente obiit vnus quoque Cardinalium, qui *Romanum* elegerant, Richardus Annibal Epiſcopus Hoſtienſis.

Iſte autem Cœleſtinus, etat natione Italus, Patria Mediolanenſis ex nobili Caſtillonenſium proſapia apud Inſubres oriundus, Vrbani III. ex Caſſandra Cribella ſorore nepos: à Gregorio IX. in Cardinalium numerum allectus an. 1227. vir in rebus gerendis apprimè verſatus, vitâ integer, doctrinâ inſignis prudentiâ in rebus gerendis admirandus, vt ait Bzouius. Eius autem Epitaphium in Vaticana Baſilica tunc tumulo adſcriptum refert Antonius Nigrinus.

D. O. M.

CÆLESTINO IV. CASTILLIONÆO MEDIOLAN. PONTIFICI OPTIMO MAXIMO. Prudentiâ, Doctrinâ, eloquentiâ, morum grauitate, Vitæque integritate inſigni. Qui cum multis Legationibus ſub Gregorio IX. egregiam pro S. R. E. operam nauaſſet, ſummo totius Reipub. Chriſtianæ gaudio Cardinalium omnium ſuffragiis Pontifex Opt. Max. pronunciatus eſt. Sed conceptam ex eius Pontificatu lætitiam importuna mors publico mœrore deſideriumque non immutauit. Obiit 8. id. Octob. anno Sal. 1241.

Eodem anno obierunt inſignes viri & Magiſtri olim Pariſienſes M. Rogerus Epiſcopus Londinenſis, vir vitæ venerabilis, & miræ ſanctitatis, ſcientiâ præclarus & prædicatione perſpicuus, iocundus eloquio, in menſa dapſilis, & vultu ſerenus, vt ait Mathæus. M. Galfridus de Lucy eiuſdem Eccleſiæ Decanus, M. Hugo de Pateshulle Epiſcopus Ceſtrenſis. Londinenſes Canonici M. Fulconem Decanum Eboracenſem in Epiſcopum aſſumpſeruut: in Decanum verò, M. Guillelmum Eccleſiæ S. Mariæ Canonicum & Cancellarium.

Eodem anno M. Nicolaus de Fernham Anglicanæ nationis, de quo ſupra diximus, aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Dunelmenſem licet inuitus, vt videri voluit. De cuius Electione ſic Mathæus. *Rex erat ipſe* (dictus Nicolaus quem vocat vitum moribus & ſcientiâ commendabilem) *in artibus Pariſius per plures annos. Deinde de arte Medicina Bononia, in quâ clarnit gratioſus & peritus excellenter. Hic etiam poſtquam in Dialectica & arte Phyſicali & Naturis ad plenum eruditus ad Medicinam ſe poſtea conferens,* ſpiritualem videlicet Theologiam, ipſâ ſcientiâ & librorum copiâ ſe adeo reſtaurauit, vt lecturiens ad Cathedram aſcendendam ſufficeret Magiſtralem. Ipſum igitur quaſi expertum & ſcientiâ multipliciter & moribus commendabilibus inſignitum peritorum conſilio Rex & Regina ad ſuarum vocauerunt animarum & corporum cuſtodiam & conſilium familiare, hoc conſulentibus & procurantibus Othone tunc Legato & Epiſcopo Carleolenſi, & aliis ſecretis Regis Conſiliariis. Vbi cum proſperè & prudenter ſe haberet, ad dicti Pontificatus dignitatē electus (à Monachis Dunelmenſibus) non acquieuit. Videbatur enim ei inhoneſtum illi conſentire electioni, cum paulò ante quando in Epiſcopum Conuentrenſem eligeretur, renunciauit, nolens quomodolibet conſentire. Verum adductus amicorum precibus & præſertim Roberti Epiſcopi Lincolnienſis Epiſcoparum accepit, & apud Glouerniam 5. Id. Iunii conſecratus eſt ab Archiepiſcopo Eboracenſi Waltero, præſentibus Henrico Rege, Regina, Epiſcopis, Abbatibus quàm plurimis, præſtitit que Archiepiſcopo ſuo & ſucceſſoribus Canonicam ſubiectionem his verbis. *Ego Nicolaus Eccleſiæ Dunelmenſis electus profiteor Eboracenſi Eccleſia, Tibique, Pater Vvaltere, Archiepiſcopo & ſucceſſoribus tuis Canonicè ſubſtituendis Canonicam ſubiectionem, & reuerentiam & obedientiam. Et hoc propria manu ſubſcribo.*

Monachi quoque Cantuarienſes qui ab Archiepiſcopo ſuo Edmundo excom-

municati fuerant, absolutione impetratâ in Angliam redierunt: quibus se perpetuo aduersarium Romæ præstitit M. Simon de Langetona M. Stephani frater, tunc valde senex. Et Monachi Bonifacium in Archiepiscopum elegerunt.

1242. Anno 1242 Henricus Anglorum Rex Pictauiam & Wasconiam recuperare conatus, ingentem exercitum, ingentesque thesauros amisit: & licet Ludouico Franciæ Regi felicior successisset euentus, vix tamen ex numerosissimo exercitu tertiam partem reduxit, amissis plusquam 20000. non ferro, sed fame & peste. Itaque ambo Reges afflicti in quinquennium inducias pacti sunt. Remanentibus interim in ditione Ludouici vrbibus quas cœperat, & Castellis quæ expugnarat. Eodemque anno conuocatis Franciæ Prælatis Lutetiam, pecuniarium subsidium petiit & impetrauit.

His quoque fere temporibus M. Alexander Alensis Nationis Anglicanæ, tum Franciscanus Commentaria primus edidit in 4. libros Sententiarum Petri Lombardi: qui deinceps multos alios Commentatores habere meruerunt.

Versio Latina 12. Patriarcharum. Circa hæc tempora M. Robertus Grosse-teste Lincolniensis Episcopus, de quo supra diximus, è Græco in Latinum transtulit Testamenta 12. Patriarcharum. Quâ de re sic Mathæus adhunc an. Ipsis quoque temporibus Episcopus Lincolniensis Robertus vir in Latino & Græco peritissimus, Testamenta 12. Patriarcharum de Græco fideli interpretatione transtulit in Latinum: quæ per multa tempora incognita & abscondita fuerunt per inuidiam Iudæorum propter Prophetias de Saluatore in eis contentas. Sed Græci omnium scriptorum diligentissimi inuestigatores, primi in notitiam illius scripti deuenientes, illud de Hebræo in Græcum transtulerunt, & penes eos vsque in nostra tempora reseruarunt. Nec tempore B. Hieronymi vel alicuius sancti Interpretis ad notitiam Christianorum (machinante Iudæorum antiquorum malitia) potuit quomodolibet deuenire. Illum igitur gloriosum Tractatum ad robur fidei Christianæ, & ad maiorem Iudæorum confusionem transtulit plenè & euidenter Episcopus memoratus de Græco verbo ad verbum in Latinum coadiuuante M. Nicolao Græco Clerico Abbatis S. Albani.

Collegium Bernardinorum. Eodem anno M. Stephanus de Lexintona ex Abbate Sauigniacensi in extremis Normaniæ finibus factus est Abbas Clare-Vallensis. Ex ea gente apud Anglos illustrissimâ prodierunt quatuor insignes viri, quorum tres eodem tempore in Regno & Ecclesia Anglicana primas partes tenuerunt. Ioannes, Robertus, Henricus. Ioannes quidem Militis nomine insignitus an. 1238. Custos sigilli Regii ab Henrico delectus, quod M. Radulfus de Neuuilla Cancellarius & Episcopus Cicestrensis seruare solebat. Idemque an. 1246. à Rege missus est ad Conuentum Londinensem contra exactiones Innocentii Papæ IV. *Robertus de Lexintona* Clericus, diu Iusticiarius fuit Angliæ: qui honos Magnatibus tantummodo deferri solebat. Obiit vero 4. Kal. Iunii an. 1250. de quo sic scribit Mathæus. *Eodem anno 4. Kal. Iunii obiit Robertus de Lexintona Clericus, qui in Iustitiaria officio diu commoratus nomen famosum & amplissimas sibi possessiones adquisierat. Veruntamen paucis ante mortem suam annis cessit officio memorato paralysi sauciatus, vt B. Mathæo Apostolo assimulatus de teloneo ad vitam vocaretur meliorem: vnde in eleemosynis largis & deuotis orationibus vitam languidam laudabiliter terminauit. Henricus de Lexintona* ex Decano Ecclesiæ Lincolniensis factus est eiusdem Episcopus an. 1254. & obiit 6. idus August. an. 1258.

Stephanus verò in Vniuersitate Parisiensi educatus, Edmundi, qui postea fuit Cantuariensis Primas, auditor fuit, eiusque concionibus & exhortationibus permotus ad Cistercienses se conuertit. Et primum quidem Abbatiæ de Sauleria in Anglia præfecturam obtinuit: deinde an. 1230. Abbas Sauigniacensis in Normania factus: indeque an. 1242. ad Clare-Vallensem præfecturam euocatus, quam per plures annos laudabiliter gessit. Biennio post, nempe an. 1244. impetratâ ab Innocentio IV. facultate construendi Collegii Parisiis in vsum iuuenum Bernardinorum ad commoditatem studiorum, emit aliquot agri iugera in eam rem iuxta muros Abbatiæ San-Victorinæ. At veriti San-victorini ne processu temporis inter duo Collegia diuersæ Professionis tam propinqua discordia oriretur, cum Stephano & Scholaribus Clare-Vallensibus de emptis iugeribus prædictis

dictis transegerunt, an. 1246. mense Decembri, locumque in quo sita est hodie Bernardinorum Domus, qui locus de *Cardaneto à Carduis* cognominabatur, cesserunt. Quam in rem extat instrumentum in Magno Pastorali Ecclesiæ Parisiensis.

Ideo verò Stephanus construendo Collegio animum adiunxisse dicitur, vt contemptum vitaret & opprobrium, quo Cisterciensium familia solebat à Prædicatoribus & Minoribus affici, homines scilicet esse nullius litteraturæ, & culinæ magis deditos quàm scholarum exercitiis. Meminit huiusce rei Mathæus ad an. 1249. & in recapitulatione rerum memorabilium quæ ab an. 1200. ad an. 1250. quo scribebat, acciderant, sic habet. *Monachi Cistercienses ex dispensatione Papali constructis competentibus ædificiis* Parisius *& alibi, vbi viget* Vniuersitas Scholarium, *student, ne Prædicatoribus & Minoribus contemptui habeantur nigri Ordinis Monachorum vestigia subsequentes.* Quare Prædicatoribus & Minoribus potissimum habebantur contemptui: quia Cistercienses Gradibus Academicis nondum insigniri affectarant: Mendicantes verò stricti Ordinis & modestiæ religiosæ præiudicio Doctoris Magistrique titulum assumebant, Cathedrasque publicas exercebant; & cætero proinde Monachos præ se nihili ducebant. Idque fuit illis diu ab Vniuersitate Parisiensi exprobratum: vt suo loco referetur.

Cæterum Collegium quidem prædictum Bernardinis scholaribus addictum est, sed nullis dotatum reditibus: qui verò illuc ad Scholarum Parisiensium studia mittebantur, à Cœnobiis seu Domibus suis annuas pensiones obtinebant. Benedictus Papa XII. Patria Tolosanus & Professione Cisterciensis, memor studiorum quæ in collegio degens confecerat, certis reditibus primus dotauit circa an. 1336. & post eum Guillelmus Cardinalis. Vnde in lateribus valuarum istius Collegii hæc leguntur insculpta.

Hæc arma sunt Sanctissimæ memoriæ D. Benedicti Papæ XII. Cisterciensis Ordinis: cuius est præsens Studentium Collegium, Professoris. Qui hanc fundauit Ecclesiam & multis dotauit indulgentiis.

D. Guillelmus quondam Cardinalis Doctor Theologiæ, Tolosanus Natione, Cisterciensis Religione, Ecclesiam præsentem ad perfectionem qualem obtinet, produxit. Bibliothecam insigniuit, sexdecim Scholares in Theologia studentes in perpetuo fundauit. Obiit an. 1346.

Anno 1243. tandem Cardinales post longum schisma longamque dilationem conuenerunt in electionem Synibaldi Episcopi Sabinensis; vnius è tribus qui *Romanum* Cardinalem in Papam ante elegerant: isque Innocentius VI. nominari voluit. Notat verò Mathæus Parisiensis sæpe Imperatorem instituisse apud ipsos Cardinales, vt schisma componerent, atque in electionem vnius certi Pontificis consentirent, ob idque eos quos in vinculis detinebat, soluisse, ne quid haberent alii quod opponerent, nec tamen euincere potuisse, vt vnum Reip. Christianæ caput præficerent: demum verò Franciam minatam fuisse se nisi festinarent, propriâ authoritate priuilegiis Apostolicis fultam, Galliarum Papam seu Patriarcham nominaturam & constituturam. Res est notatu digna. *Miserunt* (Nota de Papa Franciæ) *Franci, inquit, solemnes Nuncios ad Curiam Romanam significantes persuadendo præcisè & efficaciter vt ipsi Cardinales Papam rite eligentes Vniuersali Ecclesiæ solatium Pastorale maturius prouiderent; vel ipsi Franci propter negligentiam eorum de sibi eligendo & prouidendo summo Pontifice citra Montes, cui obedire tenerentur, quantocyus contractarent. Et hoc audacter significabant confisi de antiquo priuilegio suo per S. Clementem B. Dionysio concesso & obtento: qui concessit Apostolatum eidem Dionysio super Gentem Occidentalem. Vnde ipsi Cardinales quasi quibusdam stimulis, hinc D. Imperatoris, inde Francorum agitati Romam conuenientes adierunt, vt Papam eligerent in vnum ibidem congregati.* 1243.

Igitur ipsomet Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ die Anagniæ Innocentium elegerunt, & confirmarunt, qui statim latas à Gregorio Prædecessore sententias in Fridericum Imp. confirmauit: quæ res adeo Imperatoris animum exacerbauit, vt duos FF. Minores, sententiæ Pontificiæ ad quosdam Reges & Magnates portitores captos suspendi iusserit, omnesque viarum aditus intercludi. Vnde Pontifex sibi metuens cum Cardinalibus ad solitum Portum confugit, & apud Gallias Lugduni Concilium aduersus Fridericum indixit.

Similiter ad eundem portum confugit M. Willelmus de Rale ex Norwicensi Vvintoniensis Episcopus factus & ab Innocentio confirmatus, sed modis omnibus à Rege Anglicano exagitatus, licet eum omnes Angliæ Magnates admirarentur & amarent præter Monachos Vvintonienses, qui seu mandato Regis seu Prioris sui iussu impulsi à Vvintoniensis vrbis aditu etiam armis eum prohibuerant: quamobrem ille Ciues & totam vrbem interdicto supposuit. At verò Rex ne Oxoniensem Academiam sibi hac in re aduersantem haberet, dedit ad eam litteras, prædictum Episcopum multis criminibus onerans, & ad Curiam Rom. Nuncios delegauit. Hac de re sic Mathæus.

» Rex nulla ratione refrenatus, sed propriæ voluntatis impetu potius exagita-
» tus, manum aggrauans potentissimam, & Episcopum prædictum & eius bona
» grauando protendens clamari fecit & prohibuit, ne quis Vvillelmum de Rale,
» qui se falsò vt ait Episcopum Vvintoniensem fecit solemniter acclamari, hospi-
» tio susciperet, vel eidem in vœnalibus communicaret, vel necessaria victua-
» lium ministraret, & qui ei in aliquo horum subueniret, hostis Regis, imò publi-
» cus haberetur. *Misit etiam idem Rex litteras suas Oxoniam, vt eundem Episcopum co-*
» *ram Vniuersitate diffamaret.* Asserens eum per falsam suggestionem à D. Papa im-
» petrasse, vt in Episcopum Vvintoniensem postularetur & transferretur, & quod
» omnem dolum suum coram curia Rom. & Regno sufficienter probando detuni-
» caret. Ad quod effectui mancipandum cursores suos Romipedas iam iam desti-
» nauit. Fecit etiam Episcopatum Norwicensem infiscari, vt vbique & omnino
» eidem Episcopo aditus solatium excluderetur. Inter alios verò nuncios Romam
» missos nominat M. Alexandrum Legistam cognomento Secularem. Diu itaque
latitare coactus miser Episcopus, cum frustra Coëpiscopos apud Regem pro se supplices habuisset, tandem in Franciam traiicit, atque à Ludouico Rege benignissimè suscipitur: vt & olim B. Anselmus, Thomas Martyr, Edmundus suscepti fuerant ab eo & ab eius Prædecessoribus.

Neque verò in hacce tantum miserorum subleuatione pium se præstitit Ludouicus, sed & erga eos omnes qui in Anglia possessiones habebant, quibus indulsit, vti sub alterutro Rege mallent, prædia sua retinerent, eique se totos mancîparent: cum è contra Henricus, omnes Normanos qui agros domosque in Anglia possidebant spoliarit, omniaque eorum bona fisco adiudicarit.

Eodem anno Innocentius Mendicantium priuilegia à Gregorio illis concessa confirmauit, quorum opera aduersus Imperatorem maximè indigebat, cum illi tunc temporis apud omnes Principes Christianos summâ authoritate valerent. Verum eo superbiæ & insolentiæ deuenisse commemorant præsertim Prædicatores, postquam se eiusmodi Priuilegiis munitos viderunt, vt præ se neminem sacerdotem secularem haberent & æstimarent, neque laïcos pati possent proprio sacerdoti confiteri. Nam vt refert Mathæus Parisiensis, *cum in aliquam parochiam* veniebant, petebant à singulis, *Es ne confessus? quibus si responsum fuisset, Etiam. A quo? à sacerdote meo. Et quis ille Idiota? inquiebant. Nunquam Theologiam audiuit, nunquam in Decretis vigilauit: nunquam vnam Quæstionem didicit enodare. Cæci sunt & duces cæcorum. Ad Nos accedite, qui nouimus lepram à lepra distinguere: quibus ardua, quibus difficilia, quibus Dei secreta patuerunt. Nobis confitemini imperterriti, quibus tanta vt iam videtis & auditis, concessa est potestas.*

Lis inter Prædicatores et Minores.

Neque verò ii erant Prædicatorum de secularibus tantum sacerdotibus sermones cum contemptu & contumelia, sed cæperunt etiam cum FF. Minoribus de Dignitate sui Ordinis excellentia & præeminentia contendere: vt refert idem
» Mathæus. *Et ne* Mundus, inquit, turbinibus vndique multiplicatis vacare vide-
» retur, inter FF. Minores & Prædicatores controuersia eisdem temporibus venti-
» lata, multos eo quod viam perfectionis, videlicet, paupertatis & patientiæ vide-
» bantur elegisse, mouit in admirationem. Asserentibus enim Prædicatoribus se
» fuisse Priores, & in hoc ipso digniores, habitu quoque honestiores, à Prædi-
» catione merito nomen & officium se sortiri & Apostolica Dignitate verius insi-
» gniri. Respondent Minores se arctiorem vitam & humiliorem pro Deo elegisse
» & idcirco digniorem quia sanctiorem, & ab Ordine Prædicatorum ad Ordinem
» eorum Fratres posse & licenter debere, quasi ab inferiori ad Ordinem erectiorem

& superiorem transmigrare. Contradicunt eis in faciem Prædicatores, asserentes quod licet ipsi Minores, nudi pede & viliter tunicati cinctique funiculis incedant, non tamen eis esus carnium etiam in publico vel dieta propensior denegatur, quod Fratribus est Prædicatoribus interdictum. Quapropter non licet ipsis Prædicatoribus ad Minorum Ordinem quasi arctiorem & digniorem auolare, sed potius è conuerso. Sic igitur sicut inter Templarios & Hospitalarios in sancta Terra, sic & inter illos humani generis inimico zizania seminante ortum est discordiæ enorme scandalum. Et quia viri litterati sunt & Scholares, Vniuersali Ecclesiæ nimis periculosum, in indicium magni Iudicii præ foribus imminentis. Et quod terribile est & in triste præsagium, per trecentos annos vel quadringentos vel amplius, Ordo Monasticus tam festinanter non cœpit præcipitium, sicut eorum Ordo, quorum fratres iam vix transactis 24. annis primas in Anglia construxere mansiones, quarum ædificia iam in Regales consurgunt altitudines.

Non possum præterire hoc loco quod omnes pœne historici illius temporis referunt, mirum esse quod Ordines illi duo vix bene adhuc nati eò iam processissent magnitudinis & authoritatis, vt omnia sus deque vertere posse gloriarentur, Ecclesiasticæ pacis, aut discordiæ arbitros se iactarent esse, Vniuersitates subuerterent, & præsertim Parisiensem cuniculis suis subruere molirentur, Imperatores de solio deturbarent, rerum omnium dominium sibi vindicarent. Idem Mathæus Monachus olim Albanensis, ad hunc annum de iis refert quæ sequuntur. *Hi iam sunt*, inquit, *qui in sumptuosis & dtatim ampliatis beneficiis & celsis muralibus thesauros exponunt impreciabiles, paupertatis limitts & abusum suæ Professionis iuxta Prophetiam Hildegardis Alemanniæ impudenter transgredientes morituris Magnatibus & Diuitibus, quos norunt pecuniis abundare, diligenter insistunt non sine Ordinariorum iniuriis & iacturis, vt emolumentis inhiant, confessiones extorquent & occulta testamenta, se suumque Ordinem solum commendantes, & omnibus aliis præponentes. Vnde nullus fidelis nisi Prædicatorum & Minorum regatur consiliis, iam credit saluari. In acquirendis Priuilegiis soliciti, in Curiis Regum & Potentum Consiliarii & Cubicularii & Thesaurarii, Paranymphi & nuptiarum Prælocutores, Papalium extorsionum executores, in Prædicationibus suis vel adulatores, vel mordacissimi reprehensores, vel confessionum detectores, vel incauti redargutores.*

At Petrus de Vineis Friderici II. Imperatoris Cancellarius inducit lib. 1. Ep. 37. Sacerdotes seculares conquerentes, quod desertæ essent Ecclesiæ Parochianis, illorum verò Templa hominum frequentia redundarent: quod Ecclesiæ plebanæ passim dirutæ, altarium linteamina fracta, illorum ædes magnificæ essent & auroradiantes. *Ipsi verò*, inquiunt, *Prædicatores & Minores, imò nostri Prælati potius & maiores, qui à domiciliis & tuguriis inceperunt, domos Regias & palatia subnixa altis columnis & officinis distincta variis erexerunt, quorum impensa deberent in vsus Pauperum erogari. Et qui prius in nascentis eorum Religionis exordio deposito fastu calcare Mundi gloriam videbantur, nunc fastum resumere & amplecti videntur gloriam quàm calcarunt.*

Quanquam verò iste author paulò infensior videri potest Mendicantibus, quia Papæ militabant contra Imperatorem, cum eo tamen consentiunt plurimi alii Scriptores eiusdem tẽporis. Imprimis verò Richerius Senoniensis Monachus l. 4. Chronici. c. 15. agens de Prophetiis & prædictionibus cuiusdam Sanctimonialis, nomine Hildegardis in Alemaniæ partibus, hæc inter cætera de Mendicantibus ait eam cecinisse. *Scripsit* de Ordine futurorum Prædicatorum & FF. Minorum, qui temporibus nostris primùm esse cœperunt. *Dixit quippe apertè quosdam Fratres futuros altè tonsuratos in habitu Religioso sed inusitato, qui in principio sui quasi Deus à Populo reciperentur, nec aliquid proprium habituros prædixit, sed tantummodo eleemosynis fidelium victitarent*, nec de his eleemosynis in crastinum reseruarent; & ita tali paupertate *contenti Ciuitates & Castella & regiones prædicando circuirent: & ita in primordio suo Deo & hominibus chari haberentur, sed citò à proposito suo decidentes viliores haberentur*. Hæc Hildegardis de Prædicatoribus & Minoribus Fratribus fertur prædixisse, quod postea verum actus ipsorum esse probauit.

Et c. 16. vbi specialius de S. Dominico deque principio Ordinis Prædicatorum agit, sic scribit.

" *Mirum* est quod tanti viri in Diuinis sermonibus probabiles, in Ciuitatibus opulentioribus habitare cœperunt in quibus splendidè viuitur, & habitatores earum Ciuitatum deliciis abundant, & ibidem luxus & ambitio rerum secularium vigent, & vsuris & publicis rapinis impudenter insistunt, quomodo nostri Prædicatores à talibus & cum talibus conuersari & viuere & dona ipsorum recipere gratulantur? Sed quia prophetia illius venerabilis Sanctimonialis Hildegardis ne fieret, præteriri non poterat, in primordio sui nostri Prædicatorés, omnibus in bono satis claruerunt: multos quippe ab erroribus suis & à via sua mala auerterunt, & hæreticos quibus vniuersa terra iam prope occupata erat, represserunt, & multos eorum dari igni fecerunt, & adeo in exercitatione sua valuerunt, vt etiam Quidam eorum miraculis claruisse referantur. Sed quia, vt dicitur, noua placent & vsitata vilescunt: quia iam à proposito aliquantulum declinabant; immò etiam de se præsumendo quædam inepta sibi vsurpabant, à populo iam non tanti pretij haberi cœperunt. Diuites quippe & Raptores & Vsurarios publicos circumeundo visitabant, & si qua ambitione secularium vel rapto vel fœnore ab illis acquisita inuenirent, ad Monasteria sua quæ permaxima ædificare cœperant, efficiebant vt donarentur; & ita per interpretes illas res in ædificiorum suorum vel victualium vsus conuertebant: licet non ignorarent rapinas, vel vsuras, nisi eis à quibus extortæ fuerint, reddi debere. *Illos verò qui eis talia dona conferebant, quod Papa facere non potest, à peccatis rapinarum & vsurarum absoluebant, & mortuos in cœmeteriis suis solenniter sepeliebant. Et ob hoc viliores plurimum esse cœperunt.*

Cum eiusmodi hominibus magna fuerunt deinceps Vniuersitati Parisiensi incunda certamina; quod sibi Cathedras Magistrales & Prædicationes ad populum vsurpassent, & sæpe, dum vtrumque nimis ambitiosè affectarent, in Hæreses laberentur, atque à Nostris Academicis conuincerentur & damnarentur.

IMMVNITAS SCHOLARIVM BONON.

Non prætereundum videtur, quod hoc anno, cum Bononienses intestino bello flagrarent, Tributumque omnibus suæ Ditioni subiectis imposuissent cum militandi necessitate, ea tamen lege immunem esse voluerint Vniuersitatem: qua de re sic Sigonius lib. 6. Histor. Bonon. *Et cum cæteri omnes*, inquit, *lege in militiam cogerentur: Doctoribus tamen ac Scholaribus, ne à studiis suis auocarentur, publicæ vtilitatis gratia temperatum. Verba legis eius hæc sunt.*

" Vt habeatur maior copia Magistrorum, gratiaque Scholarium constitutum est ex voluntate Consilij Specialis & Generalis Azone Pirouano Prætore, ne Domini legum qui regunt aut rexerunt, teneantur ire nec pro se mittere in exercitum, aut excursionem, aut ad custodiam alicuius Castri vel loci vel hominis, aut cum Equites & pedites mittentur ad commodum alterius, nec referantur in Decimas Equitum, nec in viginti quinquenas peditum, vel in alium numerum Peditum aut Equitum. Tributa tamen quæ imperabuntur pro operibus vrbis & Custodiis Castrorum vel aliis de causis, soluere teneantur perinde atque alij Ciues. Eadem lex valeto in Magistris Grammaticæ, Dialecticæ, Physicæ, Notariæ & Dictatoriæ facultatis qui regunt aut rexerunt continuè. Scholares autem Ciues, qui docent alios extra Ordinem, & alii ciues qui *audiunt Dominos legum assiduè, possint impune mittere pro se alium in Exercitum & excursionem, cui non si imperatus equus à Ciuitate, aut qui equum honoris sui causa non alat.*

Iuuat quoque excurrere in immanitatem Tattarorum seu Tartarorum quibuscum iuncti Patarini Hæretici occasione dissidij Regum & Ecclesiasticæ Curiæ sumptâ totum Orbem deuastabant. Legitur in hanc rem Epistola Yuonis Narbonensis apud Mathæum Paris. ad Giraldum Burdigalensem Archiepiscopum, cuius partem iam ante retulimus, sed quia multa continet capita scitu & memoratu digna, totam hîc referemus.

EPISTOLA YVONIS NARBONENSIS DE PATERINIS ET TARTARIS.

Giraldo Dei Gratia Burdegalensi Archiepiscopo Yuo dictus Narbonensis suorum olim nouissimus Clericorum salutem, & super talentis creditis ad reddendum sufficere rationem. Terrenis inuolutæ negotiis animæ Reproborum Diuini comminationes Iudicij non aduertunt: nec obstinatis terror incutitur, donec horrendæ damnationis sententiâ feriantur. Miror namque quod cum terribiliter imminente cunctis exterminio Christianis, talis obstinatio Reges terræ cæterosque potentes vniuersaliter comprehendat, quod vos qui zelum Dei habere dicimini, vestræ magnitudinis grauitati obstinatorum corda non attentatis moue-

re: vestræ siquidem à pluribus & sapientibus & authoritati staretur & fidei crederetur. Porro quantum Christianis ex superueniente Tartarorum impetu periculum imminet, solis constat expertis. Nam ex illius populi crudelitate vel dolo mentiri non posset infamia, cuius vt vobis ritus nefandos, breuiter prosequar, nihil dicam quod dubitem vel opiner, sed certè quod expertus sum & quod scio. Accusatus quondam vt nostis, ab æmulis meis coram M. Roberto de Curzun Romanæ Curiæ tunc Legato, super hæreticâ prauitate, non conscientiæ scrupulum sed causæ turpitudinem erubescens iudicium declinaui, & hoc ipso factus suspectior. Auditis igitur illius Authentici viri comminationibus fugi à facie persequentium. Multas proinde compulsus circuire prouincias Paterinis in Ciuitate Cumeæ commorantibus conquerendo narraui, qualiter pro fide eorum, quam Deo teste nunquam didiceram vel sequebar, præcipitatis in me sententiis exulabam. Hoc illi audito gauisi sunt & me felicem censuerunt, eo quod persecutionem propter iustitiam tolerassem. Et ibidem apud eos tribus mensibus splendidè ac voluptuosè procurabar, & multos quotidie errores, imò potius horrores quos contra fidem Apostolicam asserebant, audiens subticebam. Meque beneficiis obligarunt ad promittendum sibi, quod ex tunc Christianis cum quibus morosum possem habere colloquium, prædicarem persuadendo quod in fide Petri neminem contingeret saluari, & hanc sententiam pertinaciter edocerem. Hocque mihi fide interpositâ promittenti sua cœperunt secreta detegere, perhibentes quod ex omnibus fere Ciuitatibus Lombardiæ, quibusdam *Tusciæ Parisios* dociles transmisissent *Scholares*, quosdam Logicis cauillationibus, alios etiam Theologicis dissertationibus insudantes, ad adstruendos ipsorum errores & professionem Apostolicæ fidei confutandam. Multos etiam Mercatores hac intentione mittunt ad Nundinas, vt peruertant diuites Laïcos commensales & hospites, cum quibus loquendi familiariter indulgetur facultas, vt multiplicites negociantes, aliorum sibi pecunias hinc sibi lucrentur, inde animas nihilominus thesaurizent Antichristo. Cumque à prædictis fratribus degeneribus licentiam petiissem, miserunt me Mediolanum à suis Comprofessoribus hospitandum. Et sic omnes pertransiens Ciuitates Lombardiæ circa Padum semper inter Paterinos, semper in recessu accepi ab aliis ad alios intersignia. Cremonam tandem perueniens oppidum in Foro-Iulij celeberrimum, nobilissima Paterinorum bibi vina, rabiolas & ceratia & alia illecebrosa comedens, deceptorem decipiens Paterinumque me profitens, sed Deo teste, fide, etsi non operis perfectione Christianus existens, Cremonæque per triduum commoratus acceptâ licentiâ & Complicibus, sed maledictione à quodam ipsorum Episcopo cui suspectus eram, postmodum vt audiui, pro quadam fornicatione ab eis deiecto, nomine Petro Gallo, inde cum quodam fratre Laico Canales Aquilegiæ sum ingressus peregrinans, & transmigrando vlterius in oppido apud Frisac iacuimus apud fratres. Sed ab eodem fratre postero mane solus relictus Carinthiam pertransiens soliuagus, ac deinde in quodam oppido Austriæ quod Theutonicè *Neustat* dicitur, id est *Noua Ciuitas*, inter quosdam nouos Religiosos qui Beguini vocantur, hospitabar. Et in proxima Ciuitate Wienna locisque circumiacentibus aliquot annis delitui, opera confundens, heu heu! bona & mala: viuens enim Diabolo instigante satis incontinenter, animæ meæ noxius aduersabar: multos verumtamen ab errore Paterinorum reuocans iam sæpius memorato.

Hoc igitur & multis aliis peccatis inter Nos Christianos emergentibus iratus Dominus, factus est veluti vastator hostilis, & vltor formidabilis. Hoc idcirco dixerim, quia quædam Gens ingens, homines inhumani, cui lex exlex ira furor, virga furoris Dominici, terras infinitas peragrando feraliter deuastar. omnia obstantia cæde & incendio horribiliter exterminando. In hac demum æstate ipsa Gens memorata quæ Tattari nuncupantur, Pannoniam quam per traditionem ceperat, exiens, dictum oppidum in quo tunc forte morabar, cum infinitis militibus obsedit truculenter. Nec erant ibidem in ipso, & nostris viri bellici præter milites 50. quos cum 20. Balistariis Dux in munitione reliquerat. Hi omnes ex quibusdam eminentiis circumfusum videntes exercitum, immanem abhorrebant sæuitiam Satellitum Antichristi, & ascendentes ad Dominum, Christianorum planctus miserabiles audiebantur, qui subito in circumiacente

„ te prouincia præoccupati sine delectu conditionis, fortunæ, sexus & ætatis omnes indifferenter diuersis suppliciis interibant. Quorum cadaueribus Principes cum suis Cynocephalis aliisque Lotophagis, quasi pane vescentes nihil præter ossa vulturibus relinquebant. Sed quod mirum est, famelici & edaces vultures quæ forte supererant, reliquiis vesci minimè dignabantur. Mulieres autem vetulas & deformes Antropophagis qui vulgo reputantur, in escam quasi pro diario dabant, nec formosis vescebantur, sed eas clamantes & eiulantes in multitudine coitu̅m suffocabant. Virgines quoque vsque ad exanimationem opprimebant, & tandem abscissis earum papillis quas Magistratibus pro deliciis reseruabant, ipsis virgineis corporibus lautius epulabantur. Videntibus interim ipsorum speculatoribus ex cuiusdam Promontorii summitate Ducem Austriæ cum Rege Bohemiæ, Patriarcha Aquilegiæ, Duce Carinthiæ & Marchione vt dicebatur, concomitante de Bade, cumque plurimo potentatu Conterminorum, & iam ordinatas ad bellandum acies totus ille nefandus Exercitus repente disparuit, omnesque illi Cursores in miserabilem Hungariam sunt reuersi. Qui vt subitò aderant, sic & aberant repentini. Vnde magis omnes hoc videntes reddunt formidantes. Ex ipsis verò fugientibus Princeps Dalmatiæ capit octo. Quorum Dux Austriæ nouit vnum Anglicum Natione: sed propter quædam maleficia de Regno Angliæ perpetuâ bannitione proscriptum. Hic ex parte Regis Tartarorum, his venerat ad Regem Hungariæ Nuncius & interpres, & mala quæ postmodum contigerunt, satis manifestè præmuniendo comminatus est, nisi se & Regnum suum Tartareæ dederet seruituti. Hic à Principibus nostris inductus ad dicendum veritatem de Tartaris nullum visus est prætermittere iuramentum, sed tanta contestatus est, vt & ipsi credi posset Diabolo. In primis igitur de seipso narrauit, quod instanter post tempus proscriptionis suæ, idest ante 30. annos ætatis suæ in Ciuitate Acon, amissis in ludo omnibus quæ habebat, in ipsâ hyeme nihil præter camisiam de sacco, calceos de boue, capam de cilicio secum asportans, ignominiosâ compellente inediâ cum infirmitate, tonsuratus omnino & fatuus, & inexpressè clamans vt mutus, multas Prouincias liberè pertransisset, & hospites beneficos inuenisset, qualem qualem vitam protraxit, quamuis quotidie verborum leuitate & cordis inconstantia se Diabolo commendasset. Tandem ex nimietate laborum & assiduâ aëris mutatione & ciborum apud Chaldæos graui languore detentus & in tædium vitæ demersus est. Non valens igitur procedere vel reuerti, paulatim respirando ibi commorans, cœpit vt erat aliquantulum litteratus, ea quæ ibi proferebantur, tabulis cõmendare, & citò postea tam rectè proferre, vt indigena putaretur, & eadem facilitate didicit plures linguas. Ipsum igitur Tartari per Exploratores suos eligentes sibi attraxerunt: & postquam deuindicando sibi totius mundi Dominio acceperunt responsum, multis sibi donariis ad fidelitatem suam & seruitium adstrinxerunt, pro eo quod Interpretibus indigebant. De moribus autem eorum & superstitione, de dispositione corporum eorum & de statura, de patria, & modo pugnandi iurauit quod sunt super omnes homines auari, iracundi, dolosi & immisericordes. Sed rigore punitionis & immunitate pœnarum per suos superiores infligendarum à iurgiis & mutuis deceptationibus & sæuitiis inuicem coërcentur. Principia suarum Tribuum Deos vocant, & certis colunt temporibus solennitates eorum, multas quidem particulares, sed tantum 4. generales. Et propter se solos omnia credunt esse creata. In exercendo sæuitiam contra rebelles nullum esse credunt peccatum. Habent autem pectora dura & robusta, facies macras & pallidas, scapulas rigidas & erectas, nasos distortos & breues, menta prominentia & acuta, superiorem mandibulam humilem & profundam, dentes longos & raros, palpebras vsque ad nasum protensas, oculos inconstantes & nigros, aspectus obliquos & toruos, extremitates ossosas & neruosas, crura quoque grossa, sed tibias breuiores, staturâ tamen Nobis æquales, quod enim in tibiis deficit, in superiori corpore compensatur. Patria eorum tellus olim deserta & maximæ vastitatis vltra omnes Chaldæos, de qua leones, vrsos & alias feras arcubus & aliis machinis expulerunt. De coriis earundem bullitis sibi arma leuia quidem sed tamen impenetrabilia coaptarunt. Solent autem non maximis sed fortissimis equis & paruo pabulo contentis insidentes fortiter alligari. Iaculis, clauis, bipen-

Mores et habitus Tartarorum.

nibus & gladiis infatigabiliter ac fortiter dimicare Sed prærogatiuam habet in arcubus & argutam industriam pugnandi. A tergo debilius armati ne fugiant, non prius à conflictu recedunt quàm principale vexillum sui Ducis videant retroire. Victi quoque non supplicant & vincentes non parcunt. In voluntate & proposito subiiciendi suo Dominio totum mundum persistunt omnes quasi vir vnus, nec possunt tamen millia milliū computari. Satellites verò numero sexcenta millia cum ad mansiones exercitui præparandas præmittuntur, properantes in equis cursoribus sub vnius noctis spatio transuolant tres dietas: seque subitò per totam diffundentes prouinciam vniuersum populum inermem, immunitum & dispersum præoccupantes tantam faciunt stragem vt Rex vel Princeps terræ obsessæ, quos contra eos adunet & in bello ordinet, non inueniat. Omnes populos & Principes regionum secundum non causam vt causam tempore quietis decipiunt. Nunc se propter magnos Reges quorum sacris corporibus ornatur Colonia in Patriam suam reportandos: nunc propter auaritiam & superbiam Romanorum qui eos antiquitus oppresserant, relidendam: nunc propter subdendas sibi Barbaras tantum & Hyperboreas Nationes & Gentes: nunc propter furorem Teutonicum suâ modestiâ temperandum: nunc propter militiam à Gallis addiscendam: nunc propter terræ fertilitatem quæ suæ multitudini sufficere possit, acquirendam: nunc propter peregrinationem ad S. Iacobum in Gallicia terminandam egressos se Patriam mentiuntur. Pro quibus figmentis Quidam eis Reges inito fœdere liberum per terras suas transitum concesserunt; eisque fœdera non seruantibus nihilominus perierunt. Tantis igitur emergentibus toti Christianissimo Populo periculis, quid rudium religionum & adhuc fornacis ex qua prodierunt igne flagrantium faciunt sancti Fratres, qui credi volunt viam se perfectionis præ cæteris elegisse? Confessionibus siquidem & aliis familiaritatibus, & Principum & Magnatum sibi fauorem conciliantes, in auribus eorum contra Tartaros instanter & importunè clamare deberent: malè faciunt si non clamant; peius, si simulant; pessimè, si succurrunt. Quid Monachi nigri & albi, & Canonici Nobertini qui mundo mortui credi volunt, quare hæc videntes imminere pericula contra Tartaros Crucem non prædicant baiulandam? O Regum stulta consilia, Episcoporum & Abbatum taciturnitas supina! inaudita crudelitatis rabies? Sed Regna Christianorum iam destructa sunt, & idem de cæteris imminet, nec ex occisorum exemplo superstitibus adhibetur cautela: sed hostes sæuissimos relinquimus in Patria, & mitissimos impetimus vltra mare.

Ea propter ego qui vestræ paternitatis gratiâ sum id quod sum, duxi vobis in Domino consulendum, vt Reges Franciæ, Angliæ & Hispaniæ inter quos locum medium obtinetis, curetis inducere modis omnibus si possitis, vt sopitis inter eos omnibus querelis vel in perpetuum vel ad præsens, tractatum inter se discretum habeant & maturum, qualiter tot militibus sæuorum securè possint occurrere. Fidem enim Christi contestor in qua spero saluari, quod tot monstrorum vel omnes ipsi confundent, vel singuli confundentur. Valete.

Anno 1244. Innocentius Papa datis ad Ludouicum Regem litteris rogauit, vt 1244.
quosdam Iudæorum libros, quos iam Academia Parisiensis Gregorij IX. iussu damnauerat, toto Regno conquisitos ignibus mandari iuberet. Deinde ne Christianas ancillas Infidelibus Iudæis seruire sineret propter emergentia inde pericla. Legitur autem hæc Bulla in magno Bullario.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Ludouico Regi Franciæ Illustri Sal. & Apost. bened. Impia Iudæorum perfidia, de quorum cordibus propter immensitatem suorum scelerum Redemptor noster velamen non abstulit, sed in cæcitate quæ contigit ex parte in Israël, adhuc manere permittit prout conuenit, non attendens quod ex sola misericordia pietas ipsos Christiana recipiat, & cohabitationem illorum sustineat patienter, illa committit enormia quæ stupori audientibus & referentibus sunt horrori. Ipsi enim ingrati Domino Iesu Christo qui conuersionem eorum ex suæ longanimitatis affluentia patienter expectat, nullam prætendentes verecundiam culpæ suæ, nec reuerentes honorem fidei Christianæ, omissis seu contemptis lege Mosaïca & Prophetis quasdam traditiones seniorum suorum sequuntur: super quibus eos in Euangelio Dominus obiurgat dicens: Quare vos transgredimini mandatum Dei & irri-

„ tum fecistis propter traditiones vestras, hominum Doctrinas & mandata do-
„ centes? In eiusmodi enim Traditionibus quæ Thalmuth Hebraïcè nuncupantur
„ & magnus liber est apud eos excedens textum Bibliæ in immensum, in quo sunt
„ blasphemiæ in Deum & Christum eius ac B. Virginem manifestè intractabiles
„ fabulæ, abusiones erroneæ ac stultitiæ inauditæ, filios suos docent ac nutriunt, &
„ à legis & Prophetarum doctrina reddunt ipsos penitus alienos, verentes ne ve-
„ ritate quæ in eisdem lege ac prophetis est intellectâ, apertum de vnigenito Dei
„ filio venturo in carne testimonium perhibente conuertantur ad fidem & ad Re-
„ demptorem suum humiliter reuertantur. Et his non contenti faciunt Christianas
„ filiorum suorum nutrices in contumeliam fidei Chistianæ, cum quibus turpia
„ multa committunt. Propter quæ fidelibus est verendum ne Diuinam indignatio-
„ nem incurrant, dum eos perpetrare patiuntur indignè quæ fidei nostræ confusio-
„ nem indicunt. *Et licet Dilectus filius Cancellarius Parisiensis. & Rectores ac Re-*
„ *gentes Parisius in sacra Pagina*, de mandato fælicis recordationis Gregorij Papæ
„ prædecessoris nostri tam prædictum abusionum librum, quàm alios quosdam eum
„ omnibus glossis suis perlectos in parte ac examinatos ad confusionem perfidiæ
„ Iudæorum publicè coram Clero & populo incendio concremarint, prout in lit-
„ teris eorum prospeximus contineri, quibus Tu tanquam Catholicus Rex & Prin-
„ ceps Christianissimus impendisti super hoc auxilium congruum & fauorem: pro
„ quo Regalem excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus ac pro-
„ sequimur actionibus gratiarum. Quia tamen nondum Iudæorum ipsorum abu-
„ sio profana quieuit, nec adhuc dedit eis vexatio intellectum, Celsitudinem Re-
„ giam attentè rogamus, monemus & obsecramus in Domino I. C. quatenus ex-
„ cessus huiusmodi detestabiles & enormes commissos in contumeliam Creatoris
„ & in iniuriam nominis Christiani, prout piè incepisti laudabiliter prosequendo
„ facias debitâ seueritate coerceri, tam prædictos abusionum libros reprobatos per
„ Doctores eorundem, quàm generaliter omnes eum glossis suis qui per ipsos exa-
„ minati & reprobati fuerint, mandes per totum Regnum tuum, vbicumque re-
„ periri poterunt, igne cremari, firmiter inhibendo, ne de cætero Nutrices seu
„ Seruientes habeant Christianos, ne filij liberæ filiis famulentur ancillæ. Sed tan-
„ quam serui reprobati à Domino, in cuius mortem nequiter conspirarunt, saltem
„ per effectum operis seruos se recognoscant illorum, quos Christi mors & istos li-
„ beros & illos constituit esse seruos vt proinde sinceritatis tuæ zelum possimus in
„ Domino dignis laudibus commendare. Datum Laterani 7. id. Maij, Pontif.
„ nostri an.

Eodem anno conquesta est cum Franciscanis Vniuersitas apud summum Pontificem Innocentium: quod Fratres Prædicatores Nouitios Scholares exciperent non satis adultos, nec ante annum probationis exire volentes, abire sinerent, imò reluctantes & inuitos retinerent. Quam licentiam repressit Innocentius datâ ad Magistrum Ordinis Bullâ, quæ postea ab Othone & Godefrido Cardinalibus euulgata est.

Otho permissione Diuina Portuensis & S. Rufinæ Episcopus, & Godefridus Diuina miseratione S. Adriani Diaconus Cardinalis, Omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noueritis nos vidisse & diligenter inspexisse litteras Apostolicas non abolitas, non cancellatas, non aliquâ sui parte vitiatas, sed in primâ figurâ, in verâ Bullâ, filo, stylo & charta, quarum tenor talis est,

„ Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei Magistro & Fratribus Ordinis
„ Prædicatorum Sal. & Apost. bened. Non solum in fauorem Conuersi, sed etiam
„ Monasterij, Probationis tempus à SS. Patribus indultum, vt ille asperitates illius,
„ & istud mores illius valeat experiri. In Regula quoque B. Patris Benedicti præ-
„ cipitur, vt ad conuersionem nouiter venientibus non facilis tribuatur ingressus,
„ sed sicut docet Apostolus, an sit ex Deo spiritus comprobetur, & dura & aspera
„ per quæ itur ad Dominum, exponantur. Postea in eadem Regula subiungitur,
„ vt dicatur *Ecce lex sub qua militare desideras*, si eam obseruare potes, ingredere,
„ alioquin liber venisti, liber discedas. Insuper felicis recordationis Gregorius
„ Papa prædecessor noster statuit, vt positi in probatione Nouitii ante susceptum
„ Religionis habitum, qui dari profitentibus consueuit, seu ante professionem
„ emissam, ad statum pristinum redire possint liberè intra annum. Et ad omnem

ambiguitatem

ambiguitatem penitus amouendam cum in quibusdam locis Religiosis Nouitiorum habitus non distinguatur ab habitu Professorum, professionis tempore benedicantur vestes quæ profitentibus conceduntur, vt Nouitiorum ac Professorum habitus discernatur. Licet igitur zelum animarum habentes eas lucrari Domino solicitè cupiatis, quia tamen decet & expedit vt conscientiæ puritati non desit iudicium rationis, ne vnde spiritualis prouectus quæritur, inde salutis dispendium subsequatur, vobis de fratrum nostrorum consilio in virtute obedientiæ sub pœna excommunicationis authoritate præsentium districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum, qui est maximè in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus, quemquam ad professionem vestri Ordinis seu renunciationem seculi faciendam recipere præsumatis, nec constitutum in probatione Nouitium aliquatenus impedire, quominus infra eundem annum probationis ad aliam religionem quam maluerit transeat, sicut de sua processerit libera voluntate, non obstante statuto contrario, si quod à nobis est editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus litteris à sede Apostolica impetratis, seu etiam impetrandis quæ de præmissis expressam non fecerint mentionem. Quod si forte contra eiusmodi inhibitionem quemcunque recipere præsumpseritis, decernimus eum qui taliter receptus fuerit, nullatenus vestro esse Ordini alligatum, vosque à receptione quorumlibet ad professionem eiusdem Ordinis fore ipso facto suspensos & insuper pœnæ subiiciendos, quæ fratribus ipsius Ordinis pro culpis infligi grauioribus consueuit. Nulli ergo &c. Datum apud Ciuitatem Castell. 15. Kal. Iul. Pontif. nostri an. 1.

Nos autem ad precum instantiam fratrum Minorum præsens transcriptum ex litteris ipsis de verbo ad verbum sumptum sigillis nostris fecimus communiri. Datum Suteri 5. Non. Iul.

Idem Pontifex Friderici Imperatoris vim fugiens & paratas sibi insidias, in Galliam venit & Lugduni resedit, rogato prius per Cluniacenses Monachos qui Comitia sua Generalia celebrabant, Rege Ludouio, vt ad solitum Galliarum azylum confugere sibi liceret. Lugdunum ergo peruenit circa initium mensis Decembris, & paulo post vt haberet sibi Parisiensem Vniuersitatem fauentem, confirmauit pacem & concordiam aliàs inter eam & Cancellarium ac Episcopum Parisiensem firmatam & iuratam operâ R. Legati Apostolici. Extant in hanc rem duæ illius Bullæ quæ leguntur in veteri libro Procuratorum Nationum Gallicanæ & Germanicæ. Priori hic titulus præfigitur. CONFIRMATIO COMPOSITIONIS FACTÆ INTER PARISIENSEM VNIVERSITATEM EX VNA PARTE, ET CANCELLARIVM PARISIENSEM EX ALTERA.

BVLLA INNOCENTII CONFIRMATIVA CONCORDIÆ INTER VNIVERSITATEM ET CANCELLARIVM INITIÆ.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis Magistris & Vniuersitati Scholarium Paris. Salutem & Apostolicam benedictionem. Ea quæ Iudicio vel concordia terminantur, firma debent & illibata persistere: & ne in recidiuæ contemptionis scrupulum relabantur, Apostolico conuenit præsidio communiri. Ex parte siquidem vestrâ fuit propositum coram Nobis, quod cum olim inter vos ex parte vna, & bonæ memoriæ Episcopum, Cancellarium ac dilectos filios Capitulum Parisiense ex altera, super danda licentia ab eodem Cancellario Magistris volentibus incipere in singulis Facultatibus, & faciendis constitutionibus, de ordinandis Lectionibus & Disputationibus, ac puniendis rebellibus per substractionem societatis, & taxandis hospitiis, ac quibusdam aliis articulis suborta fuisset materia Quæstionis, tandem mediante bonæ memoriæ Ro. Episcopo Portuensi tunc S. Angeli Diacono Cardinale & in partibus illis Apostolicæ sedis Legato amicabilis inter partes compositio intercessit: quam Compositionem Apostolico petiuistis munimine roborari. Nos igitur vestris supplicationibus benignum impertientes assensum, Compositionem ipsam sicut sine prauitate facta est, & ab vtraque parte sponte recepta & hactenus pacificè obseruata, authoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni idib. Febr. Pontificatus nostri anno. 2.

Altera Bulla continet Conseruationem prædicti Priuilegii, dirigiturque ad Episcopum Siluanectensem priuilegiorum Vniuersitatis Conseruatorem & ad aliosquosdam quorum nomina desiderantur in inscriptione. Est autem eiusmodi.

» *Innocentius* Episcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili Fratri Episcopo Siluanectensi, & Dilectis filiis Decano & Scholastico Ambianensi Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilecti filii Magistri & Vniuersitas Scholarium Parisiensium Nobis humiliter supplicauerunt, vt compositionem quæ inter ipsos ex vna parte, & bonæ memoriæ Episcopum & Cancellarium & Dilectos filios Capitulum Parisiense ex altera super danda Licentia à Cancellario Parisiensi, qui pro tempore fuerit, Magistris volentibus incipere in singulis Facultatibus, constitutionibus faciendis, de Lectionibus ordinandis ac Disputationibus, ac puniendis Rebellibus per substractionem societatis, & taxandis hospitiis & quibusdam aliis articulis mediante bonæ memoriæ R. Episcopo Portuensi tunc S. Angeli Diacono Cardinale in partibus illis Apostolicæ sedis Legato amicabiliter intercessit, Apostolico dignaremur munimine roborare. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus compositionem eandem sicut sine prauitate prouidè facta est, & ab vtraque parte sponte recepta & hactenus obseruata pacificè, faciatis per Censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ firmiter obseruari. Quod si non omnes his exequendis poteritis interesse, Tu frater Episcope cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Lugduni VI. Id. Martii Pontif. nostri an. 2. Prædicta Bulla legitur etiam in lib. Gall. & Germanicæ Nationis sub Gregorii nomine ad Archiepiscopum Remensem.

» *Gregorius* Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Remensi & Episcopo Siluanectensi & Dilectis filiis Decano S. Quintini Nouiomensis Diœcesis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilecti filii Magistri & Vniuersitas Scholarium &c. Datum Assisii Nonis Iunii, Pontif. nostri an. 2.

Eodem anno idem Pontifex alias dedit ad Vniuersitatem Litteras, quibus constituendo mandabat, Theologicæ Facultatis scholas publicas, disputationes & honorabiles gradus Minoribus & Prædicatoribus cũ aliis facere communes. Ita scribit wadinghus in Annalib. Min. citatque Gonzagam in Conuentu Parisiensi. Hanc autem Bullam non habemus, quod sciam, in Archiuis.

STATVTVM FACVLTATIS ARTIVM. Eodem anno Facultas Artium, Vniuersitatis Parisiensis prima origo & Mater cæterarum, in 4. Nationes diuisa statutum fecit de modo & tempore legendi in scholis: quia tunc temporis aliqui post dimissas Lectiones & tempore vacationum legere non desistebant. Item aliis anni temporibus aliâ & aliâ horâ ingrediebantur in scholam. Vt itaque vniformis esset in eadem Artium Facultate docendi modus, statuto seu nouo seu renouato opus fuit: quod legitur in libro Rectoris.

» Anno Domini 1244. Nouerint Vniuersi quod pro vtilitate communis studii Artium & eiusdem reparatione, de communi assensu Artistarum prouidè & de consilio proborum prouisum & institutum est, quod deinceps à festo S. Remigii vsque ad Quadragesimam nullus Magister siue actu Regens, siue non actu Regens, siue Bachelarius, siue quicunque alius aliquo die disputabili, aliqua hora diei Lectionem Cursoriam nec in scholis nec in domo suâ vel alienâ legere præsumat. Die verò non disputabili citra horam tertiam aliquo modo legere similiter Lectionem Cursoriam nullus præsumat. Post tertiam verò quacunque hora illius diei legere possit.

» A Quadragesima verò postquam Bachelarii determinare inceperint, die quo Magistri disputant vsque ad Pascha Lectionem Cursoriam vsque ad completam Completorii pulsationem nullus legere præsumat. Die verò quo Magistri non disputant in Quadragesima citra horam tertiam nulla Lectio Cursoria legere inchoetur. Post tertiam verò vsque ad prandium legant Cursores quacunque horâ diei illius pro suâ voluntate. Post prandium verò si Bachelarii non disputant, non legant Cursoriè, vel lectionem Cursoriam inchoent vsque post completam Completorii pulsationem. Si verò Bachelarii non disputent post prandium, quacunque hora Cursores possunt legere: & similiter die quo disputant post prandium, quacunque hora voluerint Lectiones Cursorias inchoare.

A Pascha verò vsque ad festum S. Remigii in vindemiis die disputabili vsque post completam Nonæ B. Mariæ pulsationem non præsumatur legi vel inchoati lectio cursoria ab aliquo: Completa verò Nonæ pulsatione sibi legendi cursoriè vsque ad noctem gratia confertur. Die verò non disputabili citra Tertiam, (hoc est Octauam aut Nonam nostram matutinam, loquitur enim hîc more Romano) nullus inchoet lectionem Cursoriam. Post tertiam verò illius diei quacunque horâ illius diei voluerit, legere possit. Si quis verò contra prædictæ constitutionis formam aliquo modo venire præsumpserit, nouerit se incursurum totius Societatis & omnium Beneficiorum Vniuersitatis priuationem, quo vsque pro qualitate & quantitate delicti vel transgressionis Mandati Vniuersitatis Rectori & Procuratori pro Vniuersitate fuerit ad plenum & pro ipsorum voluntate satisfactum.

Item eodem anno apud Mathurinenses, quo in loco iam tum Comitia Generalia Vniuersitatis celebrari consueuerant, statuta quæ sequuntur, facta sunt à tota Vniuersitate Magistrorum & Scholarium: leguntur que in libro Rectoris fol. 58. & in libro Procuratorum Nationis Gallicanæ, in quo hic titulus præponitur. STATVTVM VNIVERSITATIS SVPER SCHOLIS ET DOMIBVS RETINENDIS.

Anno 1244. mense Feburario. Nouerint vniuersi Magistros Vniuersitatis Parisiensis in Ecclesia S. Mathurini Parisiensis in plenâ congregatione, de communi assensu ipsorum instituisse, quod nullus Magister per se vel per alium retineat plures scholas pro Bachelario, aut qui de nouo est incepturus, siue pro alio Magistro retinere poterit: ita tamen quod si opus fuerit, fidem suam pro hoc faciat iuramento.

Item Nullus nisi actu Regens scholas retinere præsumat ad opus suum.

Item nullus retineat scholas alterius actu Regentis, quandiu ibi legerit & fecerit quod debuerit erga hospitem.

Item nullus super alium conducat pro maiori pretio scholas, quas alius conduxit, nec amplius accipiat ab alio si conducat.

Item nullus retineat Scholas vltra pretium taxationis impositum.

Item nullus Magister retineat scholas aliquas ab aliquo hoc modo, quod locans faciat ibi determinationem quocunque modo locans, siue Laïcus vel sublocans.

Item si aliquis Scholaris Domum conduxerit aliquam & de quadam parte Domus Scholas facere voluerit, fiat taxatio secundum æstimationem Bonorum ad comparationem localis pretii eiusdem.

Item nullus super alios vel alium Domum conducat, quandiu manentes in domo eam retinere voluerint, & fecerint quod debuerint secundum consuetudinem totius villæ Parisiensis.

Item si hospes non vult hospitium suum dare ad pretium taxatum, & Scholaris obtulit se daturum pretium & securitatem obtulit sub hoc facere competentem, eadem Domus interdicatur per quinque annos. Ille autem vel illi scholares qui domum interdictam receperint, vel moram ibi fecerint & recedere noluerint, quàm citò moniti fuerint per *Rectorem* vel *Seruientem* ab eo missum, vel *Procuratores* similiter, vel Nuncium ab eis missum, beneficiis scholarum & Vniuersitatis priuentur.

Item vacationes quæ debent fieri ante Natale Domini, incipiant à secundo O vsque ad crastinum crastini Epiphaniæ. Hæc autem statuta sunt retentâ potestate, vt Vniuersitas Magistrorum possit addere vel minuere & mutare *secundum quod viderit expedire*. Leguntur in rem Hospitiorum quædam Priuilegia Innocentii IV. circa nempe Domorum, quæ ad Religiosos pertinebant, taxationem, seu verius confirmat ea quæ in eam rem à Gregorio statuta fuerant an. 1237. Viterbii Pontificatus anno vndecimo. Ipsissima enim prope Gregorii verba repetit, post hoc lemma, quod legitur in lib. Nat. Gallic. *Priuilegium quod Cancellarius Parisiensis cogat Religiosos ad taxationem suarum Domorum, & de modo Taxationis.*

Innocentius Episc. S. S.D. Dilecto filio Cancellario Parisiensi Sal. & Apost. Bened. Sua nobis dilecti filij Magistri & Scholares Parisienses petitione monstrarunt, quod cum

olim iidem in soluendis hospitiorum suorum pensionibus intolerabiliter grauarentur, tamen de voluntate & consensu Charissimi in Christo filij nostri Illustris Regis Franciæ deliberatione prouidâ Taxatores ad hoc viros prouidos deputarunt. Verum quia nonnulli Religiosi & Clerici Seculares qui Domos habent Parisius, taxari domos ipsas minimè patiuntur, propter quod graue scandalum oritur inter Ciues, prouideri super hoc per sedem Apostolicam petierunt. Cum igitur indignum sit vt iidem Religiosi & Clerici in hoc exhibeant se difficiles, in quo alios, præcipuè Laicos decet eos beneuolè præuenire, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, Taxatores idoneos sicut in Taxatione hospitiorum Laicorum, sic in eorundem Religiosorum etsi Templarij, Hospitalarij, Cistercienses aut Præmonstratenses aut cuiuscumque Ordinis fuerint, & in Clericorum Domibus authoritate nostra deputare procures. Si verò de Laicis nequiuerint Contaxatores haberi, liceat Clericis taxare prædicta hospitia specialiter deputatis. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo. Datum Lugduni 3. Non. Martij Pontif. nostri an. 2.

Idem Pontifex Priuilegium suptascriptum confirmauit datis ad Cancellarium Parisiensem litteris Perusij an. nono sui Pontificatus, hoc est an. 1251. sicque incipit. *Dudum suggerentibus*: quod nos ad illum annum referemus.

Extat & aliud priuilegium eiusdem Pontificis in eodem codice circa conductionem Hospitiorum Magistrorum & Scholarium, sub hoc lemmate: PRIVILEGIVM NE ALIQVIS RETINEAT HOSPITIVM VEL SCHOLAS ALTERIVS ABSQVE CONSENSV HABENTIS, ET NE RETINEAT HOSPITIA VEL SCHOLAS INTERDICTAS.

Innocentius Episc. S. S. D. Dilectis filiis vniuersis Magistris & Scholaribus Parisiensibus Sal. & Apost. Bened. Vniuersitati vestræ authoritate præsentium districtius inhibemus, ne aliquis vestrum alterius Scholas, aut hospitium absque illius consensu, vel Scholas aut hospitia à Magistris vel Officiali Parisiensi qui pro tempore fuerit, interdicta conducere vel retinere præsumat. Datum Lugduni 2. Non. Martij, Pontif. nostri an. 2. Sequitur conseruatio dicti Priuilegij.

Innocentius Episc. S. S. Dei Dilecto filio Cancellario Parif. Sal. & Apost. bened. Quia non omnes Parisius ad Studium venientes, moribus qui scientiam efferunt, se exercent, imò vnus ad alterius adspirans hospitium ipsum sibi reddit interdum pretij carioris; Nos volentes eorum indemnitati consulere ac præsumptioni malignantium obuiare, Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inhibitionem facias generalem in scholis singulis publicandam, vt nullus Magistrorum seu Scholarium Parisiensium alterius conducat hospitium, quandiu ipsum absque manifesta malitia retinere voluerit inquilinus, neque Hospitia vel Scholas, si forsan plura conduxerit, licet alij pro pretio cariori. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo. Datum Lugduni 2. Non. Martij, Pontif. nostri an. 2.

Eodem anno cum B. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus qui in Pontiniacensi Cœnobio sepultus fuerat, miraculis clarescere, Abbas Pontiniacensis ad Innocentium generalem miraculorum eius Catalogum transmisit, rogauitque vt iuberet inquiri in facti veritatem, atque si ita esse constaret, eum in Beatorum numerum authoritate Apostolica adscriberet. Legitur eius Epistola apud Mathæum Parisiensem. Innocentius autem Armachanum Archiepiscopum ad examinanda miracula delegauit, cum quibusdam aliis viris grauibus: verum tum præualentibus defuncti aduersariis & inimicis apud Othonem Legatum, nihil perficere potuerunt: atque in aliud tempus Canonizatio dilata est.

Eodem anno Fridericus Imperator sanioris consilij spiritu ductus se Papæ subiiciens pollicitus est se Ecclesiæ & Ecclesiasticis Prælatis satisfacturum: omnemque fideiussionem, potestatem & authoritatem paciscendi dedit R. Comiti Tolosano, MM. *Petro de Vineis* & *Thadæo de Suessa*, ratum habens & firmum quidquid illi faciendum ducerent. Verum paulò post ad solitam superbiam rediit, nec, dum in viuis fuit, deinceps parere voluit.

Eodem Episcopus Vvintoniensis, quem supra ad Ludouicum nostrum confugisse diximus, rediit in Angliam ad Ecclesiam suam modis omnibus desolatam, cum mitiore facto Rege Angliæ. Ad Episcopatum autem Bathoniensem promouetur 3. id. Sept. M. Rogerus Satesberiensis Ecclesiæ Præcentor, vir eleganter moribus & scientia Theologiæ præditus, vt scribit Mathæus.

Aiuntque quoque hoc anno M. Hugonem de S. Caro factum ab Innocentio S. Sa-

binæ Cardinalem Presbyterum, quem anno 1238. in celebri illa concertatione litteraria de Pluralitate Beneficiorum acerrimè Philippi Cancellarii opinionem impugnasse diximus. Habuit autem in hac Theologicâ Palestrâ studiorum collegam, vel vt aliqui volunt, auditorem M. Humbertum Romanensem, qui deinde fuit Dominicanorum Magister Generalis, cuius ille hortatione in ordinem adscribi petierat, & à B. Iordano tunc Generali Præposito, vt adscriberetur, obtinuerat vna cum M. Petro de Tarentasia, qui Innocentius Papa V. dictus est, & primus Ordinis Prædicatorum Papa: quem admodum Hugo primus de eadem familia Doctoris Theologici lauream consecutus fuisse dicitur, & sic scribit Theophilus Raynaudus Iesuita. Spondanus verò id tribuit Rolando Cremonensi ad an. 1240. Inter cæteras autem huius excellentissimi viri virtutes hæc eminet, quod quandiu vixit, litteris semper vacarit & feliciter, vt restantur eius in omnes sacræ scripturæ libros commentaria. Edidit & alias lucubrationes, Summam Casuum conscientiæ, Speculum sacerdotum, Commentarium in 4. libros Sent. Compendium Theologicæ veritatis libris 7. comprehensum, & supra cætera opera, Concordantias Biblicas, de quibus sic habet Sixtus Senensis. *Excogitauit Hugo indicem magnum in Sacro-sancta Biblia*, laboriosissimumque sanè & immensi tædii ac temporis opus, sed sacrorum voluminum studiosis magnopere necessarium: in quo singulas Diuinæ Scripturæ dictiones declinabiles secundum consequentiam litterarum accuratissimâ diligentiâ digessit, annotatis non solum libris, sed etiam librorum Capitulis & Capitulorum lineis, in quibus vnaquæque & desiderata Lectio contineretur. Sunt qui existiment hoc opus ob immensi temporis laborisque dispendium, cui vnius hominis vita satis esse non poterat, hortatu Hugonis iniunctum fuisse quingentis studiosis fratribus diuersorum Cœnobiorum, ea ratione vt singuli singulas dictiones in Alphabeticas classes redigerent, sicque breui tempore multorum sedulitate perfectum fuisse opus, quod postea tam à Græcis, quàm ab Hebræis diligentissimè imitatum vidimus operâ R. Isaac Nathan Iudæi, & Eutalii Rhodii Monachi: quorum ille Hebraicas Bibliæ concordantias, hic Græcas collegit. Has Romæ vidimus in antiquis membranis Græca manu descriptas, illas verò typis Iustiniani Venetiis excussas. Tunc verò existimat Genebrardus distincta fuisse Biblia in Capitula: nam ante illud tempus ea non vsurpabant Theologi, postea verò frequenter, vt notat Spondanus: cuius tamen inuenti Balæus facit authorem M. Stephanum de Langetona.

Hoc anno obiit M. Bernardus de Soliaco Antissiodorensis Episcopus die Epiphaniæ, vir excellentis eloquentiæ, cuius hoc Epitaphium legitur.

Præsul Bernardus mala semper ad omnia tardus,
Sic viuens domuit cum carne & dæmone mundum,
Quod moriens meruit Christo se reddere mundum
Anno milleno bis centeno quadrageno
Quarto, sanctorum migrauit luce Magorum.

Anno 1245. Innocentius denuò Fridericum Imperatorem excommunicauit; cum vero sententiam Excommunicationis publicandam misisset Lutetiam; Qui- 1245.
dam Sacerdos Parochus eam in incertum emisit, nempe in eum qui alteri iniuriam faceret; dubium animis auditorum reliquens, vter veri iniuriam faceret. Quod quidem tam molestè tulit Pontifex quàm Iucundè Fridericus. Rem sic narrat Mathæus Paris. *Ipso quoque Quadragesimali tempore ingrediente fecit Dominus Papa iteratò excommunicari Imperatorem per totam Franciam, propter quasdam nouas inuasiones quas fecerat in suos Consanguineos & personas Ecclesiasticas. Et cum tale præceptum per Ordinarios suos ad quendam sacerdotem Ciuitatem Parisius inhabitantem deuenisset, doluit quod oportuit eum ipsum Imperatorem (quem nescimus ob quas causas dilexit & Curiam Rom. quam aliquando expertus fuerat, execrabatur) excommunicare, ait in propatulo toti parochiæ suæ die solenni populosè.* Audite Vniuersi, Accepi in mandatis vt candelis accensis & pulsatis campanis in Imperatorem Fridericum excommunicationis feram sententiam solennem, causam autem ignorans, non ignoro grauem controuersiam & odium inexorabile motum inter eos. Scio

etiam quod vnus illorum alii iniuriatur, quis cui nescio: sed illum in quantum se mea extendit potentia excommunico & excommunicationem denuntio: alterutrum istorum videlicet ipsum qui iniuriatur, & absoluo iniuriam patientem, quæ tam damnosa est toti Christianitati. *Quod licet verbum lenitatis & more Francorum iocosè prolatum ore multorum reuolutum est, longè latéque ventilatum tandem ad audientiam peruenit Imperialem. Ipse dicti pondus librans & commendans, Xenia concupiscibilia dicto presbytero duxit transmittenda sed D. Papa de scurrilitate & verbi lenitate puniuit redargutum.*

Eodem anno die Lunæ post festum S. Ioannis Baptistæ Innocentius Concilium Lugdunense quod in Refectorio Religiosorum S. Iusti habebatur, ingressus est. Aderant duo Patriarchæ, Constantinopolitanus qui & Antiochenus, & Aquileiensis, Imperator Constantinopolitanus, Comes Tolosanus, Archiepiscopi & Episcopi 140. nomine Regis Angliæ Comes Bigod cum quibusdam aliis viris nobilibus; nomine Imperatoris M. *Thadaus de Suessa*, vir prudens & eloquentiæ singularis, Miles & Legum Doctor, ac sacri Palatii Iudex Imperialis; qui Dominum suum in multis excusauit, obiecta crimina diluens aut remouens: non potuit tamen euincere, quin à D. Papa publicè excommunicaretur. Legitur sententia apud Mathæum Paris. in eum lata in Concilio Lugdun. quæ sic incipit. *Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei &c. Sacro præsente Concilio ad Rei memoriam sempiternam.* Ad Apostolicæ Dignitatis Apicem &c. Et in fine Datum Lugduni 17. *Kal. August. Pontificatus nostri an. 3. Hæc*, inquit, *Mathaus in medio Concilio prolata cunctis audientibus adinstar coruscantis fulguris non mediocriter timorem omnibus incusserunt. Magistri igitur Thadaus de Suessa & VValterus de Ocra & alii Procuratores Imperatoris & qui cum ipsis erant, emisso eiulatu flebili hic femur, hic pectus in indicium doloris percutientes vix à profluuio lachrymarum se se continuerunt. Et ait M. Thadaus memoratus. Dies ista, dies iræ, calamitatis & miseria.*

Quia verò iactabatur à multis præcipitatum fuisse istud Iudicium, verebaturq; Pontifex, ne si in eam sententiam viri Ecclesiastici inclinarent, turbandi daretur occasio, scripsit ad Capitulum Cisterciense ad quod ex omnibus orbis Christiani partibus Abbates & Monachi conuenerant, in hæc verba.

» Nouerit Vniuersitas vestra statum Ecclesiæ formidabiliter periclitantē precum » instantia solito vigilantius indigere. Sub est enim ingens causa quæ toti Christianitati terribiliter comminatur. Nec curabimus de cætero gladio vti materiali, » sed tantum spirituali contra Fredericum aliquando Romanorum Imperatorem, » validum Ecclesiæ Christi & obstinatum inimicum. Obstructum est os loquentium iniqua. Non vos moueant imperitorum & veritatis ignarorum, precamur, » obloquia, vt à nobis quasi præcipitanter putetis & absque deliberato fratrum nostrorum & multorum peritorum moroso Consilio contra ipsum Fredericum fuerit sententiatum. Non enim meminimus vnquam Causam cum tantâ deliberatione & diligenti examinatione fuisse excussam, & peritorum atque sanctorum mentibus libratam extitisse: adeo quod in secretis aliqui fratrum nostrorum inducerent personam Aduocati pro ipso. Aliqui autem è contra personam aduersantis: vt ex obiectionibus & responsionibus inquirentium & disputantium vt solet in scholis, causæ veritas radicitus hinc indeque discuteretur. Nec aliquam viam inuenimus sine Dei iniuria & graui eius offensa & Ecclesiæ eiusdem læsione, & nostrarum conscientiarum vulnere, aliter procedendi quàm vt processimus licet inuiti & eiusdem læsoris miseriæ condolentes. Parati igitur sumus in hac causa & pro illâ vsque ad mortem stare, & pro ea & in ea tam omnes fratres nostri, quàm » *Nos mori immutabiliter pro causa Dei & eius Ecclesia dimicantes.* Nihilominus in Colloquio Cluniacensi quod Ludouicus Rex cum Papa habuit nemine præter eos conscio, creditur egisse de pace Imperatoris, vt facilior foret in Terram sanctam expeditio.

At Fridericus vt, quæ facta fuerant, intellexit, furore amens scripsit ad Principes & Magnates, præsertim verò ad Reges Franciæ & Angliæ acerbè contra Papam, qui *vocata*, inquiebat, *Synodo generali* contra Nos nec citatos nec super aliqua fraude vel prauitate conuictos ausus est sententiam depositionis statuere » quam præter omnium Regum enorme præiudicium non poterat stabilire. Quid » enim nobis singulis Regibus singulorum Regnorum à facie talis Principalis sa-

cerdotum timendum non superest, si nos & Principum electione solenni & approbatione totius Ecclesiæ, dum Cleri fide ac Religione vigebant; Imperiali diademate diuinitus insignitos & alia Regna nobilia magnificè gubernantes, ille deponendos aggreditur? cuius quoad temporalium detrimenta non interest in nos aliquid exercere rigoris, etiamsi causæ legitimæ probarentur. Verum quos sacerdotalis sic infestat abusio Potestatis & à summo conatur præcipitare deorsum, nec primi sumus nec vltimi. Et hoc quidem vos facitis obedientes simulatoribus sanctitatis, quorum sperat ambitio *quod totus Iordanis influat in os suum.* O si vestræ crudelitatis simplicitas *à scribarum & Pharisæorum fermento* quod est hypocrisis iuxta Saluatoris sententiam sibi curaret attendere! quot sanè redditus copiosi, quibus ex plurium depauperatione Regnorum ditantur, quemadmodum ipsi nostis, ipsos faciunt insanire. Apud vos Christiani vel peregrini mendicant, vt apud nos Paterini manducent. Ibi vestrorum domos obruitis, vt hîc aduersariorum vestrorum oppida construatis. Sic de vestris decimis & eleemosynis tales Pauperes Christi sustentati, quâ beneficii recompensatione, quâ saltem gratitudinis exhibitione se præbent obnoxios? Quanto manus largiores extenditis, tantò non solum manus sed etiam cubitos auidius apprehendunt, suo nos laqueo detinentes sicut auiculam, quæ quantò ad euasionem fortius nititur, firmius alligatur.

Hæc & plura Fridericus ad emouendos Regum animos. At illi quanquam manifestè videbant Imperatoris mentem eam esse, vt Ecclesiæ libertas deprimeretur, aliunde tamen authoritatis Pontificiæ & Ecclesiasticæ verebantur exaltationem. Eo quod, scribente Mathæo, etsi Fridericus deprimi videretur & omni honore priuari, tamen si eum authoritas Pontificis *irrestaurabiliter deponeret*, Romana Ecclesia gratiâ Dei abutens in posterum in tantam elationem & intolerabilem superbiam subleuaretur, quod Principes Catholicos insontes & iustos & præcipuè Prælatos quauis leui causâ vel deponeret vel deponere probrosè comminaretur, loquendo sublimia: gloriandoque dicerent Romani licet à plebeia stirpe procreati, *Nos ipsum maximum Dominum & Imperatorem Fridericum conculcauimus, & quis es tu qui nobis temere credis resistere? Et ita prouocati nobiliores contra eos leuabunt calcaneum, Deoque vindice authoritas Romana poterit deperire.*

His & aliis rationibus permota nobilitas Gallicana variis in Locis Episcopalem Iurisdictionem deprimere aggressa est, ne quid simile pateretur. Vt ad an. 1247. referemus.

Porro prædicti Concilii duo Canones potissimum ad Vniuersitates pertinere videntur. Vnus est de Iudicibus à sede Apostolica delegatis, quos Concilium esse voluit viros dignitate aliquâ Ecclesiastica præditos, non in omnibus passim vrbibus aut oppidis, sed in iis tantùm locis vbi Iurisperitorum esset copia, vti scilicet eos de ambiguitate Iuris consulere possent. Talis autem est Canon apud Mathæum.

Expediendis atque absoluendis causarum negotiis obscuritas est inuisa & contemptibilis: personarum verò claritas & Locorum celebritas plurimum opportuna & commendabilis valde. Proinde præsenti decreto duximus prouidendum & arctissimè statuendum, ne à sede Apostolica vel à delegatis ipsius causæ aliquibus committantur, nisi personis quæ vel Dignitate sunt præditæ, vel in Ecclesiis Cathedralibus seu aliis Collegiatis venerabilibus constitutæ. Nec alibi quàm in Ciuitatibus vel locis magnis & insignibus, vbi haberi valeat Iuris copia peritorum, causæ huiusmodi agitentur. *Iudicibus verò qui contra hoc statutum ad alia loca alterutram Partium citauerint vel vtramque, non pareatur impune, nisi citatio de vtriusque partis communi processerit voluntate.*

Alter Canon respicit Priuilegia Vniuersitatum circa citationes litigantium, vetatque ne vltra tres quatuorve ad summum dietas vllum in Iudicium trahere possint. *In multis Iuris articulis numerositas & infinitas reprobatur. Et ideò prouidè duximus statuendum, vt per generalem clausulam* Quidam alii *quæ frequenter in litteris nostris inseritur*, vltra tres vel quatuor *dictas* in iudicio non trahantur. *Statuentes vt si Conseruatores quos plerisque concedimus, à manifestis iniuriis & violentiis defendere possint, quos eis committimus defendendos, nec ad alia quæ Iudicialem indaginem & examinationem exigunt, suam possint extendere potestatem.*

In eodem Concilio Lugdunensi actum est de bello sancto & negotio Crucis

Primus autem Ludouicus Rex Cruce se signauit & multi Proceres eius exemplo; è Laicis Robertus Comes Attrebatensis frater Regis, Dux Burgundiæ, Dux Brabantiæ, Comitissa Flandriæ cum duobus filiis, Comes Britanniæ Pater & filius; ex Ordine Ecclesiastico Archiepiscopus Remensis, Senonensis, Bituricensis; ex Episcopis, Laudunensis, Beluacensis & alii multi.

Ipse Rex Concionatoris vices obibat, & verbo & exemplo etiam frigidissimos accendebat. Quam expeditionem non parum quoque promouit M. Odo de Castro Rodulfi (De Chasteau Roux) Cardinalis Episcopus Tusculanus Natione Gallus ex Diocesi Bituricensi, vir egregiè doctus & consilii maturitate præclarus, ex Cancellario Vniuersitatis Paris. Monachus Cisterciensis, inde Cardinalis & postea Legatus, cuius Prædicatione Rex motus Conuentum Parisiis habuit hoc anno infra Octauas B. Dionysii.

Eodem anno Innocentius 10. Kal. Nouemb. Cantorem & Succentorem Ecclesiæ Paris. residentiæ necessitate adstrinxit: ita subscribente Nicolao Cantore & Henrico Succentore. Extant litteræ Prædicti Cardinalis in Chartulario Ecclesiæ Paris.

Tolosana Vniversitas.

Eodem anno Innocentius confirmauit omnia Priuilegia Vniuersitatis Tolosanæ, vbi tum Litterarum gloria efflorescebat. *In Ciuitate Tolosana*, inquit, *Domui David factus est fons patens & vena vitæ scientia salutaris*: ad cuius aquas sitientes confugiunt haurientes in gaudio de fontibus Saluatoris. Et paulo post, de Theologiæ studio verba faciens: *Ibi lactantes ad vbera pendent matris*: ibi paruulis frangitur panis scripturarum: ibi exercitatos habentibus sensus in altum tetia ducit Petrus: itaut nullus expers munerum inueniatur ipsius, qui ad eandem scientiam accesserit puro corde. Vocat hæc siquidem ancillas Artes videlicet ad sui obsequium, ad supernæ mœnia Ciuitatis: & idcirco ibidem floret studium in eisdem, vt per ancillas ostiarias ad veram sapientiam ostium pateat: & tanquam per viam adducant ad ipsam velocius studiosos.

Eodem anno fundatum est Lutetiæ Collegium Bernardinorum à M. Stephano de Lexintona Abbate Clare-Vallensi in gratiam, commodum & vtilitatem scholarium Clare-Vallensium; quâ de re deque causa fundandi ad ann. 1242. diximus.

De M. Alexandro Allensi.

Eodem anno obiit Lutetiæ 12. Kal. Septemb. insignis Theologiæ Professor M. Alexander Hallensis seu de Halles, Natione Anglic. qui cum in studio Parisiensi strenuam & assiduam nauauisset Philosophiæ & Theologiæ inter Magistros seculares operam, easque professus fuisset artes summâ cum laude & nominis existimatione, demum ad Familiam Franciscanam se contulit & primus Franciscanorum Doctorali laureâ in Theologicâ Facultate insignitus est. Quomodo autem hoc mutandæ vitæ studio & affectu incitatus fuerit, narrat Crantzius lib. 8. Metrop. cap. 31. *Constituerat*, inquit, *in animo Alexander nihil se quicquam ei negaturum qui precibus suis interponeret D. Mariam. Viderunt Fratres excellentissimum virum & in vrbe nominatissimum: & incidit animo alcuius ex ipsis, vt virum de Religione pertentaret. Obsecro, inquit, excellentissime Magister, vt paucis me audias pauperem fratrem. Cumque ille auscultaret, Innotuisti, inquit, mundo, charissime, magnum habes vbique nomen: sed vide si hac via sit ad æternitatem. Vides Ordinem pauperum Fratrum Minorum, in quo multi simplices & boni Fratres, sed pauci Docti: quantum in eo fructificares! obsecro te per D. Mariam vt nobis accedas. Missum à Deo credidit hominem. Aderat inspirator castorum votorum. Recordatur quia per nomen Mariæ admoneretur: mox consensit & sequitur fratres Ordinem ingressus Minorum.*

Igitur ille Minorita factus Doctoris in Theologia Gradum quem ante acquisierat, omnium Franciscanorum primus ostentat exemplo Dominicanorum recentissimo, quorum primus in Theologia Magister fuit M. Hugo de S. Caro, vel vt alii volunt Rolandus Cremonensis. Incertum tamen est vter Ordo primus hunc Gradum ambierit: at cum Dominicani in illa secessione Magistrorum Cathedras Magistrales in Theologia à Cancellario & Episcopo obtinuissent, credibilius mihi est illos exemplum dedisse Franciscanis. Vt vt sit, ista Graduum Academicorum in Monachis præsertim verò in Mendicantibus affectatio & ambitio, ingentes in Academia turbas excitauit inter eos & Academicos seculares. Cum enim illi speciosius profiteri viderentur humilitatem quàm Benedictini & alii

Monachi

Monachi, patum congruere eorum Instituto videbatur Gradus assumere Magistrales, quos qui obtiuent vulgò *Domini* & *sapientissimi Magistri* appellantur. Quæ nomina pro humilitate Christiana respuuntur ab iis qui se totos cultui Diuino mancipant. Quamobrem id speciali interdicto cautum fuerat à Ioanne Florentino Franciscanorum primo post B. Franciscum Ordinis Institutorem Generali, ne vllus ex ordine suo *Magisterium affectaret* aut *Magister* diceretur, sed tantùm *Frater*, nec titulum vllum assumeret, quo superbior & elatior esse posset. Verum Alexander Hallensis claustra illa humilitatis Franciscanæ primus perfregit; quem cæteri deinceps imitari maluerunt quàm Bonum Franciscum aut Florentinum. Iacet autem ille in Conuentu Franciscanorum Parisiensium, eiusque tumulo & Effigiei subscriptum legitur hocce Epitaphium.

Clauditur hoc tumulo famam sortitus abunde
Gloria Doctorum, Decus & flos Philosophorum
Author scriptorum vir Alexander variorum,
Inclytus Anglorum fuit Archileuita, Sed horum
Spretor cunctorum, Fratrum Collega Minorum
Factus Egenorum fit Doctor primus eorum.

In tabula verò muro appensâ adscripta est hæc Elegia de eius ortu, vita, Magisterio, Religionis ingressu, studiis & obitu: ex qua Historiam illius temporis non obscurè intelligimus.

Qui tibi maiorum repetis monumenta per orbem,
Patris Alexandri gesta, Viator, habe.
Hic placito superûm pregnatus Gente Britannâ
Protinus à puero flexit ad Astra gradum.
Non gazæ meminit, nec auorum rura licetur,
Pectore in eximio sola Minerua sedet.
Ergo freta emensus & vastos aquoris amnes,
Se totum ad studium Parisiense tulit.
Quo vel Socraticos vel summos quosque Platones
Ingenio facile dexteriore prait.
Inde solum & Calos & qua super astra geruntur
Rimatus didicit abdita fata Dei.
Sic tandem & meritis & digna laude probatus
Doctrina & verbi fit sator atque pater.
Ast vbi Theologi pugnax sententia venit,
Acciperet-ne Minor signa Magisterÿ,
Nullus enim sacri Doctoris signa ferentem
Egrege Francisci viderat orbis adhuc.
Magnus Alexander cui mens persancta fuisset
Ac deuota diu & Religiosa Deo.
Ipse Ego mox, inquit, certamina litis iniqua
Compescam, nec erit cui suus obstet amor.
Is vir & induitur pallâ vilente Minorum,
Quique Magister erat fit pius ecce Minor.
Nos quid obest, dixit, humilem gestare togellam,
Qui pariter gerimus nomen onusque patris?
Quid contra impediat sublimi in nomine mentem
Cordigeros fratres continuisse piam?
Discipulos Christi quibus est lustrare popellos
Quis ferat ignaros iussa docere Dei?
Non tumet irrigua cælesti flamine virtus,
Nec se se extollit cui suus author adest.
Mens humilis, purgata dolo, conserua Deorum
Nec fama augescit, nec iacet ima colens.
Nec primùm posthac Doctor Fraterculus ibo

Veſte ſub hac Minimus parta trophæa gerens.
Dixerat. Hinc patuit Franciſci ſemper alumnis
Laurea Doctorum, qui tot vt aſtra micant.
At Schola ſacrorum quia nil ſatis Ordine norat
(Cuncta quidem in certis ſparſa fuêre locis)
Hic prudens opifex multâ celeberrimus arte
Compage & neruis conſolidauit opus.
Primus in Articulos Diuina vt lumina traxit,
Artis & in morem rettulit acta Senum.
Quo duce præmonitus in prælia Diuus Aquinas
Quotquot & vſque leges, fortius arma gerunt.
Nec quiſquam adueniet, quamuis Ars creſcit in horas,
Tam mente integra qui ſenis ora latret.
Hauriet hinc potius veluti de fonte liquorem,
Et tanquam exemplar præferet vſque virum.

Ex his igitur patet M. Alexandrum Hallenſem, antequam Religionem Minoritarum amplecteretur, Doctorem factum, Minoritam deinde factum Doctoris quoque gradum, titulum & inſignia retinuiſſe. Quo exemplo permotos ſacræ Facultatis Magiſtros ait Gonzaga rogaſſe prædictum Alexandrum vt è ſuis Diſcipulis & fratribus aliquem quotannis præſentaret doctorandum. *Itaque*, inquit, *Fratris Alexandri Alenſis primi inter FF. Minores Doctoris pietate ac celebritate permoti ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſ. Proceres virum monent rogantque, vt quem ex ſuis diſcipulis Fratribuſque aptiorem noſſet, eidem Facultati quotannis præſentaret ad libros Sententiarum perlegendos & inſignia Doctoris Theologi tandem pro laboribus accipienda. Is ſecum perpendens quantum hoc ad Eccleſiæ obſequium & Ordinis decus pertineret, orationibus ad Deum præmiſſis reuelatione didicit F. Ioannem de Rupella huic rei valde idoneum. Is igitur multis laboribus, ſtudiis, virtutibus & Scriptis publicè editis clarus ſecundus in Ordine Doctor Pariſienſis euaſit. Tertius S. Bonauentura qui & Euſtachius dictus eſt, natione Tuſcus, &c.* hæc Gonzaga. Sed quis hoc credat? cum certum ſit litis materiam ſeminariumque fuiſſe Mendicantes inter & Academicos, quod illi Doctorum Magiſtrorumque nomen ac titulum affectarent, Academici concedere nollent. Vt ex ſequentibus patebit. Porro tunc temporis florebant inſignes viri M. Ioannes Ægidius vir eminentiſſimæ Doctrinæ, qui cum Oxoniæ & Lutetiæ Theologiam publicè docuiſſet, ad Dominicanos tandem ſe contulit ea quâ diximus occaſione, ſumptâ in ſuggeſtu eorum veſte. Guibertus de Tornaco in ſtudio Pariſ. tanti vir nominis, vt bis eum Alexander IV. ad ſcribendum ſuis litteris excitarit. Vincentius Conuentrianus, Ioannes Cantianus è Canonico Andegauenſi Minorita factus, Guill. de Militona, qui Summam Theologiæ Alexandri Hallenſis imperfectam abſoluit: quam 72. Magiſtri Pariſienſes ſignis & ſigillis ſuis commendarunt, Alexander verò IV. approbauit. Hunc ait Cantipratanus, cum prædicaret vna die, per horam obmutuiſſe, tum reſumpto ſpiritu & virâ, omnibus vultu ſereniſſimo vale dixiſſe & obiiſſe. Florebant quoque Vincentius Bellouacus tum Dominicanus, Ioannes de Rupella Ordinis quoque Franciſcani Doctor, qui ſe, inquit Trithemius, cum Alexandro de Ales in Declaratione Regulæ Minorum ad Miniſtrum Generalem ſubſcripſit. Gualterus Epiſcopus Pictauienſis Minorita, Guillelmus de S. Amore & alij prope innumeri.

PRIVILEGIVM SERVIENTIBVS COMMVNIBVS CONCESSVM.

Eodem anno Innocentius datis ad Vniuerſitatem litteris voluit *Seruientes* ipſius *Communes* priuilegiis & immunitatibus gaudere Scholarium. Sic enim legitur in Codice Membranaceo Procuratorum Nationis Gallicanæ ſub hoc lemmate. PRIVILEGIVM QVOD SERVIENTES VNIVERSITATIS COMMVNES GAVDEANT IMMVNITATIBVS SCHOLARIVM.

Innocentius Epiſc. Seruus Seruorum Dei Vniuerſitati Magiſtrorum & Scholarium Pariſ. Sal. & Apoſt. bened. *Veſtris ſupplicationibus inclinati præſentium authoritate concedimus vt* SERVIENTES VESTRI COMMVNES qui pro vtilitate TOTIVS STVDII A SINGVLIS NATIONIBVS CONCORDITER ELIGVNTVR, *illis immunitatibus gaudeant quas vobis Apoſtolica ſedes noſcitur conceſſiſſe. Nulli ergo omnino hominum*

liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni 3. id. Maij, Pontif. nostri an. 2.

Quid per Seruientes illos *communes* intelligendum sit, non satis perspicuè constat. Existimant enim aliqui *Bedellos* Nationum intelligi: alij *Officiarios* communes totius Vniuersitatis, puta *Syndicum, Scribam, Quæstorem* qui in Comitiis generalibus communi 4. Nationum suffragio & calculo eligebantur. Sed ea de re commodius in synopsi dissereretur.

Ad annum 1246. notat Mathæus Parisiensis Dominicanis paulo plus quàm forte necesse esset infensus, eos tunc temporis limites Paupertatis prætergressos, ad supremos gradus ascendere, timerique à Prælatis Ecclesiasticis affectasse, officiumque Ordinariorum sibi vsurpare contendisse. Eosdem haberi contemptui procurantes, quasi scientia & potestate non sufficientes populum Dei regere & Ecclesiæ loca moderari. Maximè verò se se extulisse ob Priuilegia quæ à Gregorio IX. præsertim & ab Innocentio Papa obtinuerant. Quid autem mali ex hisce Priuilegiis contigerit, narrat idem Mathæus, cum spretis propriis Parochis & sacerdotibus Pœnitentes sua peccata Mendicantibus confiterentur. Sic igitur ille. 1246.

Multi præcipuè Nobiles & Nobilium vxores spretis propriis sacerdotibus & Prælatis, ipsis Prædicatoribus confitebantur: vnde non mediocriter viluit Ordinariorum dignitas & conditio, & de tanto sui contemptu non sine magna confusione doluerunt, nec sine euidenti causâ. Videbant enim Ordinem Ecclesiæ iam enormiter perturbari, quam constat longis retroactis temporibus in Deo placita simplicitate ambulantem multos è seculo migrantes Deo præsentasse sanctos, de quorum sanctitate nefarium iudico dubitare. Videbant insuper Parochianos suos audacter iam peccare & impudenter, scientes se coram Presbytero proprio non erubescere, sua enormia peccata confitendo: quod magnum reputatur periculum, cum rubor & confusio in confessione pars sit maxima & potentissima pœnitentiæ. Dicebantque susurrantes peccatori ad inuicem: Perpetremus quæ nobis voluptuosa videntur & placentia: aliquibus enim Prædicatorum vel Minorum per nos transitum facientibus, quos nunquam vidimus vel nunquam visuri sumus; cum consummatum fuerit quod desideramus, sine aliqua molestia confitebimur. Et sic contemptis Ordinariis & eorum disciplinis peccatum copiosius exuberauit.

Deinde narrat idem Mathæus quid contigerit in Anglia apud S. Albanum, vbi Monachum induerat.

Et dum Mundus, inquit, more maximo talibus æstuabat ebullitionibus, contigit quosdam Prædicatores suis armatos Priuilegiis, assumptis comitibus Ecclesiam S. Albani, vbi sicut moris est Archidiaconus Ecclesiæ ipsius ritu synodum celebrauit, ingredi; & monstrantes sua priuilegia, sese nouis & inauditis potestatibus & dignitatibus communiri. Et dum vnus eorum qui videbatur alteri præesse, silentium prædicaturo sibi dari imperiosè postulasset, respondit Archidiaconus: Moderatius te Frater habe, expecta paulisper donec discretioni vestræ quæ sentio demonstrauerim. Miramur nos simplices & veteribus atque approbatis assueti consuetudinibus de hac nouitate repentina. Nec mirum si inaudita nouitas admirationem generet cum stupore. Vt quid insufficientes vel indignos nos officio nobis deputato tam procaciter reputetis? Creditis vos solos de numero fore saluandorum, cum dicat Apostolus: *Nescit homo an sit dignus odio vel amore?* Ingeritis vos iam non tantùm ad prædicandum vt Prædicatores dicamini, sed ad confessiones recipiendas, imò potius extorquendas, vt iam fratres Confessores accumulato titulo teneamini. Fratres, non sanum arbitror à certo recedere propter incertum, ab ritu vsitato ad inusitatum, sine maioris consilio deliberationis & Prioris vestri consultatione, vos nequaquam vel ad prædicandum vel ad confessionum receptionem eorum quibus Abbatis præcepto præsum, adhuc recipio. Constat enim Vniuersali Ecclesiæ, hæc quæ vobis & omnibus hîc circunsedentibus eminus demonstrabo, à Generali Concilio, imò Generalissimo sub Innocentio III. celebrato anno gratiæ 1215. vbi præsentes fuerunt ex totius Christia-

„ nitatis Vniuersitate Primates, Archiepiscopi 71. Episcopi 400. Abbates verò & „ Priores 30. fuisse statura & confirmata omnibus mundi temporibus irrefragabili- „ ter conseruanda. Et librum aperiens monstrauit & legi fecit istam super hoc De- „ cretalem. *Omnis vtriusque sexus.*

Eodem anno M. Robertus Arundelius *d'Arondel* Idiomatis Hebraïci notitia peritissimus, quique multa de Hebræo in Latinum fideliter transtulerat, humanis rebus eximitur. Obiit quoque M. Robertus de Bengham Episcopus Saresberiensis plenus dierum & litteraturæ, scientia ad plenum eruditus, inquit Mathæus.

S EDMVNDI CANONIZATIO. Eodem anno Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus numero Sanctorum tandem adscribitur per Innocentium IV. cuius in hanc rem extat authenticum apud Mathæum Parisiensem in prioribus additamentis.

„ Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Ar- „ chiepiscopis, Episcopis & Dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archi- „ diaconis, Præpositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis ad quos „ litteræ istæ peruenerint, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Nouum Mar- „ tyris Ecclesiæ gradum noui Sancti celebritate iocunda læti referimus: grande à „ cœlesti Collegio, de Collegæ noui consortio agi Festum exultanti animo nuntia- „ mus. Gaudet quidem Ecclesia se talem ac tantum produxisse filium, qui alios & „ sacræ conuersationis exemplo dirigat, & percepto iam beatitudinis præmio fir- „ mam spem eis tribuat de salute. Lætetur nimirum se tam clara sobole illustratam, „ quæ digno ab omnibus attollenda præconio & deuota veneratione colenda ma- „ nifestè declarat ad æternitatis æternæ participium admittendos, qui Ecclesiam „ ipsam Matrem fide ac opere profitentur; Et nullos in supernam posse gloriam ni- „ si per eam tanquam Regni Cœlorum Clauigeram introire. Gaudet cœlestis Pa- „ tria nobilis habitatoris aduentu, expertumque Colonum fidei suis incolis noui- „ ter adunari. Exultant Ciues cœlestes de celebris aggregatione Conciuis, de „ condigno Cœli consorte nuper ipsis adhibito psallunt Sancti. Exurgite igitur & „ vos fidei zelatores, & vnà cum Ecclesia Matre vestra lætamini de magnificentia „ & exaltatione Confratris, affluite gaudio & spem tutam assumite de condigena „ terrenorum facto Compatriota Cælestium. Exultate ingenti lætitia, quod no- „ uellus vobis apud Deũ Patronus accreuit: quod adest corã ipso pro salute vestra „ placidus intercessor. En siquidem B. Edmundus Cantuariensis salubriter pen- „ sans ad factorem suum facturam effectu dirigi naturali, naturamque collapsam „ reparatorem debere recognoscere proprium, Creatorem & Redemptorem suum „ affectuosè & studiosè quæsiuit. Rectè namq; intentionis puræ, perfecti operis & „ recti sermonis dulci concordia velut delectabili psallens tripudio, tribus hostibus „ carne, mundo, dæmone, virtute perseuerantiæ superatis, dignè meruit veræ fi- „ dei, securæ spei & feruidæ Charitatis ternario insignitus, summæ Trinitatis ar- „ ce trino Electorum, Virginum scilicet, Continentium & Coniugatorum Ordine „ præparata palma Victoriæ honorari. Etenim vt de suis actibus aliquid referamus, „ licet ipsius vita quò plenius exponitur, eò relatoris gustui plus dulcescat, magis- „ que delectet animos Auditorum; à teneris annis Dei filium tenere diligens eum „ postmodum tenere corde non desiit: quia ipsum tenellæ mentis tabulæ stylo re- „ ctæ considerationis inscripsit. Quinimo quanto maiori profecit ætate, tantò ple- „ niori cognitione in eius amorem exarsit. Et ne feruor spiritus suæ carnis extingue- „ retur ardore, sed mortificatione potius accenderetur ipsius, assidui eam asperita- „ te cilicii edomans, eius libitum arctæ abstinentiæ nexibus alligauit, vt non suo „ ductu voto, sed spiritus voluntate ad licita tutè pergeret & prouidè ab illicitis „ declinaret. Nam districtis corpus macerauit ieiuniis, antiquorum obseruantiæ „ nouorum austeritatem, quæ sibimet ipse idem indixerat, superaddens, dum de- „ liciosorum ciborum oblectatione despecta, refectione contentus humilium, com- „ munium ieiuniorum temporibus à permissis etiam elegit ieiunare cibariis, & cæ- „ teris insuper in hebdomada diebus amplius abstinere. Somni quoque prolixita- „ tem odiens diuturnis vacabat vigiliis, & excusso corpore, orationi sedulo insiste- „ bat. Cubilis enim spretâ mollitie, ne requie delicatâ lentesceret, illam membris „ indulgebat iacendo quietem, vt breui sopore refectus protinus surgeret: seque „ genuflexionibus & orationibus diutius deputaret. Ab initio autem viarum sua-

rum ſic mundè vſque in finem incedere ſtuduit, quod mundi vitato lubrico in latum non defluens voluptatis munditiæ nitore præfulſit. Quid amplius? contriuit fragile carnis vaſculum, vt in eo theſaurum animæ ſibi creditum cautius conſeruaret. Doctor verò præclarus ac Prædicator eximius & auditorum mentibus ſcientiæ lumen infudit, & pectoribus fidelium auulſis vitiorum tribulis ſemina virtutum inieeit.

Humilitate quippe ſublimis, manſuetudine placidus, patientia fortis, benigitate affabilis, pietate condolens, miſericordia innocens & multiplici eleemoſynarum irriguo in ſubuentionem affluens egenorum. Et vt geſtorum ſuorum multitudinem ſuccincta relatione texamus, ſic Ieſum firmâ credulitate cognouit & agnitum ſincero corde dilexit, ac dilectum totis votis ambiit, quod mundo & eis quæ ſunt in mundo penitus vilipenſis ad cœleſtia cunctis ſtudiis inhiauit, ſatagens ſe ſuo nomini actibus coaptare; vt ſicut vocabatur Edmundus, ſic ſe vel à criminum labe mundum, vel è mundo abductum, ſeu extra mundi amplexus poſitum operũ teſtificatione probaret. Vnde tanquam ſpiritualis omnino Edmundus à carnis contagiis in extremis agens & Corpus Chriſti ſibi delatum reuerenter adorans, hæc verba omni attentione notanda mira protuliſſe compunctione aperte monſtratur: *Tu es in quem credidi*, quem prædicaui, quem docui: & tu teſtis es mihi, quia nihil aliud niſi te Domine in terra quæſiui; ſicut tu ſcis quod nihil volo niſi quod tu vis, fiat voluntas tua. Verum eum viuens Dei Eccleſiam præclaris illuminaſſet meritis, mortuus ſuæ ſibi claritatis radios non ſubſtraxit: ſed eum functus hac vitâ verius viueret quàm vixiſſet, eam poſtmodum illuſtrauit fulgore luminis plenioris. Non enim voluit Dominus ſanctitatem mundo ſupprimi tanti viri: quin ſicut pluralitate innotuerat meritorum, ſic miraculorum diuerſitate pateret. Vt qui totâ ipſum deuotione coluerat iam ſe cum regnans venerabiliter coleretur. Nam cæcis lumen reſtituit, & quod eſt glorioſius, de cuiuſdam oculis innatæ cœcitatis tenebras, infuſi viſus perſpicuitate fugauit.

Alii cuius linguam natura diutina taciturnitate ligauerat, liberam loquendi tribuit ſoluto ſilentio facultatem. Leproſam quandam ſquammis lepræ mox decidentibus, ſubitâ & mirabili abſterſione mundauit. Tremula Paralytici membra firmauit conſolidatione neruorum, contractis artuum extenſione ſubuenit. Tumentem hydropiſim corporis extenuatione curauit. Et quandam ſenilis ætatis veteri gibbo imis inflexam reſtituit, erecta ſurſum eius facie, ſanitati. His & aliis quampluribus coruſcauit miraculis manifeſtis, quorum ſeriem non duximus præſentibus inſerendam præ aliis. Nam triginta & amplius mortuorum ſuſcitator magnificus fuiſſe dignoſcitur apud Pontiniacum præter alibi mortuos & morti expoſitos: quos à portis mortis vel potius ab ipſa morte ad vitam & plenam ſoſpitatem reuocauit. Nec credimus eſſe Sanctum in tota Cœleſti Curia, cuius miracula & virtutes manifeſtas ſola obloquentium inuidia ſubticuit ac denigrauit. Conualeſcit ex ipſis fides Catholica, Iudæorum pertinacia erubeſcit, confunditur Hæreticorum fallacia & obſtupeſcit ignorantia Paganorum. Cantet itaque Cantuarienſis Eccleſia laudis Diuinæ Canticum quod inter alias modernis temporibus venerabilibus eſt decorata Patronis, vnius quidem rubricata martyrio & confeſſione alterius candidata. Exultet pleno gaudio fertilis Cantuaria, quod ab Eccleſiæ ſuæ area tam purum granum tranſmiſit ad horrea ſummi Regis. Lætetur Pontiniacenſe Monaſterium, quod taliũ & tantorũ Patrũ meruit honorari præſentia, dũ vnus diu ibi degens illud ſuæ vitæ nobilitauit moribus, & alter illuc accedens ipſum reddita cœlo anima ſui corporis theſauro ditauit. Vt quaſi adimpleretur quod ipſe glorioſus martyr, Thomas videlicet, poſt longã moram quam exilii ſui tẽpore in eodem continuauit Monaſterio cum ipſis Monachis de multa honorificentia charitatiuè ſibi ab eis exhibita reſpondere iuxta ſui voti plenitudinem non valeret, dixiſſe aſſeritur, quod eſſet ſibi aliquis ſucceſſurus qui dignam ipſis retributionem rependeret pro eodem. Porro quia quos optimus Deus perpetua corona gloriæ in cœlum magnificat, ſummæ deuotionis ſtudio ab hominibus in terris conuenit venerari, vt quo ſolennius fideles ſanctorum quorum memoriam agimus, eo dignius ipſorum patrocinium promereantur, Nos de ſanctitate vitæ ac veritate miraculorum eiuſdem ſancti Edmundi cum o-

sæ inquisitionis solemnitate ac districti examinis discussione præmissis plenariam certitudinem obtinentes, ipsum de communi Fratrum nostrorum & Prælatorum omnium tunc apud sedem Apostolicam existentium consilio & assensu in Dominica de Aduentu, qua cantatur, *Gaudete in Domino semper*, Sanctorum Catalogo adscribendum duximus: vel iam ascriptum potius nuntiandum. Ideoque Vniuersitatem vestram monemus & exhortamur attentè per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus 16. Kal. Decemb. cum tam felix ipsius anima de carnis liberata carcere ad astra conscendens aulam cœlestem adiuerat, Paradisi deliciis fruitura, Festum eiusdem deuotè ac solenniter celebretis, & faciatis vos fratres Archiepiscopi & Episcopi per vestras Ciuitates & Diœceses à Christi fidelibus veneratione congruâ celebrari. Vt pio eius interuentu & hic ab imminentibus possitis periculis erui, & in futuro salutis præmium consequi sempiternæ. Cæterum vt ad venerabile eius sepulchrum feruentius & copiosius Christiani populi confluat multitudo ac celebrius eiusdem sancti agatur solennitas, omnibus verè pœnitentibus & confessis qui cum reuerentia illuc in eodem Festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi vnum annum & 40. dies, Accedentibus verò annis singulis ad prædictum sepulchrum infra eiusdem festi Octauas, 40. dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Lugduni 3. id. Ianu. Pontif. nostri an. 4.

Sequitur Oratio ad Deum de eod. S. Edmundo, quæ in eodem additamento legitur.

Deus qui largissimæ bonitatis consilio Ecclesiam tuam B. Edmundi Confessoris tui atque Pontificis præclaræ vitæ meritis decorasti & gloriosis lætificasti miraculis, concede Nobis famulis tuis; vt & ipsius in melius reformemur exemplis & ab omnibus eius patrocinio protegamur aduersis. *Per Dominum.*

Secreta. Beati Edmundi Confessoris tui atque Pontificis interuentu quæsumus Domine munera tibi offerenda complaceant, & oblata nobis proficiant ad salutem. *Per Dominum.*

Postcommunio. Mentes nostras quæsumus Domine, susceptis robora sacramentis; vt sicut eas B. Edmundi Confessoris tui atque Pontificis dignatus es nouis confortare miraculis; sic etiam iuuare suffragiis & illustrare digneris exemplis. *Per Dominum.*

Anno sequente translatum est prædicti sancti Edmundi corpus, & in Ecclesia Conuentuali Monachorum Cisterciensis Ordinis repositum: cui translationi interfuerunt Ludouicus Rex, Blanca mater, Cardinales duo, Albanensis scilicet, & alter Legatus Franciæ cum multis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus & aliis Prælatis: idque factum 7. id. Iunii. Corpus autem eius integrum inuentum est & incorruptum & odoriferum, vt scribit Mathæus: & quod mirabilius est in mortuo, cum omnibus membris flexibile, vt solet esse in dormienre. Capilli eius & vestimentum inuolutum colore & substantia. Qua de re, déque eius translatione extat Epistola R. Episcopi Cicestrensis ad R. Abbatem de Bingeham, in additamentis Mathæi: ipse enim translationi adfuerat & scripsit quæ se vidisse affirmabat. *Caput*, inquit, *cum capillis & facie fulgida, corpusque cum membris aliis plenarium, integrum & odoriferum supra balsamum aut thymiama. Naso tamen passo per lapidem superiorem iniuriam, pressionem, sed non consumptionem vllam: & meritò, quia qui vitam suam plenius expleret, de virginitate eius sinistrum est dubitare. Totumque corpus maxima facies quasi oleo perfusum repertum est; quod credimus gratiam significare tam morum quàm doctrinæ: quia diffusa fuit gratia in labiis suis, legendo, disputando, prædicando: propterea Deus vnxit eum oleo lætitiæ præ omnibus Lectoribus & Doctoribus sui temporis, & disputatoribus: vnde diffusa fuit gratia in labiis suis. Et quædam alia virtutum insignia quæ nacta temporis opportunitate vobis secretius referemus, ibidem inuenimus. De memoratis autem non dubitet vestra discretio, quia quod scimus loquimur & scribimus, & quod vidimus testamur. Et manibus propriis contrectauimus ipsum sanctum corpus, caputque cum capillis firmis & illæsis, pectine diligenter ac reuerenter nec non & gaudenter pectinauimus & composuimus.* Notat Saussæus in Annal. Ecclesiæ Aurel. ex Surio hoc anno S. Richardum qui postea fuit Episcopus Cicestrensis, venisse Aureliam & apud Dominicanos Theo-

logiæ studuisse qui iam in pluribus vrbibus Cathedras Theologicas exercebant.

Eodem anno reuersis Anglorum Nuncius è Concilio Lugdunensi in Angliam habita sunt Comitia Londini frequentissima contra grauamina quæ à Curia Rom. inferebantur in prouisionibus & Collationibus Beneficiorum, vt pote quæ veris Prælatis & Patronis contra ius & consuetudinem libertatesque Anglicanas à Nunciis Apostolicis aufetebantur: & ab iis omnimodè procurabantur dispensabanturque in gratiam & commodum Italicorum hominum spretis Anglicanis. Quod quidem hîc eo libentius referimus, quia cum idem in Francia attentatum fuisset, Ludouicus IX. qui & Sanctus dictus, licet Romano Pontifici & Rom. Curiæ addictissimus, in procinctu transmatinæ expeditionis an. 1248. vices suas Reginæ Matri demandans voluit, *vt Dignitates & Beneficia vacantia conferret, fidelitates Episcoporum & Abbatum reciperet & eis Regalia restitueret, eligendi licentiam daret Capitulis & Conuentibus vice Regia.* Quam constitutionem ad annum 1248. referemus.

Igitur Anglia nequicquam in Concilio conquesta de quodam M. Martiuo Innocentii Papæ Clerico (quem nonnulli suspicantur fuisse Martinum Polonum) qui eiusdem Papæ authoritate fultus & nomine Beneficia ad libitum conferebat spretis Patronis, sua grauamina sic exposuit in Comitiis Londinensibus, prout apud Mathæum leguntur.

Grauatur Regnum Angliæ eo quod D. Papa non est contentus subsidio illo quod vocatur *Denarius B. Petri*, sed à toto clero Angliæ grauem extorquet contributionem & adhuc multò grauiora nititur extorquere: & hoc facit sine D. Regis assensu vel consensu, contra antiquas consuetudines, libertates & Regni Iura, & contra appellationem & contradictionem Procuratorum Regis & Regni in Generali Concilio factam.

Item granatur Ecclesia & Regnum, eo quod Patroni Ecclesiarum, ad eas cum vacauerint, Clericos idoneos præsentare non possunt, prout D. Papa per litteras eis concessit, sed conferuntur Ecclesiæ Romanis, qui penitus idioma Regni ignorant, in periculum animarum, & extra Regnum pecuniam asportant illud vltra modum depaupetando.

Item grauatur in Prouisionibus à D. Papa factis, in pensionibus exigendis contra litterarum suarum tenorem. In quibus continetur quod ex *omnibus retentionibus f..s in Anglia* non intendebat conferre nisi 12. beneficia post prædictarum confectionem litterarum: sed credimus multo plura beneficia ab eodem esse collata & prouisiones factas.

Item grauatur, quod Italicus Italico succedit: & quod Anglici extra Regnum in causas authoritate Apostolica trahuntur contra Regni consuetudines, contra antiqua iura scripta, eo quod inter inimicos conueniri non debeat: & contra indulgentias à Prædecessoribus D. Papæ Regi & Regno Angliæ concessas.

Item granatur ex multiplici aduentu illius infamis Nuncii *Non obstante*, per quem iuramenti Religio, consuetudines antiquæ, scripturarum vigor, concessionum authoritas, statuta iura & priuilegia debilitantur & euanescunt: quod infiniti de Regno Angliæ oppressi sunt grauiter & afflicti: nec se D. Papa versus Regnum Angliæ in plenitudine suæ potestatis reuocanda, curialiter ita vel moderatè gerit, prout Procuratoribus Regni ore tenus dederat in promissis.

Item grauatur in Talliis generalibus, Collectis & Assisiis sine Regis assensu & voluntate factis contra appellationem & contradictionem Procuratorum Regis & Vniuersitatis Angliæ.

Item grauatur, eo quod in beneficiis Italicorum nec iura nec pauperum sustentatio, nec hospitalitas, nec diuini verbi prædicatio, nec Ecclesiarum vtilis ornatus, nec animarum cura, nec in Ecclesiis diuina fiunt obsequia prout decet & moris est patriæ, sed in ædificiis suis parietes cum tectis corruunt & penitus lacerantur.

Hæc grauamina ad Innocentium per Procuratores & Nuncios suos transmisit secundum varios Ordines Ecclesiasticorum, Baronum & aliorum, quorum extant litteræ apud Mathæum. Sic autem Episcopi.

Reuerendo in Christo Patri Innocentio D. G. summo Pontifici Episcopi Cantuariensis Prouinciæ Suffraganei cum recommendatione Pedum oscula

» Beatorum.... *Nuper siquidem* cum in Concilio Illustris Principis & D. Angliæ Re-
» gis in media Quadtagesima essemus præsentes, quædam audiuimus quæ vestræ
» sanctitati referimus dolentes, Regem scilicet & Proceres nec non populum quasi
» vniuersum rodere, ac multiplicatis querimoniis murmurare, quod in *Collationibus*
» *Beneficiorum quæ per Prouisores in Anglia fiunt incunctanter*, Nobilium atque alio-
» rum vocationibus contra eorum & Regni Priuilegium ad Iudicia extra Regnum
» nec non aliis plerisque molestiis, quas vestræ beatitudini vt credimus, plenius in-
» sinuare proponunt, ipsi & Regnum atque populus vniuersus iugo oppressionis
» intolerabilis existunt prægrauati. Et hæc publicè obiurgantes proponebant in
» cordibus quasi se malle mori quàm ea cum magis de die in diem pullulare vi-
» deantur, diutius tolerare, præsertim cum eadem granamina ipsos & eorum po-
» pulum sæpius, vt asserunt ac durius affligant, promissione moderaminis quam
» ipsorum Procuratoribus à vestra sanctitate in supradicto Concilio factam esse
» dicunt, iam non obstante, &c.

Similiter Abbates & Priores eorumque Conuentus. *Commouetur populus contra Regem ab ipsius fidelitate paratus recedere, nisi contra morbos imminentes per potentiam Regiam citius occurratur. Asserunt enim Proceres & Magnates, quod si Ecclesiæ collatæ Monasteriis ab eisdem, Clericis Italicis conferantur, ipsas Ecclesias & alia Beneficia in proprietatem suam iustè poterunt reuocare; quia ex eis fructus prouenientes ad vsus pauperum & peregrinorum debent de iure deputari, cum hæc fuisset intentio conferentium & causa conferendi. Prouideat ergo Sanctitas vestra, vt Regnum & sacerdotium nullatenus sint diuisa.* Paulò post Henricus Edicto prohibuit Exactiones vllas eiusmodi deinceps in Anglia fieri. Et metus iste oppressionis Romanæ ita Procerum Gallorum animos inuasit, vt iugum Ecclesiæ excutere prope moliti sint. Vt ad annum sequentem dicetur.

2247. Anno 1247. eruperunt tandem in Francia quorundam Nobilium voces indignantium quod summus Pontifex Innocentius sibi in Reges & Magnates potestatem authoritatemque etiam temporalem vt vocant arrogaret. Nec defuerunt Parisiis, & Oxoniæ Magistri qui quæstionem illam de potestate Papæ agitarent: vtrumque enim Regnum, Gallicanum & Anglicanum exactionibus Curiæ Romanæ supra modum se grauari sensit & ægrè tulit. Nec defuerunt quoque huicce indignationi faces subministrare Friderici Imperatoris occulti Ministri, qui eum omnino Christianum & verè Catholicum Principem esse asserebant, communemque causam esse dicebant quæ vnius agitari videbatur; in vno enim Friderico omnium Regum & Principum status impeti. Vnde plurimi excitati contra Papam & viros Ecclesiasticos conspirare ausi sunt. In Gallia verò nostra Nobilitas, quod nunquam antea visum fuerat, coniurationem fecit in hæc verba, quæ leguntur apud Mathæum Parisiensem ad hunc an.

A TOVS CEVX QVI CES LETTRES VERRONT. Nous tous desquels les Seaux pendent en cest present Escris, faisons sçauoir que Nous par la foy de nos corps auons fiancé tant Nous comme nos Oirs à tousiours à ayder les vns aux autres, & à tous ceux de nos terres & d'autres terres qui voudront estre de cette Compagnie, à pourchasser & à requerir & à defendre nos droits & les leurs en bonne foy enuers la Clergie. Et pource que seroit grièue chose, Nous tous assemblez pour cette besoigne, Nous auons esleu par le commun assent & octroy de Nous tous le Duc de Bourgoigne, le Comte Ferrand de Bretagne, le Comte d'Angoulesme & le Comte de Saint Pol, à ce que si aucuns de cette Communité auoit à faire enuers la Clergie, tel ayde comme ces quatre deuant dits esgarderoient qu'vn homme luy deust faire, Nous luy ferions. Et est à sçauoir, que à ce defendre, pourchasser & requerir, chascun de cette Communité mettra la centiéme partie par son serment de la vaillance d'vn an de la terre qu'il tiendra. Et chascun Riche homme de ceste Compagnie fera leuer ces deniers chacun an à son pouoir à la Purification Nostre Dame, & les deliurer où il sera mestier pour cette besoigne par les Lettres pendantes de ces quatre auant nommez, ou des deux de eux; Et si aucun auoit tort, & il ne vouloit laisser par ces quatre auant nommez, il ne seroit pas aydé de la Communité. Et si aucun de cette Compaignie estoit excommunié par tort, connu par ces quatre que la Clergie luy feist, il ne laisseroit aller son droit & sa querelle pour l'excommuniment, ne pour aultre chose que on luy face, si ce n'est par l'accort de ces quatre ou de deux de eux, ains poursuiueroit sa droiture

ſa droiture. Et ſi les deux des quatre mouroient ou alloient hors de la terre ; les autres deux qui demeurroyent, mettroyent aultres deux en lieu de ces deux qui auroient tel pouoir que eſt en deuant deuiſé. Et s'il aduenoit que les trois & les quatre allaſſent hors de la terre ou mouriſſent, les douze ou les dix des Riches de ceſte Communité eſliſoient autres quatre qui auroient ce meſme pouoir que les quatre deuant dits. Et ſi ces quatre ou aucun de la Communité par le commandement de ces quatre faiſoient aucune beſoigne qui appertenſiſt à cette Communité, la Communité l'en deliureroit.

Extat ibidem aliud eorundem Nobilium ſcriptum, his verbis conceptum. Quia Clericorum ſuperſtitio non attendens quos bellis & quorundam ſanguine ſub Carolo M. & aliis Regnum Franciæ de errore Gentium ad fidem Catholicam ſit conuerſum, primo quadam humilitate Nos ſeduxit quaſi vulpes ſe nobis opponentes ex ipſorum Caſtrorum reliquiis quæ à nobis habuerunt fundamentum, Iuriſdictionem ſecularium Principum ſic abſorbent, vt filii ſeruorum ſecundum ſuas leges iudicent liberos & filios liberorum, quamuis ſecundum leges priorum Triumphatorum deberent à nobis potius iudicari, & per nouas conſtitutiones non deberet Anteceſſorum noſtrorum conſuetudinibus derogari: cum Nos deterioris conditionis faciant quàm Deus etiam voluit eſſe Gentiles cum dixerit. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Nos omnes Regni Maiores attento animo percipientes quod Regnum non per ius ſcriptum nec per Clericorum arrogantiam, ſed per ſudores bellicos fuerit acquiſitum, præſenti decreto omnium iuramento ſtatuimus & ſanximus, vt nullus Clericus vel Laicus alium de cætero trahat in cauſam coram Iudice Ordinario vel Delegato, niſi ſuper hæreſi, Matrimonio vel vſuris, amiſſione omnium bonorum ſuorum & vnius membri mutilatione transgreſſoribus imminente, certis à nobis ſuper hoc Executoribus deputatis, vt ſic iuriſdictio noſtra reſuſcitata reſpiret, & ipſi hactenus ex noſtra depauperatione ditati, quibus Dominus propter eorum ſuperbiam profanas voluit reuelare contentiones, reducantur ad ſtatum Eccleſiæ primitiuæ & in contemplatione viuentes, Nobis ſicut decet actiuam vitam ducentibus, oſtendant miracula, quæ dudum ſeculo receſſerunt.

Mouit hæc conſpiratio ſummũ Pontificem tanto magis, quod non haberet vbi pedem figeret præterquã in Gallia. Videbat bello Fridericano Germaniam teneri: interclusus erat in Italiam reditus: Anglia iamdudum grauaminibus Legatorum Pontificiorum oppreſſa gemebat. Præterea idem omnino videbantur Nobiles illi petere quod Fridericus ante Diplomatibus crebris petierat, Curiæ ſcilicet Romanæ reformationem. Sic enim ille in fine cuiuſdam Epiſtolæ quam miſit ad multos Principes. *Semper fuit noſtra intentio voluntatis, Clericos cuiuſcunque Ordinis adhoc inducere, & maximos, vt tales perſeuerarent in fine quales fuerunt in Eccleſia primitiua Apoſtolicam vitam ducentes, humilitatem Domini imitantes. Tales namque Clerici ſolebant Angelos intueri, miraculis coruſcare, ægros curare, mortuos ſuſcitare; & ſanctitate non armis ſibi Reges & Principes ſubiugare. Ac iſti ſeculo dediti, deliciis inebriati Dominum poſtponunt, quorum ex affluentia Diuitiarum & opum omnis Religio ſuffocatur. Talibus ergo ſubtrahere nocentes diuitias quibus damnabiliter onerantur, opus eſt Charitatis.* Hæc igitur cum innotuiſſent ſummo Pontifici, conatus eſt ſibi Franciæ & Angliæ Reges demereri, Proceres verò & Procerum affines beneficiorum Eccleſiaſticorum & Priuilegiorum præmiis ab illâ ſocietate diſiungere. Non ita tamen ſibi omnes deuincire potuit, quin ſtatutis Baronum Reges Franciæ & Angliæ contra forum Eccleſiaſticum aſſenſum præbuerint. Sic enim legitur apud Mathæum.

Eodem quoque anno D. Rex Anglorum exemplum accipiens ab illis Baronibus qui ſua ſtatuta ſanxerunt in Francia, quibus & D. Rex Francorum fauorem iam præbuit & ſigillum appoſuit, ad inſatiabilem Rom. Curiæ in parte ad præſens cupiditatem refrenandam conſtituit in Anglia inuiolabiliter obſeruanda hæc. Lites de fidei læſione & periurio prohibentur à Rege, quando ſuper his conueniuntur Laici coram Iudice Eccleſiaſtico. Prohibetur Eccleſiaſticus Iudex tractare omnes cauſas contra Laicos, niſi ſint de Matrimonio vel Teſtamento. Item de nouo præſcribit Rex certam formam Epiſcopis de Baſtardia, vtrum ſcilicet ante Matrimonium contractum vel poſt nati ſint. Prohibentur Clerici per Breue Regis inſtituere actiones ſuas coram Iudice Eccleſiaſtico ſuper Decimis, & appellatur illud Breue, Indicauit. *De ſacramentis quæ exiguntur à Clericis coram Iuſtitiariis Regis præ-*

„ *standis, quia dicuntur processisse in causis contra prohibitionem Regiam, cum ictare non* „ *teneantur Clerici nisi coram Iudice Ecclesiastico maximè in causis spiritualibus.* „

Porro licet authoritate Innocentii Papæ quaudiu in Gallia fuit, compressa fuerit aliquatenus Nobilium Coniuratio, non fuit tamen omnino suppressa & sublata: quinimo post eius discessum leges & statuta condiderunt Ecclesiæ libertatibus aduersantia, præsertim verò in agro Parisiensi & contra Episcopum Parisiensem. Quod cum resciuisset prædictus Pontifex, Bullam dedit ad Episcopum Aurelianensem, mandauitque vt Barones & Nobiles illos eorumque fautores aut eis quomodocunque adhærentes excommunicationis vinculis innodaret. Legitur Bulla in Chartulario Episcopij Paris. his verbis:

„ *Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei*, Venerabili Fratri Episcopo Aurelianensi Sal. & Apost. bened. Ventrem suum dolet alma Mater Ecclesia in tumultuosis motibus filiorum qui vel per dissidia simultatum altrinsecus dissident, vel alterutrum per altercationes & iurgia colliduntur. Sed præter hunc dolorem alius eam lamentari cogit & gemere qui eidem à peste peruersi conceptus ingeritur, dum plerique mendacem filiorum titulum præferentes quasi instinctu relegato naturæ aluum maternam ipsius diripiunt morsibus membra eius. Nimirum nisi eandem Matrem optimam tot punctionum stimulis agitatam mala prauorum ferre cogeret inuictæ pietatis affectus, quo Deum vltionum pro persecutoribus vt iustæ in eos animaduersionis sententiam differat, ne desit locus pœnitentiæ, interpellat. Iam voce Prophetica non immeritò clamare ad eum in zelo iustitiæ posset ac dicere, *Tempus est Domine faciendi iudicium.* Dissipauerunt enim penitus legem tuam cuius dura ceruice præuaricantes imperium spirituum Patri non deferunt & animarum matrem contumeliis inhonorant. Ecce namque mysterium iniquitatis quod in illis operari manifestè iam incipit. Ecce forte abominationis desolatio, quæ locum in templo Dei sibi indebitum vendicans diem accelerat vltionis quem potissimè vicinum adesse præmonstrant indeuotionis filij absque affectu gratiæ, absque naturæ fœdere, absque zelo iustitiæ pullulante in degeneres degenerantes affectus; & non solum spiritualibus quoque non parentes parentibus, verum etiam se in eos irreuerentet armantes dum nefario conspirationis studio colligationes impietatis innectunt & depressionibus fasciculos in subuersionem congerunt Ecclesiasticæ libertatis, ac per consequens in suppressionem fidei Orthodoxæ. Etenim cum ipsa libertas quam Catholici Principis diuini cultus zelo feruentes & publicæ salutis prouidi munierunt, sic in domo Domini cõtra illos qui eam demoliri, si liuori addatur audacia, moliuntur, quasi turris fortitudinis in præsidium Catholicæ fidei constituta, si eam qui pretium Christi cogitant à populo redempto repellere possent quod absit, vt gestiunt impellere in ruinam, quisque fidelis si perspicuè intueatur, aduertit, quod Christianæ fidei religio tanquam inclinatus paries & depulsa maceries non constaret. *Hoc sanè nonnulli Barones & Nobiles Regni Francorum saniori admonente consilio attendentes, cum olim inter se illicita fœdera iniissent & iuri dispendiosa Diuino statuta firmassent quæ in perniciem libertatis prædictæ ac depressionem Ecclesiæ Gall. vergere videbantur, ad correctionem sedis Apostolicæ*, in qua per Dei prouidentiam sedens habere debet in ore gladium bis acutum, vt contra Dei veritatem & iustitiam nulli parcat, ab huiusmodi confœderationibus & constitutionibus destiterunt. Sed sicut dolentes accepimus, ille malorum omnium vetemosus incentor qui magis illuc importunè recurrit, vnde exclusus & confusus exiuit, vt septemplici nequitia circunseptus prioribus peiora subiungat, in quibusdam Baronibus locorum Dominis & aliis Nobilibus Paris. Diœcesis ad expugnationem libertatis Parisiensis Ecclesiæ machinas suæ malignitatis instaurat, qui colligationes & constitutiones damnabiles & damnatas, quas alii Barones & Nobiles Regni prædicti ob diuinam & nostram reuerentiam suamque salutem dissoluerant, religantes; secundum ipsas Venerabilem Fratrem nostrum Parisiensem Episcopum & Ecclesiam suam ac Officiales ipsorum suæ nituntur authoritati subiicere, eosque super Iurisdictionibus & approbatis consuetudinibus suis in turbationem Ecclesiastici status & ordinis impediunt multipliciter & infestant. Et non solum aduersus libertatem Paris. Ecclesiæ, verumetiam, quod videtur enormius, in potestatis plenitudinem quam Deus in Apostolica sede constituit, in-

tolerabiles nequitiæ leges cantet, transgressores earum non tantum pecuniariâ pœnâ multandos, sed vltimo tradendos decreuere supplicio: propter quod aliqui propter crudelem animaduersionem sicut accepimus, perierunt, & nonnulli fuerunt etiam mutilati. Grauia sunt hæc & grauem nisi efficax obstiterit antidotum paritura perniciem, cum verendum sit *ne paucorum morbus letali contagio serpat in plurimos, & ab infecta per lepram huiusmodi licet paruâ particulâ Regni Francorum quod inter cætera Regna mundi tersum Catholicæ deuotionis est speculum, temeretur integritas & claritas maculetur:* quamuis eiusdem Christianissimi Regni tam fixa sit in B. Petri fide soliditas, vt massa puritatis eiusdem nullius timeatur fermento maliciæ deprauari. Exercenda est igitur non minus ad salutem agentium quàm ad profectum patientium aduersus prædictarum temeritatum valitudines Ecclesiæ Medicina, vt Apostolicæ virtutis dextera inconsultos violentorum motus salubriter coercens à peccato liberet à dispendiis iniuriam patientes.

Quocirca de fratrum nostrorum consilio fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus & locis vbi videris expedire negotio, generales promulges authoritate nostra excommunicationes & interdicti sententias, & facias per alios promulgari ac vsque ad satisfactionem condignam publicari solenniter pulsatis campanis & candelis accensis singulis diebus Dominicis & festiuis in personas & terras illorum Baronum atque Nobilium Paris. diœcesis, qui peruersis constitutionum iniquarum destitutionibus inhærentes & religantes improbatæ impietatis fœdera sano vt prædiximus consilio resoluta, præfatum Episcopum & Parisiensem Ecclesiam aut Officiales ipsorum Iurisdictionem Ecclesiasticam in casibus qui eis de iure vel approbata consuetudine competunt, exercentes seu quoslibet agentes vel respondentes coram eis vel ad ipsorum iudicium in præmissis casibus euocatos aut in foro Paris. Ecclesiæ Aduocati vel Assessoris seu Procuratoris vel Nuncij Officium pro quibuslibet exequentes qualitercunque impediunt vel molestant, aut de cætero impedite vel molestare per se vel per alios attentabunt. Excommunicatos quoque denuncies & facias denunciati solenniter omnes illos eiusdem Diœcesis qui statuta quæcumque vel consuetudiues introductas contra libertatem Ecclesiæ ediderunt vel seruabunt. Nec non & Statutarios, scriptores statutorum huiusmodi, Barones & Dominos terrarum ac alios Nobiles, Potestates, Consules, Rectores & Consiliarios locorum vbi huiusmodi statuta vel consuetudines edita fuerunt, vel seruata, & illos etiam qui ea iudicare præsumpserint vel etiam in publicam formam scribere iudicata. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo, non obstantibus aliquibus indulgentiis quibuscunque Personis ab Apostolica sede concessis, vt in eos vel in eorum terras excommunicationis & interdicti sententiæ ferri nequeant absque ipsius sedis licentia speciali. Quod si forsan inuenti fuerint aliqui pertinaces, eis expressè denuncies quod & ipsi feudis si qua tenent ab Ecclesiis priuabuntur, & eorum proles ad Clericatum vel Ecclesiasticum beneficium præsertim in Cathedrali & aliis Ecclesiis Ciuitatis & Diœcesis Paris. nullatenus assumentur. Clerici quoque qui cum prædictis permanent, nisi statim post propositam vel saltem publicatam monitionem tuam à prædictorum non resipiscentium recedant obsequiis, omnibus Ecclesiasticis beneficiis & etiam clericatus priuilegio cuius adesse videntur contemptoribus, nudabuntur. Datum Perusii 12. Kal. April. Pontif. n. an. 10.

Eodem anno missam à Magistro Templi & Hospitalis Hierosolymitani in vase Cristallino venustissimo guttam Sanguinis Dominici accepit Henricus III. Angliæ Rex, & ad S. Petrum Westmonasteriensem reuerentissimè detulit vigilia S. Edmundi & die crastina S. Eduardi, imitatus Heraclium Imperatorem & Ludouicum Franciæ Regem, qui partes S. Crucis magnâ cum reuerentiâ susceperunt & adorarunt. Præcepit igitur, inquit Mathæus, Rex vt omnes Presbyteri Londinenses festiuè vestiti superpelliciis & capis cum suis Clericis decenter vestitis, cum vexillis, crucibus & cereis accensis die crastina videlicet S. Eduardi summo mane ordinatè & reuerenter conuenirent apud S Paulum Quo & ipse Rex venit, & cum honore & reuerentia ac timore accipiens illud vasculum cum thesauro memorato tulit illud ferens in popatulo supra faciem suam iens pedes, habens humilem habitum: scilicet pauperem capam sine caputio,

„ præcedentibus vestiris prædictis sine pausatione vsque ad Ecclesiam Westmona-
„ steriensem, quæ distat ab Ecclesia S. Pauli circiter vno milliari. Nec prætermit-
„ tendum quod manibus illud deferens cum per stratam salebrosam & inæqualem
„ pergeret, semper vel in cœlum vel in ipsum vas luminatenebat defixa. Supporta-
„ batur autem palla per 4. hastas. Supportabantque duo coadiutores brachia
„ sua, ne in tanto forte lahote deficeret. Episcopus autem Norwicensis eademdie
„ Missam celebrauit & habuit sermonem ad populum excitando ad cultum tam
„ pretiosi muneris, quod certo tale esse dicebat quale asserebatur, vt pote quod
„ plurimorum virorum fide dignissimorum, videlicet Patriarchæ Hierosolymita-
„ ni, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & aliorum Prælatorum testimo-
„ niis & sigillis comprobabatur. Postea tamen Oxoniæ mota est quæstio à Magistris, an liceret prædicto Sanguini cultum exhibere: vt ad an. sequentem dicemus.

Eodem anno Innocentius Papa confirmauit Priuilegium ab Innocentio III. indultum circa statuta. Nec tamen vllam facit mentionem præcedentis Priuilegii. Legitur Bulla in lib. Germ. nat. & hîc exscribitur.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis Doctoribus & & Vniuersitati Scholarium Paris. Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quoties præ communi vtilitate, &c. vsque ad finem *inuiolabiliter obseruari*. Datum Lugduni 6. Non. Martii Pontif. n. an. 4. Hinc patet sæpe eadem priuilegia iisdem verbis iterari.

1248. Anno 1248. Ludouicus Rex ob restitutam sanitatem voti damnatus, qui se cum aliis multis Regni Proceribus cruce signauerat, iter arripit Hierosolymitanum frustra dissuadentibus Blancâ Matre & amicis, ad quem ad extant apud Mathæum Parisiensem hæc verba M. Willelmi Aruerni Episcopi Paris. *Domine mi Rex*, recordare quoniam Crucem accepisti, tam arduum votum faciendo inconsultè & subitò, infirmus fuisti, & vt verum fateamur, mentis alienæ,
„ rapta quoque ad cerebrum materiâ, compos tui non fuisti. Vnde verba tunc
„ prolata pondere caruerunt veritatis, & cuiuslibet authoritatis. Benignè
„ dispensabit nobiscum D. Papa, sciens Regni necessitatem & corporis tui debi-
„ litatem. Ecce hinc Friderici iam schismatici robur formidandum: inde insidiæ
„ nummosi Regis Anglorum. Ecce hinc Pictauiensium proditiosa quamuis nuper
„ edomitorum dolositas: inde Albigensium suspecta cauillatio inquietatur. Ale-
„ mannia non quiescit. Ad Terram sanctam vix patet accessus: vix in ea recepta-
„ tio: post tergum Papæ & Friderici odium inexorabile, inimicitiæ implacabiles.
„ Quibus nos desolatos relinquis. Similiter Mater quibus potuit sermonibus eum à tali proposito auertere conata est. Verum omnibus & monitis & precibus immotus in eodem voto perseuerauit. Igitur ita illis respondit.
„ *Prætenditis sensus mei immutationem, causam fuisse assumptionis Crucis meæ: Ecce pro-*
„ *vt desideratis & persuadetis, Crucem depono, Crucem vobis resigno.* Et mittens manum
„ suam ad humerum discerpendo eam auulsit dicens: Domine Episcope. Ecce Crux
„ qua signabar, vobis eam vltro resigno. Cum verò omnes ita mutarum Regis
„ animum gauderent, tum ille mutato vultu & sententia. *Amici mei, ait, profectò*
„ *nunc non sum expers rationis aut sensus, non mei impos aut infirmus.* Reposco nunc
„ reddi mihi Crucem meam. Nouit autem qui nihil ignorat. Non intrabit in os
„ meum quidquam mandibile, donec ea reconsigner. Itaq; nemine deinceps con-
„ tradicere auso factis apud S. Dionysium votis tempore autumnali iter arripuit Lugdunum versus, vbi frustra rogato Pontifice, vti Friderico pœnitenti reconciliationis animum patefaceret, tristis & mæstus Massiliam contendit, & inde nauibus conscensis soluit. Antequam verò iter arriperet, Blanchæ Matri Regni regimen commisit: vt patet ex hisce litteris quæ leguntur in Codice MS. cuius mihi pro sua humanitate copiam fecit D. d'Herouual.

Ludouicus Dei G. Francorum Rex Vniuersis præsentes litteras inspecturis
„ Salutem. Notum facimus, quod nos charissimæ Dominæ Matri nostræ Reginæ
„ concessimus & volumus, vt ipsa in hac nostræ peregrinationis absentia plenariam
„ habeat potestatem recipiendi & attrahendi ad Regni nostri negotia, quos sibi
„ placuerit & visum fuerit attrahendos, amouendi quos viderit & quando viderit
„ amouendos, secundum quod ipsi videbitur bonum esse: Bailliuos instituere & de-

stituere valeat, Castellanos, Potestarios & alios seruitiorum nostrorum, & Regni nostri Ministros ponere & amouere prout viderit expedire. *Dignitates etiam & Beneficia Ecclesiastica nostra vacantia conferre, fidelitates Episcoporum & Abbatum recipere & eis Regalia restituere, & eligendi licentiam dare Capitulis & Conuentibus vice nostra.* In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Actum apud Hospitale iuxta Corbolium an. Dom. 1248. mense Iunii.

Iuxta hasce litteras Ciues Parisienses & ipsa Vniuersitas iuramentum fidelitatis Reginæ Matri præstiterunt anno 1251. vt ad eum an. referemus.

Hisce temporibus M. Albertus, vulgò Magnus dictus, Coloniæ docebat: & vt ait author Chronici Belgici Magni, *magnus in Magia, maior in Philosophia, maximus in Theologia*, de quo sic scribit ad hunc an. cum Rex Romanorum Coloniæ versaretur, eumque togauisset vt secum discumberet, fecisse Regem quod petebat: at illum vi Magiæ extra cubiculum in viridarium progressum mensam sterni iussisse; cumque magna esset hyemis asperitas, & terra profundâ niue cooperta, murmurarentque Aulici, subito niuem disparuisse, & æstiui caloris benignitatem affulsisse, terram vernantes & suauissimos flores protulisse, garriuisse aues, germinasse arbores: at postea sublatis mensis & saturatis infinitâ Escarum differentiâ aulicis subito istam aeris serenitatem abiisse, flores dispatuisse, & frigus terram vt ante, occupauisse.

Eodem anno Ioannes de Parma Bononiensis de studio Parisiensi vbi Sententias legerat, habitis Auenioni Comitiis Ordinis Franciscani generalibus assumptus est in Moderatorem Ordinis generalem, teste Gonzaga. Is author fuit Euangelii æterni de quo suo loco.

Hoc anno feria 3. maioris Hebdomadæ obiit M. Guillelmus Aruernus, Episcopus Parisiensis factus anno 1228. qui scribente Albetico in Chronico, *Lutetiæ Theologiam interpretatus fuerat*, nouam Domum filiarum Dei inchoatat & plures mulierculas prædicatione sua à peccatis retraxerat. Eo Præsule constructus fuit Conuentus S. Catharinæ Vallis - Scholarium an. scilicet 1229. fundata est Franciscanorum domus an. 1230. magnificum Regalis Palatii Sacellum, quod sacra Capella dicitur, ad reponendas Reliquias constructum & consecratum. Dominicani secessionis Scholasticæ occasionem opportunè nacti, Cathedras Magistrales in Theologia ambierunt & obtinuerunt, & ipsi ac Franciscani Doctoralem in ea Facultate lauream assumere inceperunt. Beneficiorum Ecclesiasticorum multitudo multiplicitasque refrenata est an. 1238. multæ Dominicanorum aliorumque in Theologia Magistrorum propositiones hæreticæ damnatæ. Iacet apud S. Victorem in Capella S. Dionysii cum hoc Epitaphio.

Conditus hic recubat fatali sorte Guilelmus
Parisii Pastor qui gregis aptus erat.
Repperit illustrem cælesti munere famam,
Quam nequit in tanto mors abolere viro.

Eodem anno M. Ioannes Blondus Anglicanæ Nationis & vnus ex iis qui Academiam Paris. propter tumultum an. 1229. deseruerant, mundum deseruit: de quo sic Nicol. Harsfeld. post Mathæum. Ioannes Blondus Ecclesiæ Eboracensis Cancellarius magno cum applausu Oxonii Theologiam professus est, & quædam post se reliquit ingenii & doctrinæ suæ monumenta. Designatus est post Richardum Cantuariensis Antistes, eiusque rei gratia Romam profectus: sed electionem & designationem illam summus Pontifex, vel quod Beneficiis irretitus erat, vel alias forte ob causas infirmauit. Theologiæ operam dedit Lutetiæ Paris. à qua discessit cum aliis Anglis hominibus accuratè eruditis, Alano Becolio, Nicolao Frenhamo: quo tempore exitialis illa discordia inter Ciues & Academiam Paris. tam truculenter bacchata est, vt Scholastici omnes illam Academiam prorsus deseruerint.

Prædicto M. Ioanni Blondo quominus Cantuariensis Archiepiscopus fieret, & electus à summo Pontifice confirmaretur, omnino aduersatus est M. Simon de Langetona M. Stephani frater, insignis turbator & seditionum excitator, qui

etiam hoc anno obiit: de quo hæc verba leguntur apud Mathæum. *Sub eodem quoque annali curriculo obiit M. Simon de Langetuna frater præclaræ memoriæ Cantuariensis Archiepiscopi, Ecclesiæ Cantuariensis Archidiaconus. Qui si Ecclesia sua videlicet Cantuariensis persecutor & perturbator fuisset, non est mirandum. Quinimo Regem Francorum, Regem & Anglorum, quandoque cum ex multiplici bello venaretur, sicut sufficienter in loco suo prædictum est, monit, commonit & perturbauit. Obiit quoque anno sub eod. M. Ioannes Blondus Cancellarius Ecclesiæ Eboracensis, Theologus Prælectus & Electus aliquando in Cantuariensem Archiepiscopum, sed per memoratum Simonem cassatus. Perturbator igitur & perturbatus ad turbas simul perrexerunt defunctorum.*

Eodem quoque anno obierunt duo insignes Theologi ex Ordine Prædicatorum, quibus non vlli maiores fuisse perlubentur, *Robertus Bacun & Richardus de Fisb-kele*, qui vt ait Mathæus, egregiè pluribus annis in ea Facultate legerant & populis gloriosè Verbum Dei prædicauerant.

Qvaestio de sangvine Christi. Hoc anno quoque inter Theologos agitata est Quæstio de cultu exhibendo aut non exhibendo sanguini misso in Angliam, qui dicebatur fluxisse è latere Christi. Cum enim Episcopus Norwicensis post sermonem ad populum habitum 140. dies remissionis pœnalis de consensu multorum Prælatorum qui aderant, concessisset iis qui deuotè sanguinem illum veneraturi accederent, cœpit dubitari; *Quomodo cum plenè & integraliter die 3. post Passionem resurrexerit Dominus, sanguinem in terra reliquerit.* Hinc ergo & inde quæstio agitata à Magistris Oxoniensibus. Extat verò Episcopi Lincolniensis, in cuius Diœcesi Oxonia sita est, Determinatio huius rei: quæ legitur in Additamentis Mathæi, & quam censuimus huic Historiæ inserendam. Sic ergo habet.

Cum autem, quod sacratissimus Domini N. I. C. Sanguis quem Rex Henricus III. die S. Edwardi videlicet die translationis eius an. gratiæ 1247. indiciis, probationibus & examinationibus constaret euidentissimis & omni acceptione dignissimis; tamen ab aliquibus qui tardores erant ad credendum, adhuc dubitabatur, vtrum verus sanguis Christi fuisset. Quibus hæc relatio satisfecit inuenta in apocryphis quibus non dissidet, imò concordat textus Euangelicæ veritatis. Quod videlicet cum Ioseph ab Arimathia nobilis Decurio, qui sic dicebatur quia decem militibus præfuit, vel Decurio id. de Curia & de numero Curialium, fuisset vnus de Auditoribus Iesu & potius de Discipulis & amator specialis compatiebatur ei & sollicitabatur qualiter corpus conseruari posset tam venerabile à furore Iudæorum, Erat enim amicissimus Iesu, sicut & Nicodemus. Sed ij & alij diuites occulti propter metum Iudæorum ne accusati iacturam incurrerent & odium amicorum. Magnum enim vinculum seruitutis in se habent diuitiæ. Crucifixo igitur Iesu & mortuo postulauit Ioseph corpus Iesu, ingrediens ad eum audacter (per quod creditur fuisse potens) & concessum est ei. Ipse igitur licet ob murmurassent Iudæi, cum omni honore & reuerentia ipsum corpus sanctissimum deposuit de cruce saucium & multiformiter cruentatum habensque linteamen subtile dependens à collo & humeris, ne indignè tam dignum corpus nudis manibus contrectaret, ipsa sacra vulnera adhuc madida ac distillantia sedulo ac deuoto detersit officio. Imo etiam loca clauorum extractorum tincta cruore in ipso crucis patibulo exhausit abstergendo vtens vice spongiæ, ipso linteamine. Cum autem iam non procul à Golgotha id. loco Caluariæ, loco videlicet Crucifixionis, Corpus Christi detulisset dictus Ioseph tumulandum in loco vbi nunc sepulchrum adoratur, in sepulchro nouo in quo nullum adhuc corpus positum erat, non ignorabiliter inciso, quod & ipse comparauerat, lauit corpus illud, quia multipliciter, vt iam dictum dignoscebatur saucium & cruentatum, tum propter sudorem ipsius de quo scribitur, factus est sudor eius quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram; tum propter flagella quibus cæsus fuit asperrimè vsque ad liuorem & cruorem, tum propter Coronam spineam quam Iudæi plectentes violenter capiti eius impresserant (cuius multi aculei caput & frontem non tantum pungerent & læderent, imò potius vulnerarent & cruentarent) tum propter clauorum per mediam manuum & pedum perforationem: tum propter militis lanceam, quâ ipse latus Iesu non tantum vulnerauit sed aperuit: amplum eum fecit & hiatum patulum forte sæpius vel saltem semel fecit impingendo. Memoratus igitur Venerabilis Decurio Ioseph corpus

ipsum lauit: hæc enim erat Iudæorum consuetudo & adhuc est aliquorum honestorum Christianorum, maximè Religiosorum. Lauit inquam, quia condiendum. Lauit, quia sanè arbitrabatur & religiosè dignum censuit sanguinem ipsum sibi prorsus vendicandum, & vt thesaurum vel medicamen pretiosissimum reseruandum. Ipsamque aquam loturæ rubicundam & sanguine mixtam & tinctam non proiiciendam excepit in vase mundissimo. Reuerentius tamen ipsum purum sanguinem à vulneribus manuum & pedum distillatum. Maximo autem timore & honore ipsum sanguinem cum aqua quem censuit præcordialem à latere dextro feliciter eliquatum & expressum in vase recepit nobilissimo tanquam thesaurum impretiabilem sibi & successoribus suis specialiter reseruandum. Manifestum est igitur quadruplicem ibidem fuisse liquorem.

1. *Aquam rubicundam* scilicet Loturam: quam ipse amicis infirmantibus distribuit efficaciter medicinalem.

2. *Sanguinem puncturarum* in capite & fronte, & scissurarum per flagella inflictarum cum sudore. Isti duo liquores ex pluribus mixti dignoscuntur.

3. *Sanguis ex vulneribus* manuum & pedum, qui purus fuit & impermixtus emanauit.

4. *Ille formidabilis* tremendæ & reuerendissimæ recordationis cruor præcordialis, qui ex ipso corde Christi vel saltem latere constat effluxisse.

Præter quos 4. liquores aquam cum sanguine de ipso latere scimus emanasse. Hæc ergo cum piè & prudenter perfecisset Ioseph, & corpus iam esset conditurus, superuenit Nicodemus eodem tactus spiritu pietatis multam commendauit diligentiam Ioseph. Erat autem Nicodemus nobilis & potens sicut & Ioseph, vnde in Euangelio dicitur fuisse Princeps Iudæorum, & factus est ipsi Ioseph in adiutorium & solatium. Isti namque duo Nobiles ac Religiosi viri erant de Discipulis Iesu audientes eum clam; de noctibus videlicet, ne commouerent seditionem in populo, & plenius ab ipso eruditi expectabant Regnum Dei. Iste igitur Nicodemus prout prælibatum est, vt exequiarum tantarum decus adaugeret & sua præsentia, fide & deuotione plenius prosequeretur; attulit, vt testatur Ioannes in Euangelio, mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum ad condiendum corpus tantæ authoritatis. Erant enim deuoti ac stabiles in fide, quia viderant multa eius in vita miracula, nec non & in morte: quia terræ motum & tenebras vniuersales (quod erat supra naturam cum tunc fuisset Luna Panselenos) aquamque de latere eius, quod erat insolitum & miraculosum, distillasset. Loquitur igitur Ioannes Euangelista exin pluraliter, propter associationem superuenientis Nicodemi dicens, *Acceperunt ergo Corpus Iesu*. Porro præter illam myrrham & aloen quam attulerat Nicodemus, apposita sunt illi confectioni etiam aromata Ioseph. Dicit enim Ioannes: *Ligauerunt linteis corpus ipsum cum aromatibus*. Et sic conditum & inuolutum aptauerunt, & ordinatè posuerunt in monumento nouo: quod compositum fuit per modum clibani. Ita videlicet vt ibi plura corpora reponi potuissent. In ipso quoque sepulchro nondum quis nec postea ponebatur. Decuit enim quod sicut in vterum Virginis descendit & ex Virgine natus fuit primogenitus, id. vnigenitus, & per portam clausam exiuit, sic & in nouo sepulchro in quo nullus positus vel ponendus erat, Christus dignè collocaretur. Et apposuerunt ostium ad os monumenti, lapidem quippe magnum. Vnde Mathæus Euangelista vocat illud *Saxum magnum*. Et mulieres quæ licet tres fuissent (quæ venerunt postea vt vngerent Iesum) nescientes quod iam vnctus esset, sollicitarentur quomodo ab ostio monumenti reuolueretur. Quo facto recesserunt Ioseph & Nicodemus, & qui eos sequentes ipsis assistebant. Postea vero accesserunt Iudæi versuti & in odio obstinati: & ex permissione Pilati lapidem memoratum signauerunt apponentes militum custodiam: & cum inde recessissent Ioseph & Nicodemus partiti sunt inter se ratione amicitiæ & condiscipulatus, liquores memoratos, vt pote pretiosam acquisitionem. Sic igitur deuoluta fuit huius Charissimæ rei possessio de patribus in filios & de amicis ad amicos, videlicet inter nobilissimos quod post multorum annorum curricula deuenit ad possessionem Patriarchæ Hierosolymitani, vt pote thesaurus Ecclesiæ, cui præesse Patriarcha dignoscitur, anno gratiæ 1247 Qui cum propter discrimen Terræ sanctæ, quam tunc timuerunt amittere Christiani, cum

propter quod Regem Angliæ Christianissimum cognouerunt & ipsam terram Christianissimam, memoratus Patriarcha de consilio suorum Suffraganeorum Magistrorumque Militiæ Templi & Hospitaliorum & aliorum Nobilium Transmarinorum, qui in testimonium veritatis vel sigilla sua apposuerunt, vel assertionem mandati transmiserunt, sæpe dictum Thesaurum Sanguinis memorati piissimo Regi Angliæ Henrico III. vt sub eius tutela dignius veneraretur, & tutius reseruaretur, prudenter duxit transmittendum, & non pro alicuius commercii retributione, imò in meræ charitatis liberalitate conferendū. Vnde asserunt nonnulli quod generiosiori modo possidet illud munus Rex Angliæ Henricus, tantæque Dignitatis Reliquias, quàm Rex Francorum suas quas paucis antea euolutis annis instito riè acquisiuit. Et si sancta nimis sit Crux vera propter contactum sancti Corporis Christi, & corona & lancea & claui, multò sanctior fuit sanguis ipse Christi, pretium videlicet humanæ redemptionis, quia propter cruorem & in cruore sanctificata est Crux &c. & non cruor propter Crucem vel propter alia Passionis instrumenta. Sed quia tardicordes & oblocutores solent sic obiicere & dicere, quod cum Christus tertio die resurrexisset cum corporis integritate & non exanguis, qualiter esse posset, quod sanguinem suum post se reliquerit in terra? Responsum fuit sufficienter. Duo sunt sanguines, vel genera sanguinum.

Vnus enim sanguis est, qui ex nutrimentis generatur, qui aliquando ita superfluit, vt à naribus sponte prorumpat, vel aliquem alium exitum vt minurione indigeat sic repletus. Et de tali sanguine Christi habemus in terra, licet sanè non fuisset sanguinolentus. Deo sic volente, vt videlicet habeatur recentior memoria Dominicæ passionis. Est & alius sanguis qui corpori animato substantialis, de quo dicitur quod ptysis est consumptio substantialis humiditatis, idest, sanguinis vitæ necessarii. Qui secundum Physicos dicitur amicus naturæ, & de quo dicit Moyses quod in sanguine sedes est animæ. Sed ille sanguis reponitur in triclinio cordis, sine quo non posset quis viuere. De illo Christi sanguine non habemus forte in terris. Forte dico, quia omnia quæcunque voluit, Dominus fecit. Surrexit enim Deus & quidquid fuit de substantia Corporis sui & decoris plenitudine cum ipso, & quod de veritate humanæ fuit naturæ cum ipso, id: sanguis eidem consubstantialis. Alius verò qui distillauit, habetur hic. Et nos quidē sic resurgemus videlicet sine aliqua corporis vel mutilatione vel deformitate. Qualiscunque enim extiterit homo in hoc mundo, contractus, gibbosus, vel leprosus, vel nanus, vel abortiuus, in resurrectione sibi plenè restaurabitur. Reuera in Corpore Christi suorum vulnerum stigmata post resurrectionem suam recentium & adhuc hiantium, quod apparuerunt, & quod se Christus post resurrectionem & glorificationem corporis palpabilem præbuit, & ad suum beneplacitum visibilem, vel vulneratum monstrauit miraculosum & obstupendum. Vt sic videlicet dubitantium fides roboraretur, qui tam duri & tardi fuerunt. Quidam Discipulorum ad credendum resurrectionem, quod postquam viderant non crediderunt, & vt benedictio non visuris, & tamen credituris largius donaretur. Tertia causa fuit & potissima, vt scilicet sciretur quod omnipotens fuit, vt contra consuetum vsum & naturalem foret corpus eius, qui fuit Dominus naturæ, ad suum nutum & beneplacitum monstrabile & palpabile & saucium cerneretur, qui tamen ad Discipulos intrauit foribus obseratis. Et sic omnium cessare debent morsus Detractatorum. Hæc fuit Determinatio M. Roberti de Grosse-teste tunc Lincolniensis Episcopi.

Hoc anno Thomas de Aquino Ordinis Prædicatorum interpretari cœpit Sententias Petri Lombardi non quidem publicè, sed priuatim & solis duntaxat fratribus Ordinis: nam tunc duas Cathedras Theologicas & solennes exercebant F. *Bonus-Homo* natione Aremoricus, & *Elias-Brunetus* Petragoricensis: quibus successerunt *M. Ioannes Pungens-Asinum* Parisiensis, & *Hugo Metensis*, qui cum D. Thoma aliquandiu rexit. Thomas autem ab hoc anno vsque ad an. 1253. varios tractatus summâ felicitate explicauit & prælegit: anno verò 1256 Doctoratus apicem in Theologia consecutus est cum D. Bonauentura, vel etiam citius vt aliqui putant.

Hoc anno obiit insignis quondam Theologiæ Professor & Cancellarius Parisiensis

siensis, tunc verò Episcopus Cameracensis M. *Guiardus seu Vviardus de Lauduno,* aliis Godefridus, Guido seu Gilo Laudunensis: cuius meminit Cantipratanus, l. 1. c. 5. eumq; ait ob nimiam seueritatem pœnis purgatorii damnatum. *Venerabilis*, inquit, & Deo dignus Guiardus Cameracensis Episcopus, sicut à fratribus „ Ordinis Prædicatorum audiui, cum in viâ contra Antuerpienses Hæreticos apud „ Afsigemmense Monasterium Brabantiæ in regulari obseruatione strictissimam „ vitam suam fine beatissimo terminasset, in ipso tempore migrationis cuidam fra- „ tri Prædicatorum per somnum apparuit in Gandauo. Cui frater: Quomodo, in- „ quit, Pater tibi est? Et ille: mortuus, inquit, sum debitum commune soluens con- „ ditionis humanæ, & ecce ad satis graues transeo pœnas expurgandas priusquam „ ad gloriam transferar. Et mox frater: Quæ, inquit, pœnæ causa? Cui ille: nimia „ seueritas, inquit, me culpabilem reddidit & purgandum: sed via ista quâ contra „ Hæreticos pro expurganda Ecclesia auidius inhiabam, pœnam meam imminuet „ & accelerabit gloriam nunc dilatam. Eiusdem meminit Ioannes Molanus in Bibliotheca Belgica: Guiardus vel Vvillardus Episcopus Cameracensis obiit an. 1248. qui alio nomine dictus est Gaudefridus, Guido seu Gilo de Lauduno. Scripsisse fertur de Officiis Ecclesiasticis librum cuius initium est: *Quoniam sæpe me rogasti* De creatione Mundi Dialogum qui inchoatur *Secundum Tullium.* Hæc Molanus. Eiusdem librum de Diuinis officiis citat Ioannes Gaterius in lib. de vera præsentia Corporis Christi in Euchar.

Scribit quoque Georgius Coluenerius Doctor Duacensis in Notis ad Cantipratanum, se duos habere sermones satis prolixos de Passione Domini, quos ait se descripsisse ex antiquo Codice MS. Monasterii Flinensis iuxta Duacum, quorum prior hunc habet titulum: *Sermo Guiardi Episcopi* de Passione Domini in die nostræ Redemptionis: incipit. *Christus Passus* est pro nobis: Alter incipit: *Habat iuxta* Crucem Iesu. In tabulis Democharis appellatur Guido Laudunensis seu Viardus, quem sequitur Nicolaus de Fontanis. Eumq; aiunt quinquagesimum fuisse Episcopum Cameracensem. Vir autem iste pluralitatem Beneficiorum maximè impugnauit: vt patet vel ex hoc vno eius dicto, quod refert Cantipratanus l. 1. c. 19. Nollem pro toto Arabiæ auro vna tantum nocte duo Beneficia retinere, & „ certus tamen essem quod de mane vnum illorum idoneo homini conferretur, & „ hoc propter incertum vitæ discrimen. „

COLLEGIVM BONORVM PVERORVM AD Portam S. Victoris.

EOdem anno M. Gualterus de Castro Theodorici Cancellarius Parisiensis & paulo post Episcopus, Collegii Bonorum Puerorum ad portam S. Victoris Prouisor & administrator obtinuit ab Innocentio Pontifice Licentiam construendæ in prædicto Collegio Capellæ diuinaque officia celebrandi, quibus interesse possent commodè scholares. Quam in rem extat sequens Bulla in Chartulario Episcopii Parisiensis.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili fratri Episcopo Paris. Salutem & Apostolicam benedictionem. *Ex parte Dilecti filii Cancellarii Parisiensis, cui custodia Pauperum Scholarium Paris. qui dicuntur* Boni pveri, *est commissa, fuit nobis humiliter supplicatum, vt habendi in eorum Domo Capellam, & Diuina ibidem officia celebrandi, Parochialis Ecclesia iure saluo, eis licentiam concedere curaremus.* Volentes igitur tibi qui loci Diœcesanus existis, in hac parte deferre, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus eisdem postulata concedas sine Iuris præiudicio alieni, si videris expedire. Datum Lugduni 8. Kalend. Decemb. Pontif. nostri an. 6.

Hinc satis intelligitur vetustiorem fuisse Collegii Bursariorumque in eo institutionem, nondum tamen constructam ibi Capellam, quæ tandem annuente & permittente Reginaldo Episcopo Parisiensi post aliquot annos constructa est: & domus commodior de nouo ædificata.

Reginaldus miseratione Diuina Parisiensis Ecclesiæ Minister indignus, Vniuersis præsentes litteras inspecturis, Salutem in Domino. Notum facimus quod Nos „

" ad preces & instantiam Bonorum authoritate ordinaria concessimus vsque ad nostræ beneplacitum voluntatis, Pauperibus Scholaribus, qui *Boni Pueri* vulgariter nuncupantur, vt in Domo suâ quam de nono ædificare Parisius inceperunt, possint construere Oratorium saluo iure Presbyteri Parochialis S. Nicolai de Cardineto, infra cuius metas Parochiæ sita est dicta Domus. Ita quod omnes oblationes quas ibi de cætero fieri contigerit, per eosdem siue per aliosvel in pecunia vel in cera siue alia spetie, integrè restituantur Presbytero S. Nicolai supradicti; nec habeant Cimeterium vel aquam benedictam nec anniuersarium nec annale, nec panem benedictum, nec alicui Ecclesiastica sacramenta, siue sit de domo siue de extra, exhibebunt, sine licentia Presbyteri Sancti Nicolai speciali; nec aliquam ad purificationem siue ad alia Ecclesiastica sacramenta admittent, nec Campanam habebunt quæ possit extra audiri apertè: nec procurabunt verbo vel facto in fraudem Presbyteri antedicti vel causæ vtilitatis ipsorum vel domus suæ, quin in dicto Oratorio fiant Oblationes ad opus dicti Presbyteri, vel faciet ab aliis procurari. Et de omnibus præmissis tenendis, firmiter custodiendis & similiter dicto Presbytero restituendis Custos vel Procurator vel Magister vnus vel plures si ibi fuerint, vel Presbyter vel Capellanus dictæ Domus qui pro tempore fuerint infra triduum postquam ibidem fuerint instituti, Presbytero S. Nicolai præstabunt corporaliter iuramentum. In cuius rei testimonium & memoriam *Sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum*. Datum anno D. 1257.

Horumce Pauperum Scholarium meminit S. Ludouicus in testamento an 1269. *Legamus Pauperibus Scholaribus S. Thomæ de Lupara Paris. 15. libras, & Pauperibus Scholaribus S. Honorati Paris. 10. libr.* Bonis Pueris *Paris. 60. libras.*

Placet insuper his addere plures alias litteras diuersis datas temporibus, ad hocce Collegium pertinentes, quæ leguntur in eodem Chartulario Parisiensi.

Littera de amortizatione 15. librarum redditus in Præpositura Parisiensi pro fundatione cuiusdam Capellaniæ in Domo Bonorum Puerorum Parisiensium.

" Philippus D. G. Francorum Rex. Notum facimus Vniuersis tam præsentibus quàm futuris, quod eum dilectus & fidelis noster Mathæus Ecclesiæ B. Dionysii in Francia Abbas executor testamenti Guidonis Renart quondam Physici nostri nomine Executoris Testamenti prædicti 15. libras Parisienses annui redditus in nostra Præpositura Parisiensi debitas emerit à Ioanne dicto de Flament de porta Nulliaci, Eustachia eius vxore, Henrico de S. Dionysio, Genouefa eius vxore, Odoardo Pydoe, Agnete eius vxore, Petro Flament, Iaquelina eius vxore, Guilleto le Flemment & Margareta filia defuncti Guillelmi Ponrin Ciuibus Paris. pro quadam Capellania fundanda pro remedio animæ memorati defuncti, dictusque Abbas nomine Executoris supradicto disposuerit & ordinauerit dictam Capellaniam fieri in domo Bonorum Puerorum Parisiensium: Nos præmissa volumus & consentimus ipsa teneri in perpetuum ad opus Capellaniæ memoratæ absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, saluo tamen in omnibus aliis iure nostro ac etiam alieno. Quod vt ratum & stabile permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno D. 1284. mense Augusto.

Extat in eodem Chartulario alia Charta in hanc rem data an. 1287. Estque huiusmodi.

Littera Fundationis cuiusdam Capellaniæ fundatæ in Capella Bonorum Puerorum iuxta portam S. Victoris.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis Ranulphus permissione Diuina Parisiensis Ecclesiæ Minister indignus Salutem in filio Virginis gloriosæ. *Olim ad supplicationem Cancellarii* Parisiensis *cui tunc erat commissa custodia* Pauperum Scholarium Paris. qui *Boni Pueri nuncupantur*, felicis recordationis Innocentius Papa IV. Parisiensi Episcopo per suas dedit litteras in mandatis, vt habendi Capellam in eorum Domo & diuina ibidem Officia celebrandi eis licentiam si expedire videret, conferret sine iuris præiudicio alieni. Cuius voluntatem secuti bonæ memoriæ Reginaldus & Stephanus Parisienses Episcopi Prædecessores nostri, hoc eisdem Scholaribus sub certis conditionibus concesserunt. Demum verò quadam Capella ibi ædificata nostro accedente consensu bonæ memoriæ Mathæus quondam Abbas Monasterii S. Dionysii in Francia Executor testamenti M. Guidonis Re-

nari nomine Executoris eiusdem Quandam Capellaniam cuius ius Patronatus & Collatio ad Episcopum Parisiensem perpetuò pertinebit, pro remedio animæ ipsius Defuncti in dicta Capella fundari voluit & decreuit; & 15. libras Parisienses annui reditus percipiendas in Præpositura Parisiensi emptas de bonis Executionis prædictæ & à D. Rege Franciæ admortizatas ad sustentationem Capellani ibidem deseruituri in posterum assignauit. Nos itaque cultum cupientes ampliari Diuinum factumque laudabile memorati Abbatis condigno prosequentes fauore, quod de eisdem Capella & Capellania factum est, approbantes, authoritate ordinaria confirmamus: Volentes & concedentes tam Capellam quàm Capellaniam memoratas in loco prædicto perpetuò remanere. Ita tamen quod non erit ibi Cimiterium nec fiet anniuersarium nec annuale, nec panis benedictus nec aqua benedicta, nec aliqua mulier ad purificationem admittetur, nec alicui siue de Domo siue de Extra aliqua Ecclesiastica sacramenta ministrabuntur absque Presbyteri S. Nicolai de Cardineto Parochi, infra cuius metas sita est domus prædicta, licentiâ speciali. Nec erit ibi Campana quæ possit audiri extra publicè & apertè, Saluo etiam Presbyteri dictæ Ecclesiæ in omnibus aliis iure Parochiali. Idemque verò Capellanus inibi in propria persona continuè residebit in domo competente seu habitatione quam *dicti Bon. Pueri* eidem ad hoc tenebuntur assignare. & Missam in dicta Capella per se vel per alium quotidie celebrabit, nisi legitimo impedimento detentus non posset per se celebrare, nec alium qui pro eo celebrare vellet, commodè inuenire. In qua siquidem Missa de M. Guidone prædicto & Odone Rufo quondam Ciuibus Paris. memoriam faciet specialem. De quorum bonis fundatæ & ædificatæ fuerunt Capellania & Capella. Tenebitur etiam idem Capellanus in dicta Capella dicere Vesperas, Matutinas & alias Horas canonicas prout moris est, saltem diebus Dominicis & festiuis. Et hæc omnia prout superius sunt expressa, quilibet Capellanus dictæ Capellaniæ in sua institutione se bona fide facturum & seruaturum promittet & iurabit. *Actum & datum an. D. 1287. mense Iunij.*

Legitur alia Charta de 40. solidis annui reditus, quos Collegium ob rem caducariam debebat. Estque talis.

Litteræ de 40. solidis redditus quos debent scholares Domus Bonorum Puerorum iuxta portam S. Victoris pro quadam Amortizatione.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis Officialis Curiæ Girard. Ecclesiæ Paris. Archidiaconi sal. in Dom. Notum facimus quod coram nobis personaliter constituti vir venerabilis & discretus M. Thomas de Bailliaco Canonicus & Pœnitentiarius Parisiensis Magister & Prouisor Domus Scholarium Bonorum Puerorum iuxta portam S. Victoris Paris. necnon Ioannes de Lauduno & Stephanus de Nogento Artaudi Scholares & Procuratores domus prædictæ per litteras sigillo Curiæ Paris. sigillatas, quarum tenor inferius est insertus, confessi fuerunt & recognouerunt coram nobis vice ac nomine Domus prædictæ, quod dicti Scholares tenebantur & tenentur, & ad hoc erant & sunt legitimè ac efficaciter obligati reddere ac soluere anno quolibet Reuerendo in Christo Patri ac Domino D. G. Dei gratia Paris. Episcopo eiusque successoribus Parisiensibus Episcopis 40. solidos Parisienses annui census seu redditus perpetui quatuor terminis Paris. consuetis, de ac super octo libris decem & nouem solidis Paris. census seu redditus dictis Scholaribus legatis & defuncta Agnete de Lorriaco, super pluribus peciis hortorum seu cortillagiorum sitis vltra portam Comitis Atrebatensis in terra & dominio dicti Reuerendi Patris, ratione concessionis & dimissionis ipsis Scholaribus factarum ab eodem Reuerendo Patre de dictis octo libris 19. solidis census seu redditus habendis, tenendis & percipiendis annuatim à dictis Scholaribus super dictis peciis hortorum siue cortillagiorum, absque coactione aliqua vendendi vel extra manum dictorum scholarium ponendi; necnon & sex solidos Paris. fundi terræ dicto Reuerendo Patri antea debitos super peciis hortorum siue cortillagiorum antedictis. Quos siquidem 40. solidos census seu redditus & sex solidos fundi terræ dicti Prouisor & scholares Procuratores domus prædictæ, vice ac nomine dictæ Domus Scholariumque ipsius Domus &. Successorum eorundem reddere ac soluere dicto D. Episcopo & eius successoribus Paris. Episcopis modo præmisso conuenerunt ac promiserunt bona fide vo-

lentes quod ſi in aliqua ſolutione dictorum 40. ſolidorum cenſus & ſex ſolidorum fundi terræ terminis prædictis defecerint, idem D. Epiſcopus & eius ſucceſſores Pariſienſes Epiſcopi valeant ad dictas octo libras decem & nouem ſolidos cenſus annui ſeu redditus liberè aſſignare,& eos poſſe cogere extra manum ſuam ponere, ſicut ante conuentionem,conceſſionem & dimiſſionem huiuſmodi facere poterat & debebat, & quantum ad hoc obligarunt dicto D. Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus Pariſienſibus Epiſcopis & Iuriſdictioni Curiæ noſtræ ſupposuerunt quo ſupra nomine ſe dictamque Domum & Scholares eiuſdem ac ſuos ſucceſſores in dicta Domo omniaque ſua dictæ Domus ac dictorum Scholarium eiuſdem & ſucceſſorum ſuorum bona omnia & ſingula, mobilia & immobilia, præſentia & futura,ſpecialiter dictas octo libras, decem & nouem ſolidos cenſus ſeu redditus. Renunciantes in hoc nomine quo ſupra exceptioni Doli mali, actioni in factum, priuilegio fori & loci,& omni auxilio Iuris Canonici & Ciuilis. Tenor verò litterarum Procuratoris talis eſt.

Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, Officialis Curiæ Pariſ. Salutem, in Domino. Notum facimus quod in noſtra præſentia propter hoc perſonaliter conſtitutus vir venerabilis & diſcretus M. Thomas de Balliaco Pœnitentiarius ac Canonicus Pariſienſis Eccleſiæ,Magiſter ſeu Prouiſor Domus Bonorum puerorum Pariſ. vice & nomine dictæ Domus & pro ipſa, dilectos ſuos Ioannem de Lauduno & Stephanum de Nogento Artaudi Clericos exhibitores præſentes ſuos fecit,conſtituit & ordinauit veros Procuratores Generales & Nuncios ſpeciales & eorum quemlibet in ſolidum, ita quod occupantis conditio melior non exiſtat, & quod vnus eorum inceperit,per eorum alterum proſequi, mediari valeat & finiri. In omnibus & ſingulis cauſis & negotiis dictæ domus motis & mouendis tam pro dicta Domo quàm contra ipſam contra quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas & ſeculares, coram omnibus Iudicibus ordinariis, extraordinariis, delegatis,ſubdelegatis,Auditoribus, Conſeruatoribus, Balliuis, Præpoſitis, Maioribus & aliis quibuſcunque authoritate quacunque fungentibus & quocumque nomine cenſeantur. Dans & concedens vice ac nomine quibus ſupra dictis ſuis Procuratoribus & eorum cuilibet in ſolidum plenariam poteſtatem & mandatum ſpeciale agendi pro dicta Domo nomine Puerorum prædictorum,ipſoſque defendendi, reconueniendi, petendi, exigendi, excipiendi, replicandi, duplicandi,triplicandi, litem ſeu lites conteſtandi, iurandi in animam ipſius de calumnia, de malicia & de veritate dicenda, præſtandique cuiuſlibet alterius generis ſacramentum quod in cauſis requiritur & poſtulat ordo iuris ponendi, poſitionibus reſpondendi, teſtes & inſtrumenta in modum probationis producendi & exhibendi, teſtes iurare videndi, dicendi in teſtes eorum dicta & inſtrumenta partium aduerſarum proponendi,concludendi, ipſum excuſandi, cauſas ſuæ abſentiæ allegandi, petendi principale & expenſas,recipiendi eaſdem, & ſuper ipſis iurandi ſi quæ ſibi fuerint adiudicatæ,nec non petendi, exigendi & recipiendi omnia & ſingula debita legata, redditus & emolumenta dictæ Domui debita, à perſonis quibuſcunque ratione quacunque ſiue cauſa, litteras Quittationum de receptis concedendi & faciendi pactum de vlterius non petendo, appellandi, appellationem ſuam proſequendi & eam innouandi, beneficium ſuæ abſolutionis à quocunque Iudice ſi neceſſe fuerit, impetrandi: alium ſeu alios Procuratores loco ſui ſubſtituendi, eum vel eos reuocandi, quotiens ipſis placuerit & ſibi viſum fuerit expedire,præſenti Procuratorio in ſuo robore nihilominus duraturo, & omnia alia & ſingula faciendi, & Procuratoris nomine quo ſupra quæ ipſe Magiſter facere poſſet ſi in præmiſſis perſonaliter intereſſet, & quæ circa præmiſſa neceſſaria fuerint ſeu etiam opportuna, licet mandatum exigatur ſpeciale. Ratum habens & gratum ac plenius habiturus quo ſuprà nomine quicquid per dictos ſuos Procuratores, & quemlibet eorum per ſubſtitutū vel ſubſtitutos ab ipſis aut eorum altero ſuper præmiſſis & ea tangentibus,actum, receptum, quittatum fuerit aut modo quolibet procuratum, promittens ſub hypotheca rerum dictæ Domus pro dictis Procuratoribus ſuis quolibet eorum pro ſubſtituto ſeu ſubſtitutis ab ipſis aut altero eorum ſi neceſſe fuerit, iudicatum ſolui. In cuius rei teſtimonium ſigillum Pariſ. Curiæ duximus præſentibus apponendum. Datum an. D. 1314. die Martis ante feſtum B. Barnabæ Apoſtoli. In

quorum omnium præmissorum testimonium sigillum Curiæ nostræ præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno D. 1314. die Sabbati post festum S. Barnabæ Apostoli.

Littera Scholarium dictæ Domus super confirmatione dictorum 40. Solidorum reditus.

VNiuersis præsentes litteras inspecturis, Officialis Curiæ Gir. Ecclesiæ Parisiẽ Archid. Salutem in Domino. Nouerint Vniuersi quod in præsentia Ioannis de Magnicuria & Nicolai de Hamello Clericorum nostrorum Iuratorum ad hoc specialiter destinatorum & missorum quibus fidem indubiam in his & maioribus adhibemus personaliter constituti Philippus de Buciaco, Ioan. de Capite-Villæ, Stephanus de Cantarana, Ioan. de Chauangiis, Vrbanus de Spernaco, Hugo dictus Brito, Nicolaus de Lotharingia, Henricus de Monachiuilla & Petrus de Capella Domini Galteri in Bria *Clerici scholares in Domo Bonorum puerorum* & Boni pueri prædicti expositis & perlectis sibi omnibus & singulis contentis his præsentibus eis annexis de verbo ad verbum vt moris est, à dictis iuratis nostris, Quibus auditis & intellectis ab eisdem Scholaribus asserentibus per sua iuramenta quod quoad præsens plures non erant socii de Communitate Domus prædictæ in villa, omnia contenta & singula in litteris præsentibus his annexis prædictis laudauerunt & approbauerunt, & quidquid per Magistros aut Procuratores dictæ Domus actum est in præmissis, ratificauerunt penitus ac etiam ratificant. Iurauerunt dicti scholares ad sancta Dei Euangelia contra contenta in litteris præsentibus his annexis non venire in futurum nec venire procurare, prout hæc omnia & singula dicti Iurati nostri nobis retulerunt oraculo viuæ vocis: ad quorũ relationem & in testimonium præmissorum sigillum Curiæ nostræ his præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno D. 1314. die Veneris ante festum B. Mariæ Magdalenæ.

Anno 1249. M. Petrus de Vineis Iudex Curiæ Imperialis & Cancellarius Friderici II proditionis & porrectæ potionis venenatæ conuictus est, eique in oppido S. Miniati Imperator oculos erui iussit. Qui cum toto orbe spectatissimus haberetur, conscientiæ stimulis agitatus quod Dominum suum prodere voluisset, nec sine oculis viuere sustineret, sibimet ipse mortem in publico omnium conspectu consciuit. Hunc finem habuit Petrus de Vineis Capuanus, vir multæ doctrinæ, celeberrimæ famæ atque eloquentiæ. 1249.

Obiit quoque die 9. Octob. Petrus Charlot Discipulus olim M. Willielmi Aremorici, Philippi Augusti spurius, tunc Episcopus Nouiomensis, Comes Palatinus & vnus de 12. Paribus Franciæ, inquit Mathæus, hocque Epitaphio honoratus est.

Nouiomi Præsul Petrus iacet hic tumulatus
Quondam Francorum Philippo Rege creatus
Castus, formosus, iustus, mitis, generosus
Trans mare deuotè fuit hic cum Rege Nepote.
Luce iuũ remeans Dionysi transiit anno
Bis sex centeno quinquageno minus vno.
Qui legis exterius, intrinsecus aspice, plora,
Serius aut citius veniet tibi funeris hora.

Obierunt etiam M. Simon Normanus Regis Anglorum Consiliarius & Regij Sigilli Magister, M. willel. de Dunelmo apud Rothomag. inquit Math. rediens à Romana Curia, *litteratus eminentissimè* & abundans multis reditibus, sed amplioribus inhiabat.

Ad eundem annum refert Mathæus quod supra de Bernardinis & Cisterciensibus retulimus, scilicet à D. Papa Innocentio impetrauisse priuilegium Graduum, mansionesque seu Collegia Lutetiæ & alibi in aliis Vniuersitatibus erexisse. *Temporibus etiam sub iisdem*, inquit, *Cistercienses Monachi ne amplius forent contemptui Fratribus Prædicatoribus & Minoribus & secularibus litteratis, præcipuè Legistis & Decretistis, magnum impetrauerunt Priuilegium. Et ad hoc nobiles sibi Pa-*

rifius & alibi, vbi Scholæ viguerunt, parauerunt manfiones, vt Scholas exercendo, in Theologia, Decretis & Legibus ftuderent liberius, ne viderentur aliis inferiores. Mundus enim iam in fuperbiam elatus Religionem Clauftralium contemnit & Religiofos bonis fuis fpoliare contendit. Et fic propter mundi nequitias rigor Ordinis Monaftici in parte eft eneruatus. Non enim legimus hoc à Regula B. Benedicti, qui fpiritu omnium fanctorum, tefte S. Gregorio dicitur extitiffe, aliquatenus emanaffe. Quinimo de ipfo legimus & cantamus quod relictis litterarum ftudiis deferta petere decreuiffet.

Eodem anno fedata eft difcordia inter Nationes exorta de electione Rectoris. Natio enim Gallicana, vt pote maior & amplior cæteris femper fere dabat omnes Vniuerfitati Rectores: quâ de re conqueftæ cæteræ, fœpius incaffum, fibi tandem Rectorem vnum præfecerunt. Et Gallicana fibi alterum. Infuper ftatuerunt tres Nationes & fub grauis pœnæ inflictione interdixerunt fuis fuppofitis ne Gallicanorum Magiftrorum fcholas frequentarent. Subuerfionis itaque periculum imminebat, nifi delecti ex omnibus Nationibus prudentes viri malum præfens auertiffent, & alia futura hoc ftatuto præcauiffent.

STATVTVM DE ELECTIONE RECTORIS.

Nouerint Vniuerfi quod cum orta effet difcordia inter Magiftros Regentes in Artibus Parifius, fcilicet inter Nationem Gallicorum ex vna parte, & alias tres Nationes ex alia de Rectore eligendo & de modo eligendi, & in tantùm prorumperat difcordia, quod tres Nationes inhibitionem fecerant fuis Compatriotis fide recepta corporaliter, & fub grauis pœnæ inflictione ne *Scholas Magiftrorum Nationis Gallicanæ caufa difciplinæ introirent.* Tandem per quofdam Magiftros ab vtraque parte fpecialiter ad pacis reformationem ftatutos fide data hinc & inde à partibus, quod ratum haberent quidquid illi Magiftri de pace reformanda ordinarent, conuenerunt in hunc modum, *quod Remundus de Caturco qui tunc erat Rector Nationis Gallicanæ, & M. Robertus de Colernia tunc Rector aliarum trium Nationum iurati fuper facrofancta bona fide eligerent Rectorem illum, quem fecundum fuam confcientiam crederent vtiliorem ad Officium Rectoriæ Vniuerfitatis non moti aliquatenus ratione præcedentis difcordiæ, nec moti amore vel odio, honore vel pudore alicuius Nationis, nec moti amore vel odio honoris vel vtilitatis alicuius perfonæ. Si verò in vnum non poffint conuenire, fed vnus eligit vnum & alius alium, tunc ambo ftabunt Rectores Vniuerfitatis vfque ad tempus præfixum à dictis Electoribus. Ita tamen quod vtantur mutuo confenfu: ita quod alter eorum non poterit aliquid ordinare, vel facere tanquam Rector fine confenfu alterius. Tempore verò præfixo elapfo cedet Rector electus, vel duo fi fuerint, officio Rectoriæ & eligitur Rector in pofterum fub hac forma, quod quatuor Procuratores 4. Nationum Iurati folemniter fuper facrofancta coram Nationibus eligent bona fide alium à Prædeceffore illum in Rectorem Vniuerfitatis, quem fecundum fuam confcientiam credent vtiliorem officio Rectoriæ non moti ratione præcedentis difcordiæ, nec moti amore, vel odio, honore vel pudore alicuius Nationis, nec moti amore vel odio, honore vel vtilitate alicuius perfonæ, fed moti propter commune bonum totius ftudii. Et ille in quem confenferint quatuor fic Iurati vel tres illorum, ftabit Rector Vniuerfitatis vfque ad tempus præfixum. Si verò neque illi quatuor, neque tres poffint in aliquem vnum confentire; Tunc vocabitur Rector prædeceffor, vel duo Rectores, fi duo fuerint Iurati fuper facro-fancta fecundum formam prædictam ad eligendũ, & ille in quem maior pars confenferit, ftabit Rector vfque ad tempus determinatum.* Quod fi forte adhuc maior pars in aliquem vnum non confenferit, tunc mutabuntur Electores illi & vocabuntur alii quatuor à fingulis Nationibus Iurati fub eadem forma: donec maior pars in aliquem confenferit, & ille ftabit Rector vfque ad tempus determinatum. Antequam verò ifta forma pacis publicetur, reuocabitur à tribus Nationibus per fingulas Scholas Artiftarum inhibitio quam fecerant fuis Compatriotis, ne Scholas Magiftrorum Gallicanæ Nationis causâ difciplinæ introirent: & fruentur Scholares introeundi Scholas Magiftri cuiuflibet folitâ libertate. Quæ vt rata fint in perpetuum, quatuor Nationes Artiftarum præfentes litteras 4. figillis Nationum roborauerunt Datum anno Domini 1249. Menfe Octobri.

Adhunc quoque annum refert Mathæus Parifienfis ortam fuiffe vehementem difcordiam Cantabrigiæ inter fcholares & Ciues. *Per idem quoque tempus*, inquit, *videlicet in Quadragefima ex leui fumpta occafione orta eft difcordia apud Cantabrigiam inter Burgenfes & Scholares. Ex qua lites & pugnæ, fpoliationes & domorum effractiones, vulnerationes, homicidia funt fecuta. Afcendit clamor vfque ad Regias aures cũ graui que-*

rimonia: vnde vtrobique damnum & scandalum ventilatum iacturam non minimam suscitauit. Hoc quoque dignum arbitror recitatione ac memoria, quod instigante humani generis inimico de more in Quadragesima inter Scholares & Laicos tam in transmarinis quàm Cismarinis partibus, sicut in hoc volumine saepe praescribitur, cruenta discordia suscitatur, vt simul cum sacro tempore personae violentur. De more, inquit, quia Quadragesimali tempore Scholares frequentabant Determinationes, quae vulgo maximo fiebant animorum aestu & acrimonia disputantium & respondentium: & saepe Nationum iurgia intercedebant inter Scholasticos, aut si non inter se decertarent, Laicos & Ciues aggrediebantur: congregati enim longè petulantiores erant quàm à se inuicem disgregati. Cui malo vt remedium aliquod afferretur, iussi sunt singuli Magistri Scholares suos ad Loca solita disputationum deducere.

Eodem anno obtinuerunt Mendicantes ab Innocentio litteras ad Cancellarium Parisiensem, quibus mandabat vt ipsis etiam non petentibus si modo eos idoneos & capaces agnosceret, licentias in Theologia impertiretur. Bulla legitur in Codice antiquo Rectorum fol. 92. recto.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Cancellario Parisiensi salutem & Apostolicam benedictionem. Super licentiandis Magistris in Theologiae facultate indulgentiam ab Apostolica sede habere diceris inter caetera continentem, *quod post examinationem eorum iuxta tuam conscientiam super hoc des vel neges petenti licentiam postulatam.* Cum autem sicut accepimus, Tu praetextu verborum huiusmodi Nemini quantumcumque digno licentiam ipsam concedas, nisi petatur ab ipso, Nos attendentes quod plures idonei & praecipuè *Religiosi* qui voluntatem suam in alios transtulerunt, nunquam eandem licentiam postularent, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos quos secundum formam à supradicta sede tibi concessam dignos reperreris, cum petitio huiusmodi neminem digniorem faciat, licentiam ipsam etiam si non petatur ab ipsis, sine difficultate aliqua largiaris. Datum Lugduni 3. Kal. Iunij Pontif. nostri an. 7.

Hoc quoque anno capta est à Rege Ludouico Damieta, expulsique ex ea Sarraceni: cuius rei Nuncias litteras statim dedit Robertus Comes Atrebatensis ad Blancam Matrem, datas in Castris *iuxta* an. 1249. mense Iunio in vigilia Sancti Ioannis Baptistae. Et forte per eundem Nuncium Guido Miles de familia Vice-Comitis Melidunensis ad Fratrem M. Bernardum de Carnuto Parisiis studentem perscripsit ea quae in vrbis expugnatione magis memorabilia acciderant. Sic autem ille Epistolam incipit. *Praecordiali fratri suo vterino & amico praedicto M. Bernardo de Carn. studenti Parisius Guido Miles de Familia Vice-Comitis Melidunensis salutem & paratam ad beneplacita voluntatem. Quia nonimus vos de statu Terrae Sanctae* & Domini nostri Regis Franciae, tum propter vniuersalem Ecclesiae prosperitatem, tum propter numerosam multitudinem parentum & amicorum nostrorum sub D. Rege Francorum Christo militantium sollicitari, *vos super quibusdam quae vulgus disseminat, duximus reddere certiores.* Et in fine Epistolae. *Haec vobis per Guiscardum consanguineum nostrum per scripta notifico, quia nihil aliud petit, nisi vt sumptibus nostris incipiat Cathedram ascendere Magistralem & hospitium teneat honestum saltem per biennium.*

COLLEGIVM SORBONICVM.

ANnum 1250. auspicari placet à fundatione Domus Sorbonicae toto orbe Christiano celeberrimae, quam nonnulli tribuunt Roberto Attrebatensium Comiti Ludouici IX. fratri, qui hoc anno in expeditione Transmarina ab infidelibus captus & trucidatus est. Sed haec opinio somniantium est hominum. Alii opus hoc immortale aut saltem consilium seu propositum & inchoati operis laudem M. Roberto de Duaco, Canonico Siluanectensi & Archiatro Margaritae de Prouincia Ludouici IX. coniugis adscribunt: idque probant ex eius testamento, quo bona sua legauit Religiosis Domibus: imprimis verò mille quingentas libras *Pauperioribus Scholaribus in Theologia studentibus.* Cuius testamenti Robertum de Sorbona constitutum Executorem, aiunt in eandem rem multum de suo

contribuisse, Collegium extruxisse & suo nomine nuncupasse. Ita fere sentit Naudæus in suis ad Historiam Ludouici XI. additionibus.

Denique communis & recepta sententia est M. Robertum de Sorbona Gallo-Flandrum, sic dictum à natali vico de Sorbon, Cameracensis primùm, deinde Parisiensis Ecclesiæ Canonicum, Ludouici IX. Clericum, & vt quidam volunt à sacris Confessionibus, huiusce præclaræ Domus Fundatorem & Dotatorem fuisse: ab eoq; prima iacta fuisse fundamenta an. 1252. ad commune hospitium Pauperum Scholarium in Theologia studentium. Quâ de re sic Papyrius Massonius. *Theologos magno in pretio habuit Ludouicus IX. ac plurimum dilexit Robertum cognomine Sorbonam, à quo Sorbonici Theologi nomen accepere. Collegium enim primus instituit vnde perpetuâ successione prodiere. Robertum illum Ludouico charum fuisse ex Historia Ioinuilla didicimus. Sorbonici autem Collegæ ab ortu suo Pauperes fuere. Itaque in Bibliotheca illorum minimè miror in singulis Manuscriptis codicibus, quorum maximam copiam habent, hoc Elogium legi.* HIC LIBER EST PAVPERVM MAGISTRORVM DOMVS SORBONICÆ.

Ita etiam vocantur in Instrumento quodam Publico, quo idem Rex Ludouicus Roberto concessit Domum proximam, quæ erat in vico DVARVM PORTARVM, ante Palatium Thermarum, & quasdam alias contiguas AD OPVS CONGREGATIONIS PAVPERVM MAGISTRORVM PARISIVS IN THEOLOGIA STVDENTIVM. Hunc verò Robertum qui putant fratrem fuisse Ludouici Regis, ineptissimè sentiunt: vt rectè notat Genebrardus.

Ad operis autem concepti executionem, reditus quos habebat, omnes contulit, & domos quas Parisiis possidebat aut permutauit cum aliis propinquioribus vici *de Coupe-gueule*, aut sustentationi pauperum scholarium in perpetuum addixit. Ipse quoque Rex Ludouicus de suo contribuit, aut liberaliter & eleemosynæ nomine, aut facilitate permutationis. Quo absente & in bellis Transmarinis occupato Blanca Mater & Alphonsus frater has litteras eius nomine dederunt hoc anno.

Ludouicus D. G. Francorum Rex Vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod Nos M. Roberto de Sorbona Canonico Cameracensi dedimus & concessimus *ad Opus Scholarium* qui inibi moraturi sunt, domum quæ fuit Ioannis de Aurelianis cum stabulis quæ fuerunt Petri Poulaine contiguis eidem Domui: quæ domus cum stabulis sita sunt Parisius in vico de Coupe-Gucule ante Palatium Thermarum. Præterea permutauimus cum dicto Magistro decem solidos augmentati censûs quos habebamus super grangiam quæ fuit Ioannis de Balneolis sitam in dicto vico ad decem solidos augmentati census: quos idem Magister habebat super domum quæ fuit Philippi de Fonteneto in eodem vico sitam. Quos decem solidos idem Magister nobis omnino quittauit & concessit. Et nos similiter eidem quittauimus & concessimus in perpetuum alios decem solidos ante dictos. In cuius rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius an. Dom. 1250.

Biennio ferè post Robertus Collegij sui fundamenta iecit; & ad perpetuam Regis benefici & liberalis memoriam Ærea lamina insculpi voluit hæc verba. LVDOVICVS REX FRANCORVM SVB QVO FVNDATA FVIT DOMVS SORBONA CIRCA ANNVM DOM. M. CC. LII. *sub quo*, inquiunt, non *à quo*, quia licet de suo in eam rem contribuerit plurimum, fundator tamen non fuit Collegii, nec institutor.

Idem Rex è transmarina expeditione reuersus, an. 1258. datis Parisius litteris confirmauit donationem & concessionem se absente & suo nomine factam, permutauitque insuper omnes domos quas in prædicto Vico de Coupe-Gucule possidebat, cum aliis quibusdam eiusdem M. Roberti in vico de Britoneria sitis. Tales autem sunt eius litteræ.

Ludouicus D G. Francorum Rex notum facimus Vniuersis tam præsentibus quàm futuris. Quod cum dilectus Clericus noster M. Robertus de Sorbona quasdam Domos quas emerat à Guillelmo dicto Mantel & Gilberto de Braya sitas Parisius in vico de Britonaria in Parochia S. Ioannis de Grauia ad petitionem nostram contulerat Fratribus de S. Cruce ab eisdem fratribus iure hæreditario in perpetuum possidendas; Nos in escambium & recompensationem earum eidem M. Roberto & eis qui causam habebunt ab eo concedimus in perpetuum

perpetuum iure hæreditario possidendas omnes Domos quas habemus in vico de Coupe-Gueule ante Palatium Thermarum secundum quod protenduntur à Domo Guillelmi Panetarii & Ioannis de Hatman-villa vsque ad finem eiusdem vici, & etiam quasdam Domos sitas iuxta domum M. Petri de Cambleyo in fine alterius vici eidem oppositi. Concedimus etiam quantum in nobis est, quod possit claudere duos vicos, domos includentes prædictas sine præiudicio alieno: & quod teneat in manu mortua Domos quæ sunt in Censiua Burgensium Parisiorum existentes inter Domos prædictas saluo in omnibus iure alieno. Quod vt ratum & stabile permaneat in futurum, præsentes litteras dicto M. Roberto dedimus sigilli nostri impressione munitas. Actum Parisius anno Dom. 1258. mense Februario.

Idem Rex an. 1263. mense Decembri confecto instrumento publico cessit eidem Roberto Domum quæ sola sibi supererat in vico duarum Portarum & omnes alias sitas in vico Latomorum lege caducaria exemptas, AD OPVS CONGREGATIONIS PAVPERVM MAGISTRORVM PARISIVS IN THEOLOGIA STVDENTIVM, vt legitur in Epigraphe seu lemmate Instrumenti.

In ea autem Domo ita constructa & reditibus dotata Robertus ali voluit & sustentari sexdecim Pauperes Scholares, è singulis Nationibus quatuor, quod quidem diu obseruatum est religiosissimè. Verum labentibus annis, aut Galli Normanos, aut Normani Gallos, aut isti Picardos & Anglos seu Germanos, expulerunt; nec fuit tam sanctè seruata proportio & æqualitas quam prius fundator instituerat. Qua de re cõquestæ sunt sæpe Nationes quarum intererat: vt an. 1464. Gallicana, quæ sic statuit in Comitiis 26. Iunii scribente M. Ioanne Meynart eiusdem Procuratore. *26. die mensis prædicti conuocaui Nationem Franciæ* Matrem meam in S. Mathurino super 3. articulis. 1. art. fuit super prouisione suppositorum eiusdem Nationis in Collegio Sorbonæ. Et quantum ad præsentem artic. prout exposuit M. Guillelmus Ficheti qualiter dictum Collegium erat Collegium Vniuersitatis, & quod in eodem debent poni æqualiter de qualibet Natione: itaque de Natione Franciæ debent esse 4. & similiter de aliis Nationibus. Sed sunt nunc aliqui Normani qui non volunt aliquem recipere de Natione Franciæ nec de aliis. Insuper etiam quod supposita Nationis in dicto Collegio debent procedere prout in Facultate Artium: sed nunc Prouisor volebat præferre Normanum ante Gallicum, quod est in præiudicium dictæ Nationis maximum... Quantum ad 1. artic. placuit Nationi apponere remedium in dicto Collegio Sorbonæ, & voluit Natio quod Procurator cum deputatis haberet adire personam D. Decani Parisiensis Prouisorem dicti Collegii, & eidem præmissa demonstrare. Et etiam quod non habeat grauare Nationem Franciæ, sed potius eam in suis libertatibus confirmare prout etiam tenetur per suum iuramentum... & in casu quo vellet alio modo procedere quàm modo ab antiquo seruato in dicto Collegio, appellabat Natio ad Vniuersitatem, & volebat Natio, quod Procurator haberet appellare à dicto Prouisore ad Vniuersitatem.

SERMO M. ROBERTI DE SORBONA AD Theologos.

AD Alumnos videtur habuisse tres sermones qui extant in Bibliotheca Patrum editi à Margarino de la Bigne Doctore Sorbonico, & è Bibliotheca Sorbonica exscripti, quorum primus qui est de Conscientia, quia multa habet de Examine Candidatorum à Cancellario Parisiensi scitu digna, hic habere locum meretur, quanquam simplici admodum stylo compositus. Sic autem inscribitur. *Incipit liber D. Roberti de Sorbona, de Conscientia. Librum scribat mihi ipse qui indicat*, ait Iob. Hic notanda sunt quinque. Primum est, quis est iste liber quem petit Iob, & quare petit. 2. est videre vbi & à quo audiendus est. 3. est de diuisione huius libri. 4. est de introitu. 5. est de executione huius libri; scilicet procemii, tractatus, recapitulationis. De 1. nota, quod si aliquis proposuisset modis omnibus se *Lecturum Parisius, & qui pro nullo bono vellet refutari, quia incurreret suspendium, multum libenter sciret & quæreret si deberet ei dici à*

Cancellario vel ab aliquibus de Concilio ſuo quo in libro deberet examinari, ſi nullatenus ſine examine poſſet licentiari. Multis enim Magnatibus fit aliquando gratia & licentiantur ſine examinatione. Omnes autem volumus ire in Paradiſum: omnes etiam qui ibi erunt, Magiſtri erunt Theologiæ, & legent in magna Biblia ſcilicet in libro vitæ, in quo omnia ſunt ſcripta. De quo in Apocal. Vidi librum ſcriptum intus & foris. Et plus ſciet ille qui minus ſciet in Paradiſo quàm omnes Magiſtri qui ſunt in mundo, quia dicit Auguſtinus: Verum Magiſtrum habemus in cælis, quem ſemel vidiſſe eſt totum didiciſſe. Gregor. Quid eſt quod non videt, qui videntem omnia videt? Et Ioannes: Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim. Et Mathæus. *Nolite vocari Rabbi ſuper terram, vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus.* Omnes enim erimus examinati antequam licentiemur in Paradiſo. Dicit enim Apoſtolus: Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſiue bonum ſiue malum. Scientes ergo timorem Domini, hominibus ſuademus. Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos vos eſſe.

Nulli autem fiat gratia in die Iudicii, quia tantum vel amplius habebit ibi pauper quantum diues. Dicit enim Petrus in Actis Apoſt. In veritate comperi quod non eſt perſonarum acceptor Deus. Et apud Mathæum dixerunt diſcipuli Phariſæorum & Herodiani: Magiſter ſcimus quia verax es & viam Dei in veritate doces & non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominum. Quærit ergo Iob tanquam prouidus & ſapiens ſcholaris, in quo debet examinari, vt in illo poſſit ſibi prouidere dicens: librum ſcribat mihi ipſe qui iudicat. Gloſſa Gregorii: erit quandoque author iudicii, qui nunc eſt conditor libri. Et reſpondet ei Paulus in prædicta authoritate & Daniel, qui fuerunt de Conſilio magni Cancellarii, ſcilicet Chriſti cui Deus Pater dedit omne Iudicium: Antiquus dierum ſedit & libri aperti ſunt coram eo. Gloſſa. *Conſcientia & opera ſingularium* in vtraque parte vel bona vel mala reuelantur. Similiter exponitur 4. ſentent dist. 43. c. 3. Vetuſtus dierum ſedit & libri aperti ſunt coram eo. *Libri ſunt conſcientiæ ſingulorum &c.* In hoc quod dicitur Antiquus, nota quia in antiquis viget ſapientia, & in multo tempore prouidentia. Vnde Gloſſa ſuper id, Antiquus dierum ſedit: Antiquus id. ſenex Iudex & verus. Senex deſcribitur: vt maturitas ſententiæ comprobetur. Ariſtoteles. *Nemo iuuenes eligit Duces, quia non conſtat eos eſſe prudentes.* In hoc quod dicit, ſedit, nota diligentem examinationem: quia ſicut dicit Iob *Omnipotens ſingulorum cauſas diligenter intuebitur.* Scimus ergo in quo libro erimus examinati, quo in libro conſcientiæ.

Sicut ergo demens eſſet Clericus, cui certiſſimè diceretur vel mandaretur à Cancellario, In iſto libro eris ſolum examinatus, quando petes licentiam legendi Pariſius; qui omiſſo illo ſtuderet in aliis: ſic certè demens eſſet, imo dementiſſimus, qui poſt habito libro conſcientiæ, ſtudet diligenter in aliis, vel qui magis in aliis quibuſque libris ſtudet, quàm in libro conſcientiæ in quo erit diſtrictè examinatus (ſicut patebit poſt) & non in aliis. Patet ergo quod multi ſunt dementiſſimi qui tamen reputantur ſapientes. Ait Chriſtus apud Math. Confiteor Deo tibi Pater cæli & terræ, qui abſcondiſti à ſapientibus & reuelaſti ea paruulis.

Item ſi refutetur aliquis Pariſius à Cancellario, *hoc non eſt niſi per annum: qui ſi poſt annum redeat, ſi bene reſpondet, licentiatur. Item data ſententia aliquando reuocatur per preces aliquorum vel per dona vel per ſeruitia aliquando data vel facta collateralibus Cancellarii vel examinatoribus aliis.*

Poſtquam autem Dominus aliquem refutauerit & ſententiam dederit die Iudicii, perpetua erit, nec prece aut pretio reuocari poterit. Apud Prophetam vbi noſtra littera habet, Non conſurget duplex tribulatio, alia littera ſine transuerſo: Et ideo iudicabit Deus bis in idipſum. Et Pſalmographus: Quæ procedent de labiis meis non faciam irrita. Et Iob: ſcilicet locutus eſt Deus, & ſecundo idipſum non repetit. Ariſtoteles. Quod dictum eſt, non poteſt amplius ſumi. Poeta: Quod ſemel eſt miſſum volat irreuocabile verbum. Et ſi hoc verum eſt generaliter, tum maximè in Deo.

Præterea ſi dicat aliquis quia in die Iudicii præueniet Magnum Cancellarium, Deum vel Aſſeſſores ſuos per maxima dona, quia diues eſt, antequam detur ſcientia, vel habebit interceſſorem vel allegabit fortiter, quia magnus Decretiſta & Legiſta vel Magnus Ar-

tista, quia scit omnia argumenta, omnes fallacias, audiat quid dicat Sapiens. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Veniet dies Iudicii in quo plus valebunt pura corda quam astuta verba, & conscientia bona quam marsupia plena: quia tunc Iudex ille non falletur donis. Chrysostomus. Tunc neque Diuitiæ Diuitibus proderunt, nec pro parentibus parentes intercedent, nec Angeli sicut solebant, pro hominibus facient verbum, quia natura Iudicii non recipit misericordiam.

Item si aliquis refutetur à Cancellario Parisiensi, non omnes sciunt, sed soli quinque vel sex. Sed quando aliquis in die Iudicii refutabitur, non erit tam surdus qui non audiat, nec tam cœcus qui non videat, nec tam ignorans qui hoc nesciat, quod iustè refutabitur. Et sic confusione confundetur. Quia sicut dicitur apud Mathæum & Lucam, Nihil opertum quod tunc non reueletur, & nihil occultum quod non sciatur. Et Sapiens: in fine hominis denudatio operum eius. Et apud Ezechielem. Nudabo ignominiam tuam coram omnibus amicis & inimicis tuis, & videbunt omnem turpitudinem tuam. Et iterum. Scies quia Ego Dominus, vt recorderis & confundaris, & non sit tibi vltra aperire os præ confusione tua. Isaias. Reuelabitur ignominia tua & videbitur opprobrium tuum vltionum copia, & non resistet mihi homo. Ieremias. Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusæ sunt Domus Israel, &c: Psalmographus. Verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.

Item etiam si quis habet confusionem animi quando refutatur à Cancellario, delebilis est & traditur obliuioni per processum temporis. Sed illa quæ erit in die Iudicii, erit indelebilis. Apud Sapientem legitur, Adulter propter cordis inopiam perdet animam suam, turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Et Ieremias. Confundentur, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum quod nusquam delebitur.

Item quando aliquis refutatur à Cancellario, verberatur. Sed qui refutabitur in die Iudicii, verberabitur virga ferrea & fustigabitur à valle Iosaphat vsque in infernum: & iterum à loco inferni in perpetuum. Iob. Congregabis omnes Gentes in valle Iosaphat & disceptabo cum eis ibi. Nec possumus respondere sicut respondent aliquando pueri. Quando in Scholis de Grammatica dicitur alicui Puero, Repete Lectiones tuas quia in die Sabbati eris verberatus, si nescieris illas. Respondet Puer, aliquando repetam, sed ludam satis. Si sum verberatus, bene valet, pro vna verberatione ero immunis, vel effugiam in die Sabbati, vel fingam me esse infirmum & ita euadam. Qui sic posset facere in die Iudicii, qui nesciret respondere de libro conscientiæ, aliquid adhuc esset, & posset sustineri quod hic faceremus quidquid vellemus, & in libro conscientiæ nostræ non studeremus. Sed certè verberabimur non virgis vel corrigiis, sed virga ferrea sicut dicit Psalmista, *Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos.* Vas figuli non potest reparari cum factum fuerit, nec ille sanari, qui sic verberabitur. Ieremias: Castigabo te in Iudicio, insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Nec tamen pro illa verberatione erit adhuc immunis, quia dicitur apud Mathæum: Ligatis manibus & pedibus mittite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Ligatis pedibus sicut dicit Augustinus, vt non possit effugere, & manibus vt non possit se defendere. Et Mathæus. Discedite à me maledicti in ignem æternum. Si æternum, ergo pro vna verberatione non erit immunis: imò tantum verberabitur, quod mors quæ in mundo isto timetur ab homine, præ cæteris ab eo desiderabitur. In Apocal. desiderabunt damnati mortem & fugiet ab eis. Nec effugient quia sicut dicit Psalmista: Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero in Cœlum tu illic es, si descendero in infernum, ades. Et Iob; Cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. Nec poterit se fingere infirmum. Psalmograph. scrutans corda & renes Deus. Et Math. Nihil opertum quod non reueletur. Et maximè quia Dominus est optimus Propheticus, & videt & cognoscit omnia. Sapiens: oculi Dei omnia vident. Et iterum: Oculi Domini lucidiores sunt sole. & Apost. Compagum & medullarum & cogitationum discretor est Deus. Et non est vlla Creaturarum inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta oculis

eius ad quem nobis ſermo. Summa ergo dementia eſt, librum iſtum ſcilicet conſcientiæ negligere, & in aliis diligenter vel magis quàm in iſto ſtudere.

Item Cancellarius Pariſienſis nullum præuenit vel cogit ad petendam licentiam, ſed expectat quandiu volunt ſcholares: imo grauatur multoties quod inſtant examinari & petunt licentiam. Sed Deus aliquos antequam credant, etiam inuitos facit venire ad examinationem. Aliqui enim nunquam vellent venire: Apud Lucam. Eſtote parati, quia quâ hora non putatis, filius hominis veniet, veniet, ſcilicet ad examinandum & iudicandum. Item Diuiti qui ſibi prouiderat de tanta multitudine ciborum, & qui tamdiu putabat viuere, dixit Deus: ſtulte hac nocte repetam animam tuam à te, & quæ antea paraſti, cuius erunt? Iſa. Vlulate quia prope eſt dies Domini. In eod. Ecce dies venit crudelis, & indignationis plenus & iræ & furoris. Ezech. Prope eſt dies occiſionis. Malach. Ecce dies venit ſuccenſa ſicut caminus, & erunt omnes ſuperbi & omnes facientes impietatem ſicut ſtipula. Sapiens: Horrendè & citò apparebit nobis, quoniam iudicium duriſſimum in his qui præſunt.

Vide ergo dementiam illorum qui non prouident ſibi in libro iſto, ſcilicet conſcientiæ ſuæ. Ideo ſollicitus quærebat. Iob, Quid faciam cum ſurrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæſierit, quid reſpondebo illi? Vtinam iſtam Quæſtionem frequenter faceremus. Hierony. Siue comedam ſiue bibam, ſiue aliquid aliud faciam, ſemper intonare videtur auribus meis illa tuba terribilis, Surgite mortui, venite ad Iudicium. In vitis Patrum dixit Abbas Amon cuidam fratri interroganti aliquem bonum ſermonem: Vade & fac talem cogitationem tuam, qualem faciunt illi qui ſunt in carcere. Illi enim, vbi eſt Iudex, & quando veniet, ſolliciti quærunt, & in ipſa expectationem pœnarum ſuarum plorant. Sic quilibet Chriſtianus debet animam ſuam obiurgare dicens: Væ mihi, quomodo habeo adſtare ante tribunal Chriſti & actuum meorum reddere rationem? Et ſi ſic ſemper meditatus fueris, poteris ſaluus eſſe. *Sin aliter, debemus* facere ſicut faciunt illi qui debent ire ante Cancellarium ad examinationem, qui vigilanter ſtudent in libro illo in quo debent examinari aliis poſtpoſitis, parum bibunt, parum comedunt, omnia ſcripta quæ ad hoc valent, diligenter quærunt, & Magiſtros de hoc legentes audiunt aliis relictis. Et vix poſſunt incircumſpecti eſſe, quin percipiantur à ſociis ſuis quod ſint in examinatione. Pſalm. Meditabar, numerabam nocte cum corde meo, exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum. Quaſi dicat: dies non ſufficiebat mihi. Nocte cum ad ſecretum lecti tui veneris, dic animæ tuæ: O anima mea, quid boni malive fecimus hodie? Et de malis pete veniam, de bonis vero redde gratias Deo. Vnde quidam bonus homo quaſi flens iſta verba ſero conſuerat de ore ſuo. *Beau Sire Dieu de tous mes maux vous crie mercy, de tous vos biens ie vous mercy.* vnde verſus.

Parce malis, de Chriſte, bonis collando tuis te.

Item ſi Cancellarius Pariſ. examinet aliquem Clericum in aliquo libro, ſufficit quod reddat ei ſeptem vel octo Lectiones. Sed de libro conſcientiæ volet magnus Cancellarius ſcilicet Deus audire in die Iudicij à principio vſque in finem. Quia dicit Sapiens: Sapientiam id. filium Dei, cui dedit Deus pater omne iudicium, non vincit malitia. Attingit enim à fine id. à puncto, vſque in finem. Eccleſ. Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time & mandata eius obſerua: hoc eſt omnis homo. id. ad hoc eſt omnis homo. Cuncta quæ fiunt, adducet Dominus ad Iudicium pro omni errato, ſiue bonum ſiue malum ſit etiam de minimis, quia de cogitationibus interrogabit. Sap. 1. In cogitationibus impii interrogatio erit. Idem: Deus interrogabit opera veſtra & cogitationes veſtras ſcrutabitur. Iob. Nonne ipſe conſiderat vias meas? Gloſſa Greg. Sic Deus vias vniuſcuiuſque ponderat, ſic greſſus dinumerat, vt nec minutiſſimæ cogitationes eius iudicio, nec verba tenuiſſima quæ apud nos inualuerunt, indiſcuſſa remaneant. Item de verbis otioſis. Math. Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicii. Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Et nota. Si de verbis otioſis oportet reddere rationem, quid de verbis luxurioſis & de periuriis & de blaſphemiis & de omnibus operibus malis? Ambroſ. ſuper hoc, de omni verbo otioſo, &c. Sicut de omni verbo otioſo oportet reddere rationem, ita de omni ſilentio: & diſtinguitur 3. modis

ſilentium. Etenim quoddã malũ, quoddã peius, quoddam peſſimũ. Peſſimum eſt quando aliquis videt proximũ ſuum in pecato mortali quem poteſt corripere, & de quo probabiliter credit, quod propter ipſum dimittet peccatum illud vel ſimpliciter, vel ſaltem ad tempus, ſi diligentiam adhiberet, & faceret quod in ſe eſt. Ezechiel. Si non annunciaueris impio, nec locutus fueris vt auertatur à via ſua impia & viuat, ipſe impius in impietate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. In Gloſſa interlin. *Morti*, cui non contradicis, adiungẽris. Chryſoſt. Sic tolerandi ſunt mali, vt tamen non taceatur illis talibus, quia ſi tacuerimus, alios perdimus: ſed ſic ſeruetur moderatio fixa admonitione, vt & lingua clamet & cor amet. Apoſt. Non ſolum qui mala faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte. Gloſſ. Auguſt. Agens & conſentiens pari pœna punientur. Dicitur autem in Gallico, *Qui taceet concedit*. Eſt autem multiplex conſenſus, ſufficientiæ, negligentiæ, conſilij, adulationis, cooperationis & authoritatis: quia ille facit, cuius authoritate fit. Conſentire eſt tacere, cum prodeſt arguere. Gregor. in Moral. Charitas zelus eſt, qui corrigere non valet, increpare non deſinit, ne ſe participem delinquentium conſenſu taciturnitatis adijciat. Auguſt. Tantum torquet iuſtum iniquitas aliena, quantum recedit à ſua. Peccata enim proximorum frixoria ſunt Iuſtorum. Bernard. Quod corrigere nequeo, quaſi ſuper impoſitum onus porto.

2um. Silentium eſt quando aliquis tacet cum videt proximum ſuum non penitus adhærentem bonis, nec penitus malis: ſed videt eum quaſi nutantem inter duas aquas. Et quod vult eſſe bene, vt vulgo dicitur de Canibus & de Caſtratoribus. Et de talibus dicit mundus quod ſapientes ſunt & liberales, quia apprimè ſciunt ſe habere cum omni genere hominum, & quod bonum eſt tales promouere. Sed poteſt dici quod tales ſunt Veſpertiliones, qui ſunt viliſſimæ beſtiæ & odioſæ: de quibus neſcitur vtrum ſint animalia greſſilia vel volatilia. Nota etiam de veſpertilione, quod cum eſſet magna diſcordia inter animalia quadrupedia & volatilia, etiam aſsignata die ad bellandum, ſe abſentauit veſpertilio, cogitans quod non iret ad bellum, ſed videret quis completo bello melius haberet & cum illo ſe teneret. Facto autem bello & multis interfectis & vulneratis ex vtraque parte occurrerunt Quadrupedia Veſpertilioni dicentia: Accipite, ſuſpendite inimicum veſtrum. Dixit autem Veſpertilio, Hah boni amici quid dicitis? Ego ſum de veſtris: & oſtendit eis ſuos 4. pedes & ſic euaſit. Similiter auibus ei obuiantibus dixit, & oſtendit eis alas ſuas & ſic euaſit. Si tales homines cum ſint cum Papelardis viris & Religioſis dicunt, *Orate pro me*, & faciunt Gallum impluţum (implumem) & contra faciunt Magdalenam. Et quando ſunt cum Mundanis, faciunt ſicut mundani vel peius, & detrectant de peregrinis & religioſis viris, & detident vt habeant beneuolentiam mundanorum. Vnde vidi quendam qui cum erat coram magnis Beguinis, habebat magnum Supertunicale rotundum cum magnis & latis manicis de Camelino: & coram Mundanis habebat de Bruneta ſciſſum ante & retro, ſtrictum ſine manicis de vario, foderatum. Vnde qui videt tales non debet tacere, ſed debet monere eos & fideliter laborare quo vſque adhæreant bonis.

3um. Silentium eſt quando aliquis tacet cum videt proximum ſuum, qui etſi ſe teneat cum bonis & non malis, tamen tepidus eſt & remiſſus. De his Ioannes in Apocal. Quia tepidus & non frigidus per timorem, vel calidus per amorem, incipiam te euomere de ore meo. Debet etiam incitare adhoc quod ſit feruens & virilis, & quod proficiat ſemper in melius: quia ſicut dicitur in Pſalm. Ibunt ſancti de virtute in virtutem, vt videatur Deus Deorum in Sion. Quia Charitas ante deficit, quàm non proficit, ſicut dicit Gregor. 3um. malum, 2um. peius, 1um. peſſimum. Auguſtin. Non putes te ſeruum tuum amare quando non cædis, aut tunc amare filium tuum quando ei non das diſciplinam, aut tunc amare vicinum tuum quando eum non corripis. Non eſt iſta Charitas, ſed languor. Gregor. *Sitire eſſe* Dei dicitur qui ad ferenda vitia intuitu Diuini amoris vel feruore excitatur, profectò eſſe ſe Dei denegat, qui in quantum ſufficit, increpare vitam Criminalium recuſat. Nota autem quod tales ſunt Monachi Diaboli, qui ita bene ſeruant prædictum ſilentium, cum vix inueniretur inter Monachos Dei qui ſilentium ſeruaret per dimidium annum. Illi autem ſeruauerunt per 10. an-

nos, vel à principio amplius, nec volunt aliquo modo frangere.

Item de Tempore quod hodie ita vilipenditur, interrogabit Deus. Omne tempus tibi impensum requiretur, qualiter ante fuerit expensum requiretur, qualiter à te fuerit expensum. Item, sicut nec capillus de capite peribit, ita nec momentum de tempore. Apud Math. Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. *Et miror dementiam eorum qui student quomodo possint tempus suum perdere, dicentes: Ludamus ad aleas & huiusmodi, & interim transibit tempus, & trademus illud oblivioni sic ludendo. Bernard.* Volat verbum irreuocabile, nec aduertit insipiens quid amittat. Liber fabulari, ait, donec hora prætereat, quantum ad agendum pœnitentiam, quantum ad obtinendam veniam & acquirendam gratiam & gloriam miseratio Conditoris indulget! O donec tempus transeat qui Diuinam propitiare debueras pietatem, properare ad Euangelicam societatem, suspirare ad omissam hereditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam noctem, flere commissam iniquitatem?

Item si aliquis respondeat coram Cancellario de 4. Quæstionibus, ad tres bene transit & licentiatur. Sed si aliquis coram magno Cancellario in die Iudicii de mille, defecerit in vna, refutabitur. Iacob. Qui totam legem seruauerit, offenderit autem in vno, factus est omnium reus.

Item Cancellarius non audit omnes qui licentiantur, in propria persona, sed facit eos audiri ab aliquibus aliis Magistris. Multi autem bene respondent coram aliquibus simplicibus, qui male responderent coram Cancellario perterriti & stupefacti propter magnitudinem suæ sapientiæ. Exemplum de Monacho qui erat electus in Abbatem & præsentatus fuit à suis Monachis Guiardo Episcopo, qui voluit eum examinare sicut mos suus erat de omnibus, nec patebat alicui: & dedit ei Missale dicens: verte in quacunque parte volueris. Et Electus, stupefactus & tremens sicut tremit folium super arborem quando ventat fortius, vix potens tenere librum, dixit: ad quid vertetem in libro? nihil scio in illo. Et dixit Episcopus, quod erat Missale in quo multoties legerat. Non enim erant Priora aut Posteriora vel Decretales vel Leges. Qui respondit, quod nec in Missali nec in alio libro aliquid sciret dicere, nec in suo Pater noster. Quæsiuit Episcopus, quare: qui respondit, quod pro timore quem habebat de illo Episcopo pro magnitudine scientiæ suæ, cum esset vnus de maioribus de Mundo. Et rogauit Episcopum vt istam gratiam ei faceret, quod faceret eum audiri ab aliquibus sociis suis, quia melius se haberet coram sociis Episcopi, quàm coram Episcopo. Quod concessit ei prædictus Episcopus.

GVIARDVS EPISCOPVS CAMERAC. VIR MAGNI NOMINIS, DE QVO AD AN. 1238.

Sed ecce Deus in die iudicii omnes singulariter examinabit in propria persona & in plena Vniuersitate, nec alii committet aliquo modo cuiuslibet sit scientiæ. Ad scientiam cuius Dei nulla est comparatio prædicti Episcopi vel cuiusque magni Clerici. Psalm. Sapientiæ eius non est numerus. Et Ioan. Pater non iudicat quenquam, sed omne Iudicium dedit filio; id. Iudicium de omni. Iob. Omnipotens singulorum causas diligenter intuetur. Si ergo ita stupefactus fuit & timuit Monachus coram prædicto Episcopo, quid faciemus in die Iudicii, vbi non erit querela de Abbatia vna, sed & de regno Paradisi & patibulo inferni, in quo nulla est redemptio. Iob. Columnæ cœli contremiscent & pauebunt ad nutum eius. Glossa. Columnæ id. S. Angeli vel summi Ecclesiæ Prædicatores. Malach. Quis stabit ad videndum eum? ipse enim est ignis conflans. In Apocal. Dicent Montibus & Petris cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super Thronum & ab ira Agni. Augustinus: Mallent reprobi omne tormentum sustinere quàm faciem irati Iudicis videre. Augustin. super illud Iaon. Ego sum. *Qui ceciderunt ad vnam vocem morituri*? quid facient sub voce iudicaturi.

Glossa in Moralibus. Quis eius iram toleret, cuius & ipsa mansuetudo non poterit tolerari? Iob. Cum vix vnam stillam verborum eius audiuimus, quis poterit tonitru magnitudinis eius intueri? Item, Episcopus ille G. non erat armatus nec tenens arma & circundatus multitudine maxima armatorum, sicut in die Iudicii. Ezechiel: Egredietur gladius meus exacuatus & limatus vagina sua ad omnem carnem. id. ad criminaliter viuentes. In Apocal. Gladius ex ore eius ex vtraque parte acutus id. sententia qua anima in corpore damnabitur exhi-

bebit. Item in Apocal. De ore eius procedebat gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipso percutiat gentes, & ipse regat eos in virga ferrea. O quàm angustæ erunt Reprobis viæ! Superius erit Iudex iratus, subtus horrendum Chaos inferni. A dextris peccata accusantia. A sinistris infinita Dæmonia ad supplicium trahentia. Intus Conscientia vrens, foris mundus ardens. O miser Peccator! sic deprehensus quò effugies! latere erit impossibile, apparere intolerabile. Si quæras quis eum accusabit? dico, perdirum hunc totus mundus odio habet, persequitur eum flamma & ignis, Psalm. Sicut ignis qui comburit syluam & sicut flamma comburens montes, ita persequêris eos in tempestate tua. Item. Ignis ante ipsum præcedet, &c. Sapiens. Accipiet armaturam zelus illius & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace Iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem, acuet autem iram ditam in lanceam, & pugnabit cum illo omnis orbis terrarum insensato. Apud Math. In consummatione seculi mittet filius hominis Angelos suos & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium. Potes & alia multa inuenire de pœnis damnatorum, in sententia de virtutibus, cap. de timore. Patet ergo dementia illorum qui in libro conscientiæ suæ noluerunt studere, & sibi prouidere, vel diligentius student in aliis libris: libros dico pellium vel pecuniarum, quàm in libro conscientiæ.

Item si vix sufficiet aliquis quantumcumque studuerit in libro conscientiæ suæ, respondere de illo in die iudicij, quomodo is qui nunquam in illo studuit? est id quod cantat Ecclesia. Vix iustus saluabitur, & ego miser vbi parebo? Iob. 9. Verè scio quod non iustificabitur homo comparatus Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere vnum pro mille. Quid ergo erit de Prælatis & Principibus quos non oportet respondere pro se solum, sed pro tot millibus, scilicet pro omnibus subditis suis? Vnde in 3. lib. Reg. Custodi virum istum, qui lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Apost. Obedite Præpositis vestris & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quia rationem reddituri sunt pro animabus vestris. Veniant veniant ante Tribunal Christi, vt audiatur pupillorum querimonia grauis, accusario dura contra eos quorum maximè stipendiis viuunt, nec diluere peccata. Augustin. ad quendam Comitem: De omnibus qui in Domo tua, id. in Iurisdictione tua sunt, oportebit te reddere rationem: putasne & his qui principantur, in tantis periculis & tantis negligentiis posse saluari? Sapiens. Audite Reges & intelligite: discite Iudices finium terræ, præbete aures qui continetis multitudines & placetis vobis in turbis Nationum. Et sequitur: Quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentesque potenter tormenta patientur & fortioribus fortior instat cruciatio. Nota ergo dementiam illorum qui ita anhelant ad prælationes & dignitates & potestates, qui non sufficiunt aliquo modo respondere per se & nituntur modis omnibus se obligare pro aliis respondere.

Sequitur videre de 2. scilicet vbi libet iste, scilicet Conscientiæ, & à quo audiendus. Legitur autem in confessione, quia nullus nisi demens hunc librum aperuit nisi in Confessione. Item Iob: Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Dominus, & cum quæsierit, quid respondebo illi? Postea, Quis mihi tribuat auditorem, id. bonum Confessorem, vt desiderium audiat Omnipotens, &c. Nota quia non habetur *pro Scholari Parisius* qui ad minus non vadit bis in hebdomada ad Scholas: quomodo ergo reputabitur pro scholari Parisius qui non vadit nisi semel in anno? multi autem qui non vadunt ad Confessionem nisi semel in anno.

Item non reputatur aliquis Scholaris propter lectiones transitorias, nisi audiat Ordinarias, nec reperiretur à Magistro aliquo si caperetur aliquo de casu à Præposito & reponeretur in Castelleto. Multi autem sunt qui nunquam fecerunt confessionem suam nisi transitoriè; scilicet currendo & transeundo quasi Gallus super prunas, quàm citiùs possunt: & sola aliqua peccata dicendo, grossa & multa omittendo. Tales non reputat quasi Scholares suos ille qui dicit: Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Non liberabit eos à Præposito inferni, quando capiet eos, sed remanebunt in Castelleto inferni in-

carcerati. Et dum clamabunt ad Dominum, non exaudiet eos, sed dicet: Nescio vos, scilicet meos esse Discipulos. Non vidi vos in Scholis meis nec semel in anno & nisi transitoriè, non est bonus talis Scholaris, sed qui dicebat, Confitebor Domino in toto corde meo &c. Ideo confitebor Domino nimis in ore meo, & plusquam alii, & tantum quòd forte verteretur in tædium Confessoribus meis. Non sufficiebat autem ei dies, sed tanquam bonus Scholaris media nocte, inquit, surgebam ad confitendum nomini tuo. Et iterum Meditabar nocte cum corde meo, &c.

Item ille qui frequentat magis Scholas & diligentius Magistrum audit, debet melior Clericus reputari. Ergo Beguini siue in seculo siue in Religione & libro isto scilicet conscientiæ sunt sapientiores, quia frequentius & pluries confitentur, sicut patet ad oculum: imò propter hoc dicuntur Papalatei, quia frequentant Confessiones. Multi multa sciunt & seipsos nesciunt. Quærunt Deum per exteriora & derelinquunt sua interiora. Sed quid prosunt litteræ eruditionis Prisciani, Aristotelis, Iustiniani, Gratiani, Galeni & sic de aliis in pellibus ouinis & caprinis, nisi deleas de libro conscientiæ tuæ litteras mortis? Quid prosunt hæc lecta & intellecta, nisi teipsum legas & intelligas? legere enim & non intelligere, est negligere. Legere scilicet in pellibus ouinis & caprinis & non intelligere, est negligere: ideo dementia est, cum in isto tam districtè debeamus examinari, & hoc non in aliis. Da igitur diligentem operam internæ lectioni, quia melior & laudabilior & sapientior es si te ipsum cognoscas, & te ipsum legere facias, quàm si te neglecto cognosceres cursus siderum. Fundamenta terrarum, vires herbarum, complexiones hominum: haberes etiam notitiam omnium cœlestium, terrestrium & infernorum.

Nota quod in plenâ Congregatione Parisius coram omnibus qui melius responderet, melior Clericus esset, vel diceretur cunctis obmutescentibus. Ille autem qui frequentius vadit ad scholas Confessionis & diligentius studet in libro conscientiæ suæ, melius respondebit in die Iudicii in plenâ Vniuersitate summo Magistro opponente. Ergo melior & sapientior Clericus debet dici, qui melius scit confiteri. *Magnum erit dedecus Magistris de Artibus & magna decisio etiam Magistris in Decretis & in Theologia, qui modò nolunt studere in libro conscientiæ suæ*, quia nescient respondere, Ideo obmutescent in die Iudicii coram omnibus. Vbi aliqua Beguina vel Conuersus vel Monachus simplex optimè respondebit, qui totam suam intentionem ponit ad scrutandum & faciendum librum conscientiæ suæ. Psal. Qui habitat in cœlis, irridebit eos.

Item scholares dant pretium & aliquando expensas & vestes Magistris suis. Dominus autem tanquam Magister optimus cibum dat scholaribus suis. Psal. In voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Confitentes enim veraciter reficiuntur spiritualiter, sicut multi experti sunt. Cibus enim fortificat, & delectat & roborat, calefacit, & leniorem ad ambulandum facit, quod spiritualiter sentiunt in seipsis veraciter confitentes.

Item nouis vestibus & pretiosis indumentis induit Dominus Discipulos suos, id. verè & integrè confitentes. Psal. Confessionem & decorem induisti. Apost. Exuite veterem hominem & induite nouum qui secundum Deum creatus est. Et hoc bene significatum fuit in filio prodigo redeunte ad Patrem & peccatum suum confitente, de quo dictum est apud Lucam: Proferte stolam 1am. id. pretiosam vestem.

Item si esset quis Magister Pater, qui daret cuilibet Scholarium suorum bonam Præbendam Cathedralem vbicunque vellet eligere propter, dignitatem multos haberet Scholares, imò quis locus posset capere? Et certè alii Magistri quantumcunque probi essent, possent bene ponere mellas suas, quia nullos haberent auditores Dominus autem bonus Magister est, qui confert omnibus Scholaribus suis & solum suis Præbendas optimas, scilicet Præbendam gratiæ quæ præualet omnibus Præbendis de mundo, nec facit eos diu exspectare, sed confert eis in prima die qua verissimè intrant Scholas eius, scilicet confessionis. Qui vt dicit Dominus apud Prophetam, Ducam in solitudinem & loquar ad cor eius. Et nota quod non erubescit Dominus legere vni soli Scholari, quod est contra superbos *Magistros & Prædicatores, qui nolunt legere vel prædicare, nisi habeant multitudinem*

titudinem magnam Scholarium & auditorum. Præterea dabit Dominus Præbendam gloriæ. In Psal. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Apost. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum &c. Dabit autem Dominus Præbendam his qui Scholares sui perseuerando fuerint. Apud Math. Qui perseuerauerit vsque in finem saluus erit. Et qui bene se habebit hîc in Præbenda gratiæ: quod est contra multos Prælatos qui non probatos priùs in paruis tam citò promouent ad maiora quæ possunt dare. Apud Math. Euge serue bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gloriam Domini tui: id. quia bene te habuisti hîc in Præbenda gratiæ hîc collatæ, accipe Præbendam gloriæ. Vide ergo dementiam multorum qui Scholas huius mundi volunt frequentare, sed semel in anno solummodo, & hoc curiosè frequentant scholas criminis mundi & Diaboli, qui eis omnia auferunt.

Item Amentissimus esset qui à peiori Magistro qui esset Parisius, vellet audire librum suum in quo debet & districtissimè examinari, aliis bonis Magistris relictis: quod faciunt multi qui eligunt sibi peiores Confessores quos possint inuenire & fugiunt bonos. Exemplum de illo qui dixit, quod peiores vsque huc deuians semper quæsiuit Confessores: quia quando iacuerat cum muliere, quærebat sacerdotem qui tenebat concubinam suam & ei confitebatur. Et quærebat sacerdos ab eo si fecerat mulieri illi cum qua iacuerat, vim: & dicenti quod non, dicebat: Non est, *Pater noster*, *Pater noster*. Et similiter quando laborabat tantum quod ebrius erat, quærebat sacerdotem qui libenter ibat ad tabernam & qui sæpius ebrius erat & confitebatur ei: qui quærebat si bene soluerat. Respondenti quod sic, dicebat sacerdos: quod melius esset bibere suum quàm alienum. *Pater noster, Pater noster.* Et dixit Peccator omnibus sociis suis quod non erat melior Confessor, nec qui citius expediret confitentes quàm ille, & collaudauit sociis suis vt irent ad illum. Exemplum de eo qui quæsiuit sacerdotem per 3. leucas qui erat cæcus, vt non posset eum videre vel cognoscere per confessionem suam. Nota quod tales qui quærunt malos sacerdotes relictis bonis, similes sunt Iudæ proditori, qui quando pœnituit non fuit confessus melioribus scilicet Apostolis, sed Pharisæis qui erant participes sui criminis, dicens eis: Peccaui tradens sanguinem iustum. In quibus nihil inuenit consilii, nihil auxilii, sed magnum argumentum sui doloris & suæ desperationis. Dixerunt enim, quid ad nos? Tu videris. Quærat ergo confitens bonum Confessorem & sapientem, qui sciat discernere inter lepram & lepram, & sicut Medicus peritus variis infirmitatibus competentes & proprias adhibere Medicinas: alioquin si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadent. Licentiam tamen confitendi alii sacerdoti sapientiori capiat à suo sacerdote. Aliud enim est ex contemptu vel odio proprium sacerdotem fugere, aliud Ecclesiam vitare. Si verò noluerit licentiam dare, confiteatur ei & absoluatur: tunc quemcunque voluerit peccator Confessorem, consulere poterit.

Nota quod Diabolicus esset Magister & dignus deponi de Magisterio vt inuidus & timens ne ignorantia sua appareret, vel maximè superbus & præsumens, si non vellet vt Clerici sui post lectiones suas ab alio addiscerent in lectionibus vel disputationibus, quando cessaret eis legere & melius vellet vt essent otiosi. Quod faciunt aliqui Confessores qui irascuntur de hoc, quod subditi sui aliis confitentur postquam confessi sunt eis, cum tamen adhoc officium vix sufficiat aliquis, quantumcunque sit bonus & sapiens. Et certè bonus & sapiens de hoc rogat Discipulos suos quod aliquando audiant ab aliis. Scit enim quod plus diligent eum & plus honorabunt eum propterea & libentius audient ab eo, quando videbunt quod Magister eorum adhæc diligentius & melius docet eos quàm alii, & vt referant ei opiniones aliorum. Et sic est de bonis Confessoribus. Et certè confitentes mihi multa me docuerunt, quæ ab aliis Confessoribus audierunt.

Et nota dementiam illorum sacerdotum qui nondum vel audierunt vel legerunt librum istum etiam semel ordinariè, & nec per vnum diem fuerunt veri Discipuli de hoc libro conscientiæ, nec volunt esse, nec sciunt adhuc introitum huius libri, nec nomen vel nomina librorum spiritualium huius libri, quod faciunt pleriq; Grammatici de libris suis & præsumunt esse Magistri huius libri, sci-

licet Conscientiæ qui etiam difficillimus videtur & profundissimus. Ierem. Profundum est cor hominis atque inscrutabile, quis cognoscet illud? Psalm. Delicta quis intelligit? Magistri, inquam, tot & tantorum subditorum. *Et certè Magnus Magister* Deus faciet eis in die Iudicii, sicut paruis Magistris in Schola de Grammatica. Magnus enim Magister quando audit lectiones discipulorum suorum in die Sabbati, si aliqui puerorum nesciant suas lectiones & inueniat quod Magister eorum sit in causa vel sit occasio, vel quia non bene legit eis, vel quia negligens fuit, verberabit pueros & Magistrum eorum. Sic Deus verberabit Prælatos & puniet pro se subditis suis, si propter defectum eorum errauerint. Ezechiel. Si non annunciaueris impio nec locutus fueris vt auertatur à via sua impia & viuat, sanguinem eius de manu tua requiram. Gregor. ib. Morti cui non contradicis, adiungeris. Item ibidem. Quia tacuisti & noluisti esse sollicitus in prædicatione, similiter in Confessione, particeps eris in damnatione. Demens igitur est Prælatus vel Confessor qui non vult quod subditi sui meliorem quærant Confessorem quàm ipse, si inuenire possint. Similiter dementes sunt si non quærant. Hæc autem est vna de laudibus Incipientium Magistrorum Parisius, quod à melioribus Magistris de villa audierunt. Nota quod vix potest esse bonus Clericus, qui à pluribus Magistris non audiuit. Similiter vix potest esse bonus Confessor vel bene confessus, qui pluribus non fuerit confessus. Augustin. Quantò pluribus confitebitur quis turpitudinem sui criminis, tantò facilius consequetur gratiam remissionis. Et Nota quod plûs valet ad legendum librum istum, scilicet Conscientiæ, zelus & diligentia, mansuetudo & experientia multa, quàm librorum copia vel Scholaris scientia, maximè in communibus peccatis. Psalm. Superuenit mansuetudo & corripiemur. Christus apud Ioan. Cum venerit Paracletus, docebit vos omnem veritatem. Supple necessariam ad salutem. Gregor. Ars Artium zelus animarum. Psal. Lex Domini immaculata conuertens animus, id. qui se tenet immaculatum, conuertit alios. Vnde videmus apertè vbique quod magis proficiunt & profecerunt ab initio Ecclesiæ in côuersione peccatorum à paucis litteris zelũ animarũ habentes peccatoribus compatientes, quàm magni Litterati de sua scientia gloriantes vel etiam præsumentes. Falleris fili, si te putas apud Magistros mundi hanc scientiam inuenire, quam soli Discipuli Christi, id. contemptores mundi Diuino numine sunt assecuti. Non hanc docet lectio, sed vocatio: non littera, sed spes: non eruditio, sed exercitatio in mandatis Dei. Psal. In mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis. Super hoc Gregor. Custodia mandatorum aperit intellectum occultorum.

Item nota quod boni Scholares Parisius libentius audiunt à Magistris Compatriotis suis & magis notis & familiaribus sibi, maximè si sint æque boni vel meliores, quàm ab aliis: imò erubescunt maximè audire ab extraneis Magistris sibi familiaribus, æquè bonis vel melioribus omissis: quia de suis dubitabilibus melius & facilius & securius possunt ad sibi familiares recurrere. Quod est contra illos qui bonos confessores sibi notos fugiunt, minus bonos extraneos accipientes. Cato. Nec quisquam melior Medicus quàm fidus amicus. Idem. Consilium arcanum tacito committe sodali. id. Confessori qui tacitus est sapiens. Causam tuam tracta cum amico tuo, & secreta tua extraneo ne reueles.

Notandum quod liber conscientiæ diuiditur in 3. partes, proœmium, tractatum & epilogum. Quia sicut in proœmio generaliter ea quæ postea sequuntur in speciali: sic verè pœnitens contristari debet generaliter de omnibus peccatis suis. Executio dicitur esse Confessio cuius sunt 24. libri, scilicet decem Decalogi præcepta contra quæ forte peccauit, & ad quodlibet obligatur pro loco & tempore. Decem Præcepta per hos versus cognoscuntur.

Sperne Deos, fugito periuria, Sabbata serua:
Sit tibi Patris honor, sit tibi Matris amor.
Non sis occisor, fur, mœchus, testis iniquus:
Vicinique thorum, resque caueto suas.

Septem mortalia peccata sunt hæc: superbia, inuidia, ira, accedia, gula luxuria. Vnde versus.

Luxus, ava, superat inuidus, ira, gula.

Septem opera misericordiæ, in quibus Dominus examinabit & disceptabit cum quolibet in die Iudicii, dignoscuntur per hunc versum.

Vestio, poto, cibo, tego, visito, colligo, condo.

Et in his omnibus verè confitens scrutari habet diligentius conscientiam suam. Item quodlibet istorum membrorum potest diuidi in tot partes quot sunt circunstantiæ peccati, quæ exprimuntur hoc versu.

Quis, quid, vbi, cum quo, quotiens, cur, quomodo, quando.

Recapitulatio dicitur esse satisfactio; quia sicut Epilogus adhoc est vt commendentur memoriæ quæ prius specialiter tractata sunt, sic satisfaciens finaliter debet commendare memoriæ peccata sua & pro illis debitè satisfacere. Hæc Robertus ad suos.

Hinc autem intelligimus quæ esset ratio examinis Licentiandorū à Cancellario: vnde conijcitur quæ deinde mutatio aduenerit. 1. Enim quisquis licentiā expetebat, Cancellariū adibat & ab eo quo in libro examinandus esset, accipiebat. 2. Licentiandus librū præscriptum euoluebat, quæstiones omnes & difficultates legebat, enodabat, aut à sociis vel à Præceptoribus enodari curabat. 3. Vbi se satis in eo libro peritū & versatū reputabat, ad Cancellariū reuertebatur & diem examinis postulabat. 4. Examinabatur tā ab ipso Cancellario quàm à Magistris Examinatoribus. Et si dignus ab iis iudicabatur, admittebatur: secus, ad annum remittebatur. 5. In ea re tamen nonnunquam dolus aut corruptio inerat. Nam Cancellarius cum Magnatibus & viris nobilibus mitius agebat, cumque iis de examine dispensabat; quæ causa fuit turbarum in Vniuersitate. Nonnunquam etiam eos quos repulerat, aut pecunia aut precibus corruptus licentiā nihilominus donabat. 6. Scholasticus non reputabatur, qui stato & definito tempore Cursorias & ordinarias lectiones se audiuisse non contestaretur: quippe transitorias & extraordinarias audiuisse non sufficiebat. 7. Fiebant die Sabbati repetitiones lectionum quæ in hebdomada traditæ fuerant; iisque Repetitionibus intererat & præsidebat Magnus Magister Scholæ, id. quantum ego arbitror, Primarius Magister. Nam vt alibi docuimus, Primarii illi sub se Præpositos habebant & plures Sub-magistros, si lectionum & Scholarium multiplicitas id exigeret. Vnde postquam condita sunt & extructa in vsum Scholarum Collegia, illi Primarii nomen retinuerunt & sub se plures Magistros in diuersis & distinctis Classibus habuerunt. Hæc per transennam dicta sint: ad Sorbonam redeamus.

Quia autem Domus quæ sapiente Gubernatore caret, facile collabitur, idem Robertus Collegii sui Prouisorem & Curatorem non à Bursariis seu Scholaribus Domus, sed ab Archidiacono & Cancellario Parisiensi, à Decanis Facultatum Theologiæ, Decretorum, Medicinæ; item à Rectore Vniuersitatis & à 4. Procuratoribus eligi voluit, curauitque suam voluntatem & constitutionem ad maiorem firmitatem authoritate Pontificiā confirmari: quam in rem extat Bulla Clementis IV. data Viterbii 10. Kal. April. anno 1268. legiturque in Charta quadam Chartularii Parisiensis sub hoc lemmate.

CHARTA SVPER AMORTIZATIONE TERRÆ FEODALIS DE ROSERIIS, QVAM TENENT SCHOLARES DE SORBONA IN HVNC MODVM.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis Reuerendi Patris D. Ancheri Cardinalis Archidiaconi Paris. ac Guillelmi Paris. Archidiaconi Curiarum Officiales salutem in Domino. Noueritis nos quasdam litteras sigillo dicti Archidiaconi Guillelmi vt prima facie apparebat sigillatas vidisse, formam quæ sequitur, continentes. Vniuersis præsentes litteras inspecturis Guillelmus in Ecclesia Paris. Archidiaconus Salutem in Domino. Noueritis nos an. Dom. 1276 die Sab-

bati poſt feſtum B. Martini hiemalis litteras felicis recordationis D. Clementis Papæ IV. non cancellatas, non in aliqua ſui parte viriatas vidiſſe in hæc verba. *Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Prouiſori Pauperum Magiſtrorum & ipſis Magiſtris in Theologica Facultate ſtudentibus in vico ad Portas ante Palatium de Termis Pariſius ſub communi vita degentibus Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.* Suadente vobis gratia bonitatis quâ virtutum ſtudiis inſiſtentes ſacræ Paginæ cupitis muniri dogmatibus & in his alios erudire in vnum conueniſtis commercium & commune vobis habitaculum elegiſtis. Volentes itaque vobis & ſtatui veſtro Apoſtolicum exhibere fauorem, Conuentum &. cohabitationem veſtram duximus approbandos iure Venerabilis fratris noſtri Pariſ. Epiſcopi ſemper ſaluo, authoritate præſentium diſtrictius inhibentes, ne quis domos, poſſeſſiones & alia bona veſtra quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis aut in futurum iuſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci, inuadere, diſtrahere vel occupare præſumat ſeu alii vſibus applicare. Nihilominus quoque ſtatuimus & etiam ordinamus, vt te, fili Prouiſore obeunte nullus in locum tuum per fraudis aſtutiam apponatur, *niſi quem loci Archidiaconus Cancellarius Pariſienſis ac Magiſtri Pariſius actu regentes in Theologica Facultate, nec non Decretiſtarum & Medicorum Decani, Rector Vniuerſitatis Pariſienſis & Procuratores 4. Nationum communiter vel maior pars eorum duxerint apponendum. Idemque Prouiſor in congregatione veſtra Pauperes Magiſtros & idoneos qui rexerint in Artibus de quacunque ſint Natione, poſſit admittere, ac exinde minus idoneos amouere prout inſpectis circunſtantiis vniuerſis viderit expedire.* Qui etiam de dictorum Magiſtrorum receptis & expenſis annis ſingulis Archidiacono, Cancellario & aliis ſupradictis vel aliquibus ab ipſis vel à maiori parte ipſorum qui adhoc extiterint deputati, teneatur reddere rationem. *Archidiaconus inſuper Cancellarius & alii memorati ſeu maior pars eorum, Prouiſorem quem duxerint ſtatuendum, amouere valeant prout viderint faciendum* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, inhibitionis, conſtitutionis & ordinationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Viterbii 10. Kal. April. Pontif noſtri an. 4. Nos autem Guillelmus Archidiaconus loci cum cæteris Perſonis ſuperius notatis ad quas authoritate præſentis litteræ pertinebat electio Prouiſoris in domo prædicta habita deliberatione diligenti ſuper Prouiſore *eligendo M. Guillelmum de Monte-Moriciaco tunc Archipresbyterum S. Seuerini Pariſienſis, nunc verò Canonicum Pariſ. elegimus ad prouiſionem & regimen dictæ Domus.* In cuius rei teſtimonium præſentes litteras ſigillo Curiæ noſtræ ad petitionem dicti Magiſtri Guillelmi fecimus ſigillari. Datum anno & die prædictis. Prænominatus autem *Magiſter Guillelmus de Monte-moriciaco Prouiſor dictorum pauperum Magiſtrorum qui vulgariter dicuntur de Sorbona,* & Magiſtri Gnillelmus de Bondoffle & Theobaldus de Sorbona Procuratores cæterorum dictæ domus de Sorbona Magiſtrorum conſtituti à dicto Prouiſore, ſuo & Procuratorio nomine ipſorum Magiſtrorum & dictæ domus in noſtra conſtituti præſentia aſſeruerunt, Quod *cum dicti Magiſtri de Sorbona ac dicta domus eorum Prouiſor prædictus nomine ipſorum tenerent* & poſſiderent quandam terram feodalem quæ dicitur Terra de Roſeriis Pariſius & extra ſituatam, tam in cenſibus capitalibus & augmentatis, quàm in 4. arpentis vel carteriis vinearum ſitis prope Pariſius inter *Monaſterium S. Genouefæ & Eccleſiam noſtræ Dominæ de Campis*, quàm etiam in tribus Maſuris ſitis apud Yſſiacum conſiſtentem, prædictamque terram quæ à Reuerendo Patre D. Pariſienſi Epiſcopo mouebat in feodum, idem D. Epiſcopus in manu ſua ſaiſiuiſſet & cepiſſet, pro eo quod ex ſuæ voluntatis libito minimè procedebat, quod dicti Magiſtri terram ipſam in manu mortua poſſiderent. Tandem prout dicti Prouiſor & Procuratores coram nobis nomine quo ſupra recognouerunt, fuit ex parte dictorum Magiſtrorum dictæ Domus & dicti Prouiſoris dicto D. Epiſcopo ſupplicatum, vt ipſe terram prædictam ipſis Magiſtris admortizare dignaretur: & quod huiuſmodi ſupplicatione facta dictus D. Epiſcopus penſatis commodo & vtilitate Pariſienſis Eccleſiæ habitóque ſuper his bonorum conſilio duas partes totius dictæ terræ feodalis inferius ſpecificatas & expreſſas dictis Magiſtris de Sorbona & eorum ſucceſſoribus in dicta domo duxit in mo-

dum qui ſequitur, admortizandas. Voluit autem & conceſſit dictus D. Epiſcopus prout dictiPtouiſor & Procuratores nomine quo ſupra aſſeruerunt, quod dicti Pauperes Magiſtri ac eorum in dicta domo ſucceſſores ipſaque eorum domus dictas duas partes totius terræ feodalis prout inferius declarantur, habeant, teneant & poſſideāt ex nunc perpetuo cū ventis & ſaiſinis prouenientibus, ſeu quæ prouenire potuerint deinceps & ipſis duabus partibus ſine aliqua coactione vendendi vel extra manum ſuam ponendi ſaluo ipſis Magiſtris & ſuis ſucceſſoribus quod ipſi poſſint iuſticiare ſecundum vſum & conſuetudines villæ Pariſ pro ſuo cenſu habendo in ſuis dictis duabus partibus Cenſuarios, ſi in ſolutione ceſſauerint cenſus eiuſdē abſque vlla alia iuriſdictione inibi exercenda. Tertia parte totius dictæ terræ feodalis de Roſeriis cum plenitudine iuris ipſius tertiæ partis à dicto D. Epiſcopo pro ſe & ſuis ſucceſſoribus Pariſ. Epiſcopis de voluntate dictorum Magiſtrorum & Prouiſotis eorum prout idem Ptouiſor & dicti Procuratores ſuo & Procuratorio nomine prædicto recognouerunt & voluerunt coram nobis retenta & eidem D. Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus ſalua perpetuo pro admortizatione ſeu conceſſione ab eo de dictis duabus partibus vt dictum eſt, præfatis Magiſtris facta remanente ac etiam ſalua eidem D. Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus & ſibi de voluntate dictorum Prouiſoris & Procuratorum in hoc & aliis præmiſſis expreſſè conſentientium ſuo & cæterorum Magiſtrorum dictæ domus nomine, retenta tam in dictis duabus partibus dictis Magiſtris vt dictum eſt remanentibus quàm in dicta tertia parte ipſi D. Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus remanente de dicta totali terra feodali omnimoda Iuſtitia, iuriſdictione & Dominio, & ſaluo ſibi & ſuis ſucceſſoribus omni alio iure ſuo, aſſerentes nihilominus & confitentes dicti Prouiſor & Procuratores ſuo & cæterorum Magiſtrorum dictæ domus nomine quod dicta tertia pars à dicto D. Epiſcopo retenta & ſibi ſuiſque ſucceſſoribus remanens ratione admortizationis ſeu conceſſionis prædictæ de dicta totali terra feodali de Roſeriis, talis eſt: Scilicet in vico S. Germani de Pratis ſuper Domo Petronillæ de Vitriaco 12 denarii cenſus Capitalis. Item ſuper domo Ioannis de Armenouilla 12 denarii cenſus. Item ſuper domo Iacobi Bouchet 12. denarii. cenſus. Item in vico Sacaliæ ſuper Domo quæ fuit quondam Preſbyteri S. Seuerini 12. denarii cenſus. Item ſuper domo Girardi Teutonici 3. ſolidi & 6. denarii cenſus. Item ſuper domo Guillelmi Aitodis 3. ſolidi & 6. denarii cenſus. Item ſuper domo Ioannis Almanici 3. ſolidi cenſus. Item ſuper domo Petri Flamingi ſex denarii. Item ſuper domo Langrorie 3. ſolidi cenſus. Item ſuper domo Alani de Boſco 3. ſolidi & ſex denarii. Item ſuper domo Iaquelinæ Fenarie 6. denarii cenſus. Item ſuper Pratello dictæ domus duo ſolidi cenſus. Item ſuper domo Richardi Gruel 4. ſolidi cenſus. Item in vico Iudæorum ſuper domo Ioee Martine ſex denarii. Item ſuper domo Ægidii dicti Minguet 12. denarii cenſus. Item ſuper domo ſequenti quam tenet Poterius 2. denarii cenſus. Item in vico Citharæ ſuper domo quæ fuit Odonis de Laico 2. ſolidi cenſus. Item ſuper domo Petri Figuli 3. ſolidi cenſus Item ſuper domo Radulphi de Ternis 3. ſolidi & 6. denarii cenſus. Item ſuper domo Reginaldi de Thyeſio 3. ſolidi & 6. denarii cenſus. Item ſuper domo Petri Iotdan ibidem ab oppoſitis decem & octo denarii. Item ſuper domo Droconis de Noyſiaco 2. ſolidi & 6. denarii cenſus. Item ſuper domo M. Adæ de Charmaco decem & octo denarii cenſus. Item ſuper domo Rodulfi de Paciaco 2. ſolidi & 6. denarii cenſus. Item ſuper domo Ioannis Regratarii 13. ſolidi & 2 denarii cenſus. Item tria quarteria vinearum ſitarum in loco qui dicitur la Poterie contigua vineis noſtris.

Quæ verò partes dictis Magiſtris remanentes de dicta terra feodali tales ſunt vt dicebant: Scilicet in vico Scriptorum ſuper domo Iulianæ Ferperie 4. ſolidi cenſus. Item ſuper domo Mariæ filiæ la Godarde vnus denarius cenſus. Item ſuper domo Margaretæ Cancellariæ 3. ſolidi. Item ſuper domo quæ fuit Rollandi 3. ſolidi cenſus. Item ſuper domo quæ fuit M. Milonis de Corbolio 3. ſolidi cenſus. Item ſuper domo Mariæ Sellariæ ibidem ab oppoſitis 3. ſolidi cenſus. Item ſuper domo Guill. Pergamenarii 12. denarii cenſus. Item ſuper domo Theobaldi Britonis 4. ſolidi cenſus. Item ſuper domo Ioannis Giboſe 4. ſulidi cenſus. Item ſuper domo Theobaldi Britonis 4. ſolidi cenſus. Item ſuper domo Ioan. Regratarii 12. ſolidi cenſus. Item in vico Eremburgis de Bria ſuper domo Guillelmi Roma-

ni 12. denarii. Item super domo Philippi Norarii 4. solidi. Item super domo Nicolai Petit Boucher duo denarii. Item super domo Presbyteri S. Michaelis ibidem ab oppositis 4. solidi. Item super domo Richardi de Valle 4. solidi. Item super domo Gualteri de Marchia 4. solidi. Item in stricto vico S. Seuerini super domo Ioannis Pergamenarii vnus denarius census. Item super domo Danielis Chaperon vnus denarius census. Item super domo D. Guillelmi Capellani 8. solidi census. Item super domo quondam Ioannis de Campis 4. solidi. Item super decem domibus quas tenet Petrus de Mellens 35. denarii. Item ante S. Seuerinum super domo Kathatinæ Buten 3. solidi & sex denarii census. Item super domo Henrici de Grauia 12. denarii. Item in vico perforato super domo Ioannis de Dominibus vnus denatius. Item in vico Marmosetorum in ciuitate super domo Guill. le Hongre 5. solidi 7. denarii & obol. census. Item super domo Concergie sex denarii census. Item in vico Cloppin super domo Thomæ Buffeterii vnus denarius census. Item super domo Hugonis de Flagi vnus denarius census. Item in vico sine capite iuxta domum Comitis de Barro super domo M. Radulphi decem & octo solidi & quinque denarii census. Item super domo Siluestri duo solidi census. Item super domo Eremburgis duo solidi. Item super domo Gaufridi Britonis 3. solidi & 3. denarii census. Item super domo Haymerici 4. solidi. Item super domo Hugonis de Flagi decem & septem denarii census. Item super domo Adæ filii Petri Malgrin 27. denarii census. Item super domo Roberti Rufi 3. solidi. Item super domo Comitis Barri decem & nouem solidi census. Item apud Yssiacum super Masura seu domo Henrici de Witerme duo solidi & sex denarii. Item super domo seu Masura Gauguelinæ filiæ Andreæ duo solidi & sex denarii census. Item filii Petri de Bangis debent 3. solidos census annui pro sex arpentis terræ sitis in territorio de Yssiaco. Item tria quarteria vineæ sita in loco qui dicitur *les Arennes* ante S. Victorem. Item tria quarreria vineæ contigua septem quarteriis quæ sunt Prioris Nostræ Dominæ de Campis. Item & dimidium arpentum vineæ situm in loco qui dicitur *Es Brayes*. Quæ omnia & singula præmissa prout superius sunt expressa dictus Prouisor & dicti Procuratores suo & Procuratorio nomine cæterorum dictæ Domus de Sorbona Magistrorum coram nobis voluerunt & approbauerunt ac eis acquieuerunt vtilitate pensatâ, vt dicebant dictæ domus. In cuius rei testimonium sigillo Curiarum nostrarum duximus *ad petitionem dictorum Prouisoris & Procuratorum præsentibus litteris vnà cum sigillis dicti Prouisoris apponenda*. Datum anno Dom. 1284. mense Nouembri.

Eodem anno Innocentius Lugduni adhuc sedens indulsit Episcopo Parisiensi Priuilegium quo eum ab omni excommunicatione & interdicto tutum & exemptum esse voluit. Causa Priuilegii hæc erat, quod ex quo Pontifices Romani cœperunt impensius in tranquillitatem studii Parisiensis incumbere, in eamque rem Priuilegia Vniuersitati impertiri, suorum priuilegiorum Conseruatores designare & nominare consueuerant, quibus potestatem dabant excommunicandi & censuris aliis illigandi eiusdem studii turbatores. Et quia Episcopus Parisiensis aut Cancellarius ægrè ferentes Vniuersitatem suæ Iurisdictionis forum declinare, eam sæpe agitabant, Conseruatores dictorum Priuilegiorum, ipsosmet Censuris notare non verebantur. Quod ne fieret, impetrauit Episcopus ab Innocentio Priuilegium huiusmodi, cuius Custodem & Conseruatorem esse voluit Guillelmum Episcopum Aurelianensem.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili fratri nostro Episcopo Aurelianensi Salutem & Apostolicam benedictionem. Apostolicæ sedis benignitas sincetè obsequentium vota fidelium fauore beniuolo prosequi consueuit, & personis illorum quos in sua deuotione promptos inuenerit & feruentes quibusdam titulis decentiùs decorare. Vt igitur ex speciali deuotione quam ad nos & Rom. Ecclesiam venerabilis frater noster Episcopus Parisiensis habere dignoscitur, fauorem Apostolicum sibi sentiat accreuisse, eidem per litteras nostras duximus indulgendum vt nullus Delegatus vel Subdelegatus, Executor aut etiam Conseruator per Litteras Apostolicas vel Legatorum Apostolicæ sedis impetraras & impetrandas in eum vel Ecclesiam Parisiensem quæ speciali debet gaudere Priuilegio libertatis, excommunicationis, suspensionis vel interdi-

cti sententias promulgare aut ipsi Episcopo interdicere ingressum Ecclesiæ valeat, etiam si contineatur in eisdem litteris, vt aliqua indulgentia sedis Apostolicæ non obsistat. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatinus prædictum Episcopum non permittas super his contra concessionis nostræ tenorem ab aliquibus indebitè molestari. Molestatores huiusmodi per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni 5. Kal. Aug. Pontif. nostri an. 8.

Eodem anno die ipso S. Luciæ, nempe 13. Decemb. obiit Fridericus Imperator an. ætatis 57. Imperii 38. inconfessus & impœnitens secundum aliquos: secundum alios verò compunctus & humiliatus assumpto habitu Cisterciensium, imò absolutus à sententia quâ fuerat innodatus. Cuius sepulchro Panormi in Sicilia hi versus inscripti sunt.

Si probitas, sensus, virtutis gratia, census,
Nobilitas Orti possent obsistere morti,
Non foret extinctus Fridericus qui iacet intus.

Hoc quoque anno miserrimâ clade Christianorum exercitus interiit, ipséque Ludouicus Rex captus amissis omnibus Regni Proceribus, & pro suâ libertate Damietam dedere coactus est. Hoc autem vt ad aures Reginæ Matris peruenit, vix referentibus fidem adhibere potuit, imò quosdam tantæ cladis prænuncios suspendio damnauit. At verò vt non vanum tumorem esse didicit, dolore prope contabuit. Omnes verò Franci in luctu & sordibus diu iacuerunt. Principes Papam insectati Lugduno migrare coegerunt, eo quod implacabili odio Fridericum prosequens, impedisset quominus ille laboranti Christianorum exercitui succurreret. Quid verò post quam ab hostibus Rex liberatus est, egerit, habemus ex Ep. M. Guillelmi de Castro-nouo Hospitalis Domus apud Hierosolymam Magistro ad Gualterum de S. Martino Prædicatorem.

Religioso, egregio & prudenti amico præcipuo & specialissimo Fratri Gualtero de S. Martino Prædicatori F. Guillelmus de Castro Nouo sanctæ Domus Hospitalis Hierosolymitani D. G. Magister humilis salutem & se totum ad eius voluntatem. Spectantes quod de Terra-sancta vos delectat, noua qualia sunt audire, de ipsis significandum duximus. Quia post ruinam illam inexplicabilem, quam D. Rex Francorum & totus Christianus exercitus superatus & captus ab hostibus, passus est in Ægypto, diuina clementia operante præfatus Rex miraculosè liberatus venit in Ciuitatem Accon cum fratribus suis & aliquibus nobilibus Principibus: quibus Dominus in confusione vitam de interitu conseruauit. Et quia sine derogatione sublimitatis Regiæ, absque treuga terram Syriæ in casu amissionis relinquere non poterat, fratres suos & alios nobiles omnes remisit in Franciam pro succursu deliberans moram facere, donec per subsidium Gentis suæ & aliorum Christi fidelium posset superbiam perfidorum conterere, aut treugis mediantibus Terram-Sanctam in statu prospero ordinare. Licet autem in præsentium confectione inter Alapensium & Babyloniorum Soldanos discordia magna esset, per quam sperari poterat, quod compositio treugæ competentis interuenire deberet, non tamen nobis apparebat, quia experti sumus versutias Paganorum quod incentiuo aliquorum & plurium ad hoc concordantium speratum veniret ad effectum. Processu verò temporis, cum res clarius patebunt, de euentu ipsarum prudentiam vestram reddere curabimus certiorem.

Ad hunc vsque annum Chronica sua scripsit Mathæus Paris. S. Albani apud Anglos Monachus, quem ait Lelandus fuisse Angligenam licet Parisius dictus sit, quia inquit, *Parisiorum cognomen olim apud Anglos quemadmodum & nunc celebre.* Nisi quis sentiat illum à vulgo Parisiensem nominatum, quod aliquando Lutetiæ Parisiorum studuisset. De fine autem suæ historiæ sic ipse ad calcem an. 1250.

Siste tui metas studij Mathae quietas,
Nec ventura petas, quæ postera proferet ætas.

Quanquam verò hîc finire & scribere decreuisset, Chronica tamen sua perduxisse dicitur ad annum vsque 1259. quo viuere desijt, vt vult Balæus, & alij

qui eum sequuntur. Nonnulli tamen continuationem Historiæ alteri Scriptori adscribunt.

Hisce quoque temporibus, quia tot cladibus populus Christianus vbique terrarum affligebatur à Tartaris, Saracenis, Albigensibus & ab ipsis Christianis, sparsus rumor est breui nasciturum Antichristum, cladesque illas esse eius aduentus prænuncias. Quam in rem tum confecti sunt hi versus.

Cum fuerint anni transacti mille ducenti
Et quinquaginta post partum Virginis almæ,
Tunc Antichristus nascetur Dæmone plenus.

1251. Anno 1251. regreditur in Italiam Innocentius. Turbatur verò Vniuersitas Parisiensis occasione Mendicantium. Qua de re sic legitur in Chronico quod vulgò Simonis Comitis Montis-fortis appellatur. *Anno Dom. 1251. Innocentius Papa regreditur in Italiam de Lugduno vbi fere compleuerat 7. annos. Item oritur turbatio Vniuersitatis contra Religiosos Pauperes studentes in Theologia, incentore malorum Guillelmo de S. Amore.* Sed altius causa repetenda. Nimirum tempore Quadragesimali (quo solebant Scholares ad Determinationum conflictus concurrere) ortâ dissensione Ciues aggressi sunt; & hinc inde multa inuicem vulnera inflixerunt. Vnde è Scholaribus plurimi vulnerati, nonnulli interfecti, quidam carceribus mancipati. Quia verò inter eos multi erant errones & nebulones, qui priuilegiorum sanctitate se se tutos arbitrati grassabantur spe impunitatis, & turbis istis se immiscebant, priusquam bonos & insontes scholares repeteret Vniuersitas, qui aut capti erant aut forte capiendi, in Comitiis Centuriatis statuit quinam pro scholaribus Academicis habendi essent, quinam repetendi nomine Vniuersitatis & Rectoris si forte caperentur; qui nam verò pro Scholasticis non habendi. Statutum autem istud legitur in libro Rectoris cum hac Epigraphe.

Provisio Magistrorum, Qui debent dici Scholares, et qui sint repetendi si capiantur, et a quibus.

Prouisum est pro communi vtilitate totius Studij Parisiensis, quod Vniuersi studentes Parisius tam Magistri quàm scholares in Theologia, Decretis, Medicina, Artibus, Grammatica per sacramentum obligabuntur, quod omnes tam Clericos quàm laïcos, tam viros quàm fœminas, ex quorum malâ vitâ pax & studium in prædictis Facultatibus studentium impeditur, vel impediri potest, reuelabunt in secreto Episcopo Parisiensi, vel eius Officiali vel Cancellario intra octo dies si potuerint, postquam sciuerint. Qui Episcopus, Officialis & Cancellarius bona fide promittent, quod nulli personam nominantes vel determinantes reuelabunt seu manifestabunt.

Item Prouisum, quod quilibet Regens in prædictis Facultatibus, sit per prædictum Iuramentum obligatus, quod nullum difamatum de melleia frequenti, raptorem mulierum, fractorem hospitiorum, de nocte errabundum, furem, latronem publicum, homicidam petet, aut tanquam Scholarem liberabit, si contingat eum capi à Præposito Parisiensi, vel eius mandato vel Episcopo, nisi bonâ fide credat eum modo quo petit eum liberari, esse liberandum. Si quis verò Magister seu Scholaris ad prædicta per Iuramentum in publico se noluerit obligare, non reputabitur de Vniuersitate, nec de Beneficiis Vniuersitatis gaudebit. Bachelarij verò Decretales Legentes se speciali sacramento obligabunt, quod iuramenta recipient ab illis qui eos audiunt secundum formam superius annotatam. Et quicumque iurare noluerit, non recipietur ab eis in scholis, super hac ab eisdem Bachelariis de ipsis non recipiendis præstito iuramento. Quia etiam Auditores Decretalium, & etiam alij, nisi alicuius Magistri actu Regentis bis ad minus in septimana Scholas intrauerint, Scholares nullatenus reputentur. Et si eos capi contigerit, nec per aliquem Magistrum, nec per Vniuersitatem repetentur. Ad hæc autem facienda obligabuntur Bedelli tam communes quàm speciales cuiuscunque fuerint Facultatis proprio iuramento.

Modus autem repetendi Scholares captos talis erit apud Magistros Artium. Quod Magister Scholaris capti cum duobus Magistris Regentibus, quibus constet quod sit Scholaris, accedet ad Præpositum, & scholarem suum repetet; qui si reddere denegauerit, dictus Magister significabit Rectori. Tunc recurret Rector ad Episcopum vel Officialem eiusdem.

In aliis

In aliis autem Facultatibus vnuſquiſque Magiſter Scholarem ſuum repetet per ſe, ſi neceſſe fuerit. Publicabitur & innouabitur forma iſta per ſcholas ad minus bis in anno, videlicet circa feſtum omnium Sanctorum & Carniſpriuium.

Tunc erat Epiſcopus Pariſ. M. Reginaldus Corbolienſis, M. Petri Corb. Diſcipulus, Friderici Vice-Comitis Corbolienſis filius. Cancellarius verò M. Haimericus de Vari, qui D. Thomam Aquinatem & Bonauenturam Doctorali pileo inſigniuit. Iuxta verò Conſtitutionem prædictam Academici Reginam adeunt Regni Procuratricem, pollicenturque bona fide ſe iuramenta de quibus in ea fit mentio, fideliter à ſuis exacturos & pacem pro viribus ſeruaturos & ſeruari curaturos.

Porro ex hocce inſtrumento intelligitur Iuris Ciuilis profeſſionem Honorij III. Decreto nequicquam vetante Pariſiis diu multumque effloruiſſe. Quamobrem verò ſpeciale à Decretiſtis & Legiſtis Iuramentum exigeretur, ex eo conijcitur, quod cum grandiores ætate & corpore eſſent, nec adſtricti tam arctis legibus vt alij, qui in aliis Facultatibus ſtudebant, vulgò quoque cæteris erant petulantiores.

Huic autem Sacramento aliquanto poſt addita ſunt verba quæ ſequuntur, vt legitur in M. S. Codice cuius mihi copiam fecit D. D'Herouual.

Anno D. 1286. die Mercurij ante mediam Quadrageſimam addita fuerunt huic ordinationi iſta verba; Ils iureront que la paix ils vouldront à leur pouoir, ne ne donront conſeil ne ayde ne ſouſtenance à nul de leur Nation ne à autre de faire le contenu de la guerre entre eux, & ſe ils ſcauent nul malfaicteur, ils les enſeigneront à l'Official de Paris, & mettront peine & conſeil que ils ſoient prins.

Similiter Ciues Pariſienſes ſacramentum præſtare iuſſi ſunt, quale hîc legitur.

Anno Domini 1251. die Lunæ ante Natiuitatem B. Ioannis Baptiſtæ Pariſius in præſentia Blanchæ Dei gratia Franc. Reginæ Illuſtris, Philippi Archiepiſcopi Bituricenſis, Ioan. Ebroicenſis Epiſcopi. Stephani de Sacro-Cæſare, D. Gaufridi de Capella Franciæ Panetarij, D. Petri de Ernancuria, D. Almarici de Menduno, M. Guill. de Zenonis, Stephani Decani B. Aniani Aurelian. & multorum aliorum Militum, Clericorum & aliorum fecerunt Ciues Pariſienſes tale iuramentum. QVOD SERVABVNT PACEM VILLÆ BONA FIDE PRO POSSE SVO DE OMNIBVS GENTIBVS QVANTVM AD OMNES GENTES TAM CLERICOS QVAM LAICOS, ET QVOD ILLI VEL ILLIS QVEM VEL QVOS D. REGINA DIMITTET IN CVSTODIA VILLÆ OBEDIENT QVANTVM AD SERVANDAM PACEM PRÆDICTAM ET AD FACIENDAM IVSTITIAM SI OPVS FVERIT. ET QVOD SI ALIQVOD MALEFICIVM FIERET IN VILLA, NON SE SVBSTRAHERENT CVM POSSENT PERHIBERE TESTIMONIVM VERITATI, NISI IN VIDENDO POSSET EIS CORPORIS PERICVLVM IMMINERE. ET QVOD DICENT VERITATEM DE MALEFICIIS QVANDO FVERINT REQVISITI. ET QVOD MALEFACTORES ET TVRBATORES PACIS NOMINABVNT IN SECRETO ILLI VEL ILLIS QVI VILLAM EX PARTE D. REGINÆ CVSTODIENT.

Hæc ſacramenta exegit Regina non modò ob ſeditionem quæ acciderat inter Scholares & Ciues; ſed maximè ne Rege Captiuo nouas res aliqui molirentur Pariſiis. Vt autem audiuit Pontifex turbationem ſtudij Pariſienſis, veritus ne id accideret quod olim ſub Gregorio an. 1229. plurima Priuilegia eidem conceſſit; & ante omnia illud quo iuxta conſtitutiones aliorum Pontificum vetabat extra muros Pariſienſes trahi ad iudicium per litteras Apoſtolicas, ſuper cauſis in vrbe exortis. & tale extat in Codice Nationis Gallicanæ fol. 19. verſo.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filiis vniuerſis Magiſtris & Scholaribus Pariſienſibus Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Vt eo liberius vacare litterarum ſtudio valeatis, quominus fueritis aliis negotiis occupati, nos veſtris ſupplicationibus annuentes, vobis authoritate præſentium in- PRIVILEGIVM DE CAVSIS ET LITIBVS.

„ dulgemus vt extra Parisiensem Ciuitatem super Quæstionibus intra eam exor-
„ tis trahi per litteras Apostolicas, vel Legatorum sedis Apostolicæ iuxta quod vo-
„ bis aliàs indulsisse dignoscimur, non possitis, nisi de indulgentia huiusmodi ex-
„ pressam fecerint mentionem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ
„ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc at-
„ tentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli
„ Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Perusii pridie Kal. Iunii, Pon-
„ tific. nostri an. 9. Sequitur conseruatio dicti Priuilegii.

„ Innocentius Episcopus Seruus Seruorum D. Venerabili fratri Episcopo Sil-
„ uanectensi Salutem & Apostolicam benedictionem. Vt eò liberius Dilecti filii
„ vniuersi Magistri & Scholares Parisienses vacare valeant studio litterarum,
„ quominus fuerint aliis negotiis occupari, nos eorum supplicationibus annuentes
„ eis duximus indulgendum, vt extra Ciuitatem Parisiensem super Quæstionibus
„ intra eam exortis trahi per litteras Apostolicas vel Legatorum sedis Apostolicæ
„ iuxta quod aliàs eis dignoscimur indulsisse, non possint: nisi expressam de indul-
„ gentia huiusmodi fecerint mentionem. Quocirca fraternitati tuæ per Apostoli-
„ ca scripta mandamus quatinus Magistros & scholares prædictos contra conces-
„ sionis nostræ tenorem non permittas super his ab aliquibus indebitè molestari.
„ Molestatores huiusmodi per Censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ
„ compescendo. Non obstante si aliquibus à sede Apostolica sit indultum quod ex-
„ communicari aut interdici nequeant vel suspendi; seu constitutione de duabus
„ dietis edita in Concilio generali, dummodo vltra tertiam vel quartam aliquis
„ extra suam diœcesim authoritate præsentium ad Iudicium non trahatur. Datum
„ Perusii Pridie Kal. Iunii, Pontif. nostri an. 9.

PRIVILEGIVM CONTRA EXCOMMVNICATIONES.

Postridie huius diei indulget eidem Vniuersitati aliud Priuilegium quo iuxta constitutiones Prædecessorum, præsertim verò Gregorii IX. & suas vetabat *Rectorem, Procuratores* aut aliquem è Magistris absque licentia sedis Apostolicæ excommunicari. Extat in hanc rem eius Bulla in eodem Codice his verbis sub hoc lemmate. *Priuilegium vt nullus in aliquem pro facto vel occasione Vniuersitatis excommunicationis, suspensionis seu interdicti sententiam audeat promulgare.*

„ Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis vniuersis Magi-
„ stris & Scholaribus Paris. Salutem & Apostolicam benedictionem. Non decet
„ nos vobis Apostolicum negare fauorem quem vestris videmini meritis compara-
„ re, dum dantes operam sapientiæ quæ plurimum nos delectat, nostræ vos gra-
„ tiæ cooptatis, qui aliquando Disciplinis Scholasticis insudantes ad summum
„ sumus licet immeriti Magisterium euocati. Hinc est quod quieti vestræ paternâ
„ volentes diligentia prouidere, *authoritate vobis præsentium indulgemus, iuxta quod*
„ *vobis aliàs dignoscimur indulsisse, vt nullus in Vniuersitatem vestram Magistrorum aut*
„ *scholarium*, aut Rectorem vel Procuratores vestros, *cuiuscunque aut quarumcunque*
„ *Facultatum, seu quenquam alium pro facto vel occasione ipsius Vniuersitatis, excommu-*
„ *nicationis, suspensionis vel interdicti sententiam audeat promulgare absque Apostolicæ*
„ *sedis licentia speciali; & si fuerit prouulgata, ipso iure sit irrita & inanis.*
„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infrin-
„ gere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit,
„ indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se no-
„ uerit incursurum. Datum Perusii Kalend. Iunii Pontific. nostri an. 9.

Sequitur ibidem conseruatio eiusdem Priuilegii mandata Adamo Siluanectensi Episcopo.

„ *Innocentius* Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili fratri Episcopo Sil-
„ uanectensi Salutem & Apostolicam benedictionem. Non decet Nos dilectis fi-
„ liis vniuersis Magistris & Scholaribus Parisiensibus Apostolicum negare fauo-
„ rem, quem suis videntur meritis comparare, dum dantes operam sapientiæ, quæ
„ plurimum nos delectat, nostræ se gratiæ cooptant, qui aliquando Disciplinis
„ scholasticis insudantes ad summum sumus licet immeriti Magisterium euocati.
„ Hinc est quod quieti eorum paternâ volentes diligentiâ prouidere, per litteras
„ nostras eisdem duximus indulgendum, iuxta quod aliàs ipsis dignoscimur indul-
„ sisse, vt nullus in Vniuersitatẽ Doctorũ Magistrorũ, & Scholariũ aut *Rectorẽ* vel
„ *Procuratores* eorum, cuiuscunq; aut quarumcũq; Facultatum, seu quemquam aliũ

pro facto vel occaſione ipſius Vniuerſitatis, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam audeat promulgare, abſque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, & ſi fuerit promulgata, ipſo iure ſit irrita & inanis. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatos Magiſtros & Scholares, *eorumque Rectorem vel Procuratores* contra Conceſſionis noſtræ tenorem non permittas ſuper his ab aliquibus indebitè moleſtari. Moleſtatores huiuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtante ſi aliquibus à ſede Apoſtolicâ ſit indultum quod excommunicari aut interdici nequeant vel ſuſpendi; ſeu Conſtitutione de duabus Dietis edita in Concilio Generali, dummodo vltra tertiam vel quartam aliquis extra ſuam Diœceſim authoritate præſentium ad Iudicium non trahatur. Datum Peruſii Kal. Iunii, Pontificatus noſtri an. 4.

Eodem menſe & anno conceſſit idem Pontifex Priuilegium immunitatis ab omni portorio, ſeu vt dicebant *Pedagio*. Legiturque in eodem Codice ſub hoc lemmate: *Priuilegium ne Magiſtri vel Scholares eundo & redeundo Pariſius cauſa ſtudij Pedagium ſoluere teneantur.*

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis vniuerſis Magiſtris & Scholaribus Pariſius ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Volentes vos quietæ libertatis prærogatiuâ gaudere, vt nihil alicui pro pedagio euntes Pariſius cauſa ſtudii aut exinde ad propria redeuntes ſoluere teneamini, vel ad id cōpelli ab aliquo valeatis, conſuetudine qualibet non obſtante, authoritate præſentium vobis indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Peruſii Non. Iunii Pontif noſtri an. 9. PRIVILEGIVM PEDAGII.

Conſeruationem quoque huiuſce Priuilegii mandat Epiſcopo Siluanectenſi, qui tunc erat Conſeruator Priuilegiorum Apoſtolicorum Vniuerſitatis Pariſienſis.

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruor. Dei. Venerabili fratri Epiſcopo Siluanectenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Volentes Dilectos filios vniuerſos Magiſtros & ſcholares Pariſienſes quietæ libertatis prærogatiuâ gaudere, vt nihil alicui pro pedagio euntes Pariſius causâ ſtudii, aut exinde ad propria redeuntes ſoluere teneantur vel ad id compelli ab aliquo valeant, conſuetudine qualibet non obſtante, per litteras noſtras eis duximus indulgendum. Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus Magiſtros & Scholares prædictos contra conceſſionis noſtræ tenorem nonpermittas ſuper his ab aliquibus indebitè moleſtari. Moleſtatores huiuſmodi per Eccleſiaſticam cenſuram appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, non obſtante ſi aliquibus à ſede Apoſtolica ſit indultum quod excommunicari aut interdici nequeant vel ſuſpendi per litteras Apoſtolicas, quæ de Indulto huiuſmodi plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem, ſeu de conſtitutione de duabus dietis edita in Concilio Generali. Dummodo vltra tertiam vel quartam aliquis extra ſuam diœceſim authoritate præſentium non trahatur. Datum Peruſij non. Iunij Pontif. noſtri an. 9.

Vetus eſt hoc Priuilegiū & à Friderico Ænobarbo conceſſum apud Roncalias Academiæ ſuæ Bononienſi, continetur que in authentica, *Habita*. His verbis. *Indulgemus vt ad loca in quibus litterarum exercentur ſtudia tam ipſi quàm eorum Nuncii veniant & in eis ſecurè habitent.* Quæ verba expendens Rebuffus notat ex textu ſecundum Baldum, Salicetum & Bologninum *eſſe Priuilegium poſſe ire, redire & habitare ſecurè*; neque ea intelligenda tantùm de ſecuritate viarum & habitationis, ne à latronibus aut turbatoribus vexarentur, non enim eſt Priuilegium quod omnibus eſſe debet commune, ſed maximè de exemptione à vectigalibus ne Scholaſtici tenerentur ſoluere vectigalia, vtque eſſent ab aliis oneribus exempti, vt dicit Gloſſa in hanc Auth. Vnde Cynus & Bolog. aiunt fuiſſe iſtud expreſſum &. de neceſſitate, *quia contra hæc Priuilegia conſuetudo inualuerat*, vt quilibet ſiue Scholaris ſiue alius pro rebus ſolueret vectigalia: ideoque ab Imperatore conſuetudinem illam reprobari, & id innuere textum his verbis, *ex peruerſa con-*

suetudine. Verum, inquit Rebuffus, illud verbum refertur ad iniuriam non inferendam Scholasticis. Itaque magis probat primam solutionem, nempe textum permittere, *Securè ire non solum propter vectigalia, sed etiam propter represalias contra studentes non concedendas & alia onera quæ aliis imponuntur, quæ à studiosis debent esse aliena.*

Idem Rebuffus ex professo prædictam Immunitatem pluribus authoritatibus confirmat in Priuilegio 146. refertque speciale Priuilegium à Philippo Valesio concessum Scholaribus euntibus Parisios & redeuntibus, vt nullum vectigal soluere tenerentur, his verbis. *Concedimus de gratia speciali & certâ scientia & de nostra plenitudine potestatis, ne quisquam Laicus cuiuscunque conditionis vel eminentiæ existat, siue priuata persona, Præpositus vel Balliuus præfatos Magistros & Scholares aut ad ipsum Studium accedentes aut ad propria redeuntes, de quorum scholaritate constabit per proprium iuramentum, in persona, familia siue rebus, occasione pedagii, taliæ, impositionis, costumæ vel aliorum huiusmodi personalium onerum aut alterius exactionis cuiuscumque personam inquietent, molestent, aut aliàs quouis modo extorquere præsumant.* De his alibi fusius.

Paucos post dies idem Pontifex admonitus nonnullos esse in Vniuersitate Errones & nebulones potius quàm Scholasticos, qui arma gestarent non libros, vt quietem Academiæ procuraret, mandauit Cancellario Parisiensi, vti eos libertatibus ac Priuilegiis Academiæ priuaret. Legitur Bulla in libro Procuratorum Nat. Gall. cum hoc titulo: PRIVILEGIVM QVOD CANCELLARIVS PARISIENSIS SCHOLARES ARMA PORTANTES SI MONITI SE NON CORREXERINT, PRIVET A LIBERTATIBVS VNIVERSITATIS.

CONTRA ERRONES. *Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Cancellario Paris. Salut. & Apost. bened. Ad aures nostras peruenit, quod nonnulli Sholares, Parisius commorantes licentiæ laxatis habenis publicè licet id publica vel priuata non exposcat necessitas, arma ferunt, ex quo Deus & homines offenduntur, cœtus Scholarium notatur infamia, & etiam frequenter turbatur Studium & etiam impeditur. Volentes igitur huic morbo salubrem adhibere medelam, Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quod si tales secundò tertiò moniti se non correxerint, beneficio Priuilegiorum Vniuersitatis Scholarium authoritate nostra priues eosdem & denuncies ipsis nequaquam huiusmodi beneficium suffragari. Datum Perusij 8. id. Iunij Pontif. nostri an. 4.* Difficile tunc erat coercere Scholares dispersos & in variis hospitiis & contuberniis apud Ciues habitantes.

DE DOMINICANIS. Gratiam quoque & fauorem mendicant apud eundem Pontificem Dominicani, queruntur se Cathedris suis priuatos, duosque è suis Bonum-Hominem scilicet & Heliam docere publicè vetitos, atque à societate Academica expulsos, petunt restitui in integrum & refragantes Censuris Ecclesiasticis innodari, idque etiam obtinent, seu verius à Pontifice litteras subreptitias extorquent ad Ebroicensem Episcopum quibus ei facultas dabatur *Dominicanos in Academiæ consortium immittendi, & Academicos repugnantes Censuris Ecclesiasticis obstringendi.* Huiusce rei meminit Vadinghus in Annalib. Minor. ad hunc an. *Hoc anno,* inquit, *orta est magna dissensio inter Academicos Parisienses & Mendicantes præcipuè Fratres Prædicatores, quæ prolixæ & molestæ nimis discordiæ seminarium fuit. Controuersia exordium habuit à quibusdam statutis editis à Magistris Vniuersitatis & suspensione Lecturæ propter irrogatas aliquas iniurias quibusdam Scholaribus. Constitutionibus iniustis dum noluerunt subscribere duo Ordinis Prædicatorum Bonus-homo & Helias dicti, facti sunt extra Scholas. Conquerentes apud S. Sedem exaudiuntur ab Innocentio, & iubentur in pristinum statum restitui.* Bullam ad Episcopum Ebroicensem datam nondum mihi reperire licuit.

Ecce igitur Academici duabus simul machinis oppugnantur, Regiâ & Pontificiâ. Vt verò intelligunt calumniam sibi apud Alphonsum Comitem factam, ipsum adeunt, exponunt quæ paterentur quæque passi fuissent à Dominicanis, quos in fundo suo locauerant, spondent tamen *se ad eius preces & ad euitanda multorum scandala, qui de insolentiis Dominicanorum obstupescebant, maximè ob reuerentiam Constitutionis Apostolicæ non recusaturos esse, quominus Dominicani in Academiæ consortium prouisoriè admitterentur, modò salua manerent Academiæ statuta, quoad vsque summus Pontifex, qui inauditis partibus de re tota statuerat, duxisset aliter ordinandum.* Placuit Alphonso responsum, eoque contentus fuit.

At Dominicani videntes eluſum hunc ictum, inſtant apud Ebroicenſem Epiſcopum, vt ſi Academicos ferire nollet, hanc prouinciam M. Lucæ Canonico Pariſienſi Academicis infenſiſſimo demandaret. Sed hac de re amplius ad an. ſequentem. Interim quæ hoc anno contigerint, perſequamur. Cum ſæpius interpellati recuſaſſent in ſtatuta Academiæ iurare, niſi duplex ſibi Cathedra Magiſtralis & Theologica in perpetuum concederetur, tandem poſt elapſum 15. dierum ſpatium præhabitis monitionibus neceſſariis Vniuerſitas à ſocietate Scholaſtica Magiſtrorum ſecularium eos ob eorum peruicaciam ſegregauit, & ſegregationis Decretum per omnes ſcholas promulgari voluit. Præterea vnam tantum illis Cathedram Theologicam permiſit eamque intra priuatos parietes; & docere publicè interdixit. Et quia Theologicam ſocietatem maximè appetebant Dominicani, eâ omnino excluſi ſunt hoc ſtatuto, quod legitur in Codice Nationis Gallicanæ.

Quoniam in promotione ad Cathedram & regimen ſacræ Scripturæ in ſtudio Pariſ. non ſolum ſunt attendenda merita perſonarum, ſed etiam honor Ciuitatis, nec non & totius ſtudii ſtatus & honeſtas iuxta ſummi Pontificis Ordinationem meritò ſunt penſanda, ideo Doctores Pariſienſes actualiter in Theologia Regentes volentes in poſterum ſtatus ſui & ſtudentium in Theologia Pariſienſi honeſtatem ſeruare, & promotionis locum ſtudentibus opportuno tempore reſeruare, deliberatione ſuper his habita cum conſilio diligenti & tractatu de prudentium conſilio concorditer ordinauerunt, vt de cætero Religioſus aliquis non habens collegium & cui eſt à Iure publicè docere prohibitum, ad eorum ſocietatem nullatenus admittatur. Cæterum quia præter neceſſitatem, Magiſtrorum multiplicationem maximè ſuper eundem Gregem non ſolum Scriptura Diuina, verum etiam ſacri Canones deteſtantur, dicente S. Iacobo; *Nolite plures Magiſtri fieri ſcientes quoniam maius Iudicium ſumitis*. Et Gregorius ad Ruſticum Monachum, *In Apibus*, inquit, *eſt Princeps vnus*, & Grues vnum ſequuntur ordine litterato. Ideo prædicti Magiſtri ordinauerunt vt ſingula Religioſorum collegia ſingulis Magiſtris actu Regentibus & vnicâ ſcholâ de cætero ſint contenta, cum grande fidei periculum immineat, & à ratione plurimum diſſonet, vt quiſquam ſibi ſumat honorem Cathedræ ſacrarum litterarum qui nec ſeipſum examinauit diligenter, nec ab eo qui licentiandis præeſſe dignoſcitur, ſecundum formam Vniuerſitatis à ſummo Pontifice roboratam legitimè ſit vocatus. Maximè cum aliàs inter Doctores Theologicos tractatum fuerit & concorditer inhibitum; ne aliquis Bachelarius in Theologica facultate promoueatur ad Cathedram niſi prius ſeipſum examinauerit, ſaltem aliquos libros gloſſatos & ſententias in ſcholis alicuius Magiſtri actu Regentis diligenter legendo. deirco ſupradicti Magiſtri Tractatum antedictum & conſenſum mutuo renouantes conſenſu firmauerunt, & ita de cætero obſeruari debere vnanimiter ordinauerunt. Quod ſi aliquis contra dictas eorum Ordinationes venire præſumpſerit, ei ſocietatem ſuam tam in Principiis quàm aliis penitus denegabunt. Et de cætero quicunque Bachelarius licentiatus fuerit, ſi requiſitus huic Ordinationi aſſenſum præſtare noluerit, à conſortio Magiſtrorum penitus excludetur, & eidem tam in Principiis quàm alibi Magiſtralem ſocietatem denegabunt. Hæc autem Ordinata à Magiſtris ſaluâ in omnibus reuerentiâ & obedientiâ ſedis Apoſtolicæ & aliorum quibus obedire tenentur. Hanc autem ordinationem Vniuerſitas approbauit, & ſigilli ſui munimine roborauit. Actum anno Dom. 1251. menſe Februario.

Dominicani excluduntur.

Ex hocce Decreto intelligimus duplicis generis fuiſſe Religioſos qui publicè docere affectarent; alios quidem ſingulares nullius certi Collegii apud Ciuitatem Pariſienſem; & iis omni ſocietate & Cathedrâ publicâ interdictum: alios Collegium ſeu Domum Pariſiis habentes; & iis permiſſum vnam habere Cathedram, non duas. Hoc autem Decretum ira Dominicanorum animos exacerbauit, vt nullum non mouerint lapidem, quo Vniuerſitatem conuellerent.

Igitur, quia non erat facile tam cito Pontificia fulmina obtinere, quia iam Innocentius repetierat Italiam, nec dum certo loco inſiſtebat, primùm Reginam Regni Gubernatricem adeunt & Alphonſum Pictauenſem Comitem, atque apud eos calumniantur ſtatuta fieri ab Academicis *contra Deum & Vniuerſalem*

Ecclesiam, nec non conspirationes illicitas contra D. Regis honorem & Regni commoda perpetratas. Verum vbi hæc calumnia innotuit, facilè suam probarunt innocentiam Academici.

De Pastorellis. Eodem anno valde turbatæ sunt Ciuitates præsertim Parisiensis, Aurelianensis & Bituricensis ab exercitu quotundam Nebulonum qui *Pastorelli* dicebantur, qui duce Hungaro quodam, quem Nangius ait vocari solitum M. de Hungaria, conuenerant fere ad centum millia seque cruce signauerant, polliciti Reginæ Matri se Ludouicum Regem captum à Sarracenis liberaturos. Fauit illis primum Regina Mater de filii sui salute sollicita: sed cum ad eos confluxissent fures, exules, fugitiui, excommunicati, quos tunc vulgò *Ribaldos* vocabant, adeo vt timendi essent Ciuitatibus & ipsi Regno, illos tueri desiit. Aureliam ingressi plurimos Scholares occiderunt, alios vulnerarunt aut in Ligerim præcipitarunt, quod vnus Scholarium in Magistrum eorum prædicantem & suis imposturis populum decipientem insurrexisset, impudentissiméque mentiri exclamasset. Orto enim statim tumultu inter eos & scholares, hinc inde multi vulnerati & trucidati sunt.

Tandem non longè à Biturigibus cum furta cædesque impunè perpetrarent, dissipati & magna ex parte cum suo Duce & Magistro Hungaro capti aut perempti sunt. Ante vero penetrauerant vsque ad Parisiensem Ciuitatem, ipsique terrorem ingentem incusserant: quippe per Prouincias diuisi iam numerosos exercitus conflauerant, signaque etiam militaria præferebant. Adeo è scholasticis Parisiensibus nonnulli concurrerunt: & plures secuturi fuissent exemplum, nisi Regina Regni moderatrix Edicto prohibuisset, & in eos Prælati excommunicationis fulmina vibrassent, qui Pastorellis auxilium præstarent, aut vllo pacto fauerent. Hanc Historiam breuiter sic refert Walsinghamus in Hypodigmate Neustriæ. *Anno 1251. inquit, Pastores in Francia coadunatâ multitudine dicebant se Angelica visione monitos vt proficiscerentur in Terram sanctam contra Sarracenos & incredulos pugnaturi. Transeuntes verò Parisiis venerunt Bituricas, vbi suborta discordiâ cum Ciuibus fit conflictus, & multis occisis reliqui disperguntur.*

At Mathæus Parisiensis eandem historiam fusius explicat. Nos ea tantùm quæ propius ad materiam nostram spectant, ex eo referemus. *Die verò*, inquit, S. " Barnabæ cum magnâ pompâ & fortitudine Aurelianum peruenientes, inuito " Episcopo & vniuerso Clero, sed Ciuibus bene acceptantibus Ciuitatem intra" uerant. Et cum eorum Dux voce præconiâ velut Propheta signipotens Prædica" tionem suam indixisset, imò potius vt Tyrannus edixisset, venerunt ad ipsum " populi sub infinitâ multitudine. Episcopus autem Ciuitatis hoc exitiale pericu" lum vehementius formidans prohibuit sub pœna anathematis, ne aliquis Clericus eorum audiret eloquia vel sequeretur vestigia, asserens hæc omnia esse Dia" boli muscipulationes. Iam enim Laici eius comminationes & imperia con" temnebant. Veruntamen aliqui *Clericorum Scholarium* limites Episcopalis pro" hibitionis temere transgredientes non se poterant abstinere, quin ad tam inau" ditam nouitatem aures prurientes accommodarent, non tamen vt eorum errores " sequerentur, sed vt hanc insolentiam intuerentur. Nouum quippe & absurdum " fuit, vt Laicus imo plebeius spretâ authoritate Pontificali in publico tam auda" cter & in tali Ciuitate vbi viguit *Sholarium Vniuersitas*, prædicaret & corda " & aures tot populorum ad suas imposturas inclinaret. Erant autem quingenta " signa deferentes. Vnde Clerici sanioris consilii & hospitiis suis firmiter obsera" tis & repagulatis non sine perturbationis formidine latuerunt. Cumque Magi" ster memoratus in propatulum prædicaturus ascendisset, nullum Thema præfi" gendo cœpit multas irrecitabiles abusiones teboando ebullire. Cum ecce vnus " Scholarium stans eminus se audacter propius ingerens prorupit in hæc verba. " *O nequissimè Hæretice & veritatis inimice, mentitus es in caput proprium, deci" pis insontes tuis falsis ac fallacibus Sermocinationibus* Et cum hoc vix perdixis" set, vnus Gyrouagorum illorum irruens eleuarâ quadam securi rostratâ caput " eius in partes diuisit, vt nec vnum verbum emisit amplius sauciatus. Eleuato igi" tur tumultu prosilientes illi quos hactenus nominauimus Pastores, sed iam Im" postores & Antichristi Præcursores nominandi, generaliter in Clerum Aurelia" nensem hostiliter armati in inermes irruerunt, libros carissimos rapuerunt, ostiis,

feneſtriſque confractis, & combuſſerunt. Et conniuentibus oculis, diſſimulante populo Ciuitatis & verius conſentiente (vnde *Caninus* meruit appellari) multos trucidarunt, multoſque in Ligerim demerſerunt, aliquos autem vulnerarunt & nonnullos ſpoliarunt. Quod cum viderunt qui in Domibus clauſi latuerant, clanculo de nocte turmatim receſſerunt. Exturbata eſt igitur tota Vniuerſitas, & compertum eſt circiter 25. Clericos abſque læſis & diuerſimodè damnificatis miſerabiliter occubuiſſe, &c. Sed & multi eorum exercitus per Prouincias plures diuidebantur. Vnde etiam Pariſius ſuum ſenſit detrimentum. Cumque ſe promiſiſſet Summus ipſorum Deceptorũ ſermonem facere in publico & miracula obſtupenda, confluebat vndique populorum numeroſa multitudo, vt inaudita à ſeculis tunc audirent & viderent, quæ antea non viderant. Et cum proditor ille quædam aſſereret delitamenta, & miracula quæ promiſerat, inuenta fuiſſent fraudulenta, vnus de populo carnifex bipennifer ipſum percutiens in capite miſit ad tartara excerebratum.

Hoc anno liberatus eſt Ludouicus Rex, perſolutâ ſummâ ſexaginta mille librarum auri, primi & putiſſimi, exceptis, inquit Mathæus, aliis denariis communibus videlicet Eſterlingorum, Turonenſibus & Pariſienſibus qui ad infinitum numerum aſcenderunt. In reditu verò multa adhuc mala paſſus eſt à Venetis. Soldanus Babyloniæ Damietam ſolo adæquauit, ne tertiò veniret in manus Chriſtianorum. Eodem anno Blanca prædicti Ludouici mater obiit.

Eodem anno Innocentius poſt multiplices Prælatorum Anglicanorum querelas, iis tandem & omnibus aliis Patronis Eccleſiarum prouiſiones & collationes reſtituit, quas ſibi quodammodo arrogauerat neceſſitate temporum & plurimorum, vt fatebatur, importunitate compulſus.

Innocentius Epiſc. Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac Dilectis filiis Abbatibus, Prioribus & aliis Prælatis, nec non Capitulis, Conuentibus & Collegiis Eccleſiarum Sal. & Apoſt. Bened. Et qualitas temporis quod diebus iſtis potiſſimum fuit ob eorum malitiam modis variis redimendum, & nonnullorum inſtantia importuna extorſit quod de Archiepiſcopatibus vel Epiſcopatibus ſeu Abbatiis & Prioratibus mandauimus per noſtras litteras in diuerſis partibus prouideri: at ſanius reputantes prouideri Eccleſiis (præſertim cum de ipſarum regimine agatur) quàm perſonis, prouidendi & ordinandi Canonicè de præmiſſis omnibus liberam illis ad quos prædictorum electio, ordinatio, ſeu collatio ſiue prouiſio pertinet concedimus authoritate præſentium poteſtatem: non obſtantibus quibuſlibet litteris generalibus vel ſpecialibus ſub quacunque forma verborum, ſuper quocumcunq; promotionibus vel prouiſionibus impetratis à ſede Apoſtolica vel Legatis ipſius, aut etiam impetrandis, ſeu reſeruationibus vel prohibitionibus aut Nominationibus, earundem litterarum authoritate factis vel faciendis, aut proceſſibus per eas habitis vel habendis in poſterum. Quæ omnia volumus viribus carere. Nos enim quidquid huiuſmodi per Conceſſionis noſtræ tenorem & libertatem iuris ſeu poteſtatis noſtræ in hac parte à quoquam, huiuſmodi litterarum occaſione factum eſt vel fuerit vel præuſurpatum, decernimus irritum & inane. Interdicti, ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias (ſi quæ litterarum noſtrarum prætextu latæ ſunt hactenus) relaxantes & quas deinceps promulgari contigerit, cenſentes penitus nullas eſſe inhibitionibus per Nos & Legatos noſtros ſuper non eligendis Prælatis in Eccleſiis Ciuitatum & Diœceſium Eccleſiæ Rom. rebellium cum eas vacare contigerit, generaliter factis nihilominus in ſuo robore duraturis. Datum Peruſij 10. Kal. Iunij, Pontif. noſtri an. 9.



TVRBATIO VNIVERSITATIS à Mendicantibus.

1252. AD annum 1252. refert Nangius recruduisse tumultum & seditionem inter Mendicantes & Vniuersitatem propter libellum quendam inscriptum DE PERICVLIS MVNDI qui tribuebatur M. Guillelmo de S. Amore Sacræ Theologiæ Professori & Canonico Bellouacensi. *Oritur*, inquit, *turbatio Vniuersitatis Clericorum Parisiensium contra Religiosos Parisius studentes propter quendam librum, quem M. Guillelmus de S. Amore Canonicus Beluacensis composuerat intitulatum* DE PERICVLO MVNDI. *Sed ipso Magistro ad Curiam Romanam accedente tota discordia per D. Papam Innocentium pacificata est.*

Papyrius verò Massonius ait hunc tumultum ideo excitatum, quia Mendicantes legibus Academiæ parere nolebant. *Aliam quoque turbationem*, inquit, *Schola Parisiensis passa est sub eodem Rege propter sectam Dominici, Francisci & alias quæ subesse & parere Academiæ nolebant. Willielmus Theologus in oppido S. Amatoris apud Sequanos natus, idemque Canonicus Ecclesiæ Bellouacorum libellum aduersus eos scripsit ex doctrina S. Augustini inscriptum* DE PERICVLIS MVNDI *quem Pontifex veluti seditionis fomitem damnauit.* Addit Thomam Aquinatem, qui tunc erat Parisiis scripsisse aduersus Willelmum, Monachorumque Ordines aduersus Impugnantes acerrimè defendisse, Regem verò in componendis illis tumultibus multum laborasse; & eius rei gratia Legatos in Italiam ad summum Pontificem Innocentium misisse. Quod pluribus annis gestum est, illi breuiter commemorant. Nos verò eo ordine, quo singula gesta sunt, conabimur referre.

Certum est igitur sæpe conuocatam fuisse à Rectore Vniuersitatem, vt quo pacto se aduersus Mendicantes tueretur, deliberaret, & quo modo posset, eos è gremio suo atque societate arceret. Hic enim potissimum finis fuit tot deliberationum & Comitiorum, quæ in hanc rem habita sunt. Imprimis enim molestè ferebat Vniuersitas quod Mendicantes secum etiam inuitâ & reluctante societatem contrahere molirentur; quod spretis omnibus suis legibus Magistrales Cathedras haberent, publicéque docere pergerent: quod Edictis Academicis parere recusarent: denique quia videbat eos Hæreses impune spargere & prædicare, in Curiis Regum & Principum præualere, omnium animos obsidere, omnia Academiæ statuta peruellere, Confessiones secularium spretis Parochis excipere, absoluere, prædicare seu conciones è sacris suggestibus habere, etiam non impetratâ ab Ordinariis facultate & licentiâ, priuilegiis nescio quibus fultos plerisque subrepticiis & malè obtentis omnia Curionum munia exercere, omnes veluti illiteratos & rudes præ se existimare, se solos æstimare, & suos. Itaque super hisce rebus consulti Theologi & veriti ne omnia pessum irent, si diutius liceret hominibus istis abuti omnium patientia, ex Decreto Academiæ Scriptum quoddam ediderunt ex diuersis sacræ Scripturæ locis consarcinatũ: quo quæ pericula Reip. Christianæ ab eiusmodi hominibus imminerent, demonstrarunt. Conscribendi autem libelli prouincia M. Guillelmo demandata est, quia & in rebus Academiæ versatissimus erat, & inter Theologos eminebat, & conseruandæ libertatis priuilegiorumque tuendorum curam susceperat. In eam igitur rem senio ille incubuit, varia sacræ Scripturæ loca collegit, authoritates Patrum & Canonum compilauit, quas pro variis occasionibus & priuatim & publicè vsurpauit, donec an. 1255. totum opus in lucem emisit, vt suo loco dicetur. Hoc verò anno præsertim summam illam Mendicantium potestatem prædicandi & confessiones excipiendi etiam inuitis Ordinariis, aggressus est. De qua sic scribit.

Sed

Sed dicet quis, inquit, *Omnes* Prædicare possunt qui habent authoritatem D. Papæ aut Episcoporum Diœcesanorum, &c. Respondemus quod de potestate D. Papæ aut Episcoporum nolumus disputare. Veruntamen cum secundum iura tam Diuina, quàm humana, in vnâ Ecclesiâ non possit esse Rector nisi vnus, alioquin Ecclesia non esset sponsa, sed scortum: & in vnâ Ecclesiâ non debeant esse plura capita, ne sit monstrum; quoniam etiam in Ecclesiarum regimine officium Prædicationis existit præcipuum, sicut ordo Prædicatorum est præcipuus, si forte D. Papa aliquibus personis concedat potestatem prædicandi vbique, intelligendum est, vbi ad hoc fuerint inuitati: quia etiam Episcopi nisi inuitati fuerint ad hoc vltra Diœcesim accedere non debent super aliquibus Ecclesiasticis disponendis. Non enim Princeps per mandata sua vult præiudicium Iurisdictioni alterius generari, ne quod absit, inde videantur nasci iniuriæ, vnde iura nascuntur. Imò sibi iniuriam facit Apostolicus qui fratrum suorum iura perturbat. Et cum secundum Apostolum nullus debeat gloriari in commissis alterius regimini, non est verisimile quod D. Papa contra doctrinam Apostoli Pauli infinitis vel pluribus licentiam concedat prædicandi plebibus alienis: nisi à Plebanis fuerint inuitati, &c.

Item, si vna persona vel infinitæ personæ habeant potestatem Prædicandi vbique non inuitati, cum hoc sit potissimum Officium Episcoporum, iam erunt infiniti Episcopi vniuersales, quod est contra iura, videlicet vt aliquis sit Episcopus vniuersalis vel esse dicatur dist 99. Cap. nullus & Cap. ecce.

His & aliis similibus rationibus palam & publicè atque è sacro suggestu à M. Willelmo & aliis prolatis, insurgunt Dominicani, vociferantur ius Episcoporum & summi Pontificis potestatem imminui; contendere enim Academicos neminem posse Papæ, Episcopo aut eorum Pœnitentiariis inuito Parocho confiteri.

Hinc criminantur & apud Papam & apud Episcopos, Vniuersitatem, vt eorum odium ei omnino concilient. Itaque Theologi ne forte præoccupatio valeat neue minus reuerenter & modestè locuti videantur, publico scripto asserunt summum Pontificem, Pœnitentiariosque eius, item Episcopum ipsiusque Pœnitentiarios posse legitimè Parochianos absoluere, contradicentibus vel inuitis Parochis. Scriptum est eiusmodi, cui authoritatem dedit M. Haimericus de Vari Cancellarius Academiæ & Ecclesiæ Parisiensis.

Omnibus præsentes litteras inspecturis M. Haimericus Cancellarius Parisiensis cæterique sacræ Scripturæ Parisienses Doctores, quorum sigilla præsentibus litteris sunt appensa, salutem in Domino. Vniuersitati vestræ volumus esse notum, quod consulti fuimus à quibusdam, vtrum sacerdote Parochiali contradicente vel inuito Parochianus eius Domino Papæ seu Pœnitentiariis suis, vel suo Episcopo aut Pœnitentiariis ipsius eum voluerint, peccata sua vniuersaliter valeant confiteri, atque ab eisdem pœnitentiam pro commissis recipere salutarem. Cui Consultationi respondentes diximus & dicimus in hoc vnanimiter consentientes, prædicta licitè posse fieri & debere. Si qui autem dicant aut dixerint contrarium, quantum in Nobis est, reprobamus, erroneum reputantes. Actum anno Domini 1252. mense Ianuario.

Eodem anno incepit Innocentius ex Ordinibus Mendicantium doctos & pios viros seligere quos *Peregrinantes* vocauit. Nimirũ eos in omnes mundi partes adhuc infideles misit, vt ad Christi cultum populos errore obcæcatos conuerterent. Quâ de re sic Iacobus Scrobisseuius in suo opere de Episcopis Hallicensibus.

Constat, inquit, *Innocentium IV. posteriori tempore anno nimirum 1252. instituisse societatem Fratrum Peregrinantium propter Christum ex Religiosis B. Dominici & S. Francisci. Cuius institutum erat excurrere ad Terras Infidelium & schismaticorum ad prædicandum & propagandam fidem Christi.*

Ad hunc quoque annum refert Mathæus Parisiensis mortem M. Ioannis de Basingestokes Archidiaconi Legriæ eximij olim in Academia Parisiensi Professoris. *Diebus insuper sub eisdem*, inquit, ne mala veniant incomitata, M. Ioannes de Basingestokes Archidiaconus Legriæ, vir quidem in Triuio & Quadriuio experientissimus, Græcis ac Latinis litteris ad plenum eruditus, viam vniuersæ carnis ingressus gemitus & lachrymas multiplicauit Comitis memorati. Hic M. Ioannes intimauerat Episcopo Lincolniensi Roberto, quod quando studuit A- M. Ioan. Basingestokius.

„ thenis, viderat & audierat à peritis Græcorum Doctoribus quædam Latinis incognita. Inter quæ reperit 12. Patriarcharum, filiorum videlicet Iacob Testamenta. Quæ constat esse de substantia Bibliothecæ, sed per iouldiam Iudæorum dudum fuisse abscondita, propter manifestas quæ in eisdem patent de Christo Prophetias. Vnde idem Episcopus misit in Græciam: & cum ea habuisset, transtulit de Græco in Latinum sermonem & quædam alia. Hic iusuper M. Ioannes figuras Græcorum numerales, & earum notitiam & significationes in Angliam portauit & familiaribus suis declarauit. Per quas figuras etiam litteræ repræsentantur, quod non est in Latino vel Algorismo. Memoratus iosuper M. Ioannes quoddam scriptum transtulit de Græco in Latinum, in quo artificiosè & compendiosè tota vis Grammaticæ continetur: quod idem Magister Græcorum Donatum appellauit. Item aliud composuit, in quo particulæ sententiarum per distinctiones dilucidantur, quod sic incipit: *Templum Domini quod est perutile.* Item aliud scriptum quod ab Atheniensibus habuit. In illâ enim Ciuitate studuerunt Græcorum sapientes. Et cum sit sapientia immortalis, sicut dicit sapiens de ea: *Ab initio & ante seculo creata sum*, & vsque ad fines seculi non deficiam, hoc nomen Athenæ dicitur ab *a*, quod est sine, & *θάνατος* quod est mors, quasi immortalis. In illo scripto probatur Ordo Euangeliorum. Nec prætereundum quod mihi hæc scripturo familiariter consueuit enarrare quod Quædam puella filia Archiepiscopi Atheniensis nomine Constantia, nondum vicesimum agens annum, virtutibus prædita omnem Triuii & Quadriuii nouerat difficultatem: vnde alteram Catherinam vel Cathorinam consueuit dictus M. Ioannes iocosè propter suæ scientiæ eminentiam appellare. Hæc Magistra fuit Ioannis, & quidquid boni sciuit in scientia licet *Parisius* diu studuisset & legisset, ab ea mendicauerat. Hæc puella pestilentias, tonitrua, Eclipsim, & quod mirabilius fuit, terræ-motum prædicens, omnes suos auditores infallibiliter præmuniuit.

Memorabile est quod ad huoc annum refert Mathæus Parisiensis seu Continuator de quadam controuersia inter Bonifacium Cantuariensem Archiepiscopum & Wintoniensem electum orta occasione Prioratus de Suuete in Episcopatu Wintoniensi siti, cuius custodiam Electus cuidam Sacerdoti suo commiserat. Hoc verò M. Eustachius de Len Archiepiscopi Cantuariensis Officialis prædicti Prioratus Patronus, id factû in sui contemptum arbitratus, quouiam assensus suus non fuerat requisitus, iussit sacerdotem cedere: ille se Electi authoritate tuetur: Officialis nihilominus contumacem excommunicat ducique iubet ad Maidenestonium Archiepiscopi *Manerium* dooec deliberaretur quid super hoc statueodum foret. Electus ipsum Officialem iosequitur & captum tanquam vile mancipium in furto deprehensum indignissimè tractat. Hinc exclamat Mathæus. *O temeraria præsumptio!* O inexcusabilis *irreuerentia, qua tam authenticum virum, tam excellenter litteratum, tam perspicuè famosum personamque Archiepiscopi repræsentantem tam ignominiosè tractauit & fatigauit.* Quid plura? Archiepiscopus assumptis quibusdam Episcopis Londinum profectus omnes sceleris authores & participes excepto Rege, Regina, Richardo Comite Regis fratre, vxore & liberis eorum horribiliter & solenniter excommunicat. Demum Oxoniæ conuocata Vniuersitate faciens propalat, & datis ad omnes suæ ditionis Præsules litteris nominatim authores & fautores designat & sacris arcet.

Archiepiscopus autem Bonifacius ignem iræ conceptæ sub cinere thesaurizans & condignè insistens prout M. Eustachius qui magis lædebatur & magis doluit, instigauit vltioni de tam enormi transgressione versus Oxooiam gressus maturauit, *vt ibidem conuocatâ Scholarium Vniuersitate, quæ de diuersis Mundi partibus illis studuit congregata factum tam nefarium seriatim in publico propalaret. Vt sic non lateret per relationes eorum tanta culpa remotas etiam Nationes.* Qui cum illuc veniens Ciuitati appropinquaret, pertexit ei obuiam in equis phaleratis & prælectis indumentis inoumerabilis Cleri multitudo, & ei vt decuit tanquam Archiepiscopo & totius Angliæ Primati ac genere præclarissimo reuerenter occurrendo applausum fecit & honorem & pransurum in esculentis & poculentis abundanter respexerunt. *Quorum facetiam, gestus maturitatem, vestium compositionem, morum seueritatem cum Archiepiscopus & eius vmbratiles Clerici Prouinciales considerassent, confiteri cogebantur quod Oxoniensis Vniuersitas æmula Parisiensis censeri promeretur.*

In Craſtino igitur B. Nicolai coram Vniuerſis Clericis quos pulſato ſigno commonefecerat ad hoc congregari, præſumptuoſam temeritatem ac temerariam præſumptionem Electi Wintonienſis ſumens ex Rege confidentiæ audaciam fratrumque ſuorum & *Complicem in propatulo fecit recitari & nomina transgreſſorum expreſsè publicari, & ſententiam ſæpe dictam innouauit, quæ in litteris plenius conſcribuntur, quas idem Archiepiſcopus conſtituit Epiſcopis ſuis ſuffraganeis tranſmitti vniuerſis.*

Eodem anno in Vniuerſitate Pariſienſi rurſum à lectionibus ceſſatum eſt propter occiſos quoſdam ſcholares à vigilibus & cuſtodibus vrbis tempore Quadrageſimali, nonnullos captos & carceri mancipatos, alios verò multos lethaliter vulneratos. Qua de re cum conqueſta eſſet Vniuerſitas apud Alphonſum Comitem Pictauienſem ſuoſque repetiiſſet, dum ſatisfactio differtur, ceſſationem lectionum indicit, cui Decreto parent omnes Magiſtri præter Dominicanos & Minoritas, negantes ſe parituros niſi & de ſocietate Academica ſecuri ſint & de poſſeſſione Cathedrarum, quas iam diu ſibi decreto publico confirmari poſtulabant. Sed paulo poſt tandem redditâ pace, & reparatis iniuriis, eadem Vniuerſitas ſtatutum ſolenne promulgauit contra quoſcunque parere detrectantes, quod ad an. ſequentem referemus.

Scribunt Dominicani huncce tumultum Pariſienſem ex inuidia profectum, propterea quod ſuorum ſcholæ frequentabantur maximè, & ſeculares Magiſtri deſerebantur. Certè negari non poteſt, quin moleſtiſſimè ferrent Academici homines illos Magiſtrali honore, decorari & ſolenniter ac pomposè docere, qui humilitatem præ ſe ferre videbantur: itaque in ſacris concionibus eos vulgo cum Phariſæis comparabant, qui affectantes vocari *Rabbi & Religioſi*, nonniſi hypocritæ erant & in operibus mendaces. Extat in hanc rem Concio Guillelmi quæ pro titulo habet. *De Phariſeo & Publicano*: qua quidem in reprobare nititur Regulares prædictos omnino eſſe *Hypocritas & Phariſæos.*

4um. ſignum Scribarum, inquit, & Phariſæorum hypocritarum eſt, quoniam amant vocari ab hominibus Rabbi, hoc ſignum videtur eſſe in laicis Phariſæis ſiue Regularibus, qui cum ſint in ſtatu perfectionis & eis dictum ſit à Domino. *Nolite vocari Rabbi* Math. 23. & paulo poſt. *Nec vocemini Magiſtri*. In quorum primo prohibetur eis nominis *Magiſtri* deſiderium: in 2. verò ipſum *Magiſtri* vocabulum, ipſi tamen per multorum excommunicationem & alia ſcandala procurant, vt *Magiſtri* vocentur.

Sed dicet quis. Non appetunt *Magiſterii* nomen propter ipſum nomen, ſed propter animarum vtilitatem. Videlicet quia plus creditur de ſalute animarum Magiſtris quàm non Magiſtris. Sed quæro cur hoc? Reſpondebunt quod præſumitur in eis maior ſapientia, & melius & diſertius ſciunt prædicare & docere, ſed vide quàm hoc ſit longè à veritate. *Magiſterium* enim & profunditas litterarum indifferens eſt ad bonum & malum: Magni enim Magiſtri fuerunt Arrius & Sabellius, Eutyches & Neſtorius in diuinis litteris, & tamen hæreſiarchæ fuerunt. Item cum Apoſtolus sciret quid eſſet vtile animabus, ſi ſciuiſſet eminentiam ſapientiæ & eloquentiæ quæ in Magiſterio attenditur, vtilem eſſe profectui animarum, eis vtique in prædicando vſus fuiſſet; cuius tamen contrarium dicit 1. Cor. 2. *Et Ego cum veniſſem ad vos fratres, veni non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ annuncians teſtimonium I. C. non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chriſtum & hunc Crucifixum. Non enim in ſermone eſt Regnum Dei, ſed in virtute* 1. *Cor.* 4.

Sed vide qualiter Apoſtolus confirmabat prædicationem ſuam non vtique per Magiſterium, non per oſtentationem ſapientiæ aut eloquentiæ, ſed per humilitatem patientiæ, per miracula, per opera virtutum 2. Cor. 12. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis & prodigiis & virtutibus.* Gloſſa *in caſtitate cæteriſque operibus.* Miracula tamen hodie ſuſpecta eſſent, cum iam ſimus in nouiſſimis diebus aut prope nouiſſimos dies, de quibus dicitur Math. 24. *Exurgent Pſeudo-Prophetæ & ſeducent multos.* Et Marc. 13. *Exurgent Pſeudo-Prophetæ & dabunt ſigna & prodigia ad ſeducendum ſi fieri poteſt etiam electos.* Item ſi non ſufficit tibi exemplum Apoſtoli ad oſtendendum quod Prædicator propter Magiſterium ſuum non pluſquam alius proficit animabus, do tibi exemplum Chriſti, qui cum inter Diſcipulos haberet quoſdam Magiſtros bonos & ſanctos, videlicet Natha-

modo inceperit, à nobis aliquatenus Magister habeatur. *Item si vacante studio Parisiensi ob causas consimiles vel alias rationabiles aliquis interim Bachelarius in aliqua Facultate de nouo solenniter incipere, vel aliquis eorum qui prius rexerint, suas interim lectiones resumere præsumpserit, ex tunc à consortio nostro in perpetuum excludatur, nec Parisius seu alibi, vbi studium transferri contigerit, inter Magistros seu Scholares aliquatenus admittatur.* Et pœna consimili Scholaris quiintetim causa studij Parisius venire præsumpserit, punietur, nisi transgressores prædicti præsumptionem suam ad arbitrium nostræ Vniuersitatis curauerint emendare. Hæc autem ordinauimns & statuimus sub pœna quam infligere possimus, inuiolabiliter obseruanda, nihilominus recensentes supradictam excommunicationis sententiam quæ in transgressores præmissos extitit promulgata, vt ab omnibus inuiolabiliter obseruetur, salua in omnibus libertate ac iure Canonicorum Parisiensium, quantum ad omnia in quibus & per quæ à nostris ordinationibus & statutis authoritate Apostolica seu quacunque alij sunt exempti. Hanc autem Ordinationem seu statutum à nobis approbatum & editum sub nostri sigilli munimine fecimus roborari. Actum est hoc statutum anno & mense prædictis, sed propter emendationem Clausulæ de Emenda supradicta per memoratum Comitem posterius facta quæ nondum exhibita erat, quando editum est hoc statutum, sigillatum fuit postea cum appositione eiusdem Clausulæ, Mense Septembri anno supradicto.

Hoc Decretum significatur per Apparitorem Mendicantibus, Negant illi, vt sæpe iam alias, se parituros nisi duplex Cathedra Magistralis sibi concederetur. Vniuersitas hanc legem sibi imponi non ferens, eos à societate sua segregat postquam eos iuxta Papalia Priuilegia nisi parerent, admonuit fore vt excõmunicarentur. Comminationes istas & fulmina nihili faciunt; Igitur redeuntibus Remigialibus illius anni iussu Rectoris Decretum per omnes scholas promulgatur, vetanturque Scholares scholas eorum frequentare. Fit ab iis impetus primum in Apparitores, deinde in Rectorem. Adeunt Comitem Pictauiensem, aiunt fieri ab Vniuersitate Decreta fidei & Regno aduersantia. Recurrunt quoque ad summum Pontificem, apud quem habebant potentissimos adiutores, inter cæteros verò *M. Hugonem de S. Caro tunc Cardinalem*, de quo alibi diximus. Suos pariter mittunt Legatos Academici, vt obiecta refellant, ac proinde singuli quotidiano suo demenso parcunt, vt habeant vnde Legatis sumptus suppeditent. Huius rei meminit Mathæus Paris. ad hunc annum. *Diebus eisdem*, inquit, *orta est discordia* inter Vniuersitatem Parisiacam scholarium & Fratres Prædicatores, qui in tantum iam multiplicati sunt & exaltati, Regum facti Confessores & Consiliarii, vt veteribus & approbatis consuetudinibus & Iuribus Scholarium renuissent subiacere. Congregati igitur Scholares Collectam fecerunt & contribuerunt, scilicet quilibet secundum posse suum & cuilibet Communia Hebdomadis abbreuiata est, vt indę cornua sumpserint Fratres memorati. Habebant enim in Curia amicos magnæ potestatis, scilicet D. Fratrem Hugonem de Ordine Prædicatorum, imò ipsum Papam & multos potentes. Effusâ igitur multa pecuniâ & perdito hinc inde multimodo labore, mutatis quibusdam consuetudinibus Parisiensibus pax est tandem reformata.

Meminit quoquo huiusce Collectæ Cantipratanus l. 2. c. 10. *Nequitiæ primordialis actores simplices Vniuersitatis Scholares sibi velut vnum corpus, miris astutiis adunarunt, vt in multis librarum millibus eos roderent placitantes, vt sic in dictos Ordines crudelius desanirent, & id quod per se non poterant non sufficiente pecunia in euacuatione bursarum innocentiæ puerilis, multorum copiis obtinerent.*

Interim verò M. Albertus de Parma Apostolicæ sedis Legatus seu proprio nutu seu iussu Pontificis motus, experitur num inter partes dissidium componi possit. Audit postulata & responsa, sed tandẽ pro Mendicantibus pronũciat, si credimus Cantipratano Dominicano & illius temporis scriptori l. 2. de Apib. c. 10. n. 32. *Illo in tempore*, inquit, audiuimus ab Alberto Apostolicæ sedis Legato tunc in Galliis constituto, quod dicti Magistri ex parte Vniuersitatis & Fratres Prædicatores (qui tunc soli innocentissimè vexabantur) datis super hoc litteris in ipsum finaliter conuenerunt, vt omnes querelas inter ipsos proprio arbitrio termineret. Quærens ergo Legatus à Magistris quod illud esset quod magis in calum-

AVDIVNTVR DOMINICANI ET MAGISTRI A LEGATO.

" niam verteretur? Responderunt quod FF. Prædicatores duas Scholas haberent " & duos Magistros in Theologia Regentes: optimè autem pacem fieri posse, si " vna schola vellent esse contenti & Vniuersitatis mandata seruarent. Legatus igi- " tur quæsiuit à Fratribus si hoc vellent. Responderunt Fratres vnâ libenter Scho- " lâ se esse contentos, & Vniuersitatis mandata se velle obseruare, dum tamen " illa eis præcisè darentur expressa in scripto. Et in hoc sapientissimè prouiderunt. " Nam sicut postea per eos qui in Consilio fuerant Magistrorum, Fratribus dictum " est, si simpliciter sine expressione promisissent Fratres Vniuersitatis seruare man- " data, in mandatis postmodum ab Vniuersitate daretur, vt Fratres omnimode à " regimine Theologiæ & lectionibus cessarent. Legatus ergo nihil talium suspica- " tus, gauisus est, finemque spetans contentionis huius haberi, mandauit Magi- " stris & obtulit se ex parte Fratrum quod vnâ scholâ vellent esse contenti, & " Vniuersitatis mandata in scriptis redacta seruarent. Tunc Magistri malitiæ suæ " propositum non habentes turbulentissimè responderunt. Quid nobis, inquiunt, " prodesset vna schola vos esse contentos, dum rupto pariete inter duas Scholas, " tot sicut ante haberent vnius capacitate ambitus auditores? Legatus igitur mox " ad indignationem grauiter commotus, Vt video, inquit, vestri propositi aut vo- " luntatis non est vt quis Fratrum Rector sit & vnâ schola saltem gaudeant aut " duabus. Super hoc quid Fratres faciant, viderint. Nec credo quod Romana " Curia obtento per multos annos iam duarum Scholarum magisterio, priuare eos " debeat iure suo. Sicut audiuimus ita & vidimus. Nam D. Papa quanquam grauis- " simus fuerit Fratribus, tamen in hoc vt iustus iudex iustitiam fratribus denegare non potuit, sed pro eis Iuris sententiam tulit: nec hoc semel & iterum, imò & ter- " tiò, inani semper per Nuncios Vniuersitatis, appellatione compulsus. Hæc Cantipratanus pro sua causa.

Dum hæc Parisiis tentantur, confugiunt Fratres ad Papam binasque litteras ad Rectorem & Magistros ab ipso obtinent, de quibus Gonzaga 1. part. in Conuentu Parisiensi, his verbis.

Accessit paulo post tumultus Parisiis exortus inter Ciues & Scholasticos adeo grauis & multorum cædibus cruentus, vt hi de transferendo in Angliam studio relicta Lutetia seriò consultarent. Cum his consiliis nollent Fratres acquiescere, nec scholasticis " aduersus Lutetianos tumultuantibus adesse, illos è Scholis publicis & Faculta- " tis consortio semotos publicè legere aut disserere prohibuerunt. Re ad summum " Pontificem Innocentium IV, delata, Kalendis Iulij an. Pontif. 11. qui in Chri- " sti an. 1254. incidit, grauissimis ad *Vniuersitatis Rectorem, Doctores & Proceres* mis- " sis litteris authoritate Apostolica præcepit, vt Magistros Minores & Prædicato- " res à suo consortio per iniuriam eiectos restituerent, horum lectionibus publicis " Scholasticos seculares adesse permitterent, & sine vlla difficultate aut cunctatio- " ne ad pristinum statum gradumque resumerent. Idem rursus altera Bulla data " Assisi 7 Kal. Septemb. eodem anno Magistros & Vniuersitatem Parisiensem " hortatus est, deinde iussit non tantum molestos non esse Magistris Fratrum Mi- " norum & Prædicatorum, sed eosdem omni potius humanitate & amicitia foue- " te, & vt hoc omnino præstarent, Episcopos Siluanectensem & Ebroicensem in- " uigilare & prospicere præcepit. Perlegimus & allud paulò antiquius diploma, " quo idem Pontifex anno summi sacerdotii sui 2. constituit vt eiusdem Theologi- " cæ facultatis & scholæ publicæ *& disputationes sacræ & honorabiles gradus FF. Minoribus & Prædicatoribus cum aliis liberi & communes essent* Interim verò ne quid innouetur ante proximè futurum festum Assumptionis (an. 1254.) vetat, causamque ad se euocat & ab vtraque parte Procuratores Romam mitti imperat. Harumce verò Bullarum executores constituit. M. Ioannem Aubergenvillam Regis Cancellarium, Episcopum Ebroicensem & Robertum Siluanectensem datis ad eos litteris sic incipientibus *Excelsi dextera.* At cum illi remissius agerent quàm optabant Mendicantes, alias obtinuerunt litteras ad M. Lucam Canonicum & Decanum Ecclesiæ Parisiensis Academicis infestum, quibus ille acceptis protinus exequi festinauit quod imperabatur; & Academicos parere tergiuersantes suspendit. Illi Pontificem appellarunt, suspensionem irritam fecerunt. Interim verò Ecclesiæ Gallicanæ Proceres in suas partes adducere conantur & solennibus comitiis apud S. Iulianum habitis litteras quas ad eos dare decreuerant, relegunt, appro-

bant &emittunt, quæ tales sunt in supradicto codice Nat. Gall. sub hoc lemmaté.

LITTERA VNIVERSITATIS MISSA PRÆLATIS VNIVERSIS SVPER discordia mota contra Mendicantes.

REVERENDIS in Christo Patribus Archiepiscopis, Episcopis, Decanis, Abbatibus, Archidiaconis & aliis Ecclesiarum Prælatis, nec non Capitulis & Scholaribus vniuersis Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisius studentium salutem in Domino sempiternam. *Excelsi dextera Paradisum voluptatis olim plantauit Parisius venerandum Gymnasium litterarum. Vnde sapientiæ fons ascendit, qui in 4. Facultates, videlicet Theologiam, Iurisperitiam, Medicinam, necnon rationalem, naturalem, moralem Philosophiam quasi in 4. Paradisi flumina distributus per 4. mundi Climata deriuatus vniuersam terram irrigat & infundit.* Ex quo quàm multifarios, spirituales ac temporales profectus Christiana professio experiatur, luce clarius patet cunctis. Huic venerando & salubri Collegio quondam præfuêre Magistri reuerendi vita & doctrina clarissimi, mente religiosi, omnes tamen degentes in habitu seculari, *qui processu temporis crescente numero Auditorum*, sicut oportuit, ampliari, vt liberius & tranquillius vacare possent Studio litterali, si quodam essent Iuris specialis vinculo colligati & sociati, *Corpus Collegij* siue *Vniuersitatis* cum multis Priuilegiis & Indultis ab vtroque Principe sunt adepti. Sub quorum Doctorum felici regimine vernans studium memoratum in flores pullulauit pulcherrimos & fructus fecit vberrimos honestatis. Illâ præcipuè ratione, quia sicut nec habitu nec professione diuersi, ita nec studiis erant nec votis aduersi, scientes quod aquæ Siloë vadunt cum silentio & quiete. NOVISSIME autem diebus nostris Quidam viri Regulares qui Fratres Prædicatores dicuntur, Parisius in paruo numero viuentes sub quadam pietatis ac publicæ vtilitatis specie subingressi vnà nobiscum Theologiæ studium feruenter & humiliter sunt aggressi: propter quod à maioribus nostris & Nobis benignè recepti, sinceræ charitatis brachiis amplexati in Domo nostra propria, in qua vsque hodie commorantur, quam eis ad inhabitandum concessimus, hospitali alimento tam Doctrinæ quàm corporali diligentius educati plurimis Beneficiis nostris & Antecessorum nostrorum potiti per ingressum Scholasticorum nostrorum in scientiâ simul & in numero adeo sunt dilatati, quod iam vbique terrarum per multa Collegia sunt dispersi. Cæterum cum ab initio suæ Institutionis elegissent in humilitate perfecta Christo Domino famulari, consequenter, nescimus quo ducti spiritu, contra Euangelicam perfectæ humilitatis quam fuerant professi regulam, quâ dicit Dominus ad perfectos, NOLITE VOCARI RABBI, & paulo post, NE VOCEMINI MAGISTRI, in primo, Magisterij prohibens appetitum; in secundo Magistri etiam interdicens vocabulum, honorem solemnis Magisterii & Magistrorum Cathedras ambientes, tandem propter quandam atrocem iniuriam & famosam Nobis illatam, translatâ maiori parte Studij Parisiensis Andegauis, in illâ paucitate Scholarium quæ remansit Parisius, desiderio suo potiti, conuenientibus Episcopo & Cancellario Parisiensi, qui tunc erant, in absentia Magistrorum solemne Magisterium & vnam Magistralem Cathedram sunt adepti. Deinde Studio nostro Apostolica prouisione Parisius reformato, per eandem Cathedram multiplicatis sibi Doctoribus successiuè præter voluntatem Cancellarij, qui tunc erat, maioribus nostris qui nondum aliis Regularium Scholasticorum Conuentibus artabantur, dissimulantibus, per seipsos secundam Cathedram erexerunt, & eas ambas titulis talibus acquisitas aliquandiu tenuerunt. Porro tempore procedente considerantes maiores nostri diuersarum Religionum sex Collegia, videlicet Fratres Claræ-Vallenses, Præmonstratenses, de Valle-Scholarium, de Ordine Trinitatis, Fratres Minores præter alios Regulares apud Nos Collegia non habentes causâ discendi sacras litteras Parisius conuenisse, & in eis quosdam vsque ad Cathedram profecisse: Alios verò nondum competenter prouectos ad Cathedras Magistrales, secundum quod & ipsi asserunt, processu temporis aspirare. Considerantes etiam Canonicos Ecclesiæ Parisiensis, quorum tres apud Nos in eisdem litteris sunt Regentes, numerum suum secundum quod

eis perſonæ ſuppetunt, iuxta morem Eccleſiæ ſuæ multiplicare conſueuiſſe. Attendentes nihilominus ſtatum Ciuitatis & honeſtatem Theologicæ Facultatis ſecundum ſtatutum Apoſtolicum à Cancellario Pariſienſi & à ſingulis Magiſtrorum Theologiæ iuratum vix poſſe in eadem Facultate 12. Cathedras ſuſtinere, propter Scholarium apud Nos in Theologia ſtudentium raritatem, cum iam in Ciuitatibus & aliis locis maioribus vniuerſis per Fratres eoſdem & alios non ſine grandi periculo dictæ litteræ doceantur, luce clarius præuiderunt, quod poſt quam ex illis 12. nouem Cathedræ ſicut in promptu eſt, à prædictis Collegiis irreuocabiliter fuerint occupatæ, quod propter Fratrum Regentium ſucceſſionem continuam, ad ſeculares Magiſtros nunquam deinceps reuertentur, & duæ aut tres duntaxat poterunt ſupereſſe, quæ perſonis ſecularibus ex omni Regione quæ ſub cœlo eſt, ad ſtudium Pariſienſe confluentibus, valeant reſeruari. Quod ſi forſan contigerit, memorata Collegia ſibi adinſtar Fratrum Prædicatorum Cathedras geminare, cum iuxta conſequentiam præmiſſorum iam eſſent in Vniuerſitate noſtra Scholæ Theologicæ 15. immortales, ineuitabiliter ſequeretur ſeculares ſcholaſticos vniuerſos Canonicis Pariſienſibus duntaxat exceptis, à Cathedris Theologiæ fore in ſempiternum excluſos: propter quod neceſſe haberemus *Ciuitatem Pariſienſem* ſtudiis noſtris aptam & *à multis retroactis temporibus, multis & magnis ſumptibus, nobis aptatam* propter ſuperuenientes Regulares deſerere, & ad loca minus idonea non ſine damnis plurimis tranſmigrare, vel à Sacrarum litterarum penetralibus alieni, paſſim omnes ad ſeculares ſcientias conuolare.

Nos igitur diligentius attendentes ſacrarum eminentiam litterarum magis neceſſariam eſſe ſecularibus Clericis, qui ad curam animarum & Eccleſiarum regimen euocantur, quàm Regularibus viris qui ad ea rarius promouentur; Attendentes etiam quantùm intendat ſcholaris ſtudio ſi ſe ſperet quandoque ad docendi Cathedram peruenturum, diliberatione præhabita duximus ſtatuendum, vt Nullus Regularium Conuentus in Collegio noſtro duas ſimul ſolennes cathedras habere valeat actu Regentium Magiſtrorum: non intendentes per hoc ſtatutum eos artare quominus liceat inter fratres ſuos extraordinarias multiplicare ſibi lectiones, ſecundum quod ſibi videtur expedire. Cvi statvto Fratres Prædicatores totis viribus reſiſtunt.

Svper transacta verò Quadrageſimâ propter interfectionem, vinculationem & alias atroces iniurias à Cuſtodibus Pariſienſibus, communibus Scholaribus noſtris illatas in magnâ cordis anguſtiâ conſtituti, iuxta quandam Ordinationem ſedis Apoſtolicæ Nobis indultam, obligationem quandam ad inuicem fecimus de præfatis iniuriis ſecundum Deum & Iuſtitiam, quatinus vnicuique ſaluâ regulâ vel ordine ſuo liceret & etiam ſine labore proprij corporis, non ſingulorum ſed Vniversitatis nomine, ſi forte contingeret Iuſtitiam ſecularem Nobis deficere, perſequendis, memorati Magiſtri Prædicatorvm apud Nos tunc Regentes dictæ obligationi noſtræ conſentire minimè voluerunt, niſi ſub ea conditione vt Sigilli nostri commvnis *teſtimonio duas eorum Ordinis Scholas concederemus perpetuas in Theologia Collegio Magiſtrorum*. Quod eis concedi non potuit obſtante Statuto noſtro ſuperius annotato. *Nec de Scholis eorum vel noſtris tunc etiam agebatur, ſed magis de præfatis iniuriis emonendis.* Vnde prædictæ obligationi ſæpe dicti Fratres peruicaciter reſiſtentes, eam per ſuam rebellionem ſeptem hebdomadis protraxerunt, propter quod ſecuritate noſtrâ dilatâ diutius Nos ceſſare oportuit à legendo. Quâ tandem obligatione illis renitentibus conſummatâ ſtatim ſecuta eſt ad noſtram ſecuritatem in poſterum dictarum iniuriarum emenda. Cæterum adhuc ipſa emendâ pendente, ne ſimilem rebellionem in aliquibus Magiſtrorum experiremur in poſterum, vnanimiter duximus ſtatuendum, *vt Nullus de cætero Magiſter admittatur ad Collegium Magiſtrorum, niſi prius iurauerit Statuta noſtra licita & honeſta & nobis vtilia ſe firmiter ſeruaturum.* Inſuper obligationibus noſtris licitis & honeſtis ac nobis expedientibus, præcipuè ex tenore priuilegiorum noſtrorum vigorem habentibus ſe concorditer conſentire, vt iuxta verbum Auguſtini *non ſit pars turpis ſuo non congruens Vniuerſo*. Cui etiam ſtatuto licet poſtea in fauorem illorum Clauſulam iſtam vellemus inſerere, ſcilicet *Dum tamen mihi qui Regulam Fratrum Prædicatorum profitear, dicta ſtatuta ſecundum eandem Regulam non ſint illicita nec inhoneſta, nec ſaluti animarum contraria, nec Iuri Diuino*

aut

aut humano, aut etiam publicæ vtilitati aduersa, nec sanctæ Dei Ecclesiæ sint damnosa. Nihilominus tamen suum renuetunt præstare consensum, nisi sub conditione prædicta de duabus Scholis perpetuò concedendis propter quam conditionem ratione iam dicta non acceptatam à nobis eidem statuto, quantum in ipsis fuit, pertinaciter restiterunt & adhuc renituntur. Porro cum propter huiusmodi rebellionem contumaciamque iuxta tenorem Ordinationis sedis Apostolicæ supradictæ per elapsum 15. dierum spatium, Excommunicationis sententiam incurrissent, *Nos propter eorum Excommunicationes & rebelliones prædictas eos & eis adhærentes à nostro consortio sicut moris est separantes, ipsam eorum separationem iuxta morem nostrum per vniuersas scholas fecimus publicari.* Propter quod totus Fratrum Prædicatorum Parisiensis Conuentus antiquæ humilitatis suæ & beneficentiæ nostræ oblitus contra verbum Apostoli dicentis, *Obsecro vos fratres vt dignè ambuletis ea vocatione quâ vocati estis in omni humilitate & mansuetudine.* & alibi, *Beneficentiæ nolite obliuisci*, aduersus Vniuersitatem nostram Patronam suam, prout ipsi diffiteri non auderent, calcaneum erigentes, personas Maiorum nostrorum grauiter diffamantes, persecutores eos esse sanctimoniæ ac totius Religionis falsò ac procaciter asserentes, tandem in personam nostram pericula machinantes Illvstri Comiti Pictaviensi Regni Franciæ tunc Rectori asserentibus, & Curiæ suæ Proceribus & multis Magistrorũ nostrorũ ad hoc vocatis, per excogitatam malitiam suggesserunt. *Nos statuta contra Deum & Vniuersalem Ecclesiam edidisse, nec non conspirationes illicitas contra D. Regis honorem & Regni commoda quod absit, perpetrasse*: cum tamen nihil penitus nisi quæ supra dicta sunt, fecerimus. Quod & ipsi vnà nobiscum sub conditione tamen præscriptâ quantum in ipsis fuit, facere obtulerunt. Nec dum nostris calamitatibus satiati ad sedem Apostolicam accedentes & apud D. Papam & DD. Cardinales, Maiores nostros, vt intelleximus, grauiter diffamantes, causas suæ separationis omnino tacentes, nullo ex parte nostra ibi præsente, per exquisita prædicta mendacia quasdam litteras subtepticias à D. Papa per importunitatem suam, vt intelleximus, ad venerabilem Patrem Ebroicensem Episcopum extorserunt, per quas scilicet ob reuerentiam Apostolicæ Bullæ & ad preces D. Pictauiensis prædicti & ad euitandum scandala plurimorum, qui de ipsorum insolentiis obstupescunt, hortabatur vt benignè vellemus eos ad Consortium nostrum resumere saluis duntaxat statutis nostris prædictis, donec saltem D. Papa illis plenius cognitis aliter duceret ordinandum. Ipsi nihilominus mediante quodam Executore suo à memorato Episcopo ad instantiam *eorum subdelegato videlicet M. Luca Parisiensi Canonico sibi propitio, Nobis autem omnino aduerso*, Nobis nunquam in Iudicio euocatis, nunquam ad defensionem nostram auditis, non sufficienter monitis, exceptionibus nostris & falsitate precum & aliis plurimis extra Iudicium, sicut potuimus coram eo propositis, non admissis, post appellationem legitimam: ex his grauaminibus & aliis multis causis interpositam, pendente nihilominus citatione quâ nos fecerant citari ad tribunal summi Pontificis, per quandam litteram secundo à sede Apostolicâ ad eundem iudicem impetratam, *Omnes Magistros & singulos omnium Facultatum, omnes Auditores etiam Theologiæ, Iuris & Medicinæ sine vlla causæ cognitione, iuris ordine prætermisso, de facto, cum de iure non poterant, fecere suspendi, & ad maiorem nostri & totius Cleri contumeliam per Ecclesias Parochiales ciuitatis Parisiensis in præsentia omnium Laicorum & graue scãdalum eorundem primâ die Dominica publicari.* Addo ad maiorem præsumptionis suæ cumulum, cum propter nouos superuenientes scholares facti seriem ignorantes memoratum separationis edictum cũ suâ declaratione faceremus, per vniuersas scholas iteratò per *publicos Seruientes Nostros, quos Bedellos* nominamus, sicut moris est, fecimus publicari. Cum ad Scholam vnam ipsorum Fratrum dicti famuli peruenissent vno illorum incipiente legere Chartam Edicti, multitudo Fratrum ibidem existentium cum magnâ vociferatione & strepitu in ipsos famulos irruentes, post multas contumelias *Chartam Edicti de legentis manibus rapientes ruperunt*, & alio famulorum pulsato tertium vsque ad effusionem sanguinis percusserunt, & sic eos turpiter repulerunt. *Tandem eis ad Rectorem Vniuersitatis nostræ cum euentus sui reuelatione reuersis*, assumptis sibi tribus Magistris Artium ad eandem scholam accedens, cum idem edictum in alia Charta scriptum legere conatetur, iidem Fratres insurrexerunt in eum &

„ multis contumeliis affecerunt. Demum imponentes ei quod armatus veniſſet,
„ adhoc inueſtigandum, perſonam eius propriis manibus palpitabant, donec di-
„ ctus Rector innocentiam ſuam volens oſtendere, cappâ ſuâ reuerſatâ vſque ad
„ collum monſtrauit coram omnibus ſe inermem: & ſic manus eorum euadens
„ infecto negotio remeauit. Necdum autem iniquitatibus Amorrhæorum com-
„ pletis memorati Fratres ad fraudis, ne dicamus falſitatis machinamenta ſe nequi-
„ ter conuertentes, ab Executore ſuo prædicto quandam litteram extorſerunt per
„ errorem ipſius vt aſſerit, non ſine falſitatis vitio, *continentem quoſdam Magiſtros &*
„ *Scholares noſtros nominatim vſque ad numerum 40. in eiuſdem præſentia conſenſiſſe præ-*
„ *nunciatos Fratres apud Nos quondam Regentes ad noſtrum conſortium & Magiſtrorum*
„ *Collegium admittendos*. Quam ſiquidem litteram quibuſdam Noſtrum, vt eos
„ ad exemplum prædictorum alliecte, & ab Vniuerſitatis noſtræ conſenſu occultè
„ diſcedere prouocarent, per occulta Conuenticula oſtendebant, & hoc modo diſ-
„ ſenſiones & ſchiſmata procurabant, donec eadem litterâ per quendam Noſtrûm
„ Domino procurante Nobis allatâ & in publico recitatâ, illis quorum nomina
„ erant inſcripta, de tanta falſitate commotis ac ipſum factum obnixè negan-
„ tibus, dictus Executor hæc audiens nimio rubore confuſus in deteſtationem præ-
„ fatæ litteræ ſigillum ſuum mediante ſecuri confregit, & partem eiuſdem ſigilli
„ confracti *Rectori noſtro* ad propriæ contriſtationis oſtenſionem & pœnitudinis
„ deſtinauit: nec non ad petitionem quorundam Magiſtrorum in dictâ litterâ con-
„ tentorum, litteras ſuas contrarium aſſerentes timore correptus eiſdem conceſſit,
„ ſigillo Curiæ Pariſienſis, cum nondum ſigillum proprium haberet, ſigillatas. Quas
„ cum priori litterâ ſupradictâ ad oſtendendum loco & tempore penes Nos ob-
„ ſeruamus. Diffamationes & detractiones quas contra Nos & præcipuè contra
„ Maiores noſtros tam in ſermonibus ſuis publicis, quàm in priuatis facere non ve-
„ rentur, non poſſemus ſub breuiloquio explicare. In quibus omnibus ſupradictis
„ non ſine graui iacturâ ſumus experti veritatem illius vulgaris Prouerbii MVS IN
„ PERA, SERPENS IN SINV, IGNIS IN GREMIO MALE SVOS REMVNERANT HOSPITES,
„ Salomone dicente, qui in ſinu ſuo ſerpentem nutrit, percutietur ab eo; nec non
„ in veritate Hiſpalenſis Concilii, vbi dicitur *in vno eodemq; officio diuerſæ profeſſionis*
„ *homines eſſe non debent*. Quod etiam in Diuina lege prohibetur dicente Moyſe
„ *Non arabis in boue ſimul & aſino*, quod eſt, diuerſæ profeſſionis homines in vno
„ ſimul officio non ſociabis. Et infra. *Non cohabitare ſimul & coniungi poſſunt, quibus*
„ *fuerint ſtudia & vota diuerſa*. Ne igitur Quidam de Fratribus qui apud omnes Ec-
„ cleſias ſunt diſperſi, cauſam forte fratrum ſuorum Pariſienſium ad hominum au-
„ res iuſtificare volentes, veritatem factorum alienâ narratione valeant obfuſcare,
„ Nos publica Vniuerſalis Eccleſiæ vtilitate inſpectâ non propter Nos tantum ſed
„ propter quædam maiora quæ imminent; cupientes dictam veritatem omnibus
„ notam eſſe, prædictorum ſummam colligendo breuiter, terrores, oppreſſiones
„ & alia inopinata grauamina quæ nobis ingerunt inſolenter, prætermiſſis ad præ-
„ ſens, plurimis quæ nobis per Laicorum potentiam, quos ſibi miris modis alli-
„ ciunt, moliuntur, Diſcretioni veſtræ, Patres ac DD. Reuerendi præſentium te-
„ nore duximus intimanda: quatenus qui Diuinæ prouidentiæ clementiâ Patres
„ eſtis, aliquando vos fuiſſe filios recolentes nobis miſericordiæ filiis paterno affe-
„ ctu compatiamini, & prædictæ inſolentiæ quid portendant, quantaque pericula
„ ſecutura immineant, diligenter ac perſpicaciter attendentes, præſertim qui dati
„ eſtis ſpeculatores domui Iſrael, ſpeculas aſcendentes perſpiciatis & contemple-
„ mini: & ſi expedire videritis, modis quibus ſecundum Deum poteritis, prouide-
„ re curetis, *ne concuſſo Eccleſiæ fundamento quod Pariſienſe Studium eſſe dignoſcitur,*
„ *conſequenter corruat ipſum ædificium improuiſè*. Nam qui demoliendo à fundamen-
„ tis incipit, nulli profectò dubium relinquit, quod totum ædificium auferre in-
„ tendit. *Data Pariſius in Eccleſia S. Iuliani Pauperis, & lecta ibidem in præſentia Ma-*
„ *giſtrorum omnium Facultatum, omnibus Magiſtris ſpecialiter ad hoc euocatis*. Anno D.
„ 1253. die Mercurii proxima poſt feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virgi-
nis. Interim verò ne Papam facerent ſibi infenſiorem, Procuratores ſuos ad eum
mittere feſtinarunt, ſed eo morte præuento nihil profecerunt. Qua de re ad an-
num ſequentem.

Porro in hiſce litteris multa inſeruntur notatu digna. 1. quidem ſtatus ipſius
Vniuerſitatis in 4. Facultatibus ſubſiſtens, hoc eſt in 4. diſciplinarũ generibus, qui-

bus veluti fluuiis totum orbem Christianum irrigabat & fœcundabat. Sic enim hic nomen *Facultatis* accipi debet, *pro disciplina* cuius exercitium & professio terram irrigabat; non pro corpore segrege & separato, quales sunt hodie 3. *Facultates* quæ vulgo *Superiores* appellantur.

2. Idea primordialis Vniuersitatis Parisiensis quæ hoc modo coaluisse intelligitur. Singulari nempe Dei beneficio conuenisse Parisius homines doctos & pios in habitu seculari, institutisque scholis discipulos plurimos congregasse; ad eos verò facilius in officio continendos, certis societatis vinculis Collegium aliquod publicum seu Vniuersitatem composuisse: eique non Monachos, sed seculares præfecisse. Hinc non obscurè significatur historia Alcuini & Scotorum illorum qui cum Mercatoribus Anglis Deo ita disponente aduenientes scientiam venalem clamitasse dicuntur: cuius rei nouitate motus Carolus M. eis & aliis quos vndequaque euocauit, loca ad habitandum & docendum commoda assignauit, simulque victum & vestitum procurauit. Illi verò ita congregati concurrente magno scholarium numero Consortium societatemque inierunt, quam Vniuersitatem vocauerunt, & præclarum illum tradendarum disciplinarum modum ordinemque præscripserunt, quem describit Alcuinus Poem. 122. de quo nos in Synopsi 1. Secul. pag. 282 Isti verò Collegio seu Vniuersitati Magistros seculares præfecerunt & præesse voluerunt: neque, licet quoq; Monachi ad publicam illam eruditionẽ concurrerint, cum iis vllam societatem contrahendam esse putauerunt, ne habitu & professione discordes, animis quoque legibusque discordarent. Et hinc patet nullatenus fuisse persuasum Academicis nostris, quod Alcuinus & Scoti illi Gymnasij Parisiensis primi institutores & dictores fuerint Monachi; vt nonnulli fabulati sunt. Quâ de re consulantur ea quæ scripsimus tom. 1. fol. 129.

3. Hinc quoque intelligitur antiquitas Studij & Vniuersitatis Parisiensis; & facilè refellitur eorum opinio qui putant illam sub Philippo Augusto cœpisse certis legibus vti, societatemque inire. Nam Academici indignationem suam eo iustiorem esse demonstrabãt, quod Dominicani nouissimè Lutetiam aduenissent, nempe an. 1218. ipsi verò seu maiores sui *à multis retroactis temporibus* Ciuitatem illam litterarum exercitio aptam & commodam delegissent: quod certè ridiculum fuisset, si tam Academici quàm Dominicani sub Philippo Augusto adoleuissent & societatem contrahere cum primum cœpissent: ridiculum, inquam, id scribere ad vniuersos Ecclesiarum Prælatos & Scholares, quorum plurimi qui primordia Regni Philippini vidissent, superstites esse poterant & Academicos falsitatis conuincere, si Vniuersitatem suam Philippo antiquiorem esse contendissent.

Accedit Richardus Monachus Senonensis, qui Studij Parisiensis turbationem describens vehementer increpat Mendicantes, quod qui nouissimi erant, de scholarum gloria, de laude professionis, & censura librorum cum Academicis contendere auderent, qui ab antiquo Definitores & Scholæ Rectores doctissimos habere consueuerant.

4. Intelligitur fuisse tum 12. Cathedras Theologicas, quarum tres à 3. Canonicis Ecclesiæ Parisiensis tenerentur; duæ à Dominicanis; reliquæ septem ab Academicis: quod si cæteri Religiosorum Ordines, Bernardini, Præmonstratenses, Vallis-Scholarenses, Trinitatenses seu Mathurinenses & Minores voluissent singuli vnam publicam exercere, videbant Academici duas tantum sibi superfuturas edocendis innumeris scholaribus secularibus, qui vndecunque ad studium Parisiense confluebant. Quæ res in detrimentum Ecclesiæ vergebat, quæ Pastoribus secularibus indiget quàm maximè. Præterea intelligimus Dominicanos in vniuersis vrbibus Cathedras etiam Theologicas erexisse, sicque fluuiolos qui in Oceanum Parisiensem influere solebant, aliò deriuare incepisse, quò infrequentiorem & incelebriorem redderent Primigeniam ipsam Vniuersitatem.

6. Intelligitur molestè quoque tulisse Academicos, quod Canonici Parisienses Cathedras Theologicas plures exercerent, qui vnâ ex instituto Alexandri Papæ III. & Innocentij III. contenti esse debebant. Vtcunque tamen id tulisse, quod iam inueterata esset illa consuetudo.

7. Ex loco congregationis istius euincitur nondum fuisse Facultates à Natio-

nibus separatas, sed in iis adhuc mixtas & confusas. Etenim certum est primæuum locum Comitialem Nationum esse Ædem San-Iulianensem. Vnde in 4. angulis nauis 4. sunt sedilia singularum Nationum titulum præse ferentia, & in medio singulorum sedes Procuratoris distincta & separata. Neque hoc prætermittendum, quod fortasse nemo hactenus aduertit, in omni loco Comitiali publico quatuor esse distincta sedilia seu scamna Nationum à se inuicem disiuncta & separata, nulla verò Facultatum. Namapud Mathurinenses (vt olim apud Bernardinos, quæ loca fuerunt publica & communia Comitiorum Centuriatorum seu generalium) postquam Rector retulit & materiam aliquam deliberationi subiecit, singulæ Nationes more antiquo ad sua quæque loca & sedilia secedunt: Facultates verò quæ sunt hodie ab ipsis vt distincta corpora separatæ, in Comitio subsistunt nec vllam habent inter se sedium distinctionem. Quæ res indicat profectò, Nationum antiquitatem & Facultatum segregum nouissimam associationem. Nullibi enim sunt septem sedes diuersæ, quæ certè eo numero essent, si Facultates & Nationes ab initio distincta corpora constituissent. Sed de his satis.

De M. Roberto Capitone. Eodem anno obiit in Anglia M. Robertus Capito Gall. *de Grosse-teste*, Anglicanæ Nationis, tunc Lincolniensis Episcopus, in Academia Parisiensi olim Professor insignis. Cuius elogium sic cudit Mathæus Parisiensis. *Migrauit igitur ab huiusmodi mundi*, quem nunquam dilexit, exilio S. Lincolniensis Episcopus Robertus 2us. apud Bugedonum manerium suum in nocte S. Dionysij. D. Papæ & Regis redarguter manifestus, Prælatorum correptor, Monachorum corrector, Presbyterorum Director, Clericorum Instructor, Scholarium sustentator, populi Prædicator, Incontinentium persecutor, Scripturarum sedulus perscrutator diuersarum, Romanorum malleus & contemptor. In mensa refectionis corporalis dapsilis, copiosus & ciuilis, hilaris & affabilis. In mensa verò spirituali deuotus, lachrymosus & contritus: in officio Pontificali sedulus, venerabilis & infatigabilis.

Idem Mathæus refert Colloquium quod habuerat in lecto decumbens cum M. Ioanne de S. Ægidio Dominicano insigni Theologo & Medico, quem olim magna celebritate docuisse Parisiis referimus in Catalogo virorum Illustrium. *Vocauit*, inquit, *ad se quendam fratrem de Ordine Prædicatorum M. Ioannem de S. Ægidio in arte peritum Medicinali, & in Theologia Lectorem, eleganter eruditum & eruditentem, vt ab eo corporis & animæ reciperet consolationem.*

Hunc virum Anglicanæ historiæ commemorant fuisse inuictæ virtutis & fortitudinis, adeoque ipsi Papæ Innocentio se in multis palam & apertè opposuisse. De eo sic legitur apud Henricum de Knyghton lib. 2. de Euentibus Angliæ ad hunc annum. *Hoc anno* obiit S. Robertus dictus *Grosse-teste Episcopus Lincolniensis 7. id. Octob. qui in cunctis Liberalibus Artibus excellenter eruditus, præcipuè in Logica & Astrologia plurima commentatus est. Ad Innocentium Papam misit Epistolam satis tonantem quæ sic incipit, Dominus noster I. C. pro eo quod Ecclesias Anglicanas indebitis & insolitis exactionibus grauare videretur:* Et quia Nepotulo suo puero Papa contulisset Canonicatum cum proxima Præbenda vacatura in Ecclesia Lincolniensi, quem tamen Robertus admittere noluit, rescribens Papæ se nec velle nec debere tales ad curas animarum admittere qui se nescirent nec possent regere. Qua de causa ad Curiam vocatus & excommunicatus appellauit à Curia Innocentij ad Tribunal Christi, vnde contigit, vt post biennium mortis Roberti appareret Papæ de nocte quiescenti quidam Episcopus Pontificalibus indutus sic inquiens *Surge miser, veni ad Iudicium*. Et statim cum baculo pastorali pupugit Papam in latere sinistro vsque ad cor; vnde & lectisternium Papæ inuentum est mane sanguinolentum & ipse defunctus. Hac de causa quamuis Robertus perspicuis effulgeret miraculis, non est permissus à Curia canonizari.

Extat apud Mathæum Parisiensem eiusdem Roberti ad Papam Epistola, ex qua qui vir fuerit intelligitur. Sic enim rescribit. *Nouerit Discretio vestra quod Mandatis Apostol. affectione filiali deuotè & reuerenter obedio.* His quoque quæ mandatis Apostolicis aduersantur, paternum zelans honorem aduersor & obsto. Ad vtrumque enim teneor ex diuino mandato. Apostolica enim mandata, non sunt nec esse possunt alia quàm Apostolicæ doctrinæ & ipsius Domini nostri I. C. Apost. Magistri & Domini, cuius typum & personam gerit in Hierarchia Ecclesiæ D.

Papa consona & conformi. Ait enim Dominus ipse noster Iesus Christus. QVI NON EST MECVM CONTRA ME EST. Contra ipsum autem nec est nec esse potest Apostolicæ sedis sanctitas diuinissima. Non est igitur prædictæ litteræ tenor Apostolicæ sanctitati cōsonus, sed absonus plurimū & discors. Primò quia de illius litteræ & ei consimilium longè lateque dispersarum superaccumulato *Non-obstante*, nec ex legis naturalis obseruanda necessitate inducto scatet cataclysmus inconstantiæ, audaciæ & procacitatis, inuerecundiæ mentiendi, fallendi, diffidenter alicui credendi, vel fidem adhibendi: & ex his consequentium vitiorum quorum non est numerus, Christianæ Religionis puritatem & socialis conuersationis hominum tranquillitatem commouens & perturbans. Præterea post peccatum Luciferi quod idem erit in fine temporum ipsius filii perditionis Antichristi quem interficiet Dominus spiritu oris sui, non est nec esse potest alterum genus peccati tam aduersum & contrarium Apostolorum doctrinæ, & Euangelicæ & ipsi Domino I. C. tam odibile, detestabile & tam abominabile, quàm animas curæ Pastoralis officii & Ministerii defraudatione mortificare & perdere. Quod peccatum euidentissimis Scripturæ sacræ testimoniis committere dignoscuntur, qui in potestate Curæ Pastoralis constituti de lacte & lana ouium Christi viuificandarum & saluandarum Pastoralis Officii & Ministerii salarium comparant, debita non administrant. Ipsa enim Ministeriorum Pastoralium non-administratio est Scripturæ testimonio Ouium occisio & perditio.

Quod autem hæc duo genera Peccatorum licet dispariter sint pessima & omne alterum genus peccati inæstimabiliter superexcedentia, manifestum ex hoc quod ipsa sunt duobus existentibus & dictis, licet dispariter & dissimiliter optimis directè contraria. *Pessimum enim est quod optimo contrarium*. Quantum autem est in dictis peccantibus, vnum peccaminum est ipsius Deitatis superessentialiter & supernaturaliter optimæ. Alterum verò deformitatis & deificationis ex Diuini radii gratifica participatione essentialiter & naturaliter optimæ interemptio: & quia sicut in bonis, causa boni melior est suo causato; sic & in malis causa mali peior est suo causato. Manifestum quoniam talium pessimorum interemptorum deformitatis & deificationis in ouibus Christi in Ecclesia Dei introductores ipsis pessimis interemptoribus sunt peiores, Lucifero & Anti-christo proximiores, & in hac peioritate gradatim quanto magis super-excellentis, qui ex maiore & diuiniore potestare sibi diuinitus in ædificationem non in destructionem tradita magis tenerentur ab Ecclesia Dei tales interemptores pessimos excludere & extirpare. Non potest igitur sanctissima sedes Apostolica, cui à sancto sanctorum Domino I. C. tradita est potestas omnimodo testante Apostolo in ædificationem non in destructionem aliquid vergens in huiusmodi peccatum Domino I. C. tam odibile, detestabile & abominabile & humano generi summè perniciabile vel mandare vel præcipere, vel quoquomodo ad aliquid tale conari. Hoc enim esset suæ potestati euidenter sanctissimæ & plenissimæ vel defectio vel corruptio vel abusio, vel à throno gloriæ Domini nostri Iesu Christi omnimoda elongatio & in Cathedra pestilentiæ pœnarum gehennalium duobus prædictis tenebrarum Principibus proxima consessio. Nec potest quis immaculata & sincera obedientia eidem sedi subditus & fidelis & à Corpore Christi & eadem sancta sede per schisma non abscissus, mandatis vel præceptis vel quibuscunque vnanimibus vndecunque emanantibus, etsi à supremo Angelorum ordine obtemperare, sed necesse habet totis viribus contradicere & rebellare. Propter hoc Reuerendi Domini, ego ex debito obedientiæ & fidelitatis quâ teneor vtrique Patenti Apostolicæ sedis sanctissimæ, & ex amore vnionis in corpore Christi eum ea, his quæ in prædicta littera continentur, & maximè quia vt prætactum, ad peccatum Domino Iesu Christo abominabilissimum & humano generi perniciosissimum euidentissimè vergunt & Apostolicæ sedis sanctitati omnino aduersantur & contrariantur Catholicæ fidei, vnicè, filialiter & obedienter non obedio, contradico & rebello. Nec ob hoc potest inde vestra discretio quicquam durum contra me statuere, quia omnis mea in hac parte & contradictio & actio nec contradictio est nec rebellio, sed filialis diuino mandato debita Patri & vestri honoratio. Breuiter autem recolligens dico. Apostolicæ sedis sanctitas non potest nisi quæ in ædificationem sunt & non de-

» structionem : hæc enim est potestatis plenitudo, omnia posse in ædificationem.
» Hæ autem quam vocant Prouisiones, non sunt in ædificationem, sed in manife-
» stissimam destructionem. Non igitur eas potest beata sedes Apostolica acceptare,
» quia caro & sanguis quæ Regnum Dei non possidebunt, eas reuelauit, & non
» Pater Domini nostri I. C. qui est in cœlis.

Hæc ista tanta hominis libertas in faciem resistentis & resistere parati Pontificis animum supra quàm dici potest, exacerbauit. *Quis est iste*, inquit, *senex delirus, surdus & absurdus, qui facta audax imò temerarius iudicat?* Nihilominus ne quid acerbè in eum statueret, deterruerunt Cardinales, vel ob hoc maximè quod cum in Academia Parisiensi & Oxoniensi magnum nomen docendo sibi comparasset, non defuturi essent qui eius causam etiam contra Rom. Curiæ definitionem defenderent. *Non expediret Domine, vt aliquid durum contra ipsum Episcopum statueremus: vt enim vero fateamur, vera sunt quæ dicit. Non possumus eum condemnare, Catholicus est, imò & sanctissimus, nobis religiosior, nobis & sanctior, excellentior & excellentioris vitæ; ita vt non credatur inter omnes Prælatos maiorem, imò nec parem habere.* Novit hoc Gallicana & Anclicana Cleri Vniversitas: *nostra non præualeret contradictio. Huiusmodi Epistolæ veritas, quæ iam forte multis innotuit, multos contra nos poterit commouere. Magnus enim habetur Philosophus, Latinis & Græcis litteris ad plenum eruditus, Zelator est Iustitiæ, Lector in Theologiæ Scholis, Prædicator in Populo, Castitatis amator, persecutor Simonialium.* Hæc dixerunt D. Ægidius Hispanus Cardinalis & alij quos propria tangebat conscientia.

Contigit autem prædictom Episcopum circa dies Caniculares in lethalem morbum incidere; quo vt sensit se correptum, aduocasse aiunt M. Ioannem de S. Ægidio Fratrem Prædicatorem, in arte Medica peritum & in Theologia Lectorem, eleganter eruditum & erudientem, cumque eo familiariter & solitâ cum libertate egisse de facto Papæ deque Prædicatorum & Minorum prauâ consuetudine & ignauia in peccatis Magnatum redarguendis.

In hoc, inquit, *quod tu Frater Ioannes*, & alij Prædicatores peccata Magnatum
» audacter non redarguitis & facinora non detunicatis, hæreticos censeo mani-
» festos. Quid est hæresis? da definitionem. Et cum hæsitasset Frater Ioannes non
» recolens authenticam ipsius rei rationem ac definitionem, subiunxit Episcopus
» fideli interpretatione Græci idiomatis in Latinum, *Hæresis est sententia humano*
» *sensu electa, Scripturæ Sacræ contraria, palam edocta, pertinaciter defensa. Hæresis* Græ-
» cè, *electio* Latinè. Et consequenter subiunxit reprehendens Prælatos maximè
» Romanos, qui consanguineis suis indignis, ætate & scientia insufficientibus cu-
» ram committunt animarum. Dare curam animarum paruulo, sententia est alicu-
» ius Prælati, humano sensu electa propter carnem vel terrenitatem. Et est con-
» traria Scripturæ Sacræ quæ prohibet fieri Pastores qui non sunt idonei ad arcen-
» dum Lupos; & est palam edocta, quia manifestè portatur charta sigillata vel
» bullata: & est pertinaciter defensa, quia si quis voluerit contradicere, suspendi-
» tur, excommunicatur, & super eum prælium sanctificatur. Cui tota definitio
» hæretici conuenit, hæreticus est. Sed quisque fidelis tenetur opponere se hæreti-
» co quantum potest: qui ergo potest contradicere & non contradicit, peccat &
» videtur fautor esse secundum illud Gregorij, *Non caret scrupulo societatis occultæ,*
» *qui manifestò facinori desinit obuiare.* Sed Fratres, tam Minores quàm Prædicato-
» res maximè obligantur ad oppositionem contra talem, & cum vtrique habeant ex
» officio gratiam prædicandi, sunt ad illud Officium per paupertatem liberiores:
» non solum peccant si ei non contradicunt, imò fautores ipsius existunt, sicut &
» Apostolus ad Rom. 1. *Non solum qui talia agunt, sed qui consentiunt, digni sunt*
» *morte.* Potest ergo concludi quod tam Papa nisi ab hoc vitio cesset, quàm dicti
» Fratres, nisi curiosos se exhibeant ad arcendum talem, digni sunt morte scilicet
» perpetuâ. Item dicit Decretalis, quod super tali vitio, videlicet *Hæresi*, potest &
» debet Papa accusari.

Ibidem plura alia leguntur in eam rem. Maximè verò Innocentium Papam redarguit quod Vsurarios pateretur grassari, quos tanto cum labore viderat ipse à sapientibus Doctoribus Gallicis abigi & exterminari. *Etsi*, inquit, *multi alij viri Apostolici Ecclesiam afflixerint, iste grauius aliis coegit ancillari & inconuenientia multiplicauit. Caursini enim manifesti vsurarij, quos Sancti Patres & Doctores no-*

stris, quos vidimus & audinimus, videlicet M. eximius in Francia Prædicator, Abbas quoque de Flay Cistercienfis Ordinis, M. Iacobus de Vitry, Cantuariensis Archiepiscopus Stephanus exulans, M. Robertus de Curcon prædicando à partibus Franciæ eiecerunt. quia antea hac peste Anglia non laborabat, iste Papa suscitauit & protegit suscitatos. Hinc patet quo tempore M Robertus in Academia Parisiensi versabatur, nimirum circa initia huius seculi.

Cæterum ea forte M. Roberti constantia effecit, vt idem Pontifex circa Beneficiorum prouisiones moderatius se gesserit, & Prælatis aliisque Patronis ius suum plenum & integrum restituerit: quam in rem extat ipsius Decretalis in litteris ad Abbatem S. Albani Lincolniensis diœcesis anno 1254. datis est quo eiusmodi in Additamentis Mathæi.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterii S. Albani Ordinis S. Benedicti ad Rom. Ecclesiam nullo medio pertinentis., Lincolniensis diœcesis salutem & apostolicam benedictionem. Editum à nobis de nouo statutum de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari. Cuius tenor talis est.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, aliis Ecclesiarum Prælatis earumque Capitulis & Conuentibus seu Collegiis tam exemptis quàm non exemptis, ac Patronis Clericis ac Laicis præsentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem. Postquam regimini generali Ecclesiæ Nos licet immeritos diuina pietas voluit præsidere, cordi semper habuimus quod honestatem & ordinem in omnibus seruaremus, ac in prouisionibus faciendis haberemus illius prouidentiæ modum per quem Ecclesiis & Monasteriis siue aliis piis locis honor & commodum perueniret. Quod autem quandoque contrarium accidisse dignoscitur, tum propter malitiam temporum, tum propter improbitatem nimiam petitorum; sæpe nobis dolorem intulit & cordi nostro suspiria cumulauit. Maximè cum post multa diffugia & excogitatæ resistentiæ studium Prouisiones quasdam prorsus inuiti fecimus, quas potuisse vitare pro magno & solenni gaudio duceremus. Cum itaque dudum fuerimus mente vigiles vt super iis adhibere remedium possemus opportunum; Nos pro quiete mentis nostræ ac pro Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum prædictorum salute duximus statuendum, quod singuli vestiûm Canonias & Præbendas ac Beneficia seu Personatus & Dignitates cum cura vel sine cura, redditus & etiam pensiones ad collationem aut electionem seu præsentationem vestram spectantia, quæ obtinentur à quibuscunque oriundis extra Regna, in quibusdam habentur Canonicatus & Præbendæ ac alia supradicta, seu apud sedem Apostolicam maneant, seu alibi commorentur, ex tunc personis idoneis Deum habendo præ oculis conferre, vel eas ad illa eligere ac electas confirmare seu præsentare & præsentatas admittere sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo valearis., & ex tunc personæ ipsæ in eisdem Canonijs & Præbendis ac Beneficiis seu dignitatibus & personatibus, redditibus & pensionibus plenum ius & inconcussum obtineant. Nec tamen de iis priusquam vacent, se aliquatenus intromittant, sed ipso iure quàm citius vacauerint, assequantur & ipsi intrandi ac retinendi nullius requisito consensu liberam habeant facultatem. Ita tamen quod illi qui nunc ipsa obtinent, ea quousque cessarint vel decesserint, pleno iure pacificè habeant & quietè, vt nullum omnino super iis prætextu statuti eiusdem præiudicium patiantur. Volumus tamen quod si sub exspectatione Præbendarum, in Ecclesiis in quibus prouisum fuerit dictis personis, prius aliqui sint recepti, vel si super prouisione sua in eis litteras Apostolicas impetrarunt, sicut in receptione vel impetratione, sic in Præbendarum assecutione personis præferuntur eisdem. Si vero aliqua personarum ipsarum cui obtentu eiusdem statuti prouisum fuerit, vel ei iuxta modum inferius annotatum contigerit de vestra liberali gratia prouideri, cedat interim vel decedat, licitum sit vobis tam citò loco sui aliam idoneam subrogare ac successiuè hoc facere in cuiusuis earundem cessione vel obitu personarum sub diuini tamen iudicii obtestatione præcipimus, quod personæ ipsæ contra possessores dictorum Canonicatuum

um & Beneficiorum ac Præbendarum seu Personatuum ac Dignitatum, redditus seu pensionum, nullas insidias aut fraudem vel molestias siue quodcunque aliud inconueniens machinentur. Aliás autem ipso facto cadant ab omni iure, eis super prouisione huiusmodi adquisito, cum dignum sit quod sicut grata pro virtute tribuitur, ita pœna pro vitio compensetur; pro malitiis autem cohibendis quæ huiusmodi forsan occasione statuti otiri possent in mentibus peruersorum, volumus quod si aliquem cui subrogatio eiusdem statuti facta fuerit, quod absit, perimi contigerit, quoquomodo taliter subrogatus possessionem suæ prouisionis non habeat nec aliquod apprehendat, nisi prius Apostolicas vel Ordinarii & aliquorum Religiosorum virorum Deum timentium patentes litteras obtinuerit, quod de morte sic occisi suspectus nullatenus habeatur. Cæterum quia personis eisdem in graue posset redundare tædium, quod vacationem Canonicatuum & Præbendarum ac aliorum prædictorum per longa tempora exspectarent ad hoc nostra desudet intentio, vt de Canoniis & Præbendis ac Beneficiis seu Personatibus & dignitatibus, redditibus & pensionibus ad vestram Collationem aut electionem vel præsentationem spectantibus quæ præter huiusmodi prouisionem vestram vacant ad præsens seu vacare contigerit, dummodo nulli de iure competant, liberaliter ac sine mora prouideatis eisdem: & postquam ipsarum loco alias personas idoneas quàm citius subrogetis. Adhæc statutum prædictum quamuis iuri oppositum, quod pro causa legitima & salubri ad nullius requisitionem vel instantiam proprio motu fecimus, plenam & inuiolabilem firmitatem volumus obtinere. Sed tamen ad alias collationes & electiones seu præsentationes quas à quocunque de cœtero fieri contigerit, idem statutum nullatenus extendatur, nec sanctionibus Canonicis propter ipsum in posterum aliquod præiudicium generetur. Præterea nulla Priuilegia vel indulgentiæ seu litteræ Apostolicæ sedis vel Legatorum eius sub quacunque forma verborum de cætero impetrandæ obsistant præfato statuto, cum iam plenum ius per huiusmodi collationem aut electionem seu præsentationem adquiratur personis eisdem & illud eis tolli non possit absque Diuini offensa nominis & sedis Apostolicæ iniuria manifesta. Nos enim nihilominus si aliquid super iis contra præfatum statutum contigerit attentari, non solum irritum ac inane decernimus, sed omnes qui contra venire præsumpserint, diuinæ maledictioni ac nostræ volumus subiacere. Liceatque sit vobis vniuersis & singulis tanquam nostris in hac parte Ministris nostras seu Legatorum nostrorũ lacerare litteras si quæ statuto ipsi contrariæ, vobis aut alicui vestrum fuerint præsentatæ. Canonicatuum insuper & Præbendarum ac Beneficiorum & aliorum prædictorum possessio, sicut prædictum est, nihilominus intretur ac retineatur liberè non obstantibus litteris memoratis. Sæpe dictum verò statutum ad Pontificatus & Abbatias ac alias Regulares extendi volumus dignitates. Vos itaque filii Abbas & Conuentus statutum ipsum pro vt expedire videritis, authoritate nostra diligenter & fideliter exequi studeatis. Datum Laterani 3. Non. Nouemb. Pont. nostri an. 11.

1254. Anno 1254. M. Henricus de Lexintona Stephani Clare-Vallensis Abbatis frater, Academiæ Parisiensis olim Magister, tunc verò Ecclesiæ Lincolniensis Decanus M. Roberto Capitoni de quo ante satis multa, à Canonicis & toto Capitulo substituitur; eiusque electio ab Henrico Rege vtrumque comprobatur, & 5. Kal. April. ab Archiepiscopo Cantuariensi Bonifacio confirmatur.

Eodem anno Innocentius molestè ferens barbariem quandam in Artibus liberalibus inualuisse, eo quod plerique illis fere neglectis peruersa quadam consuetudine statim transirent ad altiores disciplinas, præsertim verò ad Iurisprudentiam vt pote magis quæstuosam, ad omnes Prælatos Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hispaniæ & Hungariæ litteras dedit, quibus Artium Liberalium amorem necessitatemque persuadere conatus est.

Hac de re sic Mathæus Paris. seu Continuator ad hunc annum. *Temporibus quoque sub iisdem, inquit, dum adhuc Papa* Romæ esset, considerans Liberales Artes iam in mechanicas pœne fuisse conuersas propter lucrum, vt verè dici posset de Philosophiâ: *Prostat & in pretio pro meretrice sedet* Et quod iam ferè omnes Scholares intactis Grammatices Rudimentis, Authoribus & Philosophis, ad Leges properant audiendas, quas constat non esse de numero Libe-

ralium

ralium Artium; Artes enim Liberales ptopter ſe appetuntur, Leges autem, vt ſalaria acquirantur : imò & vt omnibus liquet, adoleſcentes ætate & ſcientiâ ſatis ſimplices ex quo nouerint in paucis ſophiſmatibus perſtrepentibus paliuis congarrire, Cathedras aſcendunt Magiſtrales, vt nomine Magiſtrali vſurpato tumeant eleuati & facti venerabiliores ſine fundaméto ad culmina ſcandant celſiora, & ſalutatâ Legum aut Decretorum ſcholâ ad Pontificales aduolant Dignitates, cum melius eſſet & vtilius Scholarum prius imbui experientia, & ſic dignè aliis adiudicantibus tranſcendere ad præmiſſa. Volens igitur D. Papa huiuſmodi præſumptioni conſilium dare ſaluberrimum, admonitionem laudabilem fecit & conuenientem. Scripſit igitur D. Papa ſuper hæc elegantem Epiſtolam quæ incipit.

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Omnibus Prælatis in Regno Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Valliæ, Hiſpaniæ & Hungariæ conſtitutis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Super ſpecula &c. Dolentes recolimus qualiter quondam pia ac ſancta Clericorum plantatio ſuæ primæ honeſtatis oblita à ſummo ſanctitatis culmine ad ima deſcendit vitiorum. Crebris itaque relatis aures noſtras abhorrenda fama circumſtrepit & inculcat aſſiduè, quod relictis, quinimo procul & abiectis Philoſophicis diſciplinis, vt ad præſens de Diuina ſcientia taceamus, tota Clericorum multitudo ad audiendas ſeculares Leges concurrit. Et quod magis Diuini animaduerſione dignum eſt Iudicii, nunc in pleriſque mundi climatibus ad Eccleſiaſticas Dignitates, honores vel Præbendas nullus aſſumitur à Prælatis, niſi qui vel ſecularis ſcientiæ Profeſſor vel Aduocatus exiſtat, cum tales à talibus, niſi alia ſuffragarentur, eiſdem eſſent potius repellendi, maximè cum Philoſophiæ alumni in eiuſdem gremio tam tenerrimè educati, tam diligentiſſimè imbuti, tam excellentiſſimè prompti & edocti, pro victus & veſtitus penuria conſpectum hominum cogantur fugere, qui & illic tanquam noctuæ latentes & Aduocati noſtri, imò Diaboli equis phaleratis purpurati inſidentes in fulgore auri, in candore argenti, in nitore gemmarum, in holoſericis ſtupentem reuerberâtes ſolem, ſe non Crucifixi vicarios, ſed hæredes Luciferi prætendentes quocunque ingrediantur, de ſe ſpectaculum facientes Laicorum indignationem & odium contra ſe, imò quod magis eſt dolendum, contra totam Dei Eccleſiam prouocant & incurrunt. Dicunt enim Laici.* *Ecce homines qui non poſuerunt Deminum adiutorem ſuum, ſed in multitudine diuitiarum ſuarum glorientur*, quod animorum elationes & geſtus incompoſiti ſatis comprobant & oſtendunt. Videtur ſiquidem adimpletum quod Pagani præſagio oculi fuerat figuratum.

Omnia natura præpoſtera legibus ibunt.

Non ſic habenda fides. Nec mirum. Seruit enim Sara, & Agar imperat. Affliguntur liberi & ſerui obtinent Principatum. Volentes igitur tantæ inſolentiæ morbo neceſſariam adhibere medelam, vt plenius & perfectius Theologiæ ſtudio inſiſtatur, quæ directè iter oſtendit ſalutis, vel ſaltem Philoſophicis Diſciplinis: quæ etſi pietate careant, tamen diriguntur ad ſciendum & cupiditatis teddunt extorrem, quæ & omnium malorum radix & idolorum ſeruitus perhibetur, Hac irrefragabili conſtitutione ſtatuimus, vt nullus de cætero ſecularium legum Profeſſor ſeu Aduocatus quatenuſcunque in Legum Facultate ſingularis gaudeat præeminentiæ priuilegio ſpeciali ad Eccleſiaſticas dignitates, perſonatus, præbendas, ſeu etiam ad minora beneficia aſſumatur, niſi in aliis liberalibus diſciplinis ſit expertus, & vitâ & moribus commendatus exiſtat. Cum per tales & Eccleſiaſtica deturpetur honeſtas & ſanctitas exulet, & faſtus & cupiditas ita regnent, quod in cunctis ſui lateribus grauem dolorem ſentiat Mater Eccleſia admirandis vlceribus ſauciata. Si qui verò Prælatorum contra hoc ſtatutum ſalubre præſumptione damnabili aliquid attentauerint, factum ſuum nouerint ipſo iure & ſe illa vice poteſtate conferendi priuatos. Et ſi præſumptionem iterauerint, pœnam diuortii & prælaturis ſuis poterunt formidare.

Præterea cũ in Francia, Anglia, Scotia, Wallia, Hiſpania, & Hungaria Regnis cauſæ Laicorum non Imperatoris legibus, ſed Laicorum conſuetudinibus decidantur, & cum Ec-

clesiasticis SS. Patrum constitutionibus valeant terminari: & tam Canones quā consuetudines plus confundantur in legibus quàm inueniuntur, præcipuè propter nequitiam Fratrum nostrorum & aliorum Religiosorum consilio & rogatu statuimus quod in prædictis Regnis Leges seculares de cætero non legantur, si tamen hoc de Regum & Principum processerit voluntate: primo tamen statuto in suo ordine duraturo. Datum Romæ.

Idem Pontifex eodem anno mense Septembri Oxoniensis Academiæ Priuilegia confirmauit, mandauitque Londinensi & Saresberiensi Episcopis eorum Conseruatoribus, vt cauerent ne quid in rebus aut libertatibus suis detrimenti pateretur. Quam in rem extat hæc ipsius ad Magisttos Oxonienses Bulla.

AD OXONIENSEM VNIVERSITATEM. *Innocentius Episcopus Seru. Seru. Dei, Dilectis filiis vniuersis Magistrorum & Scholarium Oxoniensium Lincolniensis Diœcesis Sal. & Apostol. benedict.* Quærentes in agro Scholasticæ disciplinæ scientiæ margaritam, non immeritò Apostolico fauore prosequimur; & iisdem ea concedimus per quæ materiâ semotâ grauaminis ipsorum status tranquillitas procuretur. Hinc est quod nos vestris deuotis precibus inclinati personas vestras cum omnibus bonis ad vos communiter pertinentibus quæ impræsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem libertates & immunitates ab Episcopis, Regibus, Magnatibus & aliis Christi fidelibus vobis rite concessas, sicut ea omnia iustè ac rationabiliter obtinetis, vobis & per vos vestris successoribus authoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis ausu temerario infringere. Si quis autem, &c. Datum Anagniæ 5. Kal. Octob. Pontif. nostri an. 12.

Scripsit in eam rem Londinensi & Saresberiensi Episcopis, mandauitque vt antiquissimæ Vniuersitatis Oxoniensis singularem curam haberent, nec ab aliquo vexari paterentur, molestatores autem quoscunque Ecclesiasticâ censurâ ferirent.

TVRBATIO A DOMINICANIS. In Vniuersitate verò Parisiensi noua dissidij occasio exoritur inter ipsam & Dominicanos. Quidam enim eorum in Thesibus proposuerunt publicè, nonnullos articulos ex libro M. Ioannis de Parma tunc Minoritarum Præpositi Generalis, cui titulus erat *Euangelium æternum*, excerptos: in quo quidem libro multa dogmata detestanda continebantur. Vnde Willelmus de S. Amore accepit occasionem emittendi in vulgus libelli de *Periculis Nouissimorum Temporum*, qui scriniis pressus nondum prodierat in apertam lucem, sed in hoc tantummodo seruabatur, vt cum opus esset, arma contra Dominicanos suppeditaret. Ea autem de re sic loquitur ipse Guillelmus in 8. cap. vbi octo signis ostendit instare nouissima tempora. *Secundum signum est*, inquit, *quod illa Doctrina quæ prædicabitur tempore Antichristi, videlicet* EVANGELIVM ÆTERNVM PARISIVS, *vbi viget Scriptura Studium, iam publicè posita fuit ad explicandum an. Dom. 1254. Vnde certum est quod iam prædicaretur, nisi esset aliud quod eam detineret. Quid autem eam detineat, scitis, nimirum Imperium Petri & eorum qui tenent loca Apostolorum, scilicet Episcoporum. Nisi enim venerit discessio primùm, non reuelabitur homo peccati, filius perditionis. 2. Thessal. 2. Vnde caueant Episcopi ne dicti Pseudo-Prædicatores procurent eorum excussionem, id est ablationem potestatis eorum, sicut significatur in Euangelio æterno.* Huiusce Euangelij quædam capita refert in sermone quem habuit ad populum die SS. Apostolorum Iacobi & Philippi. *De istis periculis*, inquit *iam habemus quædam Parisius, scilicet librum illum, qui vocatur Euangelium æternum*: & nos vidimus non modicam partem illius libri: & audiui, quod vbicunq; est, tantum vel plus contineat ille liber quàm tota Biblia, & ibi docetur, *Quod Sacramentum Ecclesiæ nihil est, & quod Euangelium Christi non sit verum Euangelium*: sed docetur ibi & dicitur, quod ille liber sit Euangelium Spiritus S. & dicitur esse Euangelium æternum. Et dicitur ibi, quod tantum per quinque annos adhuc Euangelium Christi prædicabitur. Nec sunt ista pericula huius libri penitus noua: immò sunt quinque anni quod primò sunt incboata, & ideo dicitur quod illi per quos hæc pericula venient, dabunt aliam legem viuendi & aliter disponent Ecclesiam. Quod est execrabile & abominabile dictu: quia Ecclesia quæ tenet fidem Christi, est disposita ad modum illius quam ostendit Dominus in monte, vbi dixit Exodi 25. *Inspi-*

cæ & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.

Hinc igitur recruduit vulnus: nolebant enim Dominicani suam Doctrinam argui, aut Censuræ subiacere: contra, Vniuersitatis Magistri ab omni æuo prauæ Doctrinæ Censores extiterant. Illi, licet noui & modò nati neminem supra se positum pati poterant: isti, quia antiqui & vetusto iure gaudebant, superbiam eiusmodi hominum ferre nequibant, quæ iam incipiebat esse odiosa multis, ne dicam intolerabilis. Placet in hanc rem referre quæ habet Richerius Monachus Senonensis lib. 4. Chronici cap. 37. cui præfigir hunc titulum. *De lite inter Prædicatores & Clericos Parisius orta.* Iste autem author tempore ipso huiusce dissidij, hæc quæ sequuntur, scribebat.

Superius de Ordine Prædicatorum secundum prophetiam S. Hiltegardis Sanctimonialis aliquantulum digessimus, qui in principio sui magnæ authoritatis habiti sunt. Sed deinde à proposito paulatim declinantes, processu temporis à statu suo paululum decidere visi sunt, sicut multifariis modis ipsorum actibus comperiri potest & præcipuè in cōtrouersia quadā, quæ Parisius de nouo orta est, de qua si placet in hoc Opusculo nostro aliquid inserere curabimus. *Contigit igitur inter Clericos Parisius commorantes antiquitus, & Prædicatores de nouo venientes de definitione Quæstionum & Magistrorum legentium approbatione periculosam controuersiam emersisse.* Nam Prædicatores dicebant ab eis Quæstionum Definitiones debere proferri, quia potior scientia in personis Ordinis ipsorum vigeret, & dignitas Prædicationis eis authoritatem definiendi prærogare videbatur: Clerici vero è contra asserebant se antiquitus Magistros & Definitores habuisse, qui Scholarum & Scholarium Rectores extiterunt: quos etiam Dominus Papa eis scribendo RECTORES Scholarium eos appellasse comprobatur, nec eorum Ordini aliud commissum est, nisi vt Prædicationi & animarum saluti sine intermissione intendant. Sed cum aliquandiu fuisset inter eos decertatum & inter se pacificari non possent, ad Papam appellauerunt. PRÆDICATORES verò quendam LIBRVM EVANGELIORVM compilauerunt, in quo dicebantur aliqua contineri, quæ contra fidem esse videbantur. Clerici verò nescio quâ arte procurauerunt, vt copiam ipsius libri haberent, ex quo omnia capitula fidei contraria decerpserunt, & ea scripto commendantes sibi retinuerunt. Elegerunt quoque sibi quendam virum discretissimum Willelmum nomine, qui præ cæteris magnus Philosophus habebatur: quem cum libro illo ad Curiam mittentes Procuratorem suum contra Prædicatores statuerunt. Et cum coram Papa venissent, diu inter se disputauerunt: & inter cætera M. Willelmus librum illum quem Prædicatores conscripserant, D. Papæ fertur porrexisse. Papa verò cum librum legisset, statim eum damnauit, & comburi iussit. M. Willielmo quia facundissimus Orator erat, nec ei aliquis in sermone resistere poterat, silentium imposuit, & nondum causa illa finem acceperat. Clerici omnes qui Parisius studebant, tunc ab ipsa Ciuitate recessisse ferebantur.

RICHERIVS DE DOMINICANIS.

Hæc ille de dissidio, quod nondum sopitum erat, dum hæc scribebat. Quæ verò sequuntur, hominum istorum importunam & odiosam Magnatibus Regni agendi rationem indicant: ita enim Ludouici Regis animum subiecerant & vt sic dicamus, incantauerant, vt propius nihil factum sit, quàm vt relictâ coniuge & filiis & Regno habitum Prædicatoris assumeret. Sic igitur ille.

Ea siquidem tempestate, qua vt dictum est, Prædicatorum status deteriorabatur, non minus infortunium eis euenisse perhibetur. Rex enim Franciæ qui alio anno à transmarinis partibus reuersus fuerat, eisdem Prædicatoribus valde familiaris erat: & cum quotidie, quia valde Religiosus erat, domum ipsorum frequentaret, cogitauerunt eum ad religionem suam posse deuenire. Et cum quadam die de Diuinis Scripturis & de Dei filio confabularentur, vnus eorum, qui cæteris audacior erat, dixit Regi, *Nunquid Domine velles tantùm de Filio Dei inter manus tuas quotidie posse tenere, quantum vterus Beatissimæ Virginis Mariæ quondam in se comprehendisse perhibetur?* Rex hoc audiens & admirans ait. *Quis est qui hoc recusaret?* ignorabat enim quod de sacramento Corporis Christi diceret. Prædicator respondit. *Si placet docebo te quomodo tibi hoc concederetur.* Rex respondit, *Placet sanè.* Frater ille dixit, *Nunquid audis Dominum in Euangelio dicentem: si quis relliqueris patrem vel matrem, aut vxorem aut filios aut agros propter nomen meum, cen-*

tuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit? Rex ait, *Audio & bene scio.* Frater dixit. *Domine mi Rex, tu habes haeredes, filios & fratres, qui regnum tuum bene regent: Tu etiam pro Deo multos labores sustinuisti, & etiam vitam tuam periculis mortis exposuisti, & ita nihil aliud restat, nisi quod relinquas omnia & assumas tibi Crucem nostram, id. habitum nostrum: & ita de gradu in gradum ad sacerdotium promoueberis, & filium Dei in manibus accipere mereberis.* Rex verò hæc audiens consternatus intra se cogitare cœpit, proponens sibi tribulationes huius mundi, & immensos labores, & etiam Regni sollicitudinem: è contra occurrunt ei illæ supradictæ Euangelicæ promissiones, & illud Dominici corporis desiderabile & delectabile Sacrificiũ, & ad se reuertens dixit Fratribus. *Si ista vera sunt quæ audio, imò quia verissima esse credo, consiliis vestris acquiescam.* Sed priùs vadam & indicabo Reginæ, & ab ea impetrabo huius facti licentiam. Rex verò cum ad Palatium venisset, introiuit ad Reginam, & omnia narrauit ei, quod ei & filiis suis regnum relinquere vellet, & quod habitum Religionis suscipiendo Sacerdos fieret, & pro ipsis & pro statu Regni Deum exorare non cessaret: *vnde peto, vt ad hoc faciendum mihi licentiam donare velis.* Regina verò mirabiliter stupefacta nihil respondit ei. Sed statim mittens Fratrem Regis Comitem de Anjou ad se vocari iussit, filiosque accersitos ita fertur allocuta fuisse: *Quod melius eligitis, an appellemini filii Sacerdotis, vel filii Regis?* Illi audientes stupefacti nesciebant, quare hoc diceret. Mater statim subsecuta est, dicens. *Illi Prædicatores Regem ad hoc induxerunt, vt nobis relictis & Regno Prædicator & Sacerdos fiat.* Comes verò eum hæc audisset, in furorem versus, eum impudentissimè obiurgabat, & Prædicatoribus minabatur. Filius verò Regis primogenitus, qui post Regem regnare debebat, Prædicatores etiam quomodo poterat, vituperabat. *Rex verò conuitiis eorum commotus Filio suo fertur alapam dedisse.* Filius verò ait Patri. *Domine, quia Pater & Dominus meus estis, non sum vobis ingratus. Sed iuro per S. Dionysium Patronum nostrum, si aliquando me contigerit Deo annuente gubernacula Regni obtinere,* Ego omnes istos Prædicatores à Regno expelli faciam. Cumque Rex hoc iuramentum audisset, vltramodum indoluit, quia sciebat eum animo esse ferum. Comes verò Frater Regis præcepit, ne Prædicatores, in toto Regno Franciæ de cætero prædicare præsumerent. Fertur etiam præcepisse ne quis Prædicatoribus aliquid conferre auderet. Illud etiam Regem potissimum offendisse dicebatur, *quòd omnes Scholares qui in Ciuitate Parisiensi morabantur, exeuntes de Ciuitate per diuersa loca se collocauerunt, & hoc in opprobrium ipsius Regis. Enimuero quia hæc suprascripta facta eo tempore quo hæc scribebamus, ad nullum certum finem deuenerant, aliquid vlterius scribere nequiui.*

Certum est iis temporibus plurimos quoque Ecclesiæ Proceres de nimia Mendicantium potestate conquestos fuisse, & conquerenti Academiæ subscripsisse, præsertim quoad Missionem extraordinariam, quâ iuxta sua priuilegia dicebant sibi licere prædicare & confessiones excipere vbicunque locorum absq; vllo præuio examine Prælatorum. Contra quam licentiam varia sacræ Scripturæ loca collegerunt Theologi Parisienses, & ad summum Pontificem per suos Legatos transmiserunt. Quibus lectis & perlectis idem Pontifex morti propinquus priuilegia quæ illis concesserat, reuocauit, eaque certis finibus coarctauit.

Dicebant illi se missos à summo Pontifice eiusque vices vbique locorum obire, & quemadmodum si præsens adesset, nemo refragari posset quin liberè prædicaret, & confessiones exciperet, ita se, qui eum repræsentabant quique ad opitulandum Prælatis & Rectoribus Parochiarum mittebantur, posse liberè omnia munia exercere. Theologi verò Parisienses apud Guillelmum de S. Amore examinatis variis missorum & Opitulationum generibus, sic propius ad rem veniunt.

„ Verum si D. Papa infinitis & incertis à se vel ab Ecclesia non electis & sibi non „ cognitis vel probatis prius (v.g. vniuersis Monachis Cluniacensis aut Cisterciensis „ Ordinis, aut quoscumq; Abbates eorum duxerint destinandos) concedat in ge„ nerali licentiam prædicandi, confessiones audiendi, pœnitentias iniungendi, „ in quibus maximè consistit regimen animarum; non est verisimile quod per talem licentiam in generali concessam intendat eos facere vniuersales Apostolos,

vel etiam vniuersales Opitulationes Ecclesiæ vniuersæ, habentes scilicet generalem & liberam potestatem exercendi prædicta officia in omni Ecclesia Christianorum, irrequisitis Prælatis Ecclesiasticis, vel inuitis, cum D. Iesus Christus, cuius est Vicarius Generalis, & propter quod debet eum in suo regimine imitari, tanquam eius Generalis Minister, iuxta illud Ioan. 10. Qui mihi ministrat, me sequatur. Glos. 18. me imitetur, dum esset in carne mortali, non nisi certas personas à se electas, conuersatione expertas, & de suo disciplinatu probatas miserit ad prædictum regimen animarum, videlicet 12. Apostolos Luc 9. & 72. Discipulos Luc. 10. dicens eis Matth. 10. *Ecce ego* Gloss. *qui elegi*, *qui docui*, *mitto vos*. Gloss. Discipulos missos vos facio: Ideo sitis mansueti, humiles, innocentes. Quasi diceret, Ideo elegi vos & docui & probaui in meo disciplinatu, antequam mitterem, vt sitis quales esse oportet, scilicet mansueti, &c. Ideo autem elegit Dominus, & probauit Discipulos suos antequam mitteret, non quod ipse probatione indigeret, qui nihil ignorat, sed vt daret formam mittentibus, quod non mitterent passim & sine delectu, sed deligerent electos, doctos & diu probatos, &c.

Cum igitur secundum Apostolum, omnes quibus committitur Prædicationis officium, ante commissionem sint à committente probandi; cum etiam Saluator noster, qui errare non potest, certas & à se electas, & sibi experimento cognitas & probatas personas miserit ad regimen animarum, & hoc tantum ad instructionem sequentium Ministrorum suorum fecerit; non est verisimile summum Pontificem, Apostolorum Successorem, Christi Vicarium ac generalem Ministrum, & ob hoc ad eius imitationem, vt ostensum est, obligatum mittere velle vel intendere ad illud regimen personas infinitas, incertas, à se vel ab Ecclesiâ Canonicâ non electas, nec sibi cognitas nec probatas, vt Opitulationes generales, habentes scilicet generalem & liberam potestatem eiusdem regiminis per Ecclesiam vniuersam.

Item certum est, quod nullus Apostolorum præter Paulum fuerit generalis Prædicator totius orbis Gentium, sed singuli ad singulas fuerunt prouincias destinati. Vnde Rom. 1. super illud, segregatus in Euangelium Dei, dicit Gloss. destinatus est Paulus Apostolus Gentibus totius Orbis Prædicator: at reliquis singulis Prouinciis facti sunt Legati & Prædicatores. Item B. Gregorius licet summus Pontifex esset, tamen nihilominus vniuersalem Pontificem se prohibet appellari; quoniam aliis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur, vt legitur dist. 99. Can. Ecce, in præfatione. Non est ergo verisimile quod D. Papa, Christi Vicarius & imitator infinitis & incertis personis, & à se vel ab alio Prælato Canonicè non electis, nec experimento probatis concesserit generalem Apostolatum seu Pontificatum totius Orbis, vel etiam generalem Opitulationem seu Legationem, videlicet prædictam potestatem liberam eis generaliter concedendo; ne illi per hoc maiores, vel discretiores Apostolis vel Episcopis omnibus videantur, ne Prælatis Ecclesiæ vniuersis subtrahi videretur, quod illis infinitis & incertis personis plusquam ratio exigit, præberetur, & sic vilesceret nomen Episcopi, & status Ecclesiæ perturbaretur. Nam vt dicit Damasus Papa, si vilescat nomen Pontificum, omnis status Ecclesiæ perturbatur, &c.

Item non est intentionis summi Pontificis vel imminuere, vel arctare, vel infringere, vel impedire honorem, potestatem, Iurisdictionem & officia Fratrum Coepiscoporum suorum, iuxta illud Gregor. Nec honorem meum deputo, in quo Fratres meos honorem suum perdere cognosco: meus namque honor est vniuersalis Ecclesiæ: meus honor est Fratrum meorum solitus vigor: tunc ego honoratus sum, dum singulis quibusque honor debitus non negatur, &c. Constat autem quod potestas & officium Episcoporum est probare siue examinare Prædicatores ignotos: item potestas & officium Episcoporum est resistere Pseudoprædicatoribus, vnde 1. Timoth. 1. in principio dicit Gloss. Timotheo in Asia relicto Episcopo scribit Apostolus de Episcoporum officio, videlicet quomodo resistat Pseudoapostolis. Ecce quod officium & potestas Episcoporum est examinare Prædicatores, & resistere Pseudoprædicatoribus.

„ *Item* in hoc consistit honor, Iurisdictio & potestas Episcoporum, & ius & distin-
„ ctio & pax Ecclesiarum, vt in vna Diœcesi non sit nisi vnus Episcopus, in vno
„ Archidiaconatu, nisi vnus Archidiaconus, in vna Parochia nisi vnus Rector Pa-
„ rochialis, &c.

„ *Cum* igitur vt dictum est, potestas Episcoporum sit examinare Prædicatores
„ & resistere illis si Pseudo fuerint inuenti, & Iurisdictio & honor eorum sit, vt
„ vnius Diœcesis vnus sit Episcopus, & vnius Ecclesiæ vnus Rector, & quod nullus
„ à D. Papa non missus debeat eis irrequisitis vel inuitis in eorum Diœcesibus
„ Officia Ecclesiastica exercere, nec sit intentionis D. Papæ minuere vel alterare
„ vel impedire potestatem vel honorem vel Iurisdictionem eorumdem Episcopo-
„ rum vt ostensum est supra; constat autem quod si præfatæ infinitæ personæ &
„ incertæ sine mandato aut legatione D. Papæ spirituali possent Ecclesiastica officia
„ in qualibet Diœcesi & in qualibet Ecclesia irrequisitis vel inuitis Episcopis pu-
„ blicè exercere, ita quod non possent Episcopi ratione Prælationis suæ illos
„ prohibere, vel saltem examinare, nec iis possent resistere, etiam si pseudo essent
„ inuenti, restat quod per hoc minueretur, imò infringeretur & turbaretur Præla-
„ tio. Idest potestas, honor & Iurisdictio Episcoporum: restat etiam per consequen-
„ tiam quod ex hoc Ordo vniuersæ Ecclesiæ confunderetur; non enim posset ip-
„ sius vniuersitas vlla ratione subsistere, nisi eam Prælationis & subiectionis Ordo
„ seruaret: vt legitur distinct. 89. Can. Ad hoc, &c.

„ *Cum* igitur non sit intentionis summi Pontificis Rectoris Ecclesiæ ge-
„ neralis, confundere Ordinem Ecclesiæ vniuersæ, vel turbare pacem Ecclesiæ,
„ quæ duo per ordinem Prælationis & Subiectionis seruantur; sed potius sit inten-
„ tionis eius Ecclesiam construere & ordinem seruare: restat quod secundum inten-
„ tionem summi Pontificis, vt videtur, præfatæ infinitæ personæ & incertæ, per
„ prædictam Ecclesiam generalem, non possunt dici Opitulationes generales
„ Ecclesiæ vniuersæ, vt per hoc liberè valeant in Ecclesia generali Ecclesiastica
„ Officia publicè exercere, irrequisitis Prælatis Ecclesiasticis vel inuitis; vel po-
„ tius debent ab Episcopis horum authoritatem requirere, nisi aliter missionem
„ suam, vel legationem sibi à D. Papa commissam canonicè ostendant, quemad-
„ modum dicitur in Decretali. Quod si D. Papa concesserit aliquibus Regulari-
„ bus, vt Ecclesias suas, cum vacauerint, possint in proprios vsus conuertere, illis
„ tamen vacantibus non possunt authoritate illius concessiunis eas intrare, sed ne-
„ cesse habent Episcoporum authoritatem nihilominus implorare, quia per talem
„ generalem indulgentiam non intendit D. Papa ipsorum iuribus derogare, nisi &
„ hoc exprimatur in eius concessione. Extra de Priuilegio. cap. *Pastoralem*. Longè
plura habet M. Guillelmus in Collectionibus Scripturæ Sacræ, quibus superse-
deo.

Dum igitur Vniuersitas Parisiensis ita causam suam omnibus manifestari &
probari cupit, non minus apud summum Pontificem enititur, vt Ecclesiasticæ
Hierarchiæ quam Priuilegiis quibusdam quæ Mendicantibus concesserat, con-
uellisse videbatur, suum splendorem dignitatemque cum antiquo iure restituat:
atque ita enititur, vt Regularium excessus compressus fuerit aliquatenus ab In-
nocentio, vetando & interdicendo ne Parochianos alienos diebus Dominicis &
festiuis reciperent temerè ad Diuina, neve admitterent ad pœnitentiam absque
licentia proprij sacerdotis, vel saltem nisi primò confessi fuissent sacerdoti, &
absolutionis munus ab eodem consequuti fuissent.

Postquam autem huius Pontificis Bulla ad notitiam publicam peruenit, ita
Dominicanorum animos afflixit, vt licet ab eodem, & eius gratiâ restituti fuis-
sent in omnia Academiæ iura, atque in ipsam quoque societatem cum Acade-
micis, nec famæ nec memoriæ ipsius pepercerint: Bulla autem data est hoc anno
mense Nouembri, paulò ante quàm fato fungeretur. Estque eiusmodi.

Bulla Innocentii contra Mendicantes. *Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis Vniuersis Religiosis cuius-
cunque Professionis vel Ordinis præsentes litteras inspecturis Sal. & Apost. bened.* Etsi
„ animarum affectantes salutem, vniuersis & singulis qui Christiana professione
„ censentur, vt suas Deo lucrifaciant animas, cupiamus charitate & pietate duce
„ sub moderamine Iuris ad Iustitiæ regulam & lineam æquitatis norma seruata
„ modestiæ dirigere actus suos, potiori tamen desiderio peroptamus vt vos, qui

mūdo & pompis eius contemptis per gradus altiores ducatus specie procedentes Religionis apicem conscendistis, omnem in vobis Iustitiam impleatis, indictæ vobis modestiæ seruando tenorem & ab omnibus per quæ à Religionis videatur rectitudine deuiari, vel vobis rationabiliter detrahi valeat, abstinendo: ita quod Recti per vos diligenter vestræ perfectionis pulchritudinem & delectabiter intuentes glorificent Patrem nostrum, & iniquis os maliloquum obstruatur. Cum enim Mundo, Angelis & hominibus facti sitis spectaculum, vix in vobis potest esse ruga tā tenuis vel macula tam latens, quin latius & conspectius quàm in alijs appareat. Vnde si qua vestris actibus Apostolatui nostro referantur, quæ sanctitatis vestræ obnubilent claritatem, eo nimirum grauiori dolore confodimur, quod Nos vestram gloriam totius Ecclesiæ generaliter iubar præcipuum reputantes, ipsius splendorem vestri obnubilatione nitoris non ambigimus notabiliter inhonorari. Sanè grauis & clamosa querela nostris assiduè auribus inculcatur, quod nonnulli vestrum suis iuribus & finibus non contenti, Parochianos alienos præsumunt temerè ad DiuinaOfficia recipere contra Canonicas Sanctiones: & licet dictorum Parochianorum Iudices non existant, nec ligandi aut soluendi eos acceperint potestatem, se tamen ipsorum iudices facientes, ipsos in foro pœnitentiali periculosè absoluunt & ligant pro suæ libito voluntatis: sicque ipsis qui proprios spernunt Presbyteros minimè absolutis, illud salutiferum nostræ peregrinationis viaticum, quod non proficit nisi à criminis labe mundis, in animarum suarum & eorum qui illud non diiudicantes indebitè recipiunt, periculum conferre non verentur: sicque eorum prædicti Sacerdotes qui curam suscipiendo ipsorum, suam pro eis animam obligant, dum sibi taliter subtrahuntur, statum ignorantes eorum non possunt quod in eis est ægrotum sanare, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum: & sic dum curâ omissâ necessaria non adhibenrur remedia, inualescentibus morbis vsque ad interemptionem læsio debacchatur, iidem sacerdotes nullam possunt de sic pereuntibus animabus supremo Iudici reddere rationem. Alij quoque vestrum diebus Dominicis & festiuis dum in Parochialibus Ecclesiis Missarum solennia celebrantur solenniter verbum prædicationis proponunt populo, qui ad audienda Diuina Officia in Ecclesiis ipsis diebus prædictis conuenire consueuerat, vt tenetur ad prædicationem huiusmodi conuocato, ab ipsis sub specie sanctioris actionis abstracto: & sic ab eisdem Parochianis Diuina omittuntur Officia, & Sacerdos in domo, quasi passer vnicus in ædificio remanens derelictus, suorum Parochianorum solatio & consuetis obligationibus defrandatnr. Alij verò Diœcesano Episcopo minimè deferentes eadem die & frequenter horâ ipsâ, quâ idem Episcopus commisso sibi populo solemniter prædicat, suas prædicationes Inculcant & faciunt vt verbum Dei quod desiderantet & auidè suscipi consueuit, ex prædicationis concursu contemptibile reddatur in auribus auditorum. Illud etiam satis notabile videtur & indecens, quod nonnulli vestrum mox vt aliquus ægritudinis languore detentos intelligunt, ad ipsos festini concurrunt, & eos illectiuis verborum blandiciis demulcentes præcipuum ipsis salutis remedium pollicentur, si apud eorum Ecclesias elegerint sepulturam: ac tandem ad suum propositum talibus persuasionibus pertrahentes ad testamenta eorum ordinanda se ingerunt & lætantur, cum Canonicâ Iustitiâ defraudantur Ecclesiæ, de quarum Parochiis assumuntur corpora defunctorum. Et nonnulli qui vt nudi nudum Christum liberè sequi possent, Religionis se vinculo adstringendo, speciosa & magna contempsisse noscuntur, se in alienis iuribus contra Deum & Iustitiam vsurpandis exhibent pertinaces. Multa quidem & alia grauamina tam Prælatis quàm Clericis frequenter à vobis illata & inferri quotidie proponuntur, quæ pro Religionis honore honestius reputamus sub silentio præterire. Ex quibus profectò proximorum ius læditur, Ecclesiarum Iustitiæ derogatur, blasphematur Religio, Deus ipse offenditur, quodque periculosius est, fidelium animæ in laqueum mortis & in puteum interitus pertrahuntur..

Nos igitur qui ex suscepti Apostolatus sumus omnibus in iustitia debitores, vt condecet attendentes, quod ex vsurpatione huiusmodi non tantùm indeuotio & contemptus in populo prodeunt contra proprios sacerdotes, verum etiam

erubescentia quæ est magna pars pœnitentiæ, tollitur, dum quis non proprio sacerdoti, quem habet continuum & præsentem, sed alieno & aliquando transeunti, ad quem difficilis & quandoque impossibilis est recursus, sua crimina confitetur. Ne tamen abusiuos excessus videamur per tolerantiam comprobare, volentes in posterum freno iuris prædictarum transgressionum iniurias cohibere, ac singulis Ecclesiis & earum Ministris sua iura illæsa omnimodè conseruari, nec non Parochianorum saluti & famæ vestræ consulere, circa præmissa nihil nouum in vestrum inducendo grauamen, sed antiqua & moderna iura in medium deducendo, Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus Parochianos alienos diebus Dominicis & festiuis non recipiatis de cætero in vestris Ecclesiis seu Oratoriis temere ad Diuina, nec ipsos sine sacerdotis sui licentia ad pœnitentiam vllatenus admittatis, cum si quis alieno sacerdoti iusta de causa sua voluerit confiteri peccata, secundum statuta Generalis Concilii licentiam prius postulare ac obtinere debeat à proprio sacerdote, vel saltem primò sibi confiteri & recipere absolutionis beneficium ab eodem: aliter namque ab ipso solui non poterit, cum duplex in iudicando funiculus, scilicet potestatis & scientiæ requiratur; quorum alterum constat in alieno deficere sacerdote. Et ne Parochialibus Ecclesiis deuotio debita subtrahatur, antè Missarum solemnia ad quæ audienda Parochiani prima diei parte in suis consueuerunt & debent Ecclesiis conuenire, nequaquam in vestris Ecclesiis prædictis nec horâ illâ solennes in eis faciatis sermones, ne propter hos audiendos, ad vos populus confluens Parochiales Ecclesias derelinquat: sed nec ad prædicandum solenniter ad alias Parochias accedatis, nisi à sacerdote Parochiarum ipsarum fueritis inuitati, vel saltem nisi ad illud humiliter petieritis & obtinueritis vos admitti. Et vt debitus honor Episcopis deferatur, eadem die quâ Diœcesanus Episcopus vel alius loco eius solenniter, maximè in Ecclesia Cathedrali, nullus vestrum in eadem Ciuitate vel loco prædicare præsumat, ne salubris prædicationis doctrina ex frequenti conculcatione huiusmodi quasi tædium generans contemnatur. Si verò in casu licito Parochianos alterius ad sepulturam, quam nemo sine iusta & rationabili causâ temere debet eligere antiquis suorum parentum dimissis sepulchris, in vestris Ecclesiis recipere vos contingat, omnium quæ obtentu sepulturæ huius fueritis consequuti, medietatem vel tertiam vel quartam partem iuxta felicis recordationis Gregorii Papæ prædecessoris nostri Decretum, secundum consuetudinem regionis, etiam non requisiti infra 8. dies à tempore receptionis eorum Episcopo vel Sacerdoti, de cuius Parochia mortuus assumptus est, exhibere curetis, Constitutionibus bonæ memoriæ Innocentii & Gregorii Romanorum Pontificum de non deducenda Canonicâ portione tam de equis & armis legatis in subsidium Terræ sanctæ, quàm de iis quæ in ornamentis & aliis ad Diuinum cultum spectantibus relinquuntur, in suo robore duraturis, dummodo non relinquantur in fraudem, vt sic Episcopo vel Parochiali Ecclesiæ debita portio detrahatur. Si quis verò vestrum huius nostræ prouisionis transgressor contra prædicta vel aliquid prædictorum venire præsumpserit, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis sententiã quã eum ipso facto incurrere volumus, gradus sui periculo subiacebit, & nihilominus à loci Diœcesano ad præmissa & singula obseruanda Censurâ Ecclesiasticâ Apostolicâ regulâ districtius compellatur, nullis contra hoc Apostolicis indulgentiis valituris. Datum Neapoli XI. Kalend. Decemb. Pontific. nostri anno 12.

Vt propior morti Innocentius, ita magis timuit concessi olim Mendicantibus Priuilegii, de quo ad an. 1. eius Pontificatus diximus, reddere rationem supremo omnium mortalium Iudici: itaque hacce Bulla suum quodammodo ius Ordinariis & Parochis restituit, quod detraxerat; Mendicantibus verò abstulit alienum, quod non satis prouidè concesserat. Paulo post igitur obiit Neapoli die 7. vel vt scribit Ciaconius, die 13. Decemb. an. 1254. Cuius interitum simul cum illa Bulla exceperunt Fratres: qui non minus impiè, quàm impudenter eius dies ob id à Deo diminutos euulgarunt, quod concessa priuilegia reuocasset & irritasset.

Ad eundem Pontificem scripserat Episcopus Parisiensis & librum quendam

Introductorium in *Euangelium æternum*, seu in libros Abbatis Ioachim, qui à Mendicantibus præsumptuosè & contumaciter propugnabantur: simulque excerpta quædam seu schedulas libri illius errores plurimos continentes, imò & nonnullos qui malè affingi dicebantur authori prædicti libri Introductorii. Sed Innocentius morte præuentus rescribere non potuit. Perbellè verò Mendicantibus accidit, quod in defuncti locum statim substitutus fuerit Alexander IV. ipsis addictissimus: nam ne prædicta Bulla, si executioni demandaretur, multorum animos à se auerteret, ab Alexandro Bullam aliam obtinuerunt ad omnes Archiepiscopos, Episcopos & alios Ecclesiarum Prælatos: quâ Prædecessoris sui Bullam veluti subreptitiam & præter formam communem ac solitam, per occupationem & festinationem editam reuocauit, illisque omnia sua iura & priuilegia restituit.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Vniuersis Archiepiscopis, Episcopis ac Dilectis filiis Abbatibus, Prioribus & Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris & aliis Ecclesiarum Prælatis ac cæteris personis Ecclesiasticis tam secularibus quàm Regularibus cuiuscunque Ordinis vel Professionis existant, Salutem & Apostolicam benedictionem. Nec insolitum, nec nouum vt ea quæ per occupationem vel festinantiam fiunt, pro eo quod congruæ deliberationis limam prætereunt, in propensioris considerationis reducantur examen, vt certiora & elimatiora per attentionem plenioris discussionis emanent. Sanè quædam ab Apostolica sede tempore felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædecessoris nostri litteræ processerunt, in quibus ipse Vniuersis Religiosis cuiuscunque Professionis vel Ordinis districtè in virtute obedientiæ iniungebat, vt Parochianos alienos diebus Dominicis & festiuis non reciperent de cætero in suis Ecclesiis seu Oratoriis temerè ad Diuina, nec ipsos vllatenus ad pœnitentiam admitterent sine suorum licentia Sacerdotum, nec eis in suis prædicarent Ecclesiis ante Missarum solennia, pro quibus audiendis primâ diei parte iidem Parochiani consueuerunt & debent in suis Ecclesiis conuenire, nec solennes etiam sermones facerent illâ hora, sed nec ad prædicandum solenniter Parochias alienas accederent, nisi essent ab eorum Sacerdotibus inuitati, vel saltem nisi se ad id humiliter peterent & obtinerent admitti, nec ea die quâ Diœcesanus Episcopus vel alius loco eius prædicaret solenniter maximè in Ecclesia Cathedrali, aliquis ipsorum in eadem Ciuitate vel loco præsumeret prædicare. Si verò in casu licito Parochianum alterius eos in suis Ecclesiis recipere ad sepulturam contingeret, omnium quæ obtentu consequerentur eiusmodi sepulturæ portionem Canonicam etiam non requisiti infra octo dies à tempore receptionis eorum Episcopo vel Sacerdoti, de cuius Parochia mortuus esset assumptus, exhibere curarent. Si autem aliquis Religiosorum ipsorum huius præcepti transgressor contra prædicta vel aliquid prædictorum venire præsumeret, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis sententiam quam eum incurrere voluit ipso facto, gradus sui periculo subiaceret, & nihilominus à Diœcesano ad præmissa vniuersa & singula obseruanda per Censuram Ecclesiasticam appellatione remotâ districtius cogeretur, nullis ei contra hæc Indulgentiis, vel Priuilegiis Apostolicis valituris. Verum quia super præmissis litteris cogitare attentius & studiosius deliberare proponimus; pacis commodum & quietis solatium Ecclesiis & personis Ecclesiasticis potissimè cupientes, præfatas litteras, & si quæ aliæ super prædictis vel eorum aliquo contra præfatos Religiosos vel aliquos ex ipsis generaliter vel specialiter præter formam communem & solitam processêre, ac mandata seu præcepta facta in eis vel earum authoritate duximus penitus reuocanda. Ideoque Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per huiusmodi litteras vel occasione mandatorum seu præceptorum aut sententiæ quæ continent, nihil prorsus agatis, cum nullam deinceps efficaciam habeant vel vigorem. Datum Neapoli, XI. Kalend. Ianuarii, Pontificatus nostri anno I.

Pro Mendicantibus.

Quid tum senserint Dominicani de Innocentio qui Priuilegia abrogauerat, quid de Alexandro qui restituerat, intelligimus ex Thoma Cantipratano Dominicano, illorum temporum scriptore, lib. 2. de Apib. c. 10. n. 21 *Quidam*, inquit, *nostro tempore Papa, cuius nomen propter S. sedis reuerentiam silentio pertransimus* (agnosce Lector quanta cum modestia loquatur de Innocentio, quem sibi mi-

nus fauentem habuerant Mendicantes) *cum sicut ab illis indubitanter accepimus, qui Romæ in Curia tunc fuerunt, litteras dedisset contra Priuilegia à seipso & suis Prædecessoribus 4. Apostolicis obtenta, duorum Ordinum, quorum vnum per Zachariam Prophetam Conditor ab æterno* Decorem *vocauit*, Prædicatorum *scilicet; alterum verò* Funiculũ, *quo lucidissimè intelligas Minores, eadem die Paralysi percussus obmutuit: nec vnquam postea inualuit aut surrexit. Qui etiam à quodam sanctissimo viro extra muros vrbis Romæ manifestissimè visus est mortuus dari sanctis Dei Francisco atque Dominico iudicandus.* Quis ferat hominem tam fatuè & impudenter loquentem? pergit. *Litteras verò datas Beatissimus Alexander Papa cum Consilio Fratrum Cardinalium solemniter reuocauit.* Et vide quàm vtilis Ecclesiæ fuit illa reuocatio litterarum. Pro constanti enim recepimus à fide dignis, quod si processum prædicta machinatio per dictas litteras habuisset, potentissimi Reges Orbis, vt audière postea Papale mandatum, cum iuramento dixerunt sibi & Prælatorum & Clericorum Secularium possessiones & reditus vsurpasse, si dictos duos Ordines Apostolicus destruxisset. Dixerunt enim Prædicatores & Minores propter exemplum & doctrinam in salutem maximam à Deo datos esse hominibus. Et hoc manifestum est toti mundo. Quales autem illi essent per quos eorum destructio parabatur, nec Deum, nec sanctos latet, nec ipsos inhabitantes Orbem: quibus eorum vita nota est & probata. Huius crudelissimi Edicti (ab Innocentio scilicet lati) 4. præcipuè Magistri fuerunt Parisius infatigabiles incentores, qui simplicitatem Scholarium Parisius contra dictos Fratres feraliter concitarunt in tantum, vt nisi se piissimus ac deuotissimus Ludouicus Rex Francorum, nec non & frater eius plus Comes Pictauiæ Alphonsus antequam ipse Rex à transmarinis partibus rediret in Galliam, muros inquam se pro Fratribus posuissent, abdicatos eosdem rebus & corporibus exterminassent. Hinc cum nihil aliud possent, litteras infamatorias plenas mendaciis contra dictos Fratres per diuersa loca & regna miserunt. Hæc Cantipratanus Dominicanus. At Mathæus Parisiensis vindictæ Diuinæ mortem eius tam subitam adscribit, propter odium quod in M. Robertum Capitonem Episcopum Lincolniensem conceperat, cuius quippe ossa è tumulo eruere & insepulta relinquere decreuerat nisi obstitissent Cardinales: rem sic narrat. *Hoc etiam anno D. Papa dum vnâ dierum iratus supra modum vellet cum mala gratia omnium Fratrum Cardinalium ossa Episcopi Lincolniensis corporis extra Ecclesiam projicere & ipsum in tantam* infamiam præcipitare, vt Ethnicus & rebellis & inobediens per totum mundum acclamaretur, iussit talem litteram scribi D. Regi Angliæ transmittendam, sciens quod ipse Rex libenter desæuiret in ipsum & in Ecclesiam deprædandam. Sed nocte sequenti apparuit ei idem Episcopus Lincolniensis Pontificalibus redimitus vultu seuero, intuituque austero ac voce terribili ipsum Papam in lecto sine quiete quiescentem aggreditur & affatur pungens ipsum in latere ictu impetuoso sui cuspide baculi quem baiulabat, Pastoralis. Et dixit ei: *Senebalde Papa miserrime, proposuistine ossa mea in mei & Ecclesiæ Lincolniensis opprobrium extra Ecclesiam projicere? vnde hæc tibi temeritas? dignius fores vt tu à Deo sublimatus & honoratus Dei Zelatores licet defunctos coleres: nullam potestatem in me habere te Dominus amodo patietur: scripsi tibi in spiritu humilitatis & dilectionis, vt errores tuos crebros corrigeres. Sed tu monita salubria superbo oculo & fascinanti corde contempsisti. Væ qui spernis, nonne & tu contemnêris?* Et sic recedente Pontifice Robertus ipsum Papam qui quando vt dictum est pungebatur ab alto ingemuit quasi lanceâ transuerberatus, dereliquit seminecem & voce flebili cum suspiriis ingemiscentem. Vnde Camerarii eius hæc audientes attoniti interrogauerunt quidnam hoc sibi vellet? Papa verò cum gemitibus & suspiriis respondit dicens. *Terrores nocturni conturbauerunt me vehementer. Nec mihi penitus vt prius restaurabor restitutus. Heu heu quantum latus doleo, sum lancea Genio lanceatus.* Nec comedit nec bibit illâ die fingens se anhelis febribus inflammatum. Nec adhuc quieuit Domini super eum vltio cum indignatione.

Huic rei causam doloris adiungit aliam, victum nempe à Conrado Rege Siciliæ exercitum. *Tempore quoque sub eodem in crastino videlicet B. Nicolai obiit Papa Innocentius IV. apud Neapolim duplici incommodo sauciatus. Postquam enim Episcopus Lincolniensis Robertus in visione nocturna cuspide Baculi sui Pastoralis ipsum in latere iratus pupugit & impetuosè vt dictum est, impegit, pleuresi laborauerat irremediabiliter. Et post-*

quam exercitus suus à Conrado aduersario suo victus est & dissipatus, nunquam postea à mente vel corpore prosperè egit, sed ad mortem sensim declinauit. Ita ergo diuersimodè Cantipratanus & Mathæus causam mortis assignant, prout vterque affectus fuit.

Reuera multis sincerius & sanius de rebus ab Innocentio gestis iudicantibus intolerabile visum est, quod Conradum Siciliæ Regem Friderici II. ex parte hæredem & successorem obiectis quibusdam criminibus Regno spoliasset Regique Anglicano ipsum attribuisset. Obiiciebat enim quod hæreticus esset & homicida, quod contemptis Petri clauibus interdicti tempore diuina celebrari nihilominus iussisset: quod Fridericum nepotem suum & Henricum fratrem veneno sustulisset. Quæ crimina videre est à Conrado diluta apud eundem Mathæum in Additamentis. Sed è diuerticulo in viam.

Accusabant Dominicani præterea quendam Episcopum Cardinalem qui olim Vniuersitatis Rector fuerat, scilicet M. Petrum de Collemedio, Honorii III. & Gregorii IX. antea Capellanum, & Præpositum S. Audomari Diœcesis Morinensis, quod à Parisiensibus Magistris inductus Bullam illam ab Innocentio elicuisset ad depressionem sui Ordinis. Quod ipsius factum manifestâ Dei vindictâ punitum refert idem Cantipratanus loco citato n. 34. *Quadam referam*, inquit, de Magistro quodam opinione permaximo, qui prius Præpositus solennis Ecclesiæ Domum Fratrum Prædicatorum constructam in oppido violenter eiecit; sed ruinâ turpiori vt audiui est eiectus (magnam certè hominis modestiam, quippe nomini parcit!) *factus* enim Episcopus & Rom. Curiæ Cardinalis tyrannizauit feraliter contra Fratres Prædicatores pariter & Minores: & ob hoc vt patuit, tali morte mulctatus est. Cadens enim de loco editiori fractis ceruicibus expirauit. Et vide mirabilius & grauius quàm audisti.

Eadem die quâ cecidit, cum eius mors subita ex reuelatione cuiusdam mulieris sanctissimæ per fratrem quendam Minorum prædiceretur ei, spreuit arguentem se, & inuectus contumelia dixit, *Non es Propheta, neque filius Propheta. Et ego quidem procuraui, vt Ordo vester & Ordo Prædicatorum subiciantur Episcopis: addam & hoc, vt subiiciamini vilissimorum pedibus sacerdotum.* Hæc dicens vidit signa prædicta sibi & non aduertit. Excœcauit enim eum superbia, quam non vidit. Et hæc signa fuerunt: quod ira immoderata dominaretur ei, dum in ipso mane diei, quo accessurus erat ad altare, pacificari non posset: quod loturus manus suas Episcopalem annulum perderet. Quæ omnia luce clarius sunt completa. Cum enim D. Papa Ecclesiam quandam FF. Minorum consecrasse debuisset, & dictus Episcopus Cardinalis ad portam Fratrum Minorum pulsans intromissus celeriter non fuisset, tanta ira raptus est extra se, vt celebraturus primam Missam nullomodo etiam facta Confessione pacificari posset, & tamen ad terrifica sacramenta processit: Posthæc verò cum manus suas regressus ad hospitium abluere voluisset, & adstanti Episcopalem annulum ad tenendum porrexisset, lotus mox illum qui habebat annulum non inuenit: statimque miratus dixit, *Ego perdidi Præsulatum.* Omnibus itaque subticentibus atque stupentibus ascendit editius & solus contra consuetudinem suam senex ac debilitate confectus processit ad Cameram, & dissilienre asserre deorsum excidit & expirauit. Et vide stupendum valde & occultum Dei Iudicium. Cognoui ipse hominem vt commensalis dilectus & familiaris eidem, secum vnà domo Parisius hospitatus. De quo fateor rarò secularem Clericum tam sobrium, tam honestum, tam affabilem, tam largum in pauperes me vidisse. Et cum quidem vidi nouem Episcopatuum contemptorem, tandemque per 3. menses Excommunicatione coactum Archiepiscopatus cuiusdam suscipere dignitatem. Inde verò translatus Romanæ Curiæ fit Episcopus Cardinalis: *& in tali eminentia taliter vt audistis desipuit.* Quis hoc vnquam de tanto viro dixit, præter Cantipratanum nimio & intemperantiori prædictorum Ordinum amplificandorum studio ductum? nec tamen erubuerunt Posteri fabulas istas Historiæ, quâ nihil sacratius esse debet inter mortales, attexere: Bzouius idem commentum ex Cantipratano & Monacho Paduano l. 2. Chron. inserit: qui hoc quoque commemorat, Ordines illos duos Mendicantes, vt malum quod ab Innocentio sibi illatum putabant, auerterent, cœlestem opem implorandam duxisse quotidianis ad hoc

indictis Litaniis, quæ dum à Fratribus recitarentur, apparuisse vni ex illis aiunt Beatissimam Virginem Mariam, quæ ad singulas ipsius nominis inuocationes ad Filium conuersa respondetet, *Fili exaudi eos*: earumque precum vim tantam fuisse, vt Innocentius in extremis agens grauiterque de latis in eos posterioribus Edictis dolens, frequenter hunc Psalmi versiculum repetierit, *Domine propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius*: indeque repentinâ ictum Paralysi continuò vocis ac subinde vitæ vsum amisisse: vnde in Prouerbium Aulæ Palatinæ abierit. *A Litaniis Prædicatorum, libera nos Domine*. Verum commenta ista merito ab omnibus viris Doctis & verè piis reiiciuntur, & nouissimè a Ludouico Donio Dattichy Episcopo Æduensi in sua Cardinalium Historia.

Certè si diutius vixisset Innocentius, dubium non est, quin Academia longè quietior fuisset quàm fuit temporibus Alexandri: Ille enim pro sua singulari prudentia tumultum compescuerat, non regaliter imperando, sed suauiter adhortando & rogando, vt Dominicanos suâ societate & cathedris frui pateretur, quas ante obtinuerant. Quod verò ad M. Guillelmum de S. Amore attinet, quem sciebat præcipuum esse Collectionum sacræ Scripturæ aduersus Dominicanos authorem, tantum abest vt ei succensuerit, aut iniuriam illi fieri iusserit: quinimo hoc eodem anno, paucis mensibus antequam è vita migraret, permisit ei sumptus in litem Dominicanorum impensos recipere ex bonis Vniuersitatis, & prætcrea mutuum contrahere ad summam vsque 300. libellarum Turonensium, vt legitur apud Wadinghum in Regesto Vaticano Ep. 29. quæ sic inscribitur *Innocentius, &c. M. Guillelmo de S. Amore Canonico Beluacensi Procuratori Magistrorum & Scholarium Parisiensium*. Estque data Idib. Iulij Pontif. an. 12. Vnde satis patet Innocentium Academicorum integritatem innocentiamque agnouisse.

Porro cum inscribit Epistolam M. Guillelmo *Procuratori Magistrorum*, sic intelligi debet, vt Procurator fuerit syndicus, vtpote cui negotium istud omne demandatum fuerat, non verò Nationis: quoniam non vnus, sed quatuor erant pro numero 4. Nationum.

Obiit ergo Innocentius Neapoli hoc anno, sepultusque est in Cathedrali Neapolitana cum hoc Epitaphio, quod ei posuit Humbertus Burgundus è Monte-Aureo Neapol Archiepiscopus sexaginta post & amplius annos, rudibus & obsoletis carminibus qualitercumque digestum.

Hic superis dignus requiescit Papa benignus
Latus de Flisco, sepultus tempore prisco.
Vir sacer & rectus, sancto velamine tectus.
Vt tam collapso mundo temeraria posse
Sancta ministrari vrbs posset quoque rectificari.
Concilium fecit, veteraque iura refecit.
Hæresis illisa tunc extitit atque recisa,
Mœnia direxit, rectè sibi credita rexit.
Strauit inimicum Christi colubrum Fridericum,
Ianua de nato gaudet sic clarificato.
Laudibus immensis vrbs tu quoque Parthenopensis,
Pulchra decore satis, dedit hic sibi plurima gratis.
Hoc titulauit ita Vmbertus Metropolita.

At euolutis plurium annorum curriculis Annibal Archiepiscopus eiusdem vrbis aliud elegantius reposuit, ipsiusque tumulo inscripsit his verbis.

Innocentio IV. Pontifici Maximo de omni Christiana Repub. optimè merito, qui Natali S. Ioannis Baptistæ an. 1243. Pontifex renunciatus, Die Apostolorum Principi sacrâ coronatus, cum purpureo primus pileo Cardinales exornasset, Neapolim à Conrado euersam statui pristino restituendam curasset, innumerisque aliis præclarè & prope Diuinè gestis Pontificatum suum quàm maximè Illustrem reddidisset an. 1254. B. Virginis Luciæ luce hac luce cessit. Annibal de Capua Archiepiscopus Neapolitanus in sanctissimi

Viri memoriam abolitam vetuſtate Epigramma reſtituit.

Hic vir ob inſignem eruditionem Azonis, Accurſij & Iacobi Balduini documentis quæſitam *Pater & Organum veritatis*, Canoniſtarum ſplendor & *Iuris Pater* à multis vocatus eſt: in Iuriſenim diſciplina præſertim excelluit: eiuſque ſingularia opera à Bartolo ſæpe citantur. Scripſit enim *Interpretationes* ad vetus Teſtamentum. Apologeticum de Poteſtate Eccleſiaſtica contra Petrum de Vineis. Commentaria in 5 libros Decretal. Authenticas Epiſtolas Decretales. Regulam Clariſſarum. Vitam S. Guill. Epiſcopi Brioceniſis in Aremorica quem cœlitibus adſcripſit. Regeſti volumina quinque, quæ in Bibliotheca Vaticana ſeruantur. Dubium verò vtrum aliàs ſtuduerit Luteriæ. Certè ſi Bulla quam ſupra retulimus de Seruientibus communibus Vniuerſitatis, ipſius eſt, conſtat Magiſterium in Theologia Pariſiis adeptum. Verum cum nemo eorum quos legerim, dicat alibi ſtuduiſſe quàm Bononiæ, vbi etiam publicè docuiſſe legitur, ſuſpicari licet, Bullam prædictam eſſe Innocentij III. huic verò paucis additis eſſe adſcriptam.

Verum vtut ſit, ipſius Pontificatum & ætatem illuſtrarunt complures viri doctrina & ſanctitate eminentes. Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus & Richardus Ciceſtrenſis Epiſcopus, quos inter Cælites retulit. S. Staniſlaus in Polonia. S. Petrus Veronenſis martyr ex Ordine Prædicatorum. Raymundus de Penna-forti Gregorij IX. Pœnitentiarius. Guillelmus Brioceniſis Epiſcopus apud Aremoricos, cui etiam diuinos honores detulit. S. Ludouicus Francorum Rex. Doctrina verò inter cæteros claruerunt MM. Hugo de S. Caro Cardinalis Dominicanus & Dominicanis addictiſſimus, Petrus de Collemedio item Cardinalis, Alexander Alenſis Minorita Doctor egregius, cuius auditores fuiſſe dicuntur Bonauentura & Thomas Aquinas, Vincentius Bellouacus Ordinis Prædicatorum qui 4. Specula, Naturale, Doctrinale, Morale & Hiſtoriale petente & ſumptus præbente S. Ludouico Francorum Rege compoſuit, vt ait D. Datichy Epiſcopus Æduenſis in Innocentio IV pag. 280. Robertus de Sorbona Sorbonici Collegij fundator; egregij omnes viri & ſupra omnem laudem. His adiungemus M. Albertum, cognomento Magnum; Humbertum Ord. Prædicatorum quintum Magiſtrum Generalem, Hugonis de S. Caro diſcipulum, Ioannem de Rupella Minoritam; Henricum Oſtienſem vulgò nuncupatum Cardinalem, eundemque Archiepiſcopum Ebrodunenſem, ob excellentiam ingenij & Doctrinæ Alexandro IV. chariſſimum: Galterum Epiſcopum Pictauienſem, M. Vlricum Alberti diſcipulum, &c. Iiſdem quoque temporibus M. Henricus de Lexintona alumnus & Magiſter Academiæ Pariſienſis euocatus eſt à Lincolnienſibus ad Epiſcopatum ex Decano eiuſdem Eccleſiæ. Multi quoque hoc anno Sarraceni ad fidem conuerſi & conuertendi venerunt in Franciam: quorum Conuerſionis cauſam aiunt Hiſtorici fuiſſe miram Ludouici noſtri in aduerſitate patientiam. Et Græci Romam profecti veteribus ſuis erroribus de Proceſſione Spiritus SS. fortiter inſtiterunt.

Eodem anno Henricus III. Anglorum Rex per Galliam in Angliam reditu poſtulato, Luteriam venit exceptuſque eſt quàm fieri potuit honorificentiſſimè à Rege Ludouico, qui paulo ante ex partibus redierat tranſmarinis. Eius verò aduentum celebrauit Vniuerſitas ſumma feſtiuitate, & Iuſtitium ad aliquot dies ob eam rem indixit: maximè verò Natio Anglicana Principem ſuum naturalem quo potuit honore & officiorum ſuorum ſignificatione excepit: qua de re breuiter Mathæus Weſtmonaſterienſis. *Scholares Pariſienſes*, inquit, *maximè Nationis Anglicanæ ſuſpenſis ad horam lectionibus certos emerunt, veſteſque feſtiuas, & diuerſa quæ gaudium poterant atteſtari, & præparatis Cantantibus, florigeris cum ſertis & coronis & muſicis inſtrumentis proceſſerunt obuiam venientibus, ſicque tranſigunt totum diem illum & craſtinum, Ciuitate tota Pariſius mirabiliter adornatâ in gaudio & canticis humanioribus & exultationibus.* HENRICVS ANGLIAE REX EXCIPITVR AB VNIVERSITATE.

At eandem Hiſtoriam fuſius refert Mathæus Pariſienſis, ſeu quis alius Hiſtoriæ Continuator ipſius. *Diebus ſub eiſdem*, inquit, *quia à multo tempore D. Rex Anglorum videre ſitienter* deſiderauerat Regnum Francorum & D. Regem ſororium ſuum & D. Reginam Francorum ſororem D. Reginæ Angliæ, & Ciuitates, Ec-

„ eclesias & gestus & habitum Francorum & Capellam Regis Francorum nobilissi-
„ mam quæ est Parisius, simul cum incomparabilibus, quæ in eis habentur Reliquiis,
„ cum missis ad Regem Francorum Nuntiis solemnibus, licentiam benignam &
„ securam impetrasset, conuocata familia & Comitatu nobilissimo versus Aurelia-
„ nam ciuitatem lora dixerit. Piissimus Rex Francorum iussit districtè magnati-
„ bus terræ suæ & Ciuibus Ciuitatum per quos D. Rex Anglorum foret transitu-
„ rus, vt deposito luto, stipitibus & omni visus offendiculo, ornate studerent om-
„ nia pallis, frondibus, floribus, & aliis quibus poterant ornamentis, & vt facies
„ Ecclesiarum & domorum redimirent, & cum canticis & classico, cereis & festiuis
„ induuiis reuerenter & gaudenter reciperent, venienti obuiantes & moranti ob-
„ sequentes. D. autem Rex Francorum certificatus de aduentu D. Regis Anglorum
„ currebat ei apud Carnotum. Et videns vnus alterum, ruit in oscula & amplexus.
„ Et mutuis salutationibus & colloquiis affabilibus se se ad inuicem confouebant.
„ Iussitque D. Rex Francorum Procurationes opimas & lautas D. Regi Angliæ de
„ suis sumptibus liberaliter dum esset in Regno suo, exhiberi. Quod D. Rex An-
„ gliæ in parte accepit & acceptauit. Habuit Rex in Comitatu suo proprio mille
„ equos pulcherrimos cum suis honorabilibus Assessoribus exceptis bigis & sum-
„ mariis, cum equis electis, quorum multitudo erat inæstimabilis, adeo vt Franci
„ de nouitate non prouisâ obstupuerint. Eorum insuper Comitatus in immensum
„ tota die & quotidie sicut solet fluuius de torrentibus, mirabile cœpit incremen-
„ tum. Aduenerunt enim eis obuiam Regina Francorum cum sororibus suis, Ande-
„ gauiæ & Prouinciæ Comitissis, vt sororibus suis Reginæ Angliæ & Comitissæ
„ Cornubiæ simul cum D. Rege Angliæ occursarent, & se se mutuis salutationibus
„ & colloquiis familiaribus gratulantes confouerent & consolarentur. Fuerat au-
„ tem mater earum præsens Comitissa Prouinciæ nomine Beatrix, quæ pignora
„ sua quasi altera Niobe gloriando poterat intueri. Nec erat in sexu muliebri ma-
„ ter in mundo quæ de tali fructu ventris ac tanto, videlicet filiabus poterat glo-
„ riando gratulari.

„ *Scholares autem Parisienses, maximè Anglicæ Nationis certificati de aduentu*
„ *talium Regum & Reginarum* ac magnatum incomparabilium, suspensis ad ho-
„ ram lectionibus & disputationibus, quia totum erat de festo, abbreuiatis com-
„ munibus hebdomadibus cereos, vestesque festiuas (quas vulgus Cointisas ap-
„ pellat) & omnia quæ gaudium poterant attestari, emerunt & sibi præparabant,
„ cantantes ramigeri & florigeri cum sertis & coronis & musicis instrumentis pro-
„ cesserunt venientibus obuiam, & erat numerus aduentantium & obuiantium
„ infinitus. Nec est visum in Francia retroactis temporibus tale festum, vel occur-
„ rentium tanta talisve solennis occursatio. Et transegerunt totum diem illum &
„ noctem & diem crastinum *Scholares & Ciues, tota Ciuitate mirabiliter adorna-*
„ *ta*, in gaudio & canticis, luminaribus, floribus & omnimodis huius mundi pom-
„ pis & exultationibus. Cum autem Reges & qui eis assistebant & comitaban-
„ tur, qui iam numerosus exercitus poterat æstimari, venirent Parisius, & occur-
„ reret aduenientibus *talis ac tanta Parisiaca Vniuersitatis Nobilitas*; gauisus est
„ Rex Francorum quamplurimum & grates retulit *Clericis* de multiplici honoris
„ impensione. Et ait D. Rex Francorum D. Regi Angliæ. *Amice, Ecce Ciuitas Pa-*
„ *risiaca tibi* exponitur, vbinam libet hospitium capescere? Ecce Palatium meum
„ in medio Ciuitatis, si placet ibidem quiescere, fiat voluntas tua: si autem apud
„ vetus Templum quod extra Ciuitatem, vbi locus spatiosior est, vel alibi, vbi
„ vobis magis complacuerit, fiat. Et elegit D. Rex Angliæ pro hospitio vetus
„ Templum, quia numerosus eius erat comitatus, & in eodem veteri Templo ædifi-
„ cia sunt cuidam numeroso exercitui sufficientia ac competentia. Quia cum Tem-
„ plarij omnes Cismontani temporibus ac terminis suis ad Generale eorum Ca-
„ pitulum conueniunt, hospitia ibidem inueniunt competentia. Oportet enim
„ quod in vna Curia quiescant, quia de nocte sua contractant in Capitulo negotia.
„ Et cum ibidem hospitia tot essent infra Curiam, tamen Comitatus adeo fuerat
„ numerosus, vt sub dio dormire multi cogerentur, non sufficientibus etiam vici-
„ nis domibus versus plateam quæ *Greua* appellatur, inhabitatis. Et equi extra tecta
„ in locis, qui ad hoc aptiores videbantur, ad stabula collocabantur. *Rex igitur*
„ *Angliæ* cum elegisset vetus Templum pro hospitio, præcepit vt in crastino sum-
„ mo mane omnes Domus eiusdem Curiæ scilicet Veteris Templi pauperibus

replerentur reficiendis. Quorum singuli, licet eorum numerus esset infinitus, carnibus ac piscibus cum pane & vino abundanter sunt refecti. Et dum in crastino hora prima & tertia Pauperes reficerentur, D. Rex Angliæ Rege Francorum ducente visitauit Capellam illam pulcherrimam, quæ in Curia est eiusdem Regis Francorum & Reliquias ibidem existentes orans, Regalibus oblationibus honorauit, similiter & alia loca Ciuitatis honorabiliora cum veneratione & oblationibus deuotè oraturus visitauit.

Eademque die D. Rex Francorum sicut præconcesserat, epulabatur cum D. Rege Anglorum apud dictum vetus Templum in maiori Regia Templi cum numerosa vtriusque Regis familia. Erant omnes Domus Curiæ refertæ Conuiuentibus. Non erat in maiori ianua vel aliquo introitu Epulantium Ianitor vel Exactor, sed omnibus aduenientibus patuit ingressus vltroneus, & dabatur lauta refectio, ferculorum autem multimoda genera tædium comedentibus potuit suscitare. Et post prandium transmisit D. Rex Angliæ Magnatibus ad hospitia sua Francigenis nobiles Cuppas argenteas, firmacula aurea, cingula serica & alia donatiua, prout decuit tantum Regem dare & tales Primates gratanter recipere. Nec erat vnquam aliquo tempore retroactis temporibus tam nobile, tam celebre, vel tempore Assueri, Arthuri vel Caroli celebratum Conuiuium. Ibi enim splenduit dapium fertilis varietas, potuum deliciosa fœcunditas, Ministrantium faceta sedulitas, Conuiuentium ordinata dispositio: Munerum larga affluentia. Ibi erant personæ venerabiles, quibus non erant maiores in mundo; Imò nec pares eis poterant inueniri. Epulabantur autem in maiori Regia Templi, vbi videlicet pendent clypei quotquot possunt circumquaque in 4. parietibus secundum consuetudinem vltramarinam, inter quos apparuit Clypeus Regis Richardi Angliæ. De quo Ioculator ait D. Regi Angliæ, *Domine mi vt quid inuitasti Francos, vt in hac domo tecum gaudentes epularentur?* Ecce hic Clypeus magnanimi Regis Angliæ Richardi: non poterunt comedere nisi pauentes & tremebundi. Sed de hoc non amplius. Comederunt igitur sic ordinati. D. *Rex Francorum qui terrestrium Rex Regum est*, tum propter eius cælestem inunctionem, tum propter sui potestatem & militiæ eminentiam in medio sedebat, & D. Rex Angliæ à dextris & D. Rex Nauarræ à sinistris. Et cum niteretur D. Rex Francorum aliter ordinare, vt videlicet D. Rex Anglorum in medio & eminentiori loco sederet, ait D. Rex Angliæ. Non. D. mi Rex, decentius sedetis modo, scilicet in medio & dignius. Dominus enim meus es & eris, & superest causa. Cui plus Rex Francorum subiunxit sed voce demissâ, Vtinam quilibet ius suum obtineret inoffensus: sed hoc non pateretur Francorum superbia. Sed de hoc non amplius. Deinde Duces consedêre secundum eorum Dignitates & eminentias: & erant ibi tunc 25. qui sedebant eminentius ipsis Ducibus, intermixti tamen. Affuerunt insuper illi Conuiuio Episcopi 12. qui aliquibus Ducibus præponebantur, intermixti tamen Baronibus. Militum autem præclarorum numerus non æstimabatur.

Comitissæ verò 18. quarum tres erant Sorores duarum Prædictarum Reginarum, videlicet Comitissa Cornubiæ, Comitissa Andegauiæ & Comitissa Prouinciæ cum Comitissâ Beatrice matre earundem, quæ Reginis fuerant comparabiles. Post verò refectionem lautam & splendidam, licet esset dies ad piscem, hospitatus est in nocte illa in maiori D. Regis Francorum Palatio, quod est in medio ciuitatis Parisiacæ. Sic enim immutabiliter voluit D. Rex Francorum iocosè dicens, sine modò: sic enim decet omnem adimplere facetiam & Iustitiam. Et addidit ridendo. Dominus & Rex sum in Regno meo, volo prædominari. Et acquieuit Rex Angliæ.

Et cum pertransisset D. Rex Angliæ vicum qui dicitur *Grena* & postea vicum versus S. Germanum Antissiodorensem, postea magnum Pontem, considerauit elegantiam Domorum, quæ de gypso videlicet Plastro fiunt in Ciuitate Parisiaca, & mansiones tricameratas & quatuor etiam stationum vel amplius, à quarum fenestris proiacebat vtriusque sexus hominum infinita multitudo. Et cateruatim conglomerabantur turbæ compressè ruentes certatim, vt viderent Regem Anglorum Parisius. Et splenduit fama eius quam sustulerunt Franci ad sidera, tum propter largitatem munerum suorum, tum propter dapsilitatem illius

„ dici & copiosam eleemosynam, tum propter comitatum suum præfectum, tum „ propter hoc quod D. Rex Francorum habuit vnam sororem; Rex Angliæ aliam „ matrimonialiter sibi copulatam. Et fuerunt Reges Franciæ & Angliæ simul se „ se diu desideratis colloquiis recreantes per octo dies.

„ Claudamus hunc annum statuto quod fecit Artium Facultas, vna ex quatuor „ quas Nationes complectebantur, de modo docendi & regendi in Artibus, de- „ que libris qui legendi essent. Tale autem est.

STATVTVM DE MODO LEGENDI IN ARTIBVS.

„ Anno Domini 1254. Nouerint Vniuersi quod nos omnes & singuli Magistri „ Artium de communi assensu nostro nullo contradicente propter nouum & inæ- „ stimabile periculum quod in Facultate nostrâ imminebat, Magistris aliquibus „ Lectiones suas terminare festinantibus, antequam librorum quantitas requireret „ & propterea quod Magistri legendo & Scholares in audiendo minus proficie- „ bant, super ruina nostræ Facultatis anxiantes, & statui nostro præcauere volen- „ tes, pro communi vtilitate & studii nostri reparatione ad honorem Dei & Vni- „ uersalis Ecclesiæ statuimus & ordinamus quod omnes & singuli Magistri nostræ „ Facultatis in posterum libros quos in festo B. Remigii inceperint, temporibus in- „ ferius annotatis absoluere non ante teneantur.

„ Veterem Logicam, videlicet veterem Logicam Porphyrii, Prædicamento- „ rum, Peri erminias, Diuisionum & Topicorum Boëtii, excepto quarto, in festo „ Annunciationis B. Mariæ Virginis, vel vltima die legibili præcedente. Priscia- „ num maiorem & minorem; Topica & Elenchos; Priora & Posteriora dicto tempo- „ re vel æquali terminare teneantur. Ethicam, quantum ad sex libros in 12. Septi- „ manis, si cum alio leguntur: si per se, non cum alio, in medietate temporis. Tres „ paruos libros, videlicet sex Principia, Barbarismum, Priscianum de accentu, si „ simul legantur & solum, in sex septimanis. Physicam Aristotelis, Metaphysicam, „ & librum de animalibus in festo S. Ioannis Baptistæ. Librum cœli & mundi, lib. „ 1. Meteororum cum 4 in Ascensione. Librum de Anima, si cum Naturalibus le- „ gatur, in festo Ascensionis: si autem cum Logicalibus, in festo Annunciationis B. „ Virginis. Librum de Generatione, in Cathedra S. Petri. Librum de Causis, in 7. „ septimanis. Librum de sensu & sensato, in sex septimanis. Librum de Somno & „ vigilia in 5. septimanis. Librum de Plantis, in 5. Septimanis. Librum de memo- „ ria & reminiscentia, in 2. septimanis. Librum de differentia spiritus & animæ in „ 2. Septimanis. Librum de morte & vita, in vna septimana. Si autem alio tempore, „ quàm in festo S. Remigii Magistri prædictos libros inceperint, tantundem tem- „ poris eosdem legendo apponent, quantum Lecturæ eorum superius est taxatum. „ Quilibet autem prædictorum si per se legatur, non cum alio, poterit finiri in „ medietate temporis suæ Lecturæ prætaxati. In minori autem non licebit cuiquam „ apponere. Si autem aliquis aliquam partem alicuius libri legerit, ita quod totum „ terminare noluerit, aut non possit, legat in portione temporis portionem libri „ contingente. Si verò Bachelarius infra festum B. Dionysii inceperit, liceat ei „ suas terminare lectiones cum Resumentibus in festo B. Remigii.

„ Incipientes autem post festum B. Dionysii tantò posterius aliis suos libros ter- „ minent, quantò tardius aliis inceperint, vnusquisque bona fide secundum suam „ æstimationem proportionabit librorum suorum portionem secundum portionem „ temporis suæ Lecturæ statuti. Insuper nulli liceat legere lectiones ordinarias „ plures duabus, nec eas extraordinarias facere, nec eas nisi horâ ordinatâ & in „ habitu ordinario legere. A festo autem B. Ioannis Baptistæ vsque ad festum B. „ Remigii quilibet suas lectiones ordinet, prout melius sibi & Auditoribus suis „ viderit expedire.

„ Item nullus Lectiones Cursorias plures duabus aliquo die legibili legere præsu- „ mat, nec plures tribus in die non legibili, nec cursum aliquem incipere donec „ priorem cursum terminauerit, nisi graui infirmitate vltra 15. dies detentus fuerit, „ vel propter causam rationabilem plusquam 15. dies villam exierit: vel si Schola- „ res eum amplius audire noluerint. Item diebus Apostolorum & Euangelista- „ rum nulli liceat legere aliquas lectiones, nec tribus diebus proximis post Natale; „ post Pascha, post Pentecosten, nec in vigiliis istorum trium vltra horam ter- „ tiam. Hæc autem statuimus & ordinauimus inuiolabiliter obseruanda. Nulli er- „ go liceat hanc paginam nostræ ordinationis infringere vel ei ausu temerario con- traire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem totius Vniuersitatis, « nec non & suspensionem Lectionum quarumcunq; per annum se nouerit incur- « surum. In cuius rei testimonium & munimen, præsentem litteram sigillis 4. Na- « tionum consensu earundem duximus sigillandam. Datum anno 1254. die Ve- « neris ante Ramos palmarum.

Ex iis patet consuetudinem illorum & antecedentium temporum hanc fuisse in Vniuersitate Parisiensi, vt licet nondum Facultates essent distinctæ singulæresque componerent ordines vt hodie componunt, omnesque simul in Nationibus confunderentur, si quid tamen statuendum esset, quod ad professionem seu facultatem aut disciplinam specialem attineret, exercitiumq; ipsius Facultatis, honorē & dignitatem, omnes quotquot eam profitebantur ex quacunq; Natione essent, conuenirent simul & sub authoritate proculdubio Rectoris deliberarent, statuerent, & statutum suum postea ab omnibus Nationibus approbari earumque sigillis muniti curarent ad conciliandam ei authoritatem ampliorem: & si statutum ad omnes Facultates pertineret, sigillo prætereà communi roborarent: vt multis exemplis probari potest: idq; fiebat quoque cum omnes simul de re aliqua communi deliberabant & statuebant. Quod enim Magistri Artium partem tantùm Nationum composuerint, patet, quia aiunt se vsos sigillis 4. Nationum *de consensu earundem*: quod non dixissent, si eas integras soli composuissent.

Annus 1254. totus penè fuit in turbis & bello cum Dominicanis: illi enim nacti Pontificem sibi addictissimum, non tantum ea Priuilegia recuperant quæ Innocentius sustulerat, vt ante vidimus, sed ipsam quoque Vniuersitatem à quâ intra certos limites reclusi fuerant, subigere & triumphare moliuntur: sicque suis lenociniis & persuasionibus Alexandri Pontificis animum occupant, vt ab eo intra sex aut septem annos quibus sedit, 40. prope Bullas contra Matrem Vniuersitatem obtinuerint: quarum plurimas suo singulas tempore referemus. Sed ante iuuat audire, quid de hoc nostro dissidio narrent authores illius æui. Mathæus Parisiensis ad hunc annum. *Diebus quoque sub eisdem*, inquit, *orta est grauis dissensio inter Vniuersitatem Parisiensium Scholarium & Fratres Prædicatores ibidem conuersantes. Qui contra antiquam Ciuitatis & Vniuersitatis consuetudinem numerum limitatum legentium in Theologia intenderunt sine Vniuersitatis assensu ampliare. Tandem licet Rex ipse Francorum intenderet Libertatem saluare Scholarium Vniuersitatis, similiter & Ciues, ipsi Prædicatores D. Papæ deuoti & propter eorum multimoda obsequia ipsi Curiæ gratiosi, in hoc certamine meliorem calculum reportarunt. Data est igitur sententia à D. Papa pro Fratribus Prædicatoribus & omnibus Religiosis, vt legant deinceps licenter in Theologia non considerando numerum Legentium, qui antiquitus tenebatur certo numero limitatus.* 1255.

Sententia illa, de qua loquitur Mathæus, duplex est. Vna quidem in gratiam *Thomæ Aquinatis*: altera in gratiam *Boni-Hominis & Heliæ* etiam Prædicatorum. Prior data est 5. Nonas Martias ad Cancellarium Parisiensem: qua mandabat Alexander vt Thomam iam licentiatum Laureâ Magistrali insigniret, quam audiuerat ab Academicis nolle concedi. Nam cum iuxta Decreta & Reformationem Gregorii IX. Cancellarius neminem licentiare & bireto Doctorali insignire posset, qui non ante à Magistris Vniuersitatis ipso præsente examinatus & probatus fuisset, nollet autem Vniuersitas Magistrales apices vlli Mendicanti concedere, Cancellarii potestas arctata remanebat. Itaque Pontifex authoritate Apostolica, quod iubebat, præstare compulit, postquam vtriusque Partis Procuratores, qui vt dictum est supra, ad Innocentium missi fuerant, audiuit: quippe morte præuento nihil agi potuerat: Alexander verò amica quadam compositione arbitratus se posse dissidium placare, quædam statuta Academica temperauit, quædam omnino resecauit, vt ex eius ad Vniuersitatem Bulla, infra patebit.

Altera sententia lata est die 14. April. qua iussi sunt Academici Dominicanos omnes, maximè autem *Bonum-Hominem & Heliam Fratres* Prædicatores, qui Cathedras Magistrales in Theologia inuaserant non licentiati, quique seditionis totius faces funestissimæ fuerant, in suum consortium societatemq; Scholasticam & Communionem omnium iurium & priuilegiorum admittere: ac eos demum tot Cathedris, quot eis liberet, vti & frui liberè permittere. Atque ne

morarentur & tergiuerſarentur Academici parere, eadem die data eſt altera Bulla ad Aurelianenſem & Antiſſiodorenſem Epiſcopos, quâ iubebantur curare conſtitutionem illam obſeruari, ſententiamque Apoſtolicam executioni demandari. Quod vbi Academicis innotuit, quis oratione poſſit exprimere, quanta tum fuerit animorum conſternatio, quantaque in Dominicanos irâ & indignatione exarſerint? Tum libellus de *Periculis nouiſſimorum temporum* omnium manibus teri cœpit: tum in ſcholis & ſacris concionibus lacerationes hinc Dominicanorum, illinc Academicorum, dum ſuas vtrinq; partes tuerentur: tum furor & rabies Dominicanorum in M. Vuillelmum de S. Amore Doctorem Theologum, hominem magnæ ſcientiæ & opinionis, vt ait Nauclerus in Chronico, exaſperata eſt, quem conſtantia in aduerſis, fortitudo in periculis & rerum exitus verè Academici pectoris hominem eſſe comprobauit. Verum hæc hactenus. Nunc de ſententia Alexandri, quæ ſequente Bulla continetur, cui præfigitur hocce lemma in Codice Nat. Gall. *Priuilegium de Poteſtate Cancellarii in Bachelariis licentiandis. De ſecretis Vniuerſitatis non reuelandis.* De caſu *Ceſſationis &c. Quid Vniuerſitas ſtatuere poſſit.*

Bvlla Alexandri ad Vniversitatim.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis Vniuerſis Magiſtris & Scholaribus Pariſienſibus Salutem & Apoſtolicam benedictionem. *Quaſi lignum* vitæ in Paradiſo Dei & quaſi lucerna fulgoris in Domo Domini eſt in ſancta Eccleſia *Pariſienſis ſtudij Diſciplina.* Hæc quippe fœcundæ eruditionis parens ad irrigandum ſterilem Orbis faciem fluuios de fontibus ſapientiæ ſalutaris cum impetu foras mittens, vbique terrarum Dei lætificat Ciuitatem, & in refrigerium ànimarum flagrantium ſiti Iuſtitiæ aquas Doctrinæ diuidit publicè in plateis. Ibi nimirum Ordinatus eſt per prouidentiam Conditoris ad opus atque cuſtodiam Doctorum Ordo præcipuus, vt ad vitæ fructum rationabilis Creaturæ deducat affectum, ne in guſtum mortis vetitâ veteris præuaricationis illecebrâ ſeducatur. Ibi humanum genus Originalis ignorantiæ cœcitate deforme per cognitionem veri luminis, quam ſcientia pietatis aſſequitur, redditâ viſionis ſpecie reformatur. Ibi præcipuè dat Dominus Sponſæ ſuæ os & ſapientiam ac linguam myſticis eloquiis eruditam, cui reſiſtere nequit omnis aduerſitas Improborum. Vt igitur Conſortii veſtri communicabile ac commune omnibus bonum omni pacis cuſtodiâ ſeruare curemus, & fauorabilibus patrociniis communire, ne in commune publicæ ſalutis exitium illud æmula Charitatis & vnionis inuida Sathanæ labefactare poſſit aſtutia, inſtructa quippe modis innumerabilibus ad nocendum, in Nobis quos licet indignos cunctis mortalibus Dei Dignatio ſuperintendere voluit, de ſupremo faſtigio domus ſuæ præcipua ſolicitudinis vigilantia excitatur, & cor noſtrum vrit curæ ſtimulus ſpecialis. *Olim* ſanè ſicut accepimus cum Quibuſdam Scholaribus Vniuerſitatis veſtræ Collegis fuiſſent à Vigilibus Ciuitatis Pariſienſis atroces iniuriæ irrogatæ, vno illorum occiſo, reliquis grauiter vulneratis, & in carcerem & in vincula coniectis, demum vos quibus vt dicitur, felicis recordationis Gregorius Papa Prædeceſſor noſter indulſit, vt ſi vobis vel alicui veſtrum iniuria vel exceſſus inferatur enormis, vt pote mortis, vel mutilationis membri cuiuſquam, niſi congruâ monitione præmiſſâ infra 15. dies fuerit ſatisfactum, licitum ſit vobis vſque ad ſatisfactionem condignam ſuſpendere lectiones, Attendentes quod ijdem Scholares, quos ſacrilega carcerauit iniuria vt aſſeritur, vobis fuerunt in craſtino redditi ſemiuiui, iuſtitiæ tamen executio contra iniuriarum huiuſmodi præſumptores videbatur vltra debitum protogari, Scholas à Lectionibus ſuſpendiſtis. Vnde cum nec ſic Iuſtitiæ debitum prouenire, vos tantæ enormitatis articulo ſuggerente, de communi conſilio ad dictas iniurias ſecundum Deum & Iuſtitiam, quantum in vobis foret licitum, ſi Iudicis tepeſceret officium, proſequendas & ad quaſdam Ordinationes alias vos per obligationem roboratam iuramentis adhibitis, vt dicitur adſtrinxiſtis. Et quia ſuper his Dilecti filii *Bonus-Homo & Helias* Prædicatorum Ordinis Fratres Scholas Regentes Pariſius in Theologica Facultate, ex certis cauſis ſe ordinationibus & obligationibus huiuſmodi ſubiicere noluerunt, ad ſedem Apoſtolicam appellando, eos beneficio Societatis in Magiſtralibus priuauiſtis, ipſoſque priuatos publicè nunciantes, iniunxiſtis diſtrictè vt Scholares Lectiones eorum de cætero non audirent, no

ipsorum auditores à pœna quam Vniuersitas infligere in talibus consueuit, se possent per ignorantiam excusare. Verum cum iidem fratres super hoc ad dictæ sedis præsidium confugissent, felicis recordationis Innocentius Papa Prædecessor noster audito quod inter vos & Ciues qui prædictas iniurias irrogarant, discordia per satisfactionem fuerat iam sopita, volens de medio vestrum controuersiæ submouere materiam & pacificè reformare mutuæ Charitatis affectum, ipsos Fratres ad vestrum Collegium & Consortium restituit de gratia speciali, Prohibitionem seu mandatum factum Scholaribus auditoribus eorundem penitus reuocando, ac dando vobis suis litteris in mandatis vt prædictos fratres sine difficultate seu dilatione resumentes, ad statum pristinum & Collegium Magistrorum ac Vniuersitatis Consortium admittentes, eos occasione præmissorum nullatenus vexaretis, Venerabilibus fratribus nostris Siluanectensi & Ebroicensi Episcopis super hoc mandati Apostolici executoribus deputatis. At licet ad vos mandatum Restitutionis & Reuocationis huiusmodi peruenisse dicatur, ipsi tamen Fratres vsque nunc adipisci efficax suæ Restitutionis commodum, vobis quædam obiicientibus nequiuerunt. Cæterum vos Filij Magistri in Theologia Parisius tunc regentes hæc Statuta deliberatione adhibita edidistis, vt videlicet de cætero Religiosus aliquis non habens Collegium Parisius, & cui est à Iure publicè posse docere prohibitum, ad societatem Magistrorum nullatenus admittatur, & quod singula Religiosorum Collegia singulis Magistris actu regentibus & vnicâ Scholâ de cætero sint contenta: Ne quoque aliquis Bachelarius in Theologica Facultate promoueatur ad Cathedram, nisi prius examinauerit semetipsum, saltem aliquos libros Theologiæ glossatos & Sententias in Scholis alicuius actu regentis Magistri diligenter legendo. Quod si aliquis contra dictas Ordinationes vestras venire præsumeret, ei societas vestra tam in Principiis, quàm in aliis subtraheretur omnino. Quicumque verò Bachelarius licentiatus fuerit, & huic ordinationi præstare consensum noluerit requisitus, eum statuistis excludi à Consortio Magistrorum, & eidem tam in Principiis, quã in aliis societatẽ Magistrorũ penitus denegari, præmissis statutis, Vniuersitatis vt dicitur, accedente consensu, reuerentia tamen & obedientia sedis Apostolicæ ac aliorum quibus obedire tenemini, semper saluâ. Statuistis insuper ne vllus Magister in quacumque Facultate ad Collegium Magistrorum, vel saltem coram tribus Magistris suæ Facultatis ad hoc specialiter deputatis iurauerit statuta vestra licita & honesta & vobis expedientia se firmiter seruaturum. Secreta quoque & consilia vestra post inhibitionem sibi factam à vobis, fideliter celaturum, atque obligationibus vestris licitis ac honestis ac vobis expedientibus præcipuè ex tenore Priuilegiorum vestrorum vigorem capientibus pacificè concorditerque consensurum. Et vt hoc firmius seruaretur, addidistis vt nullus Magister Principium alterius Bachelarij tenere, vel eius Principio interesse præsumat, nisi prius ei constiterit, quod idem Bachelarius ad prædicta modo prædicto sit ligatus. Nec idem Bachelarius, si alio modo inceperit, Magister à vobis aliquatenus habeatur. Statuistis præterea, vt si cessante Studio Parisiensi ob causas consimiles vel alias rationabiles, aliquis interim Bachelarius in aliqua Facultate de nouo solenniter incipere, vel aliquis eorum qui prius rexerint, suas iterum resumere præsumpserit Lectiones, de tunc à consortio vestro in perpetuum excludatur, nec Parisius seu alibi, vbi studium transferri contigerit, inter Magistros seu Scholares aliquatenus admittatur: & pœnâ consimili Scholaris, qui interim causâ studij venire Parisius præsumpserit, puniretur, nisi Transgressores prædicti præsumptionem suam ad arbitrium Vniuersitatis vestræ curauerint emendare. Et hoc ordinastis & statuistis sub pœnâ quam infligere potestis, inuiolabiliter obseruanda. Nihilominus recensentes Excommunicationis sententiam, quæ in Transgressores præmissos extitit, vt proponitur, promulgata ab omnibus inuiolabiliter obseruari, saluis in omnibus Iure ac Libertate Canonicis Parisiensibus quantum ad omnia, in quibus & per quæ à vestris ordinationibus & Statutis authoritate Apostolica seu quacunque alia sunt exempti.

Porro Dilectis filiis Priore Prædicatorum & Guardiano Minorum FF. Parisiensium suam ad sedem prædictam refugium oppressorum, querelam deferentibus, quod vos occasione statutorum huiusmodi à vobis eis exclusis, pro vestro

„ libito editorum ipsos & liberum ac quietum statum Magistrorum eorundem Ordinum & Fratrum Parisiensi studio insistentium ac Scholarium suorum indebitè turbabatis, præfatus Innocentius nec expediens reputans neque decens prædictis Ordinibus pressuras huiusmodi vel molestias irrogari, vobis suis dedit litteris in mandatis, vt ab ipsorum quibuslibet nouis molestiis & inquietationibus, prædictis statutis nequaquam obstantibus desistentes, nihil penitus vsque ad festum Assumptionis B. Mariæ Virginis proximè tunc venturum in eorum vel pristini status ipsorum præsumeretis præiudicium attentare. Et quoniam inter vos & Fratres præfatos idem Innocentius omnem scandali & discordiæ cupiebat materiam amputare, vt sub vinculo pacis pacificis scientiæ studiis vacaretis, supradictis Episcopis per sua scripta mandauit, vt tam Vos quàm Fratres eosdem ex parte suâ peremptoriè citare curarent, quod in præmisso festo, nisi super his proueniret concordia, per Procuratores idoneos ad ipsius præsentiam veniretis, vt super præmissis quod vtile, quod salubre, ac conueniens prospiceret, authore Domino ordinaret, nec permitterent iidem Episcopi Fratres eosdem à vobis contra præmissa, medio tempore molestari. Denique idem Prædecessor morte præuentus nihil potuit iuxta primum conceptum animi sui super eodem negotio definire, sicque Nos habuit in huius sollicitudinis curâ, sicut in cæteris Pastoralis angustiæ laboribus licet immeritos successores. Vestro itaque sufficienter ad ordinationem suscipiendam Procuratore habente mandatum, & prædictorum Prioris & Fratrum Procuratoribus, nec non & Dilecto filio Magistro Ordinis Prædicatorum, qui cum illis postulabat hoc ipsum, in nostra præsentia constitutis, præmissa omnia & processus habitos diligenter inspeximus, quæcunque in Auditorio nostro super his vtrinque fuerunt proposita, Intelleximus diligenter, & tandem per viam pacis quâ processus est gratiæ ad dirimendum inter partes exortæ Controuersiæ scrupulos Nos Domino dirigente aliqua ex præmissis Ordinationibus & statutis à vobis editis vt salubrius maneant & vtilius commoditati proficiant generali, de fratrum nostrorum Consilio moderanda prouidimus: cætera verò, ne rigore districtionis vnitatem Communionis exasperent, resecanda.

„ Etenim circa id quod statuere voluistis, ne vllus Religiosus vllum habens Parisius Collegium & à iure publico docere prohibitus, in Magistrorum Collegio nullatenus admittatur, & singula Religiosorum Collegia singulis Magistris actu regentibus & vnicâ scholâ de cætero sint contenta, considerranda Nobis ea diligenter occurrunt, quæ memoratus Gregorius statuit circa statum Scholarium, *quod Cancellarius deinceps creandus* coram Episcopo vel de ipsius mandato in Capitulo Parisiensi inuocatis ad hoc & præsentibus pro Vniuersitate Scholarium duobus Magistris in sua Institutione iurabit, quod ad regimen Theologiæ ac Decretorum bona fide secundum conscientiam suam loco & tempore secundum statum Ciuitatis, & honorem ac honestatem Facultatum ipsarum non nisi dignis licentiam largietur, nec admittet indignos personarum & Nationum acceptione submotâ. Ante verò quàm quemquam licentiet, infra tres menses à tempore petitæ licentiæ tam ab omnibus Magistris Theologiæ in Ciuitate præsentibus quàm aliis viris honestis & litteratis, per quos veritas sciri possit, de vitâ, scientiâ & facundiâ, nec non proposito & spe proficiendi ac aliis, quæ sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat. Et inquisitione sic factâ quid deceat & quid expediat, bonâ fide det vel neget secundum conscientiam suam petenti licentiam postulatam. Magistri verò Theologiæ ac Decretorum quando incipient legere, præstabunt publicè iuramentum, quod super præmissis fidele testimonium perhibebunt.

„ Cancellarius quoque iurabit quod Consilia Magistrorum in malum eorum nullatenus reuelabit, Parisiensibus Canonicis libertate ac iure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate. Cum ergo ex constitutione huiusmodi liqueat manifestè quod in licenriando Scholares ad Scholarum regimen Cancellario sit facultas, & quanta sibi super hoc religio fidei & circunspectionis necessitas iudicatur, videri potest acutius intuenti, authoritate Constitutionis Apostolicæ, quæ statui Scholarum & Scholarium prouidens certos Cancellarij Officio terminos potestatis indulget, per Constitutionem vestram in propagandi Studij

diſpendium derogari. Nolumus itaque Cancellarij poteſtatem in Conſtitutione " ſæpe fati Gregorii circa ſtatum Pariſienſis ſtudii declaratam vlla imminutione " conuelli. Cum ipſe tamen circa Licentiandos huiuſmodi, tam de Secularibus " quam de Regularibus non ſolum ea quæ attendenda in Conſtitutione ipſius " Gregorii exprimuntur, verum etiam ſtatum & neceſſitatem Eccleſiæ generalis " & populorum ſalutem diligenter attendat, & his quos ſuffragantibus meritis " & ſuadentibus circunſtantijs viderit ad Magiſterium promouendos ſic faueat, " quod capacem ſenſum à natura ſortiti ad profectum ſcientiæ propoſito ſtudio- " ſis Magiſtralis tituli honore prouocentur, & ad gubernaculorum Officia, quæ " intra S. Eccleſiam ſæpius imminent, perſonis idoneis diſpenſanda ſuppetere " poſſit virorum copia probatorum, præſertim in Arte Artium, quæ profecto eſt " regimen animarum. *Ex eo* autem quod aliqui Secularium vel Religioſorum " Collegia de licentia Cancellarii plures meruerunt habere Magiſtros hactenus " aut Scholas, nolumus eos circa proprietatem aut poſſeſſionem habendi huiuſ- " modi ius in poſterum proueniſſe, ſicut his qui non plures vel nullum hactenus " habuiſſe noſcuntur, nolumus ex hoc viam aliquam vel plures habendi præcludi, " ſi Cancellarius omnibus quæ conſiderari debent, inſpectis, alicuius vel plurium " licentiam eis viderit, prout ſibi competit, concedendam. Illud autem quod de " Bachelariis ſtatuiſtis ad Magiſtralem Theologicæ Facultatis Cathedram, niſi " aliquos eiuſdem Facultatis libros gloſſatos & ſententias in Scholis alicuius Ma- " giſtri actu Regentis legerint, nullatenus admittendis, ſic duximus temperan- " dum, vt tepelli tales non debeant, Sed vbicunque Pariſius, dummodo in loco " publico & honeſto, eos prædictos libros legiſſe patuerit. Neque etiam hoc ipſum " probationis experimentum exigi volumus circa illos de quibus aliàs manifeſtè " conſtiterit, quod ad Scholarum regimen ſint idonei comprobati. Statutum verò " quo decreuiſtis, ne vllus Magiſter in Facultate quacumque ad conſortium Ma- " giſtrorum, vel Collegium Vniuerſitatis aliquatenus admittatur, niſi prius in ple- " nâ Congregatione Magiſtrorum vel ſaltem coram tribus Magiſtris ſuæ Faculta- " tis adhoc ſpecialiter deputatis, præſtito iuramento, quod ſecreta & Conſilia " veſtra poſt inhibitionem ſibi factam à vobis bonâ fide celabit: alioquin pœnæ " ſubiaceat in ſtatuto huiuſmodi conſtitutæ, hoc moderamine mitigamus, ſaluti " animarum & conſcientiarium ac famæ periculis præcauentes, vt ſi talibus ardua " & difficilia negotia ab Vniuerſitate commiſſa fuerint in ſecreto tenenda, illa ſic " teneantur bona fide celare, quod nemini ea in eiuſdem Vniuerſitatis diſpen- " dium reuelabunt: niſi forte talia eſſent, quod non poſſent ſine animarum peri- " culo ſubticere. Denique ſuper ceſſatione Scholarum, non obſtante alia ordina- " tione, vel contraria conſtitutione à vobis edita, eam formam duntaxat obſer- " uari volentes, quam præfatus Gregorius in Conſtitutione, quam ſuper hoc edidit, " noſcitur tradidiſſe: quia videlicet ſi vobis forte hoſpitiorum ſubtrahatur taxatio, " aut quod abſit vobis, vel alicui veſtrûm, iniuria vel exceſſus inferatur enormis, " vt pote mortis vel membri mutilationis, niſi congrua monitione præmiſſa intra " 15. dies fuerit ſatisfactum, liceat vobis vſque ad ſatisfactionem condignam ſuſ- " pendere lectiones. Et ſi aliquem veſtrûm indebitè incarcerari contigerit, fas ſit " vobis, niſi monitione præhabita ceſſet iniuria, ſtatim à lectione ceſſare, ſi tamen " id credideritis expedire. Eidem formæ adiiciendo ſtatuimus, vt cum pro aliqua ex " cauſis in eadem Gregorij Conſtitutione contentis, Vniuerſitas veſtra lectiones " duxerit ſuſpendendas, omnes Magiſtri tam Regulares quam Seculares, ipſas ſuſ- " pendere teneantur, eas niſi cum Vniuerſitate minime reſumpturi. Sanè ſi ſu- " per obſeruantia huius ſtatuti, ſuper lectionibus ſuſpendendis, & eius quod præ- " mittitur, videlicet de ſecretis & conſiliis Vniuerſitatis minimè reuelandis ali- " quam obligationem videritis deliberatione prouida ſtatuendam, quâ tam præſen- " tes Magiſtri quàm poſteri ad ea explicitè ac ſpecialiter conſtringantur vobis, " dummodo duæ partes Magiſtrorum & ſingularum Facultatum reliquarum, vi- " delicet Canoniſtarum, Phyſicorum & Artiſtarum, ſuum ſuper hoc voluerint " præſtare conſenſum, id faciendi liberam concedimus facultatem. His itaque Sta- " tutis & Ordinationibus ſecundum moderationem noſtram robur inuiolabilis " obſeruantiæ habituris, cætera pro pace veſtra ſuadente prouidentiæ conſilio re- " ſecamus, denunciantes ne Magiſtri Regulares vel Seculares ea ſeruare teneantur "

ex debito præstiti iuramenti, vel ad ea seruanda in posterum sacramento ligentur, Libertatibus Parisiensis Ecclesiæ in omnibus & per omnia semper saluis: & in aliis Vniuersitatis vestræ priuilegiis, indulgentiis & immunitatibus in suo nihilominus robore duraturis. Prædictos insuper Prædicatorum Ordinis Fratres Theologicæ Facultatis Magistros ad Magistrorum consortium, ipsosque ac Auditores eorum ad Vniuersitatis Collegium de nostræ potestatis plenitudine restituentes omnino & decernentes ad eadem Consortium & Collegium à vobis in dulcedinis vbere, sine difficultate qualibet admittendos, omnes sententias priuationis seu separationis à consortio Vniuersitatis vel similibus, siue pœnas alias in eosdem Fratres vel Scholares eorum præmissorum occasione prolatas penitus reuocamus. Non obstantibus statutis quibuslibet, iuramento, pœna, siue obligatione vel confirmatione roboratis, aut litteris à Sede Apostolica impetratis, vel de cætero impetrandis: quæ de præsenti ordinatione ac prouidentiæ nostræ statuto, plenam & expressam non fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, Constitutionis & reuocationis infringere, vel ei ausu temerario contrauenire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Neapoli 18. Kal. Maij Pontif. nostri an. 1.

Hanc Bullam instigantibus Dominicanis misit Alexander ad Episcopos Aurelianensem & Antissiodorēsem, mandauitq; vt præmissam Constitutionem suam curarent inuiolabiliter obseruari, concessâ etiam illis potestate, si forte aliqui ex Academicis contradicerent, eos Censuris Apostolicis compescendi. Episcopus Aurelianensis tunc erat M. Guillelmus de Bussy qui an. 1258. à Magistro Gualtero Cornuti Archiepiscopo Senon. consecratus fuerat; obiit verò an. 1258. Antissiodorensis verò Guido de Melloto filius Guill. de Melloto Castelli S. Prisci Domini in agro Antissiodorensi. Bulla autem ad eos missa talis est.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis Fratribus Aurelianensi & Antissiodorensi Episcopis Sal. & Apost. Bened. Controuersiam dudum inter Dilectos filios Magistros & Scholares Parisienses ex vna parte: & quosdam Religiosos ex altera, super quibusdam statutis inimico homine superseminante subortam, Nos per Ordinationem prouidam de Fratrum nostrorum Consilio sopientes, dilectos filios Bonum-Hominem & Heliam Ordinis Prædicatorum Fratres Parisius in Theologica Facultate Magistros, dudum occasione prædictæ controuersiæ per Magistros Theologiæ & alios nomine Vniuersitatis Scholarium Paris. à Magistrorum consortio ex ipsius Vniuersitatis Collegio separatos, quos à felicis recordationis Innocentio Papa prædecessore nostro, postmodum restitutos de gratia speciali, iidem Magistri & alii, licet super hoc mandatum Apostolicum receperint, noluerunt admittere ad idem Magistrorum consortium: ipsosque & Auditores eorum ad Vniuersitatis Collegium restituimus, omnia de nostræ plenitudine potestatis, omnes sententias priuationis seu separationis à consortio societatis vel Collegio Vniuersitatis, aut similibus, siue pœnas quaslibet vel prohibitiones in eosdem fratres vel Auditores eorum præmissâ occasione prolatas, penitus reuocando. Dictorum quoque Statutorum quædam resecando penitus, quædam verò vt salubrius proficiant, moderando; & alia etiam ordinando, quæ pro Studij Paris. conseruatione prouidimus, prout ex litteris nostris super hoc confectis quæ *Quasi lignum vitæ incipiunt*, vobis liquère poterit euidenter. Quocirca Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Ordinationem ipsam faciatis inuiolabiliter iuxta earundem litterarum continentiam obseruari. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si ambo, &c. Datum Neapoli 18. Kal. Maii Pontif. nostri an. 1.

In eandem rem eadem die Magistris Facultatis Theologicæ Pariss. rescripsit in hunc modum.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Magistris Fac. Theolog. Parisius commorantibus Salutem & Apostol. Benedictionem. Controuersiam dudum inter vos & Vniuersitatem Scholarium Parif. ex vna parte & quosdam Religiosos ex altera, super quibusdam statutis inimico homine superseminante sub-

ortam per Ordinationem prouidam de Fratrum nostrorum Consilio sopientes, Dilectos filios Bonum-Hominem & Heliam Ordinis Prædicatorum Fratres Parisius in Theologica Facultate Magistros, occasione prædictæ Controuersiæ per vos & alios Magistros Paris. nomine Vniuersitatis à vestro Consortio & Vniuersitatis collegio separatos, quos vos Magistri à felicis recordationis Innocentio Papa prædecessore nostro restitutos de gratia speciali, licet super hoc mandatum Apostolicum receperitis, noluistis admittere ad idem Consortium, ipsosque & Auditores ipsorum ad Vniuersitatis Collegium restituimus omnino de nostræ plenitudine potestatis, omnes sententias priuationis seu separationis à consortio societatis vel Collegio Vniuersitatis aut similibus, siue pœnas quaslibet vel prohibitiones in eosdem Fratres vel Auditores eorum, præmissâ occasione prolatas, penitus reuocando.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus fratres & Auditores ipsorũ intra 15. dies post receptionẽ præsentiũ iuxta restitutionis & reuocationis nostræ tenorem, sine difficultate qualibet, ob nostram & Apostolicæ Sedis reuerentiam in dulcedinis vbere admittatis, & tractetis de cætero socialiter & benignè. Alioquin volumus vsque ad satisfactionem condignam eos qui ex vobis Contradictores extiterint, suspensionis ab officiis & beneficiis sententiæ subiacere. Datum Neapoli 18. Kal. Maii Pontific. nostri anno 1.

Eodem igitur anno prædictas Bullas ab Alexandro missas accipiunt Academici, & insuper à memoratis Episcopis iubentur authoritate Apostolica parere, exclusosq; Dominicanos in gremium societatemq; suam admittere. Hinc vulnera recrudescunt: negant Academici se recepturos in suam societatẽ homines ab Institutis suis alienos, aientes *Natura vim fieri*, si Regulares Secularibus misceantur, multoque magis si iis inuitis & repugnantibus. Responsum decretorium Episcopi præfigunt intra quindecim dies. Conuocatur Vniuersitas, Refert Rector ad omnium Facultatum Magistros, quantis turbinibus agitetur Nauis Academica, lectisq; Apostolicis litteris iubet discedere ad deliberandum. Variæ prius sententiæ vixque aperiuntur: sed hæc tandem omnibus potior visa est, nimirum vnicuique renunciandum esse omnibus Academiæ iuribus & Priuilegiis, atque ita societatem consortiumque Academicum dissoluendum, dimisso omni scholarum exercitio, ne deinceps fulminibus Excommunicatoriis Academia, aut Academicus vllus feriri posset.

Igitur Aurelianensi & Antissiodorensi Episcopis sententiam Excommunicationis ex potestate sibi tradita ferre & promulgare festinantibus, Responderunt Academici *se non impedire*, quominus Fratres *Prædicatores concesso sibi à summo Pontifice, Per bullam Quasi lignum indulto gauderent, vterentur, fruerentur, cum ad se nihil pertineret: illud porro significandum esse Academicis si qui sint, non sibi qui non erant Academici: alias quidquid ab eis in contrarium præsumptum fuerit, irritum fore, & contra mandatum summi Pontificis, ad quem vnum prouocabant.*

Nihilominus Præfati Episcopi nullâ habitâ ratione exceptionum illarum & appellationis legitimæ, in omnes Academicos cuiuscunque aut quarumcumque Facultatum, proferunt sententiam Excommunicationis: quæ res non tam eorum animos terruit quàm exacerbauit. Igitur multis deinde deliberationibus habitis, an cogi possent in suum consortium admittere Dominicanos & an parere deberent, vnanimi consensu semper concluserunt, se nunquam eos recepturos, neque ad eos recipiendos vllo iure vllaque ratione cogi posse. Quod vt notum fieret omnibus, septem potissimum rationes ediderunt, quibus se ad eam receptionem compelli non posse contendebant.

Primo *dicimus eos non esse admittendos ad societatem nostram Scholasticam, nisi de voluntate nostrâ, quia societas non debet esse coacta sed voluntaria & gratuita.*

Secundo *dicimus eos admittendos non esse, quia eorum societatem experti sumus multipliciter nobis fuisse damnosam & periculosam.*

Tertio *cum ipsi sint diuersæ Professionis à nobis, quia ipsi Regulares, Nos Seculares, in vno officio Scholastico coniungi vel commisceri non debemus: cum dicat Concilium Hispanum*. Non arabis cum boue & Asino simul, *Quod est diuersæ professionis homines in*

vno ſimul officio non ſociabis. Nam cohærere & coniungi non poſſunt, quibus ſunt ſtudia & vota diuerſa.

Quarto *dicimus eos non eſſe admittendos ſecundum Apoſtolum, quia ipſi diſſenſiones & offendicula faciunt. Cum dicat Apoſtolus ad Rom. vlt cap. Rogamus fratres vt obſeruetis, ideſt diſcernatis eos qui diſſenſiones & offendicula faciunt propter doctrinam quam didiciſtis ab Apoſtolis & declinate ab illis. Huiuſmodi enim Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.* Gloſſa, *alÿs enim adulantur, alÿs detrahunt, vt poſſint ſuum ventrem implere, vt per omnes dulces ſermones & benedictiones ſeducant corda innocentium.* Gloſſa. Compoſitis verbis ſuam traditionem communicant, quibus corda ſimplicium decipiunt.

Quinto *dicimus eos non eſſe admittendos, quia timemus ne ipſi ſint Pſeudo-Prophetæ, quia cum ipſi non ſint Epiſcopi & Parochiales presbyteri, nec eorum Vicarii, vel ab eis ſpecialiter inuitati, prædicant non miſſi contra Apoſtolum dicentem ad Roman. c. Quomodo prædicabunt niſi mittantur? nulla enim ſigna virtutum eis teſtimonium perhibent: ſcilicet quod poſſint propter hoc prædicare. Tales autem cum ſint periculoſi Eccleſiæ, debent vitari. Et hos, &c.*

Sexto *dicimus eos non eſſe admittendos, quia timemus ne ſint ipſi de penetrantibus domos*: quoniam in domos ſingulorum ſe ingerunt, conſcientias & proprietates hominum timantur: & quos ſeductibiles ad modum mulierum inueniunt, ſeducunt & à Conſiliis Prælatorum ad ſua ducunt Conſilia, videlicet adſtringentes eos ad ſua Conſilia, vel actu, vel Iuramentis. Et tales præcipit Apoſtolus vitari dicens. Et hos &c.

Septimo *dicimus eos non eſſe admittendos* quia curioſi videlicet de curando negotia aliena & de operibus ſpiritualibus, cum tamen non ſint Apoſtoli, nec eorum ſucceſſores; id eſt Parochiales presbyteri nec eorum Opitulatores, id, Vicarii vt dictum eſt ſupra. Tales autem qui ſic viuere volunt, præcipit Apoſtolus vitari, dicens 2. Theſſal. vlt. *Denunciamus* vobis fratres in nomine Domini noſtri I. C. Gloſſ. Per Chriſti authoritatem vobis præcipimus, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à Nobis, vſque ibi. *Et nolite quaſi inimicum æſtimare*. Inſpiciantur Gloſſæ, & inuenietur quod tales ſunt vitandi, donec reſipiſcant à tali modo viuendi.

Propter has igitur altercationes dimiſſis ſcholis, complures Magiſtri & Scholares, quia vacationum tempus inſtabat, Lutetia receſſerunt, nec credebantur reddituri: & reuera multi aliò ſe contulerunt, præuidentes non tam citò pacatum iri diſſidium. Poſt Remigiales verò ferias, Reliquiæ tantæ diſperſionis vnanimiter conueniunt, & ne maior fieret diſſipatio, ſtatuunt reſcribendum eſſe ad ſummum Pontificem, mittendoſque Legatos, qui eum certiorem facerent iam nullam eſſe inter Academicos ſocietatem, ſeque omnibus renunciaſſe priuilegiis, nec obſtare iam quominus Dominicani publicè docerent: Nullam verò cum iis ſocietatem initi poſſe, cum diſſoluta fuiſſet ipſorummet Academicorum ſocietas, aut ſi ab eo ad eam ineundam cogerentur, malle omnino ex vrbe diſcedere. Epiſtola autem eſt huiuſmodi.

Epistola Vniversitatis ad Alexandrum.

Sanctiſſimo Patri ac Domino ſuo Alexandro, Diuina Prouidentia ſummo Pontifici ſinguli Magiſtri & Scholares omnium Facultatum, *Reliquiæ diſperſionis Pariſienſis ſtudii, præter Vniuerſitatis Collegium Pariſius commorantes*,
,, Deuotiſſima pedum oſcula Beatorum. *Radix amaritudinis* ſurſum germinans,
,, Apoſtolo deteſtante Perſecutorum noſtrorum Fratrum videlicet Prædica-
,, torum in cordibus coaleſcens, in fructus amaros adeo pullulauit, quod ſtu-
,, dium noſtrum, per quod deſideratas mundi glorias aſſequuntur, non ſine notâ
,, ingratitudinis tam per lites & iurgia, quam per ſecularis poteſtatis terrores iam
,, fere trienio impediunt, & multorum conſcientias inquinarunt. Nuper autem
,, dicti perſecutores per ſuam inſtantiã importunam, cui reſiſti vix poteſt, ſub præ-
,, textu ordinationis eiuſdem ſtudii, quandam à veſtra Clementia ſubreptitiam
,, Litteram extorſerunt, quæ *Quaſi lignum vitæ* voce tenus incipiens præter
,, intentionem veſtram & fratrum veſtrorum, vt credimus, Nobis facta eſt *Lignum*
,, *mortis*, antiquum ſtudii memorati ordinem & tranquillitatem fere vſque ad exi-
,, nanitionem multipliciter perturbando. Vt enim ad præſens de cæteris ibi con-
,, tentis grauaminibus, quæ ſtudii ſupradicti feruorem extinguunt, vigorem habitam,

cant, taceamus illud vnum in ea Nobis intolerabile & lethale periculum continet, vt cum simus alienigenarum multitudo inermis, quibus ab indigenis atroces & corporales iniuriæ frequentius irrogantur, nec aliud dictas iniurias prosequendi soleamus habere auxilium, quam vsque ad excitationem Principis, generaliter nostras suspendere lectiones, illud vnicum nostrum remedium nobis per memoratam litteram est ablatum vbi cauetur, *quod non nisi de consensu duarum partium Magistrorum cuiuslibet Facultatis obligationes facere valeamus de cessando.* Cum enim Magistrorum saltem Theologiæ pars maior quàm tertia de Canonicis Ecclesiæ Parisiensis, & Fratribus aliorum Conuentuum Paris. maximè occasione dictæ Ordinationis semper existat, qui timore translationis studii aut recessus Scholarium in generalem cessationem sicut experti didicimus, nequaquam possent induci, restat vt nisi per hanc viam, nec per aliam, cum alia non existat, iniurias nostras prosequi valeamus. Propter quod singuli nostrum, tanquam Oues dispersæ, impune dati sumus cædibus pestilentium & peruersis dentibus malignorum. Quæ autem Pater sancte, persecutorum nostrorum vtilitas in sanguine nostro, dum per talem Ordinationem ab eis nequirer procuratam descendimus in occisionem? Etsi non solum nobis, sed & eis, vt verè asserunt, dicta Ordinatio sit nociua, non hæc tamen eos excusat assertio, sed in hoc ipso magis apparet eorum malitia, qui vt nobis nocere valeant, propria non timuerunt incurrere detrimenta. Etenim cum duos dictorum Fratrum Bonum-Hominem & Heliam contra suam professionem, eos ad Euangelica Christi consilia obligantem vocatos Magistros olim propter eorum rebelliones & contumacias ab Vniuersitatis Collegio quondam separatos ad Magistrorum consortium, & tam eos quàm eorum Auditores ad eiusdem Vniuersitatis Collegium per falsas eorum preces restituendos duxeritis de vestræ plenitudine potestatis, licet contra falsitatem ipsarum precum plurimæ nobis exceptiones suppeterent, dictæ tamen restitutioni non duximus resistendum, quia vacare litibus, maximè contra curiosos litium amatores nec volumus nec valemus. Sed attendentes minus incommodum nobis fore beneficiis Vniuersitatis carere, quàm dictorum fratrum societate, quam nobis damnosam experimento cognouimus, & Vniuersali Ecclesiæ periculosam fore timemus, vlterius prægrauari. Attendentes etiam quod societas non per violentiã solet, sed per amicitiam copulari: considerantes nihilominus quod secundum Iuris normam in communionem aut societatem nemo compelli potest, vel detineri inuitus, à prædictis Collegio & consortio, sicut nobis à Iure conceditur, sigillatim discessimus, ipsius Vniuersitatis Beneficiis & priuilegiis renunciantes expressè, & sic renunciando Iuri nostro, sine Iuris & mandati vestri offensa societatem eorum per viam Iuris duximus declinandam. Illa ducti potissimum ratione, quoniam non solum inter Nos, verum etiam per Vniuersam Ecclesiam ipsi & eorum Fratres dissensiones, offendicula, & alias inordinationes periculosas facere non verentur, cum dicat Apostolus: *Rogo vos fratres vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula præter Doctrinam quam didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Et alibi. *Denunciamus vobis Fratres* in Nomine Domini I. C. vt substrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè & non secundum traditionem, quam acceperunt à Nobis: ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat mutari nos Nos, quoniam non inquieti fuimus inter nos. Glossa. *Vt illi qui aliena negotia curant vagantes hac & illac.* Propter quas causas & alias plurimas ex Diuinis Scripturis assumptas, quas parati essemus in Generali aut Prouinciali Concilio declarare, Societatem eorum periculosam, quam & Nobis arbitramur illicitam, vehementius abhorremus. Memorati vero Fratres Nos inuitos ad eorum consortium contra Deum & æquitatem; & præter Mandati vestri formam indirectè compellere molientes, venerabiles Patres Aurelianensem & Antissiodorensem Episcopos præfatæ Ordinationis Executores adeo seduxerunt, vt cum à vobis reciperent in mandatis, quatenus dictam Ordinationem faciant inuiolabiliter obseruari, Contradictores per Censuram Ecclesiasticam compescendo, ipsi formam mandati vestri, nescimus quo ducti spiritu, excedentes parum attendentes stragem multorum & scandala plurimorum, non in Contradictores vt eis mandatum exciterat, sed in omnes Magistros & Scholares, qui memoratos fratres & eorum Auditores infra 20. dies non admitterent ad prædicta, non distinguẽtes inter eos qui admittere pote-

rant & debebant, vt pote de illorũ Collegio & Consortio existentes, & illos qui ad ea nec admittere poterant nec debebant, vt pote non existentes de Collegio & consortio supradictis, de facto, cũ de Iure non possent, post appellationẽ legitimã à singulis nostrum, ne quid in iuris nostri præiudicium attentarent, interpositam excõmunicationis sententiam protulerunt. Propter quem excessum ad pietatem vestrã infra tempus legitimũ iteratò duximus appellandum. Ipsi verò nostra quidem appellatione contemptâ Nos paucos qui cæteris Conscholasticis nostris à studio Parisiensi propter insolentias dictorum Fratrum recedentibus, adhuc sub expectatione Iustitiæ vestræ Parisius commoramur, modis omnibus quibus possunt inquietare non cessant, & studium nostrũ iam fere dissipatum impediunt ac perturbant. Cum tamen, vt conqueri solent, non prohibeamus eos quominus tot scholas habeant & Scholares, siue de Secularibus siue de Regularibus, quot habere volunt & possunt, nec quominus Priuilegiis nostris omnibus tam ipsi, quàm eorum Auditores gaudeant: quemadmodum & Nos ipsi in nullo etiam volumus vt nobis Superiores aut inferiores existant. Nos enim nihil ab eis exigimus, nisi vt Nos in vna parte Ciuitatis patiantur pacificè & quietè, nec ad domos aut Scholas Nostras, seu etiam ad Conuentus nostros, in quibus Magistri non nisi rogati conueniunt, sicut nec consuetum extitit, inuitis se ingerant violenter. Nos enim quoniam ipsi de mandato Domini Regis paratam semper habeant ad nutum suum multitudinem armatorum, vnde etiam solennitates Magisteriorum suorum nuper sine Nobis cum armatis plurimis celebrare cœperunt, formidantes eorum congressum, præcipuè ne ipsos ingerentes se nobis per violentiam admittendo, appellationi nostræ prædictæ renunciare aliquatenus videremur. Idcirco ne Nobis se ingerant ad prædicta, eos attentè rogandos & quantum de iure potuimus, prohibendos duximus viua voce. Adhuc memorati Fratres maligno spiritu instigati nouos nocendi modos arte Diabolica perquirentes contra Venerabilem virum M. Guillelmum de S. Amore Capellanum nostrum apud Nos in Theologica Facultate regentem, quem propter defensionem Iuris nostri sibi constituerunt exosum, quod ipse in cuius ore apud Nos non est inuentus dolus, personam vestram infamiæ non patentem, cuius ab ipso puerili æuo semper rutilans fama coruscauit, ore maledico diffamasset, contra Vos libellum famosum in Congregationibus nostris pluries recitando per excogitata mendacia confinxerunt: in quo facto vniuersis etiam Nobis diffamationis vestræ notam nequiter impegerunt, dum Nos eam libenter auscultasse, cum nemo inuito Auditori libenter referat, mendaciter innuerunt, & mediante quodam Capellano & Nuntio vestro transeunte Parisius nomine Gregorio, cui prædicta falsa per circumuentionem suggesserant, ad maiorem turbationem studii præfatum Magistrum apud illustrem Francorum Regem & venerabilem Patrem Parisiensem Episcopum super dictâ diffamatione ab eis confictâ perperam detulerunt. Memorato vero Episcopo Iudice nostro ad stimulationem D. Regis & Præfati Gregorii contra ipsum Magistrum inquisitionis Iudicium statuente ac ipso Magistro dictum Gregorium citari postulante, vt in Iudicio compareret dicturus à quibus illam famam acceperat, & quosdam Libellos clandestinos, quos contra dictum Magistrum se recepisse dixerat, ostensurus. Et si quid de prædictis contra ipsum Magister improbare vellet & posset, legitimè probaturus. Nec Episcopus vt dicebat, ausus fuit illum ad comparendum compellere, nec ipse Gregorius propter confusionem sui erroris ausus fuit in Iudicio comparere, sed in verbis suis multipliciter variando, & prius dicta consequenter negando malè sibi conscius subitò de Ciuitate recessit. Tandem ipse Episcopus quantum de Iure, imò plus quam de iure potuit, procedens per dilationes plurimas in prædictis, cum nec famam contra Magistrum inuenire potuerit laborantem, nec Accusator seu Denunciator aliquis appareret, Canonicâ purgatione ab ipso Magistro ad omnem suspicionem perpetuò excludendam præsentibus quatuor millibus Clericorum ad honorem nostrum sponte oblatâ eundem Magistrum ab instantia iudicii sui sententialiter liberauit, secundum quod in actis eiusdem Episcopi sigillo suo signatis plenius continetur. Propter quæ scandala & offendicula supradicta, nec non & alia plurima quæ longum esset præsentibus enarrare, non immeritò prouocati, præcipuè propter execrabilem illam iniuriam supradictam Nobis om-

nibus in persona præfati M. Guillelmi de S. Amore fidelissimi Patroni nostri seditiosè ac nequiter irrogatam, quam cordibus singulorum Nostrum infixam dissimulare nec volumus nec debemus vsque ad intima viscerum nostrorum inconsolabiliter sauciati necesse habuimus nostras huc vsque suspendere lectiones.

Tanta igitur Pater Piissime, crudelitate commoti, tam stupenda inuentione attoniti admirando si placet expergiscimini, attendentes qualiter iuxta veridicam Apostoli prophetiam *operarij subdoli*. Glossa *callidè, sub specie religionis decipientes in humilitate & religione seducunt*. Glossa *qui videntur quasi Nuncij Dei, per speciem & humilitatem Religionis*. Et hæc sunt quibus homines possunt facile seduci. Attendatis qualiter fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Nam secundum Gregorium, *Nemo plus nocet in Ecclesia Dei, quàm qui peruersè agens nomen habet sanctitatis vel Ordinis*. Attendatis etiam Pater Sanctissime, qualiter illi qui asserunt se mundum reliquisse, nunc sub quadam falsa specie pietatis se maioribus huius mundi negotiis implicantes, posteriores eius glorias ambiunt & sectantur. Qualiter etiam illi, qui ab initio suæ conuersionis elegerant in altissima humilitate & paupertate Christo Domino famulari, nunc sub prætextu Consilii & Doctrinæ in Palatiis Regũm & Aulis Principum dominantur contra Glossam Mathæi 11. cap. sic dicentem. *Rigida vita & prædicatio debet declinare mollium Palatia quæ frequentant induti mollibus adulantes*. Nec attendunt quod de viris sanctis cantat Ecclesia *Aulas Regias contemnentes peruenerunt ad Regna Cœlestia*. Attendatis nihilominus, *Pater Sancte*, quales illi qui olim cum Apostolo spectaculum huic mundo se fieri gaudebant, aut certè simulabant, tanquam purgamenta huius mundi & omnium peripsema, nunc sine Prælatorum licentia prædicando, ad pœnitentiam admittendo, absoluendo, ligando, sibi potestatem Ecclesiæ vsurpant, & in immensum vltra mensuram regulæ gloriantur in alienis laboribus, idest in plebibus alienis. Nolite Pater Sanctissime, tantam simulationem dissimulare, tantam perniciem conniuentibus oculis pertransire. Nolite hæc vobis esse incognita, quæ iam vulgò & paru[illegible] scientibus sunt aperta. Sed hæc hactenus, ad vestram hac parte prudentiam excitandam sufficiant.

Nunc autem ad vestræ paternæ protectionis clementiam recurrentes totis desideriis obnixè duximus supplicandum, quatenus præfatam Excommunicationis sententiam inualidam decernentes, nec non ad pristinam libertatem & statum antiquum in quo tempore vestræ promotionis eramus, saluis in omnibus & per omnia Libertatibus Parisiensis Ecclesiæ Nos pietatis intuitu reducentes, ad dictorum Fratrum societatem, quam seruitutem grauissimam ac Nobis illicitam reputamus, Nos contra Deum & Canonica instituta cogere non velitis. Alioquin cum sine Nostris & aliorum periculis, quæ parati essemus in Prouinciali aut Generali Concilio, sicut prædictum est, declarare, ad societatem nostram eos secundum statum eorum præsentem saluis conscientiis admittere nequeamus, Noueritis Nos potius studium nostrum in Regnum aliud translaturos: aut si aliud vobis prohibentibus facere non possemus, magis eligimus cum iactura nostra studium relinquendo ad proprios lares reuerti, & ibi natiuæ perfrui libertate, quàm coactæ ac periculosæ societatis ipsorum Fratrum seruitute intolerabili suffocari. Quo casu, quod absit, contingente non longè distaret ab Ecclesiâ illa maledictio Esaiæ, *Excæca cor populi huius & aures eius aggraua & oculos eius claude*. Tunc enim propter defectum scientiæ fierent speculatores Ecclesiæ cœci omnes, canes muti non valentes latrare. Tunc Samsonis vulpes caudas habentes ad inuicem colligatas proculdubio segetes, vineas & oliueta Ecclesiæ nullo prohibente ineuitabiliter concremarent. Tunc etiam, quod absit, finiendum Petri timeri posset imperium iuxta Hæresiarchæ Ioachimi prophetias in libro qui perniciosè & damnabiliter *Æternum Euangelium* appellatur.

Vestram igitur, *Pater Sancte*, benignitatem attentius exoramus, vt beneplacitum vestrum super præmissis, Nobis, si placet, sine moræ dispendio rescribentes, animas nostras diutius suspendere non velitis: sed finali responso vestro corda nostra quietare dignemini, vt secundum quod prædictum est, incunctanter nobis & studio nostro prouidere commodius valeamus. Quod si Rescriptionem vestram, quod absit, duxeritis differendam, timendum est vehe-

„ mentet, ne Studium nostrum prædictum, quod de die in diem tam in numero „ personarum quàm in feruore studendi magis ac magis minuitur propter negligentiam corrigendi, infra breue tempus omnino irreparabiliter destruatur. *Nos autem Magistri & Auditores omnium Facultatum Magistris fratribus & eorum Auditoribus duntaxat exceptis, quoniam* Sigillum commune non habemus vt pote ab „ Vniuersitatis Collegio separati, *Sigillis 4. Nationum ab antiquo Parisius distinctarum in hac littera vsi sumus.* Datum Parisius VI. Non. Octob. an. 1255.

Ex hisce litteris patet, cum viderent Dominicani constantes esse Academicos, nec vllo terrore moueri, rabiem furoremque suum in M. Guillelmum de S. Amore Academiæ fortissimum defensorem & libertatis Academicæ propugnatorem acerrimum conuertisse, eumque apud Regem, apud Gregorium illum Nuncium Apostolicum & Episcopum Parisiensem tunc nomine Reginaldum, multorum criminum Reum fecisse, præsertim verò quod priuatim & publicè multa capita cuiusdam Libelli aduersus summi Pontificis authoritatem, vt dicebatur, composuisset, Regiamque Maiestatem declamasset: dicebant siquidem eum in Comitiis Vniuersitatis dixisse non magnopere timendam esse Excommunicationem Papæ, iisque fulminibus viros prudentes terreri non debere. Quâ de re sic ipse in suis ad Obiecta Responsionibus. *Item die lunæ post dictam Dominicam factâ Congregatione Magistrorum & Scholarium monuit ipsos viriliter se tueri: & quod non timerent sententiam D. Papæ, quantum ad Deum. Dixit etiam quod dicti Fratres nullo modo erant recipiendi ad societatem eorum, quia sunt illi quos præcipit Apostolus euitari, &c. Item dixit quod non permitterent aliquem in aliqua Facultate, nisi prius iuraret, quod se teneret cum Vniuersitate contra omnes in quocumque statu fuerint.* Respondit verò sic, „ vt ipse subiungit. *Dixi Scholaribus*, quod ipsi bene defenderent Ius suum secundum Deum & Iustitiam, quia hoc credebam expedire successoribus eorum „ futuris. Reliqua verò omnia quæ continentur in hoc articulo, non dixi.

Vnde verò nihil sibi metuendum putat Vniuersitas à fulminibus Vaticanis, iam dictum est supra. Negabat enim vlla se posse cogi ratione ad recipiendum eos in consortium, quibuscum nullum habebat vitæ & instituti commune commercium: quique hæreseon authores & fautores esse videbantur. Nam hoc erat Academicorũ propugnaculum. Iam ipsi an. 1254. Theses aliquas hæresim sapientes quas ex libro Ioachimi Abbatis Mendicantes proposuerant, damnauerant, & Excerpta quædam seu schedulas Errorum *Libri introductorij* in Euangelium æternum, continentes emiserant: quæ omnia cum in Alexandri manus iam mortuo Innocentio deuenissent, ipse de fratrum consilio *Librum introductorium* damnauit, nec schedulis pepercit quia nonnullos errores affingere videbantur authori, qui in ipsius libro non reperiebantur. Eaque de re certiorem fecit Episcopum Parisiensem binis litteris, quæ sunt eiusmodi.

„ Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili fratri Episcopo Parisiensi Sal. & Apost. bened. Libellum quendam qui in Euangelium æternum, seu „ quosdam libros Abbatis Ioachim *Introductorius* dicebatur, & quem felicis recordationis Innocentio Papæ prædecessori nostro misisti, postquam illum per „ venerabiles fratres Tusculanum & Prenestinum Episcopos & dilectum filium nostrum H. tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, diligenter examinari fecimus, „ de fratrum nostrorum consilio duximus abolendum. Et quia quædam scedulæ plerisque fuerunt exhibitæ, in quarum nonnullis multa quæ in libello non continebantur eodem nequiter sibi adscripta fuisse dicuntur, censuimus de ipsis „ scedulis illud idem. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, „ quatenus libellum ipsum & omnes scedulas supradictas authoritate nostra facias aboleri, generalem excommunicationis sententiam proferens in omnes „ eundem libellum & scedulas ipsas habentes, nisi infra certum terminum quem „ adhoc præfixeris, illa duxerint penitus abolenda, faciendo eandem sententiam „ in locis in quibus expedire videris, solenniter publicari. Datum Anagniæ 10. „ Kal. Nouemb. Pontific. nostri an. 1.

Posterioribus litteris datis pridie Nonas Mensis Nouembris mitigauit & correxit quod prioribus mandauerat, nimirum veritus ne damnatione *Introductorii libelli*, si publicè fieret, fama Mendicantium sinisterior haberetur, rogauit eun-

dem Episcopum vt cautè prudenterque in ea re sic se gereret, vt nemo inde occasionem arriperet de iis detrahendi.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili fratri Episcopo Parisiensi Salutem & Apostolicam benedictionem. Libellum quendam qui in Euangelium æternum seu quosdam libros Abbatis Ioachim *Introductorius* dicebatur, & quem felicis recordationis Innocentio Papæ Prædecessori nostro misisti, postquam illum per Venerabiles fratres Tusculanum & Prenestinum Episcopos & dilectum filium nostrum H. tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem examinari fecimus, de fratrum nostrorum consilio decreuimus abolendum. Et quia quædam scedulæ plerisque fuerunt exhibitæ, in quarum nonnullis multa quæ in libello non continebantur eodem, nequiter sibi ad scripta fuisse dicuntur, censuimus de ipsis scedulis illud idem. Cum itaque nostris tibi demus litteris in mandatis, vt libellum ipsum & omnes scedulas supradictas authoritate nostra facias aboleri, generalem excommunicationis sententiam proferens in omnes eundem libellum & scedulas ipsas habentes, nisi infra certum terminum quem ad hoc præfixeris, illa duxerint penitus abolenda, faciendo eandem sententiam in locis in quibus expedire videris, solenniter publicari, Volumus & fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod tibi per eas dem iniungimus litteras, exequi studeas diligenter. Verum quia illorum Christi Pauperum, videlicet Dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum nomen & famam illæsa semper & integra cupimus obseruari, quos sicut intelleximus affectione paterna & beneuolentia prosequeris speciali, super quo dignis te in Domino laudibus commendamus, præsentium tenore præcipimus, quod sic prudenter, sic prouidè in Apostolici super hoc Mandati executione procedas, quod dicti Fratres nullum ex hoc opprobrium nullamque infamiam incurrere valeant siue notam, & obloquutores & æmuli non possint exinde sumere contra ipsos materiam detrahendi. Datum Anagniæ 2. Non. Nouemb. Pontif. nostri an. 1.

Verum vt ad Guillelmum redeamus, multorum criminum factus reus & citatus nullatenus se sistere recusat apud Reginaldum Parisiensem Episcopum: imò postulat in causam, quicunque sibi factam esse putabant iniuriam: se nempe paratum esse ad quæcunque obiecta crimina respondere. Die igitur vadimonii præsentem se exhibet, nemo accusat: innocentiam probat, nemo criminatur, atque ita præsentibus quatuor Clericorum millibus innocens ab Episcopo Parisiensi declaratur, edito ac etiam sigillo munito huiusce publicæ declarationis & sententiæ instrumento.

Idem vero paulo ante ab iisdem Dominicanis citatus quoque fuerat apud Seguinum tunc temporis Episcopum Matisconensem suum Diœcesanum & apud clerum & populum eiusdem diœceseos, neque inuentus pariter fuerat in ore eius dolus. Itaque cum ipse multipliciter accusatus purgauisset se se, vt ipsemet ait in suis ad obiecta Responsionibus *coram eodem Episcopo & Clero & populo perhibentibus testimonium veritati rationibus suis*, Ad Gregorium illum Nuncium Apostolicum & per eum ad Regem vocatus ab omnibus innocens reputatus est.

Hac igitur spe frustrati Dominicani, dum deliberant Academici de mittendis ad Pontificem litteris suis & Nunciis, veriti ne forte causa caderent, si triplici illo Iudicio absolutus Guillelmus eius Sanctitati repræsentaretur, Moram istam præueniunt, Alexandri Pontificis animum occupant, à quo primùm obtinent litteras ad Cancellarium San-Genouefianum datas Laterani sub finem Mensis Nouembris, quibus mandauit, ne vllum Academicum in vlla Facultate licentiaret, donec ea quæ ipse facienda præceperat executioni demandasset.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Cancellario S. Genouefæ Parisiensis Salutem & Apostolicam benedictionem. Licet Nos olim pro studii Parisiensis conseruatione quædam circa studium ipsum de fratrum nostrorum consilio prouidè duxerimus ordinanda, prout in litteris nostris exinde confectis quæ *Quasi lignum vitæ* incipiunt, plenius continetur: nonnulli tamen Magistri & Scholares Parisienses Ordinationem ipsam vt audiuimus, obseruare non curarunt: imò in ipsius studii perturbationē contra ipsum multipliciter moliuntur. Volentes igitur vt præfata nostra ordinatio ab omnibus reuerenter & simpliciter obseruetur, discretioni tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipien-

Ad Cancellarium San-Genouefianum.

» do mandamus, quatinus regendi Parisius in aliqua Facultate nemini licentiam
» tribuas, qui dictam ordinationem noluerit obseruare. Datum Laterani 7. Kal.
» Decemb. Pontific. nostri anno 1.

Ex hisce litteris euidenter intelligitur Cancellarium San-Genouefianum tunc adhuc licentias impertiri solitum regendi in qualibet Facultate, Theologica, Canonica, Medicinæ & Artium, nec cum an. 1227. ista Quæstio agitata est apud Gregorium IX. contendente Cancellario Parisiensi non posse San Genouefianum Theologos & Decretistas licentiare, ipsum potuisse probare quod postulabat, nec Genouefiani limitatam fuisse potestatem.

Obtinuerunt præterea Mendicantes à prædicto Pontifice tres alias Bullas eadem fere die datas ad Aurelianensem & Antissiodorensem Episcopos. Quarum primâ datâ Laterani 7. Id. Decemb. anno 1255. excommunicatione feriit eos qui resecatos Dominicanos in consortium Academicum restituere recusarent, incipitque *Cum nos olim*, mandans quatenus illos, qui præfatam Ordinationem quasi *Lignum vitæ* quam ab omnibus Magistris & Scholaribus Parisius commorantibus firmam & illibatam seruari volebat, quacunque arte vel ingenio obseruare non curarent, monitione præmissa, nominatim ac specialiter excommunicatos denunciare per se vel per alios, vbicunque expedire viderent vsque ad satisfactionem condignam, appellatione aliqua, seu eorum absentia qui postquam eis de præfata ordinatione sua innotuerit à dicta Vniuersitate recessisse dicebantur, nequaquam obstantibus, nullatenus postponerent.

Altera Bulla quæ incipit *Controuersiam* data eadem die quâ superior; Item & tertia quæ data est 4. id. eiusdem mensis Decembris, iniungit iisdem Episcopis *in virtute* S. obedientiæ, quatenus inquirentes de plano & sine strepitu Iudicii veritatem, si inuenerint M. Guillelmum de S. Amore vel alios, Bonum-Hominem & Eliam ac eorum auditores infra 15. dies post receptionem dictarum litterarum in suum consortium ac Collegium seu societatem iuxta Mandati sui tenorem minimè recepisse, vel fecisse, quominus ad prædicta recipentur ab eis, ipsos appellatione aliquâ, seu eorum absentia qui ab Vniuersitate postquam eis de ordinatione vel mandato suo innotuit, recessisse dicebantur, nequaquam obstantibus, vsque ad satisfactionem condignam denunciarent & denunciare facerent suspensos ab officiis & beneficiis vbicunque viderent expedire, non obstante Constitutione de duabus Dietis editâ in Concilio generali.

His acceptis litteris protinus Episcopi prædicti executioni demandare festinant Mandatum Apostolicum, & 4 insignes Magistros, Guill. de S. Amore, Odonem de Duaco, Nicolaum Decanum de Barro, & Christianum Bellouacum opprimere moliuntur quasi authores seditionis. Dici non potest quàm id omnes viri boni molestè tulerint, quamque indignati fuerint iniuriam tantam inferri omnium Academiarum Principi. Verum tamen cum instaret Synodus Parisiensis, excommunicationem paululum distulerunt.

Cum enim id renuente Rege facere non possent, qui Academicos vexari molestè ferebat, excusationis & dilationis prætextum ex eo nacti sunt, quod synodus Episcoporum habenda esset eo anno Parisiis quibus inconsultis non videbatur æquitati consentaneum eiusmodi fulminatricem ferre sententiam. Interim verò ne quid omitterent Dominicani, vnde sibi fauorem Regis contra Academicos demereri possent, quia sciebant virum esse timoratum, scedulam quandam illi offerunt plenam erroribus, qui M. Guillelmo & sequacibus eius imponebantur. Præterea per Archiepiscopum Turonensem qui à sactis Concionibus erat, curant præsente Rege & Regiis Proceribus illos errores exaggerari, & copiosissimè pro ea quâ valebat facundia, refelli. Quod cum resciuisset Guillelmus, sequenti die Dominicâ in Ecclesia SS. Innocentium è sacro suggestu legit exemplar illius scedulæ, attestatusque est populum an aliquid huiusmodi à se audiuisset in Concionibus quas habuerat toto anno frequentes: & responderunt Vniuersi se nihil tale ab eo audiuisse. Rem sic ipse narrat in suis ad obiecta Responsionibus, vbi sic illi.

Cum D. Turonensis Archiepiscopus ex deliberato Consilio Bonorum & Proborum præsente Rege & Episcopo Parisiensi contra huiusmodi Falsitates prædicauisset, M. Guillelmus è contra sequenti Dominica, congregatâ maximâ multitudine populi cum duobus

Magiſtris Theologiæ fecit ibi portari multos Libros, & dixit publicè quod veritatem prædicauerat, & adhuc illam prædicare volebat: ſed non poterat eam confirmare per mitras & Croſſas & annulos, nec adducere Archiepiſcopos, & ideo per ſcripturam librorum qui præſentes erant, volebat eam confirmare etiam ſub ſigillis Congregationis Prædictorum Prælatorum quæ præceſſit. Et dixit quod cum Pariſius non eſſent niſi ſeptem Magiſtri in Theologia quia Religioſos non computabat, decem illorum extra villam abſentibus, tres, ſcilicet ipſe, & Odo de Duaco & *Laurentius Anglus & Scholares eorum parati erant hanc veritatem defendere. Et tunc cœpit prædicare contra hoc quod Archiepiſcopus prædicauerat de paupertate. Et dixit quod qui intrat Religionem pauperem & fortis eſt corpore ad laborandum manibus, licet ſit Prædicator vel quicunque alius, tenetur laborare manibus & ita acquirere victum ſuum, aliàs peccat mortaliter mendicando. Etſi dicatur quod Fratres Minores & Prædicatores habeant Priuilegium mendicandi, non intromittit ſe de eis: ſed audacter dicit, quod qui petit tale Priuilegium, peccat mortaliter, & qui dat: quia peccatum eſt contra Apoſtolum.*

Ad hæc reſpondit his verbis Guillelmus. *Cum à quodam bono viro, inquit, cuius nomen ignoro*, accepiſſem quandam ſcedulam D. Regi Franciæ præſentatam, in quâ continebantur omnes prædicti errores, qui mihi falsò erant impoſiti, ſequenti Dominicâ in Eccleſias. Innocentii, de conſilio ſapientiorum volui me ſuper illis purgare: & cum intellexiſſem per fide dignos quod quidam viri Religioſi litterati & promeriti parati erant illic ſe mihi opponere, & impugnare quod dixeram, per ſcripturas, feci libros Theologiæ ad meam defenſionem hic deferri: & finito ſermone per quendam Magiſtrum legi articulos dictæ ſcedulæ ſigillatim, & probaui per adſtantes Clericos & Laicos qui omnes ſermones meos illius anni ad populum factos audierant, quod Ego coram eis non dixeram dictos errores. Item dixi quod quia non habebam mitram, nec annulum nec authoritatem per quam mihi crederetur, idcirco attuleram libros ſacræ ſcripturæ ad probandum veritatem quam dixeram, vel prædicaueram, de periculis nouiſſimorum temporum; ſed per Dei gratiam nullus ibi ſe oppoſuit, nec libros opotuit aperiri. Dixi etiam quod Magiſtri & Scholares Theologicæ Facultatis, qui præſentes erant, parati erant eandem mecum defendere veritatem. de Domino Turonenſi Archiepiſcopo, vel contra ipſum, nunquam protuli verbum vnum.

Accuſatus etiam fuit quod cum audiuiſſet, nouas Bullas fuiſſe ab Alexandro ad præ dictos Epiſcopos datas, quibus aliqui, &, inter alios ipſe Guillelmus, ſuis beneficiis priuabantur, alii ab obtentione quorumlibet arcerentur, niſi reciperent Fratres in commune conſortium, dixiſſet ſe contra eiuſmodi ſententiam ad Concilium prouocaſſe, nec timendam eſſe excommunicationem Papæ, quia non ligabat ſecundum Deum. Reſpondit verò ſe quidem dixiſſe, quod Magiſtri & Scholares appellaſſent, atque ad Rom. ſedis protectionem confugiſſent, eamque appellationem de Mandato Magiſtrorum & Scholarium innouatam fuiſſe.

Cum itaque vehementes hinc inde conciones & contentiones non modo ſtudium Pariſienſe, ſed Ciuitatis quoque ipſius quietem turbarent, Ludouicus Rex Chriſtianiſſimus, qui viros doctos impensè amabat, licet Rom. ſedi plurimum in omnibus deferret, conatus eſt litem componere. Et commodè factum eſt, quod tunc Lutetiæ Synodus celebrabatur Eccleſiæ Gallicanæ, cui præſedit Henricus Senonenſis; interfuerunt vero Reginaldus Pariſienſis. Guido Antiſſiodorenſis, Nicolaus Trecenſis, Alelmus Meldenſis. Præcipua ſynodi cauſa erat cædes R. bonæ memoriæ Cantoris Carnotenſis: in eadem negotium Academiæ Pariſienſis propoſitum eſt & agitatum. Omnes autem Prælati in idem conſilium conſpirarunt, effeceruntque vt ambæ partes de arbitris conuenirent. Ergo communi ſuffragio delecti ſunt Philippus Bituricenſis Archiepiſcopus vir magnæ pietatis & authoritatis, qui poſt mortem inter Cœlites relatus eſt, Thomas Rhemenſis, Henricus Senonenſis & Odo Rothomagenſis cognomento *Rigault*; optimi viri, graues & ſpectabiles, quorum primus nempe Bituricenſis erat quidem Dominicanis addictiſſimus, ſed æquitatis amantiſſimus.

Illi igitur die dicta iuſſerunt vtriuſque partis Procuratores ſuas cauſas agere. Dominicani conqueſti ſunt ſe à conſortio Vniuerſitatis eiectos, duabus Cathe-

dtis Theologicis, quas iam diu ante possederant, iniquo Magistrorum Edicto priuatos. Hæc præcipua fuerunt postulationis capita. Alia quoque adiecerunt, quod Magistri & Scholares iuramento se adstrixissent nunquam passuros, vt Mendicantes in Vniuersitaris gremium admitterentur, quod contra Paupertatem & Mendicitatem prædicassent, vno verbo quod multis iniuriis & opprobriis ab iis vexati fuissent. Hæc autem omnia scripto quoque tradiderunt.

Contra Academici per M. Guillelmum de S. Amore, causas reiectionis eiusmodi hominum exponunt, & præterea conqueruntur quod Papalibus Censuris per Dominicanos vexati fuissent; postulantque vti ipsi eas quàm primum curent reuocari. Et suas quoque illi rationes & Defensionis capita scripto tradunt, quæ supra retulimus, quæ quia visa sunt Dominicanis iniuriosa, ea inter accusationis præcipuos articulos apud D. Papam reposuerunt: vt in Responsionibus ad obiecta patebit.

Auditis ergo partibus & inspectis diligenter rationibus prædicti Arbitri pro bono pacis duas Cathedras Magistrales Dominicanis concesserunt: in perpetuùm verò à societate Academicâ eos excluserunt, nisi tamen aliter placeret Academicis: idque consentientibus tandem vtriusque partis animis constituerunt, vt constat ex instrumento publico ad perpetuam huiusce Concordiæ memoriam confecto 1. die Martii an. 1255. more Gal. sed more Rom. an. 1256. Est autem huiusmodi.

Pax inter Vniversitatem et Mendicantes. Vniuersis præsentes litteras inspecturis Philippus Bituricensis, Thomas Rhemensis, Henricus Senonensis, Odo Rothomagensis Dei gratia Archiepiscopi Salutem in Domino. Nouerit Vniuersitas Vestra, quod discordia mora inter Priorem & Fratres Prædicatores Parisienses ex vna parte, & Magistros Scholares Parisienses ex altera, in præsentia nostra ac Nobis & multis Episcopis mediantibus pacificata est in modum infra scriptum. *Fratres non habebunt plures scholas quàm duas.* Fratres tam Regentes quàm non Regentes in perpetuum erunt separati à societate Scholastica Magistrorum & Scholarium Parisiensium Secularium, nisi Magistri & Scholares spontanea voluntate ad societatem & liberè eos voluerint reuocare. *Scholares dictorum Fratrum*, siue seculares, siue alii qui non sint de Ordine eorum liberè à Magistris secularibus & Scholaribus eorundem recipientur ad Scholasticam societatem & liberè vtentur eadem sicut alii secularium Auditores.

Similiter è conuerso Scholares Magistrorum secularium recipientur liberè à Fratribus & Scholaribus eorundem ad Scholasticam societatem, & liberè vtentur eadem.

Magistri seculares & eorum Scholares nullũ statutũ seu Ordinationem facient contra Scholares Fratrum vel suos occasione ista, quominus recipiantur ad eorum societatem & statim recipientur à secularibus Scholares extranei Fratrum. *Si* Prælaris videbitur, quod possint seculares Magistros & Scholares absoluere à iuramento, quod Scholares fecerunt de Fratribus & eorum Scholaribus non admittendis, donec vtrum Fratres essent ad societatem Magistrorum & Scholarium receptibiles, esset definitum, & ipsos absoluerint, alioquin mittetur à Fratribus ad Papam super relaxatione prædicti iuramenti. Et interim Magistri & Scholares seculares Scholares Fratrum non recipient propter periurij periculum. Fratres abrenuncient omnibus litteris impetratis & impetrandis contra præmissa à se, vel quocunque alio, & concessis & concedendis sibi & alii cuicunque: & procurabunt dicti Fratres, quod sententiæ quædam quæ dicuntur latæ contra seculares non recipientes eosdem, qualitercunque fuerint latæ relaxentur. Fratres ab aliis Religiosis & Canonicis B. Virginis Regentibus recipi poterunt: & è conuerso pro suæ libito voluntatis, cum ad dictos seculares nihil pertineat. Fratres nec per se, nec per alios vexabunt nec vexari procurabunt aliquam personam singularem siue Vniuersitatem occasione prædictæ siue prædictarum contentionum, siue alicuius dependentis ab eisdem. Ista autem separatio dictorum Fratrum quoad Scholasticam societatem, & dictorum Magistrorum & Scholarium secularium facta est pro bono pacis, non propter hoc quod aliquid reprehensionis in Fratribus à Nobis sit inuentum, nec etiam inquisitum.

Nec

Nec impedient Magistri & Scholares seculares occasione contentionis motæ aliquem, ne eat ad Prædicationes Fratrum, vel in Domo sua eligat sepulturam, nec aliud inhonestum contra Fratres attentabunt. Nec Fratres in confessionibus, vel alio modo contra Scholares seu Magistros seculares attentabunt vel attentare procurabunt aliquid durum vel etiam inhonestum occasione motæ contentionis: nec etiam auertent à Secularibus Auditores, nec Seculares ab ipsis. Nos verò ad petitionem dictorum Prioris & Fratrum, & etiã ad petitionẽ quorundam Scholarium, ab Vniuersitate & à Nationibus Vniuersorum Scholarium Parisiensium ad tractandum, prosequendum, disponendum liberè super statu studii Parisiensis, & super his de quibus inter dictos Scholares & prædictos Priorem & Fratres contendebatur, constitutorum, præsentibus litteris sigilla nostra apposuimus in testimonium & robur perpetuæ firmitatis. Actum anno Domini 1255. die 1. Martii.

His ita per Ecclesiam Gallicanam compositis pax reditura credebatur: & in spem futuræ quietis & concordiæ statim multi Academici redierunt & scholas ac lectiones resumpserunt. Cuius pacis meminit ad hunc an. Mathæus Parisiensis. *Ipsis quoque diebus*, inquit, *reformata est & renouata Cleri Parisiensis Vniuersitas, quæ suspensis lectionibus, & disputationibus, & multis Scholarium dispersis patuit discrimini per Fratres Prædicatores, qui consuetudinem Vniuersitatis antiquam voluerunt commutare, perturbata. Veruntamen eorum conditio, quia de Eleemosynis sustentantur, non mediocriter est deteriorata.*

Domus autem Monachorum Ordinis Cistercienses Parisius studentium quæ per Abbatem Clare-Vallensium videlicet de Natione Anglicum propter opprobria Fratrum Prædicatorum & Minorum initiata est, felix diatim suscepit incrementum. Et placuit Deo, Prælatis & Populo eorum honesta & ordinata conuersatio. Non enim vagabantur per Ciuitates & pagos. Non erat eis pro Claustrali maceria Oceanus: sed intra muros suos clausi & stabiles conuersantes suo secundum regulam S. Benedicti obediebant Superiori. Quod laudabile reputabit, qui regulã S. Benedicti voluerit intueri. In principio videlicet genera distinguens Monachorum, Sarabaitas & Gyrouagos reprehendit. Veruntamen Prædicationibus suis insistentes & Ordinariorum authoritatem eneruantes, multis laudabiles, multis quoque se præbuerunt reprehensibiles. Assumpserunt enim multi audaciæ cornua delinquendi, eo quod non oportuit eos suo sacerdoti peccata confiteri. Ecce nocumentum. Aliqui verò proprio sacerdoti, quia forte temulento, vel ob aliquas alias causas occultas renuerunt confiteri, qui ad alas consolationis & consilii Prædicatorum & Minorum transeuntium confidenter confitentes auolarunt. Et ecce refugium & vtilitatis frugalitas.

Dum autem ista Lutetiæ agerentur, dum de pace agerent ambæ partes, quâ factâ & sancitâ credebantur omnia deinceps fore pacatissima, dumque sperabant Academici suum Academiæ splendorem rediturum, Dominicani malâ fide malisque artibus à summo Pontifice Bullas fulminatrices obtinebant, seu potius ipsimet ad nutum fabricabant. Ecce igitur statim post pacem & concordiam iuratam tres nouæ Bullæ prodeunt: quarum vna est ad Reginaldum Episcopum Parisiensem, altera ad Vniuersitatem, tertia ad Regem Ludouicum, quibus Bullis mandabat & præcipiebat summus Pontifex excommunicationis vinculo innodari eos omnes qui Fratres admittere nollent, quique contra eos assererent & publicè populo prædicarent non esse illis committendas peccatorum confessiones. Prior igitur ad Episcopum Parisiensem est eiusmodi.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili Fratri Episcopo Parisiensi Salutem & Apostolicam benedictionem. BVLLAE PONTIFICIAE.

De quibusdam Magistris & Scholaribus ac Auditoribus Parisiensibus euidenter cognoscimus, quod ipsi non pacifici sed authores Scandali, non Dei sed Sathanæ vocari filii delectantur, Charitatis ordinem adeo peruertentes quod non solum à seipsis, sed ab aliis excludunt damnabiliter pietatis studium & desiderabilem nobis super omnia salutem impediunt animarum. Sanè peruenit ad notitiam nostram, quod prædicti Magistri, Scholares & Auditores nequiter impedire præsumunt, ne aliqui Dilectis filiis Priori & Fratribus Ordinis Prædicatorum Pa-

risiensium Eleemosynas largiantur, vel ab eis aut in domo ipsorum sermones seu lectiones siue disputationes audiant, vel confiteantur ipsis peccata propria, etiamsi à te Loci Diœcesano vel à proprio sacerdote super hoc habeant facultatem. Præterea dicti Magistri Scholares Fratrum ipsorum & Fratres eosdem suas intrare scholas lectionis & disputationis tempore non permittunt. Vnde sequitur quod in mentibus Deuotorum ac Deum timentium & potissimè Laicorum, graue scandalum generatur &c. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta districtè præcipientes mandamus, quatenus in omnes qui statuti vel Ordinationis aut cuiuscunque alterius causæ prætextu impediunt, vel de cætero impedire præsumpserint, ne prædictis Fratribus Presbyteris fiat à volentibus libera confessio peccatorum, si summi Pontificis seu Legati sedis Apostolicæ, Episcopi vel proprii sacerdotis super hoc habeatur authoritas, aut ne sermones & Lectiones ac disputationes eorum, vel quod Scholares Magistrorum ipsorum Fratrum & iidem Fratres Lectionis & disputationis tempore in scholis aliorum minimè admittantur, monitione præmissa Excommunicationis sententiam sublato cuiuslibet appellationis obstaculo non differas promulgare: quam postmodum solenniter publices ac publicari facias &c: Datum Laterani 5. Non. Martias, Pontif. nostri an. 2.

Altera Bulla est ad Magistros & Scholares seu Auditores Parisienses data 2. Non. April.

Ad Vniversitatem. Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Magistris Scholaribus & Auditoribus Parif. Salutem & Apostolicam benedictionem. *Si filialis obedientiæ promptitudo* nobis parit cumulum gaudiorum, profectò inobedientia rebellis audaciæ cor nostrũ sauciat & affligit. Ecce sicut accepimus, Vos Ordinationẽ nostrã super conseruatione studii Parisiensis editã solenni cum fratribus nostris deliberatione præmissã, & alias Litteras Nostras propter quasdam appellationes & exceptiones friuolas interiectas à vobis obstinato animo non seruantes, nostræ intentionis effectum circa Ordinationem ipsam calũniosis adinuentionibus præsumitis impedire, damnabile inobedientiæ vitium & Iudicium sententiarum quæ sunt contra vestram rebellionem authoritate Apostolicâ promulgatæ minimè formidando. Et certè nisi motum mentis nostræ quem Transgressionis vestræ stimulus concitauit, a pœnâ vindictæ vobis meritò infligendæ hoc potissimum temperasset, quod simplicitatem vestræ multitudinis ab astutâ malitiâ paucorum & præcipuè M. Guillelmi de S. Amore credimus fuisse seductam, oculus vester quem caligo superbiæ nimium obumbrauit, virga correctionis debitæ illustratus patenter agnosceret, quod malum sit & detestabile Apostolicæ sedis æquissimis Ordinationibus & litteris per contemptum acriter obuiare. Sane qui filiorum errantium disciplinam magis cupimus quàm vindictam, Vniuersitatem vestram affectione paternã rogamus per Apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes, Quatenus noxia seductorum vestrorum consilia & erronea vestigia penitus declinantes, iuramento seu statuto vel quacunque obligatione, per quæ præcepti nostri executio impediri valeat vel differri, nequaquam obstantibus, præfatas Ordinationem & sententias reuerenter & humiliter omni occasione postpositã post susceptionem præsentium obseruetis. Alioquin vestram inobedientiam, quæ nullius excusationis auxilio poterit amodò palliari, & seductorum ipsorum superbiam taliter authore Domino corrigemus, quod pœnâ iustâ docente vobis patebit & aliis, qualis reuerentia & etiam diligentia in obseruantia statutorum ac litterarum sedis Apostolicæ ac fidelibus Vniuersis præcipuè Clericis semper debeat adhiberi. Datum Laterani 2. Non. April. Pontific. nostri an. 2.

Tertia denique Bulla est ad Regem data paulo post, hoc est 2. Id. April. eodem anno his verbis.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, Charissimo in Christo filio Regi Francorum Illustri Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilecti filii Fratres Prædicatores pro Diuini amore Nominis relictis mundanis illecebris abnegarunt totaliter semetipsos, vt soluti vinculis terrenorum ad cœlestia expeditius extollantur & de inferiorum compede tracto pede liberius ad superna consurgant &c. Attendentes igitur quod nonnunquam culpa trahitur, dum vindictæ detra-

hitur, & qui commissa dimittit inulta, pandit aditum ad peiora, ne forte Clericorum ipsorum audax insolentia per morosam tolerantiam inualescat, venerabili fratri Episcopo Paris. nostris iniungimus litteris vt Clericos prædictos, quo eisdem Fratribus satisfaciant plenariè, de præmissis & ab eorum molestatione desistant, monitione præmissâ Canonicæ animaduersionis vigore compellat, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Cum autem ad Regiæ salutis augmentum pertineat dictos Fratres Diuinæ considerationis obtentu à peruersorum conatibus defensare, Ecce Regiam Celsitudinem rogamus & hortamur attentè, quatenus eidem Episcopo, cum ab eo requisitus fueris, ad colubendam huiusmodi Clericorum ipsorum insolentiam pro Dei & nostra reuerentia impendas fauorem & auxilium opportunum. Datum Laterani 2. Id. April. Pontif. nostri an. 2.

Cum autem istæ Bullæ à Pontifice post initam pacem inter Academicos & Dominicanos emanassent, irritæ fuerunt. Verum ecce noua discordiæ materia. Vniuersitas libellum qui inscribebatur *Euangelium æternum*, ex erroribus Abbatis Ioachimi per M. Ioannem de Parma (quem Antoninus ait fuisse septimum Generalem Præpositum Ordinis FF. Minorum) consarcinatum, in Atrio Basilicæ Parisiensis, vbi olim vænales libri exponi & clamitari solebant, cremari postulauit. In eo libello probare conabatur Parmensis legem Christi an. 1260. interituram; tertiam verò, nimirum S. Spiritus longè perfectiorem publicatum iri: quippe primam dicebat fuisse Patris in veteri Testamento: secundam filii in noua lege: tertiam denique Spiritus sancti ad finem vsque mundi duraturam. Hæc Hæresis quæ erat Abbatis Ioachimi circa initium huius seculi prodierat in lucem, & ab Almarico Carnotensi suscepta & propugnata fuerat, vt legitur in Chronologia Bellarmini. *Almaricus*, , inquit, *Doctor Parisiensis docuit legem Dei Patris durasse vsque ad aduentum Christi: legem Christi vsque ad Almaricum: legem Spiritus S. vsque ad finem mundi. Docuit multa alia perniciosissima. Vide Ioan. de Turrecremata. l. 4. Summa, part. 2. c. 35. & Vincentium in speculo Historiali. l. 99. c.* 107. Hanc igitur cum suo authore & cum Almarico prope extinctam rursus excitauit Ioannes Parmensis.

Iam sunt anni quinquaginta quinque, inquit Guillelmus de S. Amore; *quod aliqui laborant ad mutandum Euangelium, quod dicunt fore perfectius, melius & dignius, quod appellant* EVANGELIVM SPIRITVS SANCTI, *siue* EVANGELIVM ÆTERNVM: *quo adueniente euacuabitur, vt dicunt, Euangelium Christi: vt parati sumus ostendere in illo Euangelio maledicto.*

Quemadmodum igitur Vniuersitas Parisiensis hanc hæresim in ortu suo præfocare conata fuerat, ita & hisce temporibus nihil non molita est, vt omnino extingueretur. Cuius rei meminit Richerius in Chronici Senonensis l. 4. c. 37. *Prædicatores quendam librum Euangeliorum compilauerunt, in quo dicebantur aliqua contineri quæ contra fidem esse videbantur. Clerici verò nescio quâ arte procurauerunt, vt copiam ipsius libri haberent; ex quo omnia Capitula fidei contraria decerpserunt, & ea scripto commendantes sibi retinuerunt.* Ea Capitula transmiserat Vniuersitas ad Innocentium IV. sed eo morte præuento Alexander successor Episcopo Parisiensi mandauit, vti curaret perniciosum illum librum supprimi, quàm fieri tamen posset celerrimè & pacatissimè, ne de Mendicantium fama protraheretur occasio detrahendi. Verum vrgente Vniuersitate, cuius præcipuè intererat prauam illam doctrinam publicè damnari, liber Euangelij æterni in atrio Basilicæ Parisiensis crematus fuisse dicitur. Cuius quidem rei historiam versibus Gallicis tum temporis complexus est Ægidius de Loris in Poëmate quod vulgò *le Roman de la Rose* appellatur: quod quia absoluere non potuit, illud Ioannes de Meun longo post tempore edidit.

Et ce ne fust la bonne garde
De l'Vniuersité, qui garde
La Clef de la Chrestienté,
Li Mons fust tres tout tourmenté.
Quand par mauuaise entention
En l'an de l'Incarnation
Mille & deux cent cinq & cinquante
N'est hom' viuant qui m'en demante,
Baillierent, c'est chose voire
Pour faire commun Exemplaire,
Vn liure de par le Deable,
C'est l'Euangile perdurable;

Que le Saint Eſperit Miniſtre:
Si comme il apparut au Tiltre,
Ainſi eſt il intitulé,
Bien eſt digne d'eſtre brulé.
A Paris n'eſt homme ne femme
An Parnis deuant Noſtre-Dame
Qui bien auoir ne le peuſt
A tranſcrire s'il le voulnſt, &c.
L'Vniuerſité qui lors iére
Endormie, leua la chiere
Au bruit du Liure s'eſueilla,
Nonc puis guaires ne ſommeilla:
Ains s'arma pour aller encontre,
Quand el vit cel horrible monſtre,
Toute preſte de batailler
Et du liure au Iuge baillier.
Mais cils qui là le liure miſrent,
Saillirent ſus & le reſpirent,
Et ſe haſterent du répondre,
Car ils ne ſcauoient point reſpondre;
Pour eſpondre ne pour gloſer
A ce qu'on vauloit oppoſer
Contre les paroles maudites
Qui en ceſt liure ſont eſcrites.
Or ne ſcais qu'il en auendra,
Ni quel chief ceſt liure tendra:
Mais encor leur conuient attendre,
Tant qu'ils le puiſſent miex deffendre.
Ainſi Ante-Chriſt attendrons,
Tuit enſemble à luy nous tendrons
Cils qui ni ſi voudrant à erdre
La vie leur conuiendra perdre.
Les Gens encontreux eſmouuons
Par les Baras que Nous conuons,
Et les ferons deſglauier
Ou par autre mort deuier,
Puis qu'ils ne nous voudront enſuiure,
Qu'il eſt ainſi eſcrit ou Liure,
Qui ſe raconte & ſeneſie
Tant com' Pierres ait ſeignorie
Ne puet Iehans monſtrer ſa force:
Or vous ai dit du ſeul l'eſcorce
Qui fait l'entencion reſpondre
Or vous vueil, la moëſle eſpondre.
Par Pierre *veult le Pape entendre,*
Et les Clercs ſeculiers comprendre,
Qui la Loy Ieſus Chriſt tendront
Et garderont & defendront
Contre tous les Empéeſcheurs,
Par Iehan *les Freres Préeſcheurs.*
Qui diront qu'il n'eſt Loi tenable,
Fors l'Euangile perdurable,
Que li Saint Eſperit enuoye
Pour mettre Gens en bonne voye.
Par la force Iehan *entent*
La Grace dont ſe va vantant,
Qui veut péécheurs conuertir,
Pour les faire à Dieu reuertir.
Mols y a d'autres Deablies
Commandées & eſtablies
En ceſt liure que ie vous nomme,
Qui ſont contre la loy de Rome;
Qui ſe tiennent à Ante-Chriſt
Si com' ie truis en cet Eſcrit
Lors commanderont à occiere
Tous ceux de la partie Pierre,
Mais n'auront pas pooir d'abattre
Ne por occire ne por battre,
La loy Pierre, ie vous plenis,
Qu'il n'en demeure aſſés de vis
Qui touſiours ſi la maintiendront,
Qui tout en la fin y vendront.
Et ſera la Loy confonduë,
Qui par Iehan *iert entenduë.*
Mais ne vous vueille plus rien dire,
Car trop a ci longue matire
Mais ſe cils liures fuſt paſſez
En graigneur eſtat fuſſe aſſez.
Si ay-ie de mouls bons amis,
Qui en grand eſtat m'ont ia mis.

Minores, de quorum Collegio certum eſt fuiſſe Ioannem de Parma, eum negant authorem fuiſſe *Euangelij aterni*: vt legitur in Annalibus Minorum; pluraque teſtimonia& argumenta profetunt illius probitatis. Eius præſertim meminit Guill. Eyſengrenius lib. de Teſtib. Cathol. veritatis. *S. Ioannes de Parma Italus ex Bononia finibus oriundus Ordinis Minorum Miniſter Generalis Gymnaſii Pariſienſis quodam Profeſſor, ſacra Pagina Doctor: vir non tam ob generis nobilitatem quàm eruditionem & vita ſanctitatem toto Orbe clarus, Philoſophus, Theologus, ſacrarum legum exercitatiſſimus, 4. libros Sententiarum Lombardi expoſuit, &c.* Verum quidquid dicant, accuſatus ille apud ſummum Pontificem & à multis multorum criminum Reus factus Generalatui lubens ceſſit. Quem excepit Bonauentura tunc in Acad. Pariſienſi Doctor Regens apud Minoritas an. ætat. 34. & Monachatus 13. Ille autem ſtatim inquiſiuit in Parmenſem & ſocios, qui Ioachimi Abbatis Doctrinam tuebantur. Duos coniecit in vincula, Gerardum & Leonardum. Gerardus 18. annos in carcere detentus fuit: Leonardus in vinculis obiit.

Hinc igitur occaſionem arripientes Academici declamandi tam in Minoritas quàm in Dominicanos, librum ſuum de Periculis nouiſſimorum Temporum

audentius euulgant, & authoritate sacræ scripturæ omnibus notum faciunt imminere certam Christianæ Religioni ruinam per Pseudoprædicantes: necnon & Episcopis tunc Lutetiæ synodum celebrantibus suggerunt sui esse officii mala ista præcauere & auertere. Editus est autem in publicam lucem Tractatus iste cum cæteris operibus Guillelmi de S. Amore an.1632. contra quem & contra tractatum Collectioonm scripturæ sacræ quas Synodo obtulerunt Academici, scripsit Thomas Aquinas Opusculum *contra impugnantes Religionem*. Quæ opera nos ad calcem huius voluminis, ne historiæ filum interrumpamus, remittimus.

Eodem anno Abbatissa & Moniales S. Antonii Parisiensis nouem domos ad se pertinentes in vico *Stuffarum*, vulgò *des Estuues* iuxta domum fratrum Minorum vendiderunt Abbati & Conuentui Præmonstratensi in vsum Collegii, habito prius Abbatis Cisterciensis & Episcopi Parisiensis consensu, vt patet ex instrumento sequenti. COLLEGIVM PRAEMONSTRATENSE.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis Soror Guillerma humilis Abbatissa S. Antonii Parisiensis, totusque eiusdem loci Conuentus Salutem in Domino. Nouerit Vniuersitas vestra quod cum haberemus Dominium fundi terræ & ventarum, nec non & censum 7. librarum & 6. solidorum Parisiensium annui reditus super nouem domos sitas Parisius iuxta domum Fratrum Minorum in vico qui dicitur *aux Estuues*, videlicet 4. solidos Parisienses fundi terræ super domum liberorum vxoris *Adæ* dicti *Romani*. 12. solidos Parisienses fundi terræ super domum defuncti Petri Sarraceni: & 100. solidos Parisienses incrementi census super eandem domum. 6. solidos Parisienses fundi terræ super domum Ioannis de deBellò monte. 6. solidos Parisienses fundi terræ super domũ Margaretæ dictæ *dou Celier*. 4. solidos Parisienses fundi terræ super domũ *Nicolai* dicti *Romani*. 4. solidos Parisienses fundi terræ super domũ defuncti Richardi dicti *dou Porche*. 40. denarios Parisienses fundi terræ super domum Magistri Ioannis Canonici S. Benedicti Parisiensis. 40. denarios Parif. fundi terræ super domum Agnetis de Vitriaco. Et 40. denarios Parif. fundi terræ super domum Dionysiæ de Campis. Nos pro euidenti vtilitate domus de communi consensu & voluntate nostra ac de licentia D. Abbatis Cisterciensis Patris nostri, in hoc vtilitatem Ecclesiæ nostræ attendentis & ipsum contractum ad petitionem nostram per suas patentes litteras confirmantis, sicut in eisdem litteris plenius continetur, ac etiam venerabilis Patris Episcopi Parisiensis eundem contractum assensu suo & consilio approbantis & per suas litteras attestantis, vendimus Abbati & Ordini Præmonstratensi præfatum terræ dominium & ventarum, nec non & omne ius quod cum ipso dominio & cum præfatis 7. libris & sex solidis Parisiensibus census annui in prædictis nouem domibus & in earum fundo habemus & habere poteramus pro 350. libris Parisiensis monetæ in aliam hæreditatem vtiliorem nostræ Ecclesiæ iam conuersis. Quæ omnia supradicta, videlicet tam dictum fundi terræ dominium & ventarũ ac omne ius contingens occasione ipsius dominii fundi terræ, quàm prædictas septem libras & sex solidos Parif. annui census quæ nobis super domos supradictas annis singulis debebantur, & etiam plenam possessionem & pacificam omnium prædictorum in dictos Abbatem & Ordinem Præmonstratensem per traditionem transtulimus. Promittentes bona fide quod contra venditionem prædictam & omnia supradicta nec per nos nec per alium aliquatenus de cætero veniemus. Et quod prædicta omnia Abbati & Ordini memoratis secundum vsum & consuetudines Parisienses garantizabimus contra omnes. In cuius rei testimonium & munimen præsentes litteras dictis Abbati & Ordini Præmonstratensi tradidimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Parisius anno Domini 1255. mense Iunii.

Eodem anno Salmaticensem Vniuersitatem ab Alphonso Hispaniarum Rege institutam & fundatam Priuilegiis decorauit Alexander IV. instar Parisiensis: addiditque vt qui in ea post probatam examine diligenti peritiam & scientiam Doctorali laureâ donati fuissent, in omnibus aliis Academiis seu Vniuersitatibus, Bononiensi Parisiensique exceptis, Professorum munere fungi possent, vt notat Baronius ad hunc annum.

Anno 1256. Alexander Pontifex plurimas adhuc emisit Bullas contra Academicos in suo semper proposito constantes: quarum aliquæ extant in Chartula- 1256.

rio Ecclesiæ Parisiensis, vt est ista ad Ioannem Abbatem Fossatensem. *Littera Alexandri Papæ directa Abbati Fossatensi super executione, cuiusdam ordinationis factæ inter Fratres Prædicatores & Vniuersitatem Magistrorum & Scholarium.*

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Abbati Fossatensi Parisiensis Diœcesis salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sicut Venerabilis frater noster Episcopus & Dilecti filii Capitulum Ecclesiæ Parisiensis sua nobis petitione monstrarunt, dudum inter Dilectos filios Priorem & Fratres Ordinis Prædicatorum ex parte vna, & Vniuersitatem Magistrorum & Scholarium Parisiensium ex altera super diuersis articulis orta fuisset materia Quæstionis, & nos de fratrum nostrorum consilio quædam super hæc ordinauerimus quæ noscuntur in vtilitatem studii & libertatem Parisiensis Ecclesiæ redundare, Nos eorundem Episcopi & Capituli precibus fauorabiliter annuentes, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ordinationem huiusmodi facias authoritate nostra firmiter obseruari. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani 3. Non. Maii, Pontif. nostri an. 2.

Item ad Episcopum Parisiensem scribit 8. Idus Maii mandatque vt libellum quendam qui *Introductorius* vocabatur, & schedulas contra eum emissas iuberet sibi afferri, easque proscriberet: qua de re iam ad an. 1255. diximus.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili fratri Episcopo Parisiensi salutem & Apostolicam benedictionem. *Licet super quodam libello* qui in Libros Ioachim *Introductorius* dicebatur, & schedulis quibusdam in quarum nonnullis multa quæ in libello non continebantur eodem, nequiter ascripta fuisse dicantur, penitus abolendis tibi nuper direxerimus scripta nostra, quia tamen dubitas, qualiter circa horum abolitionem Mandatum Apostolicum exequi debeas, eiusdem executioni supersedere curasti, quousque super hoc Apostolicam sedem duceres consulendam. Vt igitur procedas certius & securius in hac parte, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum libellum & omnes huiusmodi schedulas a cunctis illas habentibus tibi authoritate nostra præcipias exhiberi, eos ad exhibenda hæc infra certum terminum quem ad hoc præfixeris per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellendo & inhibendo districtius sub interminatione anathematis, ne quis de cætero similes conscribere vel componere seu apud se retinere præsumat & quæ tibi de his fuerint exhibita, vocatis ad tuam præsentiam dilectis filiis Cancellario Parisiensi & decem aliis prouidis viris, quod discretio tua expedire viderit coram ipsis, ita quod ex hoc infamia vel scandalum non consurgat, studeas abolere. Datum Laterani 8. Idus Maii, Pontif. nostri an. 2.

Interim Dominicani certiorem faciunt per litteras Pontificem de pace cum Academicis inita, deque pacis conditionibus, rogantque vt quos generatim censuris ligauerat, absolueret. At ille indignatus id ab ipsis factum se inconsulto, non modo pacem illam irritam fecit, sed & nonnullos è Theologiæ Magistris beneficiis omnibus spoliauit, cæteros verò, ni parerent & Mendicantes absque vlla restrictione in consortium suum admitterent, excommunicari iussit; datis ad Episcopum Parisiensem hisce litteris.

Alexander Epis. S. S. Dei Venerabili fratri Episcopo Parisiensi Sal. & Apost. bened.

Cunctis Processibus & Ordinationibus vel statutis quæ malitiæ sunt plena tribulis, & ordine carentia rationis, vel quæ Apostolicæ sedis authoritati derogant, & multos Christi fideles enormiter scandalizant, ac in Diuinæ legis vertunt præiudicium, & euidens continent periculum animarum, prompto spiritu debemus obsistere, vt nullâ prorsus gaudeant firmitate, sed redigantur ad nihilum, ne transeant aliis in exemplum, inflictâ nihilominus tali pœnâ temerariis authoribus eorundem, quod sit eis omnino necessitas, de sua præsumptione damnabili humiliter & propetè pœnitendi. Sane pro Dilectissimo Nobis Parisiensi Studio in vigore debito conseruando quædam olim circa ipsum de Fratrum nostrorum Consilio diligenti examinatione præmissâ prouidè duximus statuenda, sicut in specialibus litteris nostris inde confectis, quarum principium est, *Quasi lignum vitæ* plenius continetur, certis super hoc Executoribus deputatis, Dile-

ctis etiam filiis Magistris Paris. per litteras nostras dedimus in mandatis, vt dilectos filios fratres Prædicatores Regentes Parisius in Theologica Facultate, qui per felicis recordationis Innocentium Papam prædecessorem nostrum & subsequenter per Nos restituti fuerant, admitterent: alioquin ab Officiis & Beneficiis essent ipso facto suspensi. Dicti verò & quamplures alij Magistri & Scholares Paris. restitutionis, ordinarionis & litterarum ac sententiarum & executionis ipsarum temerarij transgressores in delusionem eorum ab Vniuersitate nequiter recesserunt, & præter ipsam Vniuersitatem, vt dicebant, in quadam societate seu congregatione morantes Parisius, actumque legendi postmodum ex sola malitia suspendentes, licet Nos nomine Vniuersitatis in dictâ Ordinatione nostra sæpius iteratâ intelligamus & velimus intelligi omnes Magistros & Scholares Parisius existentes, asserebant se cum de Vniuersitate non essent, ad restitutionis, Ordinationis & litterarum ac sententiarum ipsarum obseruantiam non teneri, frustratoriè ne super hoc in præiudicium ipsorum aliquid fieret, appellando, prout in litteris eorum transmissis Nobis & Fratribus nostris perspeximus contineri. Iurauerunt etiam, vt Fratres Prædicatores & Scholares Fratrum Regentium in Scholis suis & ad Scholasticam societatem nunquam reciperent, nisi prius quod possent ad hoc recipi, esset per Ecclesiam definitum. Et sic huiusmodi ac aliis malitiosis exceptionibus & appellationibus interiectis, quas friuolas reputamus, præfatas restitutionem, Ordinationem, litteras, & sententias obstinato animo non seruantes, nostræ intentioni circa effectum Ordinationis ipsius præsumunt, calumniosis adinuentionibus obuiare. Ad tantam nihilominus prorumpendo væsaniam, quod in propriæ salutis dispendium & scandalum plurimorum conati sunt per damnabilem astutiam impedire, ne aliqui prædictis Fratribus Eleemosynas largirentur, vel ab eis vel in domo ipsorum sermones seu lectiones aut disputationes eorũ audirent, vel confiterentur ipsis peccata propria, etiamsi licentia super hoc à Nobis, vel à Te loci Diœcesano aut Sacerdote proprio haberetur. Præterea in Diuinam & nostram offensam non modicam, ipsi sacræ Religionis æmuli ac turbatores quietis & laudabilium operum quibus dicti Fratres feruenter inuigilant, nefarij detractores, claram & celebrem illorum famam offensare falsis obsequiis molientes, litteras per quas ipsorum virtutum odore perfusos, ac pium & sanctum eorum Ordinem quasi quoddam sidus in Ecclesia Dei refulgentem, qui à longis retro temporibus per sedem Apostolicam solenniter approbatus, fructus desiderabiles & felices in eadem Ecclesiâ continuâ fœcunditate producit, odibiles redderent & despectos, Prælatis diuersarum partium & Nobis etiam Fratribus nostris dirigere præsumpserint, illâ ducti credulitate nequissimâ, quod Doctrina Catholica & salubris ac prædicatio Fratrum ipsorum Deo gratissima & delectabilis eum timentibus contemnatur, ac inualescat Hæreticorum perfidia, pro quâ impugnandâ viriliter & omnimodè confutanda dicti Fratres velut strenui pugiles Orthodoxæ fidei sunt ita vigiles & intenti, quod ducunt pro deliciis, si hac de causa bibunt aliquando calicem passionis. In quosdam etiam de Fratribus eisdem Quidam è Scholaribus supradictis maligno concitati spiritu, vel quasi frenetico furore possessi, violentas manus, vt dicitur, iniecerunt: & ipsos & alios tot affecerunt iniuriis, vt vix de Claustro suo auderent egredi pro quotidianis Eleemosynis in suæ pauperis vitæ remedium acquirendis. Demum verò iidem Fratres tam duris affecti molestiis & opprobriis lacessiri ad quandam compositionem cum dictis Magistris & Scholaribus sine conniuentia Sedis Apostolicæ minus prouidè deuenerunt, per quam inter alia Reprobatione dignissima dicti Fratres & Scholares à Scholis & Scholastica societate Magistrorum & Vniuersitatis contemptibiliter excluduntur, quod est apertissimè in contumeliam Creatoris & animarum iacturam ac discrimen fidei, & in fauorem hæreticæ prauitatis; maximè cum non solum virtuosi & Religiosi viri, sed etiam Iudæi & quicunque alij Christiani nominis inimici liberè in Scholis Diuinæ legis recipi, & etiam ad hoc deberent precibus inuitari, vt ibi lumen fidei & morum susciperent disciplinam. Quid plura? prædicti Magistri & Scholares huiusmodi concordiam stimulis discordiæ circumscriptam obseruare, sicut accepimus, non curarunt illis qui volunt Fratrum ipsorum lectiones ac disputationes & prædicationes audire: necnon & illis qui dilecti filii

" Fratris Thomæ de Aquino voluerunt interesse Principio, se nequiter opponendo.
" *Licet igitur* ex parte dictorum fratrum, qui pacem cum omnibus habere cupiunt, & persecutores etiam pro Diuini reuerentiâ nominis diligere delectantur, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt sententias occasione ipsorum in eosdem Magistros & Scholares prolatas & expressum superius iuramentum, cum pax esset inter eos ad inuicem reformata, relaxare misericorditer dignaremur. Quia tamen pacem ipsam Nobis irrequisitis initam seu præsumptam, quod nullo modo prouenire debuit, omnino duximus reprobandam, eum sit iniqua & attentata contra Ordinationem nostram, quam illibatam & firmam semper volumus obseruari, preces ipsorum Fratrum decreuimus super hoc nullatenus admittendas. Quinimo ne tantæ rebellionis vitium contra Rom. Ecclesiam ausu detestabili attentatum (quod diu apud Nos sub nimiâ dissimulatione præteriit) possit esse aliis occasio schismatis & contumaciæ perniciosæ fomentum, Guillelmum de S. Amore & Odonem de Duaco Doctores Theologiæ, ac M. Nicolaum de Barro super Albam, & Christianum Canonicum Beluacensem tanquam principales huiusmodi rebellionis & contumaciæ incentores, omnibus Dignitatibus & Beneficiis suis Ecclesiasticis ac officio Magistrali, dictumque Guillelmum Capellaniâ nostrâ priuamus sub pœnâ simili districtius inhibentes, ne aliquem ipsorum quis audiat. Si forsan contra inhibitionem huiusmodi docere præsumpserint, aut Cathedram ascendere Magistralem, ipsos etiam Doctores & Magistros jam dictis Beneficiis & aliis indignos reddimus, ac de toto Regno Franciæ præcipimus amoueri. Alios autem rebellionis huiusmodi consortes pari & acriori pœna, prout Nobis videbitur, puniemus, nisi reuerenter & humiliter infra 15. dies, postquam præsentes fuerint Parisius publicatæ, Restitutioni, Ordinationi & litteris ac sententiis nominatis parere studuerint, ac de præstandâ nobis super his iuxta beneplacitum Nostrum satisfactione plenaria vel condigna se tibi sufficienter duxerint obligandos. Iuramenta quidem aut obligationes quascunque à dictis Doctoribus ac Magistris & Scholaribus, siue de non recipiendo ad Scholasticam societatem dictos fratres & Scholares fratres ipsorum Regentium, siue alias contra præfatam ordinationem nostram factas decernentes penitus non teneri, prædictorum Executorum sententias in Doctores & Magistros & scholares eosdem aut ipsorum aliquos promulgatas appellationibus non obstantibus authoritate Apostolicâ confirmamus. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta in virtute obedientiæ ac etiam sub excommunicationis pœna districtè præcipiendo mandamus, quatenus tenorem præsentium omni dilatione & occasione postposita, per te vel per alios studeas Parisius publicari. Si præfati Doctores & Magistri, quæ præmisimus non duxerint omnimodè adimplenda, ipsos ex tunc excommunicatos denuncies & denunciari facias vbicunque videris expedire, ac illis ad quos Dignitatum ac Beneficiorum ipsorum collatio dignoscitur pertinere, per litteras tuas sine mora demandes, vt infra 15. dies post receptionem litterarum omni occasione cessante Dignitates & Beneficia ipsa conferant Personis idoneis Ecclesiæ Romanæ deuotis. Quod si facere forte neglexerint, tu illa conferre authoritate nostra infra dies totidem non postponas. Charissimum in Christo filium nostrum Illustrem Regem Franciæ, cui super hoc scripta nostra dirigimus, diligenter moneas & inducas, vt dictos Doctores & Magistros tanquam Ecclesiæ Romanæ rebelles & Parisiensis studii turbatores de toto Regno suo postposita tarditate propellas Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo, non obstantibus appellationibus aut exceptionibus aut occasionibus supradictis vel aliis quibuscunque siue litteris vel indulgentiis ab Apostolica sede concessis, per quas præcepti nostri executio in hac parte impediri valeat vel differri, vel de quibus plenam & expressam seu de verbo ad verbum oporteat in præsentibus fieri mentionem: seu etiam quod dicti Fratres omnibus litteris Apostolicis impetratis & impetrandis renunciasse dicuntur, quando in compositione huiusmodi non consenserunt, præsertim eum ipsam nullam esse ac iam dictas Apostolicas litteras in suo robore remanere velimus, & ipsas tibi ac eisdem fratribus, ab earum Detentoribus exhiberi: quos ad id si necesse fuerit, per censuram eandem appellatione remotâ compellas. Præceptum nostrum quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus vt efficacis obedien-

tiæ

gauderemus in te propitiudinem inuenisse. Aliàs autem pro firmo teneas quod indignationem Nostram sub incursu prædictæ pœnæ contra Personam tuam, licet ipsam in Christo sincerissimè diligamus, grauissimè prouocabis. Quod autem super hoc inueneris & feceris, Nobis fideliter rescribere non omittas. Datum Anagniæ 15. Kal. Iulij, Pontific. nostri an. 2.

Hinc patet Dominicanos vna manu pacem porrexisse, alterâ lapidem tenuisse: dum enim amicæ compositioni studere videbantur, Romæ nihil non mouebant, vt pacem quamcunque à se initam authoritate Apostolica rescindi curarent. Quia verò Vniuersitas dixerat sæpius se alio migraturam studiaque translaturam, si se videret à summo Pontifice compelli ad recipiendos Fratres, idem Pontifex paulo post prædictam Bullam datam, aliam ad eundem Episcopum dirigit, quâ mandat ne patiatur alio transferri studium Parisiense: vult verò superiorem suam Bullam executioni demandari.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili Fratri Episcopo Parisiensi Salutem & Apostolicam benedictionem. Licet olim pro studii Parisiensis conseruatione quædam circa ipsum studium de Fratrum nostrorum Consilio prouidè duxerimus ordinanda, prout in litteris Nostris exinde confectis, quæ *quasi lignum vitæ* incipiunt, plenius continetur, Nonnulli tamen Magistri & Scholares Parisienses quasdam obligationes & colligationes nefarias, vt audiuimus, inierunt, per quas Scholares Religiosi & alij non possint liberè sicut volunt, scholas maximè sacræ legis pro lectionibus & disputationibus audiendis intrare. Alias etiam cum Apostolicæ sedis iniuria & impedimento dicti studij ac salutis animarum dispendio intentionem nostram circa effectum Ordinationis ipsius euacuare multipliciter moliuntur. Volentes igitur & authoritate præsentium statuentes, quod Scholares omnes tam Religiosi, qui de Prælatorum suorum licentia morantur in Studio, quàm etiam Scholares liberè valeant, vbi volunt, lectiones & disputationes ac Prædicationes audire, quodque præfata nostra Ordinatio at omnibus Magistris & Scholaribus Parisius existentibus reuerenter & humiliter obseruetur. Necnon quod Dilecti filij Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres ac alij Religiosi qui Parisius fuerint pro tempore Doctores Theologicæ Facultatis, seu Scholares ipsorum, in consortium & Collegium seu societatem aliorum Magistrorum & Scholarium Parisiensium recipiantur, simpliciter & efficaciter pro talibus habeantur. Et quod Parif. Vniuersitatis Studium præter Ordinationis eiusdem tenorem aut absque Sedis Apostolicæ licentia speciali nullatenus alibi transferatur, Omnes qui contra hoc salubre statutum venire, vel occasione præsentium aut aliarum litterarum tibi directarum quæ incipiunt, *cunctis processibus*, Studium ipsum conturbare præsumpserint, Omnibus Ecclesiasticis Beneficiis decernimus esse priuatos & ab Ordinum executione suspensos. Omnes autem obligationes etiam iuramento firmatas à Magistris & Scholaribus memoratis contra Ordinationis aut litterarum superius expressarum seu præsentium tenorem præsumptas vel in posterum præsumendas, nec non & compositionem inter eosdem Fratres Prædicatores ex vna parte, & Magistros ex altera contra Ordinationem ipsam Nobis irrequisitis irritam, tanquam iniquam & temerariam penitus irritamus. Vt igitur à supradictorum obseruantia nullus possit se per ignorantiam excusare, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus tenorem præsentium qualibet occasione & dilatione & appellatione cessante per te vel per alios publicare Parisius non omittas. Si qui contra prædictorum aliquid venientes, priuationem incurrerint memoratam, Tu illis ad quos Beneficiorum ipsorum collatio spectare dignoscitur, litteras tuas sine morâ demandes, vt infra quindecim dies post receptionem ipsarum, omni occasione cessante Beneficia illorum de quibus videris expedire, conferant personis idoneis & Ecclesiæ Rom. deuotis. Quod si neglexerint facere, tu illa conferre personis idoneis eiusmodi non postponas, non obstantibus appellationibus & exceptionibus aut occasionibus quibuscunque siue litteris vel Indulgentiis ab Apostolicâ Sede concessis, per quas præcepti nostri executio valeat impediri vel differri; aut de quibus plenam & expressam seu de verbo ad verbum oporteat in præsentibus fieri mentionem. Seu etiam quod dicti Fratres omnibus

litteris Apostolicis impetratis & impetrandis renunciasse dicuntur, quando in compositionem eiusmodi consenserunt, cum præsertim nullam esse, ac iam dictas Apostolicas litteras in suo robore remanere velimus, & eas tibi ac eisdem Fratribus ab eorum Detentoribus exhiberi. Quos ad id si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellas, præceptum nostrum quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus, vt efficacis obedientiæ gaudeamus in te promptitudinem inuenisse. Quod enim super hoc inueneris & feceris, nobis per tuas litteras fideliter intimare procures. Datum Anagniæ 5. Kal. Iul. Pontif. nostri an. 2.

Eodem die idem Pontifex speciali Bulla ad Ludouicum Regem data mandat rogatque vt M. Guillelmum de S. Amore & Christianum Canonicum Belluacensem carceri mancipet, & inquiri curet diligenter in authores tumultus Academiæ Parisiensis. Bulla est eiusmodi.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei Charissimo in Christo filio Regi Franciæ salutem & Apostolicam benedictionem. *Vera fidei & pia deuotionis sinceritas* quam geris erga Deum & Romanam Ecclesiam, euidentibus & credibilibus nimis sanctorum operum testimoniis comprobata cor nostrum mirâ perfundit nouitate lætitiæ, à Nobis quod excellentiam tuam ad omne bonum promptam semper experiri possumus efficacissimè persuadet. Inter alia verò tuam Regiam Celsitudinem cômendant clarius dilectionis & pietatis viscera, quæ in omnes Christi pauperes & præcipuè in Dilectos filios Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres affectuosius effundis: in quo vtique te ipsius Christi imitatorem exhibens, & eius Ecclesiam, cuius illi officiosa sunt membra. & eo cariora, quo sibi firmius cohærentia, lætificas & honoras. Sanè licet pro Dilectissimo Nobis Parisiensi studio in vigore debito conseruando quædam olim circa ipsum de Fratrum nostrorum consilio, diligenti examinatione præmissâ prouidè duxerimus ordinanda, sicut in specialibus Nostris litteris inde confectis plenius continetur, certis super hoc Executoribus deputatis, quamplures tamen Magistri & Scholares Parisienses suæ potius quàm gloriæ Christi cupidi, pro eo quod super iniuriosa separatione Dilectorum filiorum à Magistrorum consortio & Vniuersitatis Collegio ac quibusdam eorum statutis iniquis & non sine offensa Dei animarum periculo arctantibus studiû sacræ legis apud Nos non potuerunt, quia non debuerunt assequi votum suum, irrationabili commonitione ac superbâ indignatione turbati non solum dictos Fratres Prædicatores, quorum felicibus profectibus inuidebant, crudeliter & nequiter afflixerunt, ac eorum Ordinem fæcundum fructibus sanctitatis, & quasi quoddam sidus in Dei Ecclesia refulgentem apud Nos & alios conati sunt verbis & litteris sacrilegis diffamare, sicut tua Serenitas, vt credimus, non ignorat. Verum etiam, quod est detestabilioris audaciæ, Nobis se contumaciter opponere præsumêtes, adinuentionibus fraudulentis & friuolis appellationibus, prout Nobis per suas litteras constitit, præfatæ ordinationis effectum impedire contra intentionem nostram multipliciter attentarunt, litteras nostras excommunicationis ac suspensionis sententias in eos culpis suis exigentibus authoritate sedis Apostolicæ promulgatas rebellione damnabili contemnendo. Sed quia huiusmodi superbiæ filii diu sub quadam pia dissimulatione à Nobis vt resipiscerent, expectati suæ ceruicis obstinatæ duritiam ad obedientiam Nobis flectere non curarunt, Nos ne tantæ temeritatis vitium contra Rom. Ecclesiam ausu detestabili attentatum possit esse aliis occasio schismatis & contumaciæ perniciosæ fomentum: & ne Parisiense Studium violato tenore Ordinationis nostræ pro aliquorum libito dissolui valeat vel transferri; Nos citra culparum suarum exigentiam processimus contra ipsos, & venerabili Fratri Episcopo Parisiensi scripta nostra dereximus, vt Processum Parisius publicare studeat, ac alia quædam circa hoc diligentius exequatur. Vt autem huiusmodi Processus nostri votiua executio proueniat fine mota, Serenitatem tuam de qua gerimus in Domino fiduciam specialem, omni qua possumus affectione rogamus, ac in remissionem tibi iniungimus peccatorum, quatenus præfato Episcopo ad exequendum super hoc præceptum nostrum pro Diuina & nostra reuerentia tui brachii triumphali virtute subueniens, in auxilium salutaris & Ecclesiasticæ disciplinæ diuinitus tibi data Guillelmum de S. Amore & Odonem de

Duaco Doctores Theologiæ ac Nicolaum de Barro, Christianum Canonicum Beluacensem tanquam Ecclesiæ Rom. rebelles & aliorum rebellium Incentores ac Turbatores Parisiensis studii, nisi ad mandatum nostrum iuxta formam ipsi Episcopo traditam redeant reuerenter, omni dilatione & occasione seu appellatione cessantibus, de toto Regno Franciæ propellere non omittas. Vellemus ad hæc si tuæ Celsitudini videretur, vt dictos Guillelmum de S. Amore & Christianum qui fuerunt in petuersitate huiusmodi potiores, faceres vsque ad beneplacitum detineri, vt cæteros de Magistris & Scholaribus supradictis præfatæ ordinationis nostræ & eiusdem studii turbatores ac Fratrum ipsorum punita malignitas alios doceat quietè viuere & Ecclesiæ Rom. humiliter obedire; preces nostras in hac parte sic efficaciter impleturus, quod Nos qui eas tibi ex cordis affectu dirigimus, voti nostri plenitudinem consecuti tuis, cum opportunum fuerit, libentius annuamus. Datum Anagniæ 5. Kalend. Iul. Pontific. nostri an. 2.

Post paucos dies idem Pontifex expressa Bulla ad Fratres Prædicatores data renocauit compositionem cum Academicis per Archiepiscopos facta n, vt vi aut metu extortam, nec sedis Apostolicæ authoritate firmatam.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Priori & Fratribus Ordinis Prædicatorum Parisf. Salutem & Apostolicam benedictionem. *Vehementi admiratione ducimur, & etiam non immerito conturbamur:* quod licet sedes Apostolica vos pro sacræ Religionis vestræ meritis complectatur affectu beneuolentiæ specialis, ac viros reputet honestate multa conspicuos & circunspecta discretione præclaros, ad illius tamen inconsultæ simplicitatis proruptistis excessum, vt cum Magistris & Scholaribus Parisf. effectum Ordinationis pro communi vtilitate studii Parisf. à nobis editæ de Fratrum nostrorum Consilio dolosè ac nequiter molientibus impedire non solum præsumpseritis, & absque conniuentia nostra cum eis componere, sed etiam nimis improuidè postmodum petiuistis vt sententias in præfatæ Ordinationis temerarios transgressores authoritate nostra prolatas prætextu Compositionis huiusmodi relaxare de speciali gratia dignaremur: licet ipsi adhuc in sua contumacia damnabiliter perseuerent Sane nisi nos propter enormes & atroces quas ferebatis iniurias ad consensum Compositionis eiusdem quasi violenter inductos de quadam pietatis abundantia crederemus, debitæ seueritas disciplinæ vos instrueret, quod in hoc non leuiter deliquistis. Preces igitur improuidas & indignas quas Nobis in hac parte porrigere attentastis, nullatenus admittentes obligationes de non recipiendo ad Scholas vel ad societatem Scholasticam Vos seu quoscunque alios Religiosos aut seculares, siuealiàs contra præfatam Ordinationem nostram à dictis Magistris & Scholaribus attentatas, etiam si iuramento sint vel quacunque firmitate alia roboratæ, penitus irritamus. Declarantes authoritate præsentium quod Vos & alii Religiosi qui impræsentiarum cum Prælatorum suorum licentia in studio commorantur ad scholas præcipuè Thologicæ Facultatis & Scholasticam societatem liberè sicut alii seculares recipi valeatis: præsertim cum adhæc infideles ipsi non solum affectu deberent admitti promptissimo, sed etiam induci precibus & muneribus inuitari, vt ibi lumen fidei & motum susciperent Disciplinam. Datum Anagniæ Kal. Iulii Pontif. nostri an. 2.

BVLLA AD DOMINICANOS QVA INFRINGITVR COMPOSITIO FACTA.

Idem tamen Pontifex licet Vniuersitatem vexaret, ad eam nepotes suos litteris imbuendos misit: vt patet ex Bulla ad Capitulum Parisiense data, qua Canonicos rogat vt in Domibus Claustralibus eos morari & habitare patiantur ad frequentandas commodius Scholas Claustrales, in quibus tum adhuc Canonici docebant præsertim Theologiam & Ius Canonicum. sic ergo ille.

Alexander Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Decano & Capitulo Parisf. Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum Dilectos filios Ioannem, Rogerum & Blasium nepotes & Capellanos nostros Parisius duxerimus destinandos Disciplinis ibidem Scholasticis vacaturos, attendentes quod ex conuersatione bonorum morum formetur honestas, & propter hoc eorum profectibus expedire, quod iidem in loco morentur congruo & cum personis conuersentur honestis, Vniuersitatem vestram duximus attentè rogandam per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ipsos cum ipsorum familia in domibus Claustri Ecclesiæ vestræ morari pro reuerentia nostra benignius permittatis, statuto contrario quod

AD CAPITVLVM PARISIENSE.

» habere dicimini iuramento firmatum, ne quis non Canonicus vel in expensis » Canonici in Domibus ipsis manere valeat, non obstante. Preces nostras taliter » impleturi, quod vestra exinde possit deuotio meritò commendari. Datum Ana- » gniæ 3. Kal. Iulii, Pontific. nostri an. 2.

Paulo post idem Pontifex aliam Bullam dedit ad Episcopum Parisiensem Viterbii pridie Idus Iulii: in quâ Episcopo interminatur excommunicationis sententiam, nisi præceptum, *quod ex toto cordis affectu ei direxerat*, omnino impleret. Sic autem incipit, *Cum aduersus*. Quam ideo non referimus, quia nihil aliud continet, quàm quod in præcedentibus habetur. Semper enim identidem frequentibus Bullis idem repetit & eadem mandata iterat.

Dum autem ita Romæ cuduntur fulmina & in Academicos nostros crebro vibrantur, Lutetiæ in Scholis & in sacris suggestibus pugnatur acerrimè contra Dominicanos: quorum longè deterior causa erat: nam vt ait Mathæus Parisiensis ad hunc annum. *Subsannabat eos populus, eleemosynas consuetas subtrahendo, vocans eos hypocritas & Antichristi successores, Pseudo-Prædicatores, Regum & Principum adulatores & consiliatores, Ordinariorum contemptores, & eorumdem supplantatores, thalamorum Regalium subintratores, Confessionum præuaricatores, qui peragrantes ignotas Prouincias, peccandi audaciam subministrabant.* Sic in dies magis recrudescebat malum: cui vt aliquatenus mederetur Rex Ludouicus, Legatos suos ad Papam misit, scilicet MM. Ioannem & Petrum Clericos nominatissimos & fideles suæ voluntatis interpretes: & per eosdem transmisit *Libellum de Periculis Nouissimorum temporum* ab Academicis editum, vt videret summus Pontifex an Censura dignus esset, nec ne. Quod cum intellexissent Academici, suos etiam Nuncios post longam & maturam deliberationem in Comitiis Generalibus habitam mittere constituunt, & cum iis M. Guillelmum de S. Amore aliosque Magistros, quos Dominicani criminabantur esse seditionis authores, vt causam suam præsentes orarent, & honorem Academiæ pro posse defenderent. Qui quidem Legati ex aduerso secum *Euangelium Æternum* à Mendicantibus in Thesibus publicis propositum & propugnatum ad Censuram Apostolicam detulerunt.

LEGATIO VNIVERSITATIS. De hac Legatione sic habet Mathæus Parisiensis. *Crebrescentibus scandalis & odiis inter Magistros Parisienses & FF. Prædicatores electi sunt cum magnâ deliberatio-* » *ne. Quidam celeberrimi Magistri Lectores, videlicet M. Guillelmus de S. Amore & M.* » *Odo de Doaco*, lege de *Duaco*, *qui nobiliter rexerant in Artibus, in Decretis & tunc in* » *Theologia. M. Christianus Canonicus Beluacensis*, qui maximus quasi Philosophus » emeritus postquam in Artibus rexerat, in Theologia lecturiuit. *M. Nicolaus de* » *Barro super Albam*, qui rexerat in Artibus, Legibus & Decretis, ad legendum in » Theologia præparatus. M. Ioannes de Secta-Villa (alii de Guasta-Villa, *Anglicus, Rector Vniuersitatis* (quem Balæus vocat M. Ioannem *Driton* vel *de Sicca-Villa Anglicum, Rectorem Vniuersitatis Paris.*) *& M. Ioannes Belin Gallicus, nominatissimi Philosophi Regentes in Artibus.* Omnes isti de nobilissimis viris procreati prælecti sunt per magnum, quia fides patiebatur detrimentum, consilium & delibera- » tionem: vt Romam adeant & D. Papam pro tranquillitate Vniuersitatis Pari- » siensis & fidei redintegratione: maximè cum hoc malum, maius generare commi- » netur. Collectaque sunt eis ex Vniuersitate Viatica, Fratres quoque quædam no- » na prædicabant, legebant & docebant, vt dicebatur, delitamenta, quæ de libro » Ioachim Abbatis, cuius scripta Gregorius Papa damnauerat, extraxerant. Et » quemdam librum composuerunt quem sic eis intitulare complacuit. *Incipit Euan-* » *gelium Æternum, & quædam alia quæ non expedit recitari.* Prædicatores autem contra Vniuersitatem suos expeditos Nuncios illico transmiserunt, vt Magistris in faciem contradicerent.

De Regis quoque Legatione sic breuiter Nangius Monachus San-Dionysianus, qui historiam Ludouici & Philippi conscripsit Ludouici filii. *Eodem anno, quo supra*, inquit, *discordia quæ fuerat inter Prædicatores & Religiosos Scholares Parisius studentes, ac M. Guillelmum de S. Amore, recidiuauit: propter quam discordiam sedandam & pacificandam misit Rex Franciæ Ludouicus ad Curiam Rom. duos Clericos, vt per D. Papam debitum finem sortiretur.*

Porro vt Legati Academici melius exciperentur à summo Pontifice, binas obtinent litteras commendatitias: Priores quidem ab Episcopis Ecclesiæ Galli-

canæ, qui in synodo Paris. vtriusque partis rationes audiuerant, quique testes erant quàm sincerè se se submisissent Academici Decreto Concilij : & eas litteras secum portarunt, datas nempe pridie Kal. Aug. Posteriores verò ab omuibus Ecclesiarum Cathedralium Remensis Prouinciæ Capitulis. Priores sunt huiusmodi.

H. Dei Gratia Senonensis Archiepiscopus. N. Suessionensis. G. Beluacensis. V. Nouiomensis. I. Atrebarensis. G. Ambianensis. R. Morinensis Prouinciæ Remensis eadem Dei gratia Episcopi. R. Carnotensis. R. Parisiensis. G. Aurelianensis. A Meldensis. N. Trecensis. Senonensis Prouinciæ eadem gratia Episcopi, & R. de eadem Prouincia Electus Niuernensis. Vniuersis præsentes litteras inspecturis Salutem in Domino. Cum Magister Ordinis Prædicatorum coram Nobis Parisius constitutus denunciasset Nobis, quod Quidam seculares Magistri Theologiæ Parisiensis docuissent & prædicassent publicè mulra falsa & erronea contra bonos mores, quorum quædam in derogationem Ordinis eorundem redundabant Nos vocaro M. Guillelmo de S. Amore Regente in Theologia Parisius, vnà cum M. Laurentio in eadem facultate Regente ac quibusdam aliis probis viris Scholasticis, quæsiuimus à prædicto M. Guillelmo, si quæ contra bonos mores falsa vel erronea prædicasset vel docuisset, vel Ordinem FF. Prædicatorum qui à D. Papa erat approbatus, reprobasset; prædictus Guillelmus prædicta negauit, asserens quod nihil contrarium saluti animarum nec erroneum vel falsum prædicasset, nec Ordinem approbatum à Rom. Ecclesia reprobasset, offerens quod paratus erat vel defendere, si vera essent quæ prædicauerat, vel reuocare vel corrigere, si reuocanda vel corrigenda viderentur à nobis. Nos verò habita deliberatione dicto M. Guillelmo obtulimus, quod si dicti Magistri ac FF. Prædicatores acceptarent, celebraremus Concilium & conuocatis viris peritis & Theologicis, nec non aliis rogaris, qui essent in aliis prouinciis circumiacentibus in eisdem Facultatibus periti, vt quod per Concilium definiretur, obseruaretur : quod dictus M. Guillelmus gratanter acceptauit, & etiam instanter supplicauit, paratus corrigi super quibus Concilium diceret corrigendum. Et à prædicto Magistro Ordinis prædicti & Fratribus eius secum adstanribus requisiuimus, si placeret eis acquiescere definitioni Concilij memorati, qui Nobis responderunt, quod eis non placebat & in prouincia solummodo Senonensi Concilium haberet authoritatem, nec in aliis prouinciis forte obseruaretur, quod à Concilio Senonensi, esset definitum; & Ordo ipsorum, in cuius derogationem dicebant multa esse prædicata, per omnia Regna erat diffusus. Supplicauit nihilominus dictus M. Guillelmus tam nomine suo quàm nomine Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium, vt cum multa pericula imminerent Ecclesiæ Gallicanæ per Pseudo-Prædicatores & penetrantes Domos, de periculis illis inquireremus, & ab Ecclesia Dei repellere curaremus, & decerneremus, vtrum prædicta facienda essent vel non facienda, prædicanda vel non prædicanda : & ad instantiam dicti M. Guillelmi tam nomine suo quàm nomine cæterorum Scholarium Parisiensium præsentibus litteris sigilla nostra apposuimus. An. Domini 1256. pridie Kal. Augusti.

Harumce litterarum publicum Instrumentum Academiæ Parisiensi concessit M. Radulphus de Cala Morinensis Episcopus: quod sic incipit. *Radulphus Dei gratia Morinensis Ecclesiæ Minister humilis*. & desinit sic. *Datum Parisius in crastino reuelationis* (ceu Inuentionis) *S. Stephani an. Dom. 1256.*

Posteriores litteræ commendatitiæ datæ sunt mense Octobri : quas proinde verisimile est Vniuersitatem à Capitulis Prouinciæ Remensis obtinuisse post suorum Nunciorum profectionem, & ad eos transmisisse: quibus nempe admonebatur Pontifex inter Litigantes fuisse Lutetiæ pacem amicè compositam, nimisque graue & intolerabile vulnus per tam crebras censuras infligi Academiæ Principi, toto orbe celeberrimæ, rogabaturque velle paterno affectu & pietate cum Academicis agere. Tales verò erant.

Sanctissimo Patri ac Domino Alexandro Dei gratia Summo Pontifici, ac Reuerendis Patribus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Vniuersis Capitula Ecclesiarum Cathedralium prouinciæ Remensis, quorum sigilla præsentibus sunt appensa, cum omni reuerentia, obedientia & honore, *Pedum oscula Beatorum. Parens scientiarum Parisius*........ Igitur Sanctitatem

» veſtra deuotione quâ poſſumus, humiliter exotamus, quatenus formam & cau-
» ſas compoſitionis ipſius plenius attendentes ſcandalis & periculis atque damnis
» quæ non ſolum partibus ipſis, ſed etiam Vniuerſali Eccleſiæ ex tantâ diſcerta-
» tione imminent, paterna prouidentia præcauentes, pœnam Magiſtris & Schola-
» ribus inflictam à vobis, & ſpecialiter honorabilibus viris & diſcretis, fide firmis
» Guillelmo de S. Amore, Odoni de Duaco claris Theologiæ Doctoribus ac Ma-
» giſtris, Nicolao Decano de Barto ſuper Albam, & Chriſtiano Canonico Bello-
» uacenſi, præſertim cum tantæ & tam venerandæ multitudinis nimietas ſit in
» cauſa, dignemini miſericorditer relaxare; ac ipſos & eorum Nuncios, qui parati
» ſunt mandatis veſtris ſecundum Deum & Iuſtitiam in omnibus obedire, in ſuis
» iuſtis petitionibus fauorabiliter exaudite.

Cæterum diutius moratos in expeditione, pecuniarum collectione & itineris confectione Legatos Academicos præuenerunt Nuncii Regii, item & Nuncii Dominicanorum, effeceruntque vt antequam Academici Anagniam, vbi tum Papa ſedebat, perueniſſent, *Liber de Periculis Nouiſſimorum temporum* inauditis Academicis damnaretur. Quem ſimulatque Nuncii Regii Anagniam, acceſſerant, Alexander Pontifex tradiderat examinandum nonnullis Cardinalibus, quos Dominicani vt ſibi magis addictos, ad id muneris deputati procurauerant, quorum hæc ſunt nomina, Otho de Caſtro Rodulphi Bituricenſis, Tuſculanus Epiſcopus, Ioannes Franciogia Burgundus tit. S. Laurentii in Lucina, Hugo de S. Caro item Burgundus tit. S. Sabinæ Dominicani Ordinis, Ioannes Caiétanus Vrſinus Romanus Cardinalis Diaconus tit. S. Nicolai in carcere Tulliano; qui ſic ex eo libro ad Alexandrum retulerunt. *In ipſo nempe quædam peruerſa & reproba contra poteſtatem & authoritatem Rom. Pontificis & Coepiſcorum ſuorum & nonnulla contra illos, qui propter Deum ſub arctiſſimâ paupertate mendicant, mundum cum ſuis operibus voluntaria inopia ſuperantes, alia verò contra eos qui ſalutem animarum zelantes ardenter & ſacris ſtudiis procurantes, multos in Eccleſia Dei operantur ſpirituales profectus & magnum faciunt ibi fructum: quædam autem contra Salutarem Pauperum ſeu Religioſorum ſtatum, ſicut ſunt dilecti Fratres Prædicatores & Minores, qui vigore ſpiritus ſeculo cum ſuis diuitiis relicto ad ſolam cæleſtem Patriam tota intentione ſuſpirant: nec non & alia plura inconuenientia digna vtique confutatione & confuſione perpetuâ manifeſtè contineri. Quia etiam idem Libellus magni ſcandali ſeminarium & magnæ turbationis materia exiſtebat, & inducebat etiam diſpendium animarum, cum retraheret à deuotione ſolita & à conſueta eleemoſynarum largitione, ac à conuerſione & Religionis ingreſſu Fideles.*

Ergo auditâ hac Relatione idem ſummus Pontifex ſuis votis abunde ſatisfactum putans, prædictum libellum ſolenni Iudicio damnat, cum adhuc eſſent in itinere Legati Academici, & nemine pro iis librum defendente: quæ condemnatio multis præpropera & nimis maturata fuiſſe videbatur, cum non ignorarent qui eam procurabant, Académicos ad Curiam Ro. aduentare. Statim verò ad perpetuam rei memoriam Bullam emiſit Pontifex, nempe. 3. Non. Octob. in qua non omiſiſſet proculdubio mentionem facere Nunciorum Academicorum, ſi auditâ & defenſâ cauſâ ſuâ damnati fuiſſent. Talis autem eſt Bulla.

ALEXANDER PAPA IV. AD PERPETVAM REI Memoriam.

» ROmanus Pontifex de ſummi Apoſtolatus ſpeculâ Vrbi & Orbi debita ſeruitute
» proſpiciens curis occupatur innumeris & cogitationibus rapitur infinitis.
» Quia eminens cæteris ſedes eius ſolicitudines ſibi vehementiores accumulat, &
» ipſius authoritas potior meditationes ei multiplicat ampliores. Quò enim altius
» præſidet, eò longius latiuſque circunſpicit: & quantò plus poteſt officio,
» tanto maioris vigilantia ſibi ſarcina incumbente plus penſat. Quoniam
» maximæ Dignitati potiſſima ſolicitudo cohæret, & altiorem honorem onus
» grauius comitatur, curaque profuſior ardentioribus ſtimuliis mentem vrget. Vn-
» de cum aliis fidelium plebium Paſtoribus, quibus Grex Dominicus particula-
» riter eſt commiſſus, immineat de ſuarum Eccleſiarum eminentia vigilantiæ ad

suas Oues pascendas, incumbit vtique Rom. Præsuli, cui est Grex ipse generaliter creditus, de sublimi Ecclesiarum vertice, sede scilicet Apostolica propensius ad illam & instantius intueri. Quia cum illi suis limitatis populis præsint, singuli quidem singulis, hic sine districtione prælatus est Pontifex vniuersis, Dominicæ quidem Vineæ custos generalis & Cultor totius Ouilis Catholici, Pastorumq; omnium Pastor summus, incumbens item sibi generali solicitudine super omnes, cum ex hac suæ mentis intuitum per cuncta diffundere teneatur. Stupet nimirum ipsius animus, & sub tam grauis & difficilis curæ pondere contremiscit, quod possit sufferre, vt conuenit, pondus Orbis vniuersi. Ad eum namque vndique negotia confluunt, perueniunt lites, dubia deferuntur & destinantur implicita & perplexa: nec vnquam horum influens torrens cessat, nec huius alti pelagi validæ inflexæque procellæ quiescunt. Sed iis quæ imminent, nunc expeditis mox alia subsequuntur, nec tot implexarum Quæstionum nodi decisione Apostolica solui possunt, quin & aliæ irretitæ & nodosæ superueniant deliberatione maturâ & consuetâ definitione soluendæ. Imo ex quo de instantibus, difficilibus & obscuris dubietatis caliginem verbo suæ declarationis amouerit, statim noua & recentia turbulenta iugruunt Apostolico dilucidanda oraculo, & ambiguis ac incertis mentibus claræ dissertationis luce serenanda. Propter quæ inest Rom. Antistiti solicitudo, sine otio labor, sine quiete occupatio, sine vacatione exercitium, sine tranquillo ingens & sedula meditatio, & vigilia sine somno, nec ad modicam etiam sua quotidiana intermissionem habet instantia, quæ nec omittitur aliquo tempore, nec aliquod ipsa tempus omittit: vrget continuè, quia cogitandi materia semper adest, nec successu temporis definit sed cum illius diuturnitate perdurat, quia nec decursu temporis deficiunt negotia, sed assiduè illis succedentibus renascuntur. Nam & hostis antiquus argutus quidem animarum insidiator, vehementis & ardentis solicitudinis causam præbet. Humanæ quippe pacis æmulus, fraternæ inuidus Charitatis, diuisionis actor & tranquillitatis anxius persecutor interserit odia, rancores ingerit, liuores accendit, mouet lites, iurgia suscitat, contentiones irritat, parit seditiones & dissensiones procurat: & illorum etiam qui perfectiores & firmiores esse creduntur, interdum corda subuertit, & ibi magis impietatis suæ machinas erigere ac nequitiæ faces accendere nititur, vbi fore plus existimat malignitati suæ conamina obfutura. Iacit impius laqueos, pedicas obiicit, tendiculas ponit, vt prudentiores etiam intercipiat & captiuet. Hinc turbationes oriuntur, surgunt inimicitiæ, dissidia prodeunt & scandala generantur. Vnde sic iam seculum declinauit ad malum, quod excrescentibus & inualescentibus in eo noxiis, quasi vix locus in eo salutaribus inuenitur, & exclusâ fere inde concordiâ quasi stabilem habet ibi discordia mansionem. Quare oportet cura inuigilare incessabili, vt de torta & corrupta per malitiam bonitatis virtute rectificentur & reformentur, diuersi per odium charitate ligentur, commota consistant & pausent, habeant turbata tranquillum & status fidelium semper in melius roboretur. *Sane Quidam scriptura sacra intelligentiam se habere putantes, sed diuertentes à tramite recti sensus cogitauerunt nuper malitiam, & contra innocuos & rectos iniquitatem maximam sunt locuti, exarserunt in ordibus suis, & lingua eorum maliloqua dolum & nequitiam excogitauit. Surgentes aduersus fratres detraxerunt, & contra Dilectos Matris Ecclesiæ filios scandalum posuère, prodière inquam, in praua commenta ex nimio calore animi, libellum* quidem rationabilem sed reprobabilem, *non veritatis sed mendacii, non eruditionis sed derogationis, nan rectè manentem sed mordentem, non instruentem veraciter sed fallentem temerè componentes: quem Nos ad sedem Apostolicam delatum Venerabili Fratri Episc. Tusculano, & Dilectis filiis nostris I. tituli S. Laurentii in Lucina. H. titul. S. Sabinæ Presbyteris, & L. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconis Cardinalibus examinandum commisimus, vt plenè ipsum inspicerent & vniuersa in eo contenta perfectè attenderent & discuterent diligenter. Quo studiosè perlecto & maturè ac districtè examinato*, Nobisque de hoc plenariâ relatione factâ ab eis, quia in eo quædam peruersa & reproba contra potestatem & authoritatem Rom. Pontificis & Coepiscoporum suorum, & nonnulla contra illos qui propter Deum sub arctissima paupertate mendicant, mundum cum suis opibus voluntariâ inopiâ superantes: alia verò contra eos, qui salutem animarum zelantes ardenter, & sacris studiis procu-

" rantes multos in Ecclesia Dei operantur spirituales profectus & magnumfaciunt " ibi fructum; Quædam autem contra salutarem Pauperum seuMendicantiumRe-" ligiosorumstatum, sicut sunt Dilectissimi filii Fratres Prædicatores & Minores, qui " vigore spiritus seculo suis Diuitiis derelicto ad solam cœlestem Patriam suspirant. " Nec non alia plura inconuenientia digna vtique confutatione manifestissimè " comperimus contineri. *Quia etiam idem libellus magni scandali seminarium existebat* " *& inducebat dispendium animarum*, cum retraheret fraudulenter à deuotione solita & " consulta eleemosynarum largitione ac conuersione & ingressu Religionis fideles, " *Nos libellum*, qui sic incipit *Ecce videntes clamabunt foris*, quique secundum ip-" sius titulum *Tractatus breuis de periculis nouissimorum temporum nuncupatur*, tan-" quam iniquum, sceleſtum & execrabilem, & instructiones ac documenta in " eo tradita, vt pote praua, falsa & nefaria de Fratrum nostrorum consilio authori-" tate Apostolica reprobamus, & in perpetuum condemnamus, districtè præci-" pientes, vt quicunque libellum ipsum habuerit, eum infra 8. dies ex quo huius-" modi nostram reprobationem & condemnationem sciuerit, prorsus & in totó " & in qualibet sui parte comburere & abolere procuret. In illos enim qui huius " nostri Præcepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promul-" gamus, firmiter in virtute obedientiæ prohibendo ne quisquam prædictum libel-" lum ore Apostolico iam damnatum approbare vel quomodolibet defensare præ-" sumat. Si quis verò præsumpserit, tanquam contumax, inobediens & rebellis " Rom. Ecclesiæ ab omnibus habeatur. Et Nos nihilominus aliàs contra eum ta-" liter procedemus, quod pœna condigna temerarium feriet, & alij ea perterriti à " similibus frænabuntur. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Anagniæ " 3. Non. Octob. Pontif. nostri an. 2.

Paulò post emissam hanc Bullam aduenerunt Academici Legati, aut saltem pars eorum, conquestique de tam præpropero & immaturo iudicio auditi sunt die 18. Octob. à Cardinalibus qui prædictum libellum *de Periculis nouissimorum temporum* examinauerant & notauerant. At non erat vllâ ratione reuocabilis lata semel sententia: quinimo victa est eorum constantia, & amittendorum Beneficiorum metus eos adduxit ad Palinodiam, quam ita certò futuram credidit Pontifex, vt pridie quàm illam cantarent, nempe 17. Octob. varias dederit litteras quibus significabat damnatum fuisse solenniter libellum prædictum. Earum vnâ gratias agit Ludouico Francorum Regi, quod per suos Nuncios libellum M. Guillelmi de S. Amore ad Curiam Rom. examinandum transmisisset, significatque examinatum & maturo iudicio condemnatum fuisse vt perniciosum: rogat insuper, vt Ordines Mendicantium suâ authoritate tueatur aduersus Academicos & maleuolos.

Alexander Episcopus S.S. D. Dilecto filio Ludouico Regi Franciæ Illustri. Veri solis " radius in te verè fulgere conspicitur, qui depulsis penitus prauis actibus in lu-" cis operibus delectaris: qui vitatis omnino Noctis tenebris in diei lumine am-" bulas, horrendo vitia, fugiendo à noxiis & salutaribus inhærendo. Reuera " clarent in te pura fides & plurima deuotio in Regem cœlestem, cuius dono " Regnum terrenum nosceris obtinere, dum sic eius beneplacitis te coa-" ptas, quoad eum dirigens mentem tuam, ipsum in tuis actionibus constituis " fundamentum, ad illa tuum libitum conuertis & studium quæ in eius conspectu " sunt placita, sibique delectabilem referunt suauitatem odoris in benignitate, " clementia, misericordia & charitatis subsidiis te principaliter exercendo. Sed " etsi hæc in persona tua velut sidera luminosa resplendeant, est tamen ibi aliud " quod ampliori fulgore rutilat: & sicut luminare maius & altius profert iubar " inter alia in te lucentia, quasi solis innuens maiestatem. Illa videlicet ardens & " lucens charitas quâ personas Religiosas & diuinis mancipatas seruitiis gratiosè " prosequeris, eas tenerè diligendo, fauore muniendo Regio, multis Beneficiis " conseruando; amplectendo libenter conuersationem ipsarum, & eas in tua fa-" miliaritate specialiter retinendo, inter quas dilectos filios Fratres Prædicatores & " Minores tanquam perfectos Christi seruos, Cultores fidei eruditos & pruden-" tes ac prouidos Consiliarios animarum tuæ mansuetudini præcipui amoris vin-" culo adstrinxisti. Certè congruit & expedit, quod Princeps tam Catholicus fa-" miliares habeat tam electos, quod in ipsius mundâ Curiâ viri sine notâ & maculâ

conuersentur

conuerſentur, quodque Domus eius generali in præconio laudata, Orbem etiam ex famulorum & miniſtrorum Domini ſocietate ac præſentia commendentur. Horum namque Fratrum clari Ordines iamdudum à Sede Apoſtolicâ ſicut ſacri & conſpicui, approbati velut eminentia candelabra & duo magna luminaria in Eccleſia Dei lucent: quoniam ab iis ſanctæ Doctrinæ lumen vbique per mundum copiosè diffunditur, ab iis Euangelium ardenter & efficaciter prædicatur: & ab iis recta & ſana conſilia exhibentur. Conuenienter itaque Regia ſerenitas proborum virorum & Religioſorum tam illuſtrium conſortio iucundatur: quia ex hoc ipſius & meritò creſcit fama, & Principibus aliis ad honeſtum & bonum materia eſt & Iudex. De tanta ergo beneuolentia quam eiſdem Fratribus ſincerè oſtendis & exhibes, Celſitudinem tuam multipliciter in Domino commendantes dignas tibi gratiarum actiones referimus, recognoſcentes Nos fore tibi de hoc ſpecialius obligatos, quia tu es ipſis in neceſſitate plenum ſubſidium, contra moleſtias tutum præſidium, & in aduerſitate ſui ſtatus ſolidum firmamentum. Sane Dilectos filios M. M. Ioannem & Petrum Clericos & Nuncios tuos quos ad Sedem Apoſtolicam deſtinaſti, affectuosè recepimus, in his quæ propoſuerunt & petierunt ex parte tua pro eiſdem Fratribus benignè ipſos audire curauimus & efficaciter exaudire. *Et ecce libellum* illum pernicioſum & deteſtabilem quem Quidam Sacræ Scripturæ intelligentiam ſe ſe habere fatentes, ſed diuertentes à tramite recti ſenſus, contra Chriſti Pauperes vitæ ſuæ ſubſidia ſalubriter mendicantes componere præſumpſerunt, delatum ad Nos per eoſdem Nuncios tanquam iniquum, ſceleſtum & execrabilem, & inſtructiones ac documenta in eo tradita, vt pote praua & falſa & nefaria de Fratrum noſtrorum Conſilio authoritate Apoſtolica præſente magnâ fidelium multitudine reprobanda duximus, & in perpetuum condemnanda, diſtrictè præcipientes, vt quicunque libellum ipſum habuerit, infra octo dies ex quo eiuſmodi noſtram reprobationem & condemnationem ſciuerit, prorſus deſtruere & abolere procuret, & in illos qui huius noſtri præcepti fuerint contemptores, excommunicationis ſententiam promulgantes firmiter in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, ne quiſquam dictum libellum ore Apoſtolico iam damnatum approbare vel quomodolibet defenſare præſumat, & ſi præſumpſerit, tanquam contumax, inobediens & rebellis Rom. Eccleſiæ ab omnibus fidelibus habeatur, ſicut in litteris noſtris de prædictâ reprobatione & condemnatione confectis, quas tibi tranſmittimus, plenius continetur. Ideoque magnificentiam tuam omni quâ poſſumus affectione rogamus, quatenus memoratos Fratres conſuetâ benignitate & gratiâ proſequens, eos tanquam probatos & acceptos Chriſti miniſtros habeas attentius commendatos, & ab iniuriis & moleſtiis protegas & præſerues, ita quod tuo ſecuri munimine quietam & gratam impendere Domino valeant ſeruitutem. Datum Anagniæ 16. Kal. Nouemb. Pontif. noſtri an. 2.

Item, quia doctrina à M. Guillelmo ſparſa non tantùm Lutetiæ inualuerat & inualeſcebat in dies, ſed per vniuerſam quoque Galliam diffuſa multos tum è Doctis viris, tum è plebe concitabat aduerſus Mendicantes, idem Pontifex vnâ die multas dedit Bullas ad Eccleſiarum Prælatos, Epiſcopos, Abbates & alios: ad Turonenſem & Rothomagenſem Epiſcopos: ad Regem Ludouicum & ad Epiſcopum Pariſienſem, vt doctrinam illam in ſuis diœceſibus & ditionibus coerceri curarent; atque Epiſcopo Pariſ. ad compeſcendos Academicos auxilium opemque præſtarent. Bulla ad Prælatos eſt eiuſmodi.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, omnibus Eccleſiarum Prælatis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis & Archipreſbyteris & alijs Eccleſiarum Prælatis cuiuſcunque Ordinis vel profeſſionis per Franciam, Burgundiam, Picardiam, Britanniam & Normaniam conſtitutis Sal. & Apoſt. bened. Non ſine multâ cordis amaritudine animique turbatione audiuimus, quod nonnulli Magiſtri & Doctores ac alij acuentes, vt gladium linguas ſuas & venenum aſpidum gerentes ſub labiis ſuis ad infamiam, grauamen & diſpendium Innocentum, illud in ſuggillationem & diffamationem dilectorum filiorum FF. Prædicatorum & Minorum vomuerunt. Et licet ipſos diſtinctè non nominauerint, nec vocabulis propriis expreſſerint, eos in quibuſdam verborum inuolucris, & certis ac cautis circunlocutionibus apertius innuerunt: ita quod ex

AD PRÆLATOS.

talibus eorum dictis manifestè, tanquam si expressim illos nominassent, innotuit quod de ipsis Fratribus loquebantur, fuderunt iniquum virus, & eos in Scholis, prædicationibus & alibi asseuerare præsumpseruut, quod in via & statu saluandorum non erant, nec meritoria nec salutifera existebat eorum mendicitas & paupertas, cum deberent valetudine corporali & aliis iustis impedimentis cessantibus propriis manibus operari sub spe alieni subsidij non torpendo, nec pro sustentatione vel pro necessariis extranea mendicando suffragia, seu ab aliis vitæ adminicula exspectando: quodque de licentia vel commissione Rom. Pontificis, seu Diœcesanorum Episcoporum Prædicationis exercere officium, & confessiones audire libere non valebant, tanquam per hoc Sacerdotibus Parochialibus præiudicium inferretur. Et alia nihilominus praua & iniqua in detractionem eorum & suorum Ordinum derogationem ora maliloqua relaxando. Cum igitur iidem Ordines fuerint dudum à Sede Apostolica sicut clari & conspicui approbati: ex quibus iam nonnulli Fratres ad supernam prouecti patriam in SS. numero sunt adscripti, & velut eminentia candelabra & duo luminaria magna in Ecclesia clucèant, & ab ipsorum fratribus & cultoribus S. doctrinæ lumen diffundatur, vbique per Orbem Christi Euangelium ardenter & efficaciter prædicetur, ac recta & sana consilia & exempla salutaria præbeantur. Cum etiam dicti Fratres Sacræ Scripturæ ac verbi Dei studiis, animarum profectibus, necnon diuinis officiis instanter intendant, nequaquam marcentes otio, sed opere se optimo exercentes, cum sapientia opus existat maximum, nec fiant pluris qui operantur exterius, quàm qui studium cognoscendæ Diuinitatis exercent. Vnde & Dominus ministrante ac operante Martha, Mariæ audientiam, attentionem & studium circa verbū ipsius præcipuè commendauit. Ex quo liquidò patet Fratres ipsos ad operandum suis manibus non teneri, quinimo si iis intermissis laborarent manibus, potiora vtique & vtiliora in minora minusque vtilia opera non sine animarum dispendio commutarent. Cum insuper iidem Fratres omnia propter Deum reliquerint vitæ subsidia mendicantes, Christumque imitentur pauperem, perfectionem Euangelicam amplexando, propter quod euidenter apparet in eo statu existere saluandorum, & per suæ Religionis obseruantiam, quæ quidem ipsius perfectionis Euangelicæ tenet formam, æterna præmia promereri. Cum etiam de licentiâ, vel commissione, vel concessione Rom. Pontificis, seu Legatorum eius, vel Ordinariorum locorum licitè possint prædicare populis & confessiones audire, ac pœnitentias iniungere salutares, Venerabilibus Fratribus nostris Turonensi & Rothomagensi Archiepiscopis & Episcopo Paris. damus nostris litteris in virtute obedientiæ firmiter in præceptis, vt omnes Magistros, Doctores & alios qui siue in scholis, siue in prædicationibus, seu alibi præmissa dicere attentarunt, ex parte nostra monete procurent, vt infra certum terminum, ab ipsis Archiepiscopis & Episcopis præfigendum, eisdem dictum suum in his publicè reuocent malè se dixisse fatentes, illaque detestentur penitus & retractent asseuerando constanter contrarium, & illud etiam fideliter prædicando. Quod si non fecerint, ex tunc contra eos ad suspensionis, excommunicationis & perpetuæ priuationis Beneficiorum suorum Ecclesiasticorum sententias sublato cuiuslibet appellationis obstaculo efficaciter procedere non omittant. Laicos de hoc culpabiles vel fautores huiusmodi præsumptorum animaduersione debitâ percellentes: Charissimi in Christo filij nostri Illustris Regis Francorum adhæc si necesse fuerit, auxilio inuocato. Ideoque Vniuersitatem vestram rogamus & hortamur attentè per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus memoratos Fratres omni beneuolentia & gratia prosequentes, eos tanquam probatos & acceptos Christi Ministros habeatis pro Diuina & nostra reuerentiâ propensius commendatos, ipsos ab iniuriis & molestiis defendentes: ita quod & vobis & vestris Ecclesiis fortius obligemur. Datum Anagniæ 12. Kal. Nouemb. Pontific. nostri an. 2.

Bulla ad Archiepiscopos Turonensem & Rothomagensem & ad Episcopum Parisiensem, cuius mentio fit in præcedenti, eadem planè est quæ superior incipiens *Romanus Pontifex.* Sic enim habet. Alexander, &c. *Venerabilibus Fratribus Turonensi & Rothomagensi Archiepiscopis & Episcopo Paris. Salut. & Apost. bened.* Romanus Pontifex *de summi Apostolatus specula, &c.* vsque ad illa verba,

perterriti à ſimilibus frænabuntur: deinde ſubiungit. *Ideoque Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus huiuſmodi noſtram reprobationem, condemnationem, præceptum & reprobationem & præmiſſa omnia Pariſius ſolenniter publicetis, & faciatis per alios in omnibus locis in quibus expedire videbitis, publicari; Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Quod ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Anagniæ 12. Kal. Nouemb. Pontif. noſtri an. 2.*

Scripſit etiam ad Regem idem Pontifex, rogauitque vt prædictis Archiepiſcopis & Epiſcopo Pariſienſi adeſſet, ſi eius operâ & auxilio ad coercendos contumaces indigerent. Bulla eadem quæ ſuperior, quæ incipit *Non ſine multa cordis amaritudine*, vſque ad illa verba, *animaduerſione debitâ percellentes*. Tum pergit. *Ideoque Celſitudinem* tuam affectuosè requirimus & rogamus, quatenus prædictis Archiepiſcopis & Epiſcopo, cum ab eis requiſitus fueris, tuum fauorem & auxilium magnificè largiaris: ita quod tuâ eis fauente potentiâ Mandatum Apoſtolicum ſibi directum efficaciter exequi valeant, & Nos magnificentiam tuam exinde dignis in Domino laudibus commendare poſſimus. Datum Anagniæ 14. Kal. Nouemb. Pontif. noſtri anno 2.

Cum autem plurimi eſſe momenti putarent Cardinales notam omnibus facere Palinodiam quam cecinerant MM. Odo de Duaco & Chriſtianus Beluacenſis, 23. Octob. confici voluerunt publicum hoc inſtrumentum.

In Nomine Domini Amen. Anno Domini 1256. die 23. Octob. Indict. 15. in Palatio D. Papæ Anagniæ Venerabiles Patres DD. Hugo tituloS. Sabinæ Presbyter, & Ioannes S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis præſentibus & videntibus me Beroardo Delfa Notario & teſtibus infra ſcriptis ſcilicet prouidis viris Ioanne Archiepiſcopo Eccleſiæ S. Mariæ de Caſtro Cerneteris, Thomaſio de Riuo-frigido Canonico Caſletenſi, Ioanne Presbytero, Capone Capuacenſi & quampluribus aliis ex parte Sanctiſſimi Patris D. Alexandri Papæ IV. prouidis viris M. Odoni de Duaco Theologicæ Facultatis Doctori & Chriſtiano Canonico Bellouacenſi, in eorum præſentia conſtitutis, qui etiam octauo decimo die eiuſdem menſis iurauerant corporaliter coram eiſdem Dominis Cardinalibus & me prædicto Bernardo Notario ſtare præcisè mandatis dicti D. Papæ in virtute præſtiti iuramenti mandauerunt.

1. Scilicet, quod ſaluis aliis mandatis, quæ eidem D. Papæ ſemel vel pluries ipſis Magiſtris mandare placuerit: & ſaluo, ſi circa infra ſcripta idem Dominus aliter ordinaret, ipſi Magiſtri, quantum in eis eſſet ex tunc reciperent & publicè Pariſius recipient, cum ibi fuerint; ex tunc obedirent & obedient in poſterum Ordinationi D. Papæ, quæ incipit *Quaſi lignum vitæ*, & quod contra eam ſcienter non venirent, nec contradicentibus Ordinationi prædictæ in contradicendo auxilium vel conſilium præſtarent publicè vel priuatè.

2. Quod Fratres Prædicatores Minores Pariſius degentes, Magiſtros & Auditores eorum, & ſpecialiter ac nominatum Fratres Thomam de Aquino de Ordine Prædicatorum & Bonauenturam de Ordine Minorum Doctores Theologiæ ex tunc quantum in eis eſſet, in ſocietatem Scholaſticam & ad Vniuerſitatem Pariſienſem reciperent & expreſſè Doctores ipſos reciperent vt Magiſtros, & quod cum Pariſius fuerint, facient publicè illud idem, ipſoſque iuxta Ordinationem prædictam ab Vniuerſitate ſeu Magiſtris & Scholaribus Pariſius commorantibus procurent recipi bonâ fide, & contra prædicta nunquam præſtent conſilium vel aſſenſum.

3. Quod ſcienter iuramenta, ſtatuta, vel obligationes non facient, ſeu à Religioſis vel aliis exigent, vel quantum in eis fuerit, permittent, per quæ vel quos infringatur Ordinatio ſupradicta, ſeu contra eam modo quolibet veniatur.

4. Quod non procurent nec quantum in eis eſt, fieri permittant, quod Pariſienſe ſtudium abſque Licentia D. Papæ occaſione cuiuſcunque præteritæ turbationis ſeu facti diſſoluatur, ſeu aliò transferatur.

5. Quod tam in Romana Curia, quàm Pariſius bona fide & ſine fraude non adiiciendo ſcienter aliquid, principaliter vel conſequenter: ſed iſta quæ eis in

" hoc iniunguntur, prædicent publicè, & in Ciuitate Parisiensi pluries & in diuersis locis asseuerent fideliter in ipsis Prædicationibus infra scripta.

" Scilicet quod reprobent Libellum in ipsis prædicationibus, qui nuper fuit per summum Pontificem condemnatus; & errores in ipso contentos, qui sunt contra infra scripta, videlicet de potestate Rom. Pontificis. Quod possit Prædicatores & Confessores mittere vbique per mundum iuxta suæ beneplacitum voluntatis sine consensu inferiorum Prælatorum quorumcunque, seu Parochialium sacerdotum.

" Item quod Archiepiscopi & Episcopi in suis Diœcesibus dare possunt licentiam prædicandi & confessiones audiendi sine consensu inferiorũ Sacerdotum vel Rectorum Ecclesiarum cum viderint expedire: quodque Prædicatores & Confessores sic missi possunt liberè prædicare & licitè confessiones audire & absoluere pœnitentes. Item de Mendicitate, quod status Mendicitatis propter Christum est status salutis & perfectionis. Item quod Religiosi pauperes, qui omnia reliquerunt propter Christum, mendicando possunt acquirere victum suum sine labore manuum, etiamsi sint validi corpore, maximè qui student verbo Dei, legendo, disputando, prædicando. Item quod ea, quæ continebantur in libro prædicto & quibusdam articulis à M. Christiano præfato confectis, quæ explicitè videbantur seu poterant in prædictorum Ordinum infamiam redundare, sicut de Pseudo-Prophetis & Apostolis & Nunciis Antichristi, de Penetrantibus Domos & periculis Nouissimorum temporum, non intelligunt nec intellexerunt de Fratribus Ordinum prædictorum, quod tales ipsi sint, vel fuerint, vel etiam sint futuri: sed fateantur ipsos Ordines esse bonos & ab Ecclesia approbatos, & inter cætera asserant & affirment. Quod Deus hoc ipsum per manifesta indicia nostris temporibus comprobauit, nonnulla miracula scilicet quæ per Sanctos vtriusque Ordinis Sanctorum Catalogo per Romanam Ecclesiam canonicè, legitimè, fideliter ac rite adscriptos, est misericorditer operari dignatus. *In cuius rei testimonium Ego prafatus Bernardus Apostolica sedis authoritate Notarius*, qui præmissis rogatus interfui, de mandato dictorum DD. Cardinalium hoc præsens publicum Instrumentum propriâ manu scripsi ac in publicam formam redegi, & signum meum apposui.

Igitur his ita factis Legati Academici præter M. Guillelmum qui forte in morbum incidit, obtentâ post aliquod tempus licentiâ in Franciam & Parisius reuertuntur. Non autem ita facile fuit Guillelmum à proposito dimouere. Vnus ab omnibus impetitus, aduersus omnes minas stetit intrepidus, criminaque obiecta tam dilucidè diluit, vt ab omni Mendicantium impetitione fuerit immunis declaratus, vt habet Chronicum Normaniæ ab Andrea Duchesnio collectum. *Magistri Theologia Vniuersitatis Parisiensis* præcipuè *M. Guill. de S. Amore, prædicare cœperunt quadam signa scripturarum ad cognoscendum Pseudo-Religiosos Prædicatores, qui vltimis temporibus ad debellandum fidem Catholicam sunt venturi. Vnde & quendam de hoc librum composuerunt quem intitulauerunt.* De Periculis nouissimorum temporum. *De quo prædicti Religiosi scilicet Mendicantes supra modum dolentes ad Papam Alexandrum librum prædictum detulerunt, quem condemnauit, ipsum dicens compositum in odium & scandalum Religiosorum. Vnde præmissam pacem dissoluit & quatuor de maioribus Vniuersitatis Parisiensis à Regno, nisi sine mora eos reciperent, priuauit. Qui ad Papa Curiam accedentes, tres eorum voluntati fauentes restituti & cum ignominia sunt reuersi, scilicet M. Odo de Duaco & M. Christianus, ac Decanus de Barro super Albam; quartus verò, scilicet M. Guill. de S. Amore fortiter in Curia stetit & in pluribus à prædictis Religiosis accusatus, ex sua innocentia & doctrina eorum 4. Cardinalibus competenter satisfecit, à quibus ab omni impetitione Fratrum pronunciatus est immunis.*

Potentissima ergo & potissima decertatio fuit ibi cum M. Guillelmo, ad quem debellandum Dominicani fortissimos Bellatores è suis Humbertum tunc Ordinis Generalem, Albertum Magnum Coloniæ tunc Regentem; Franciscani Bonauenturam Generalem quoque Ordinis sui Ministrum in aciem produxerunt. Cuius rei testis est Cantipratanus l. 2. de Apib. c. 10. *Quales autem illi essent*, inquit, *per quos eorũ destructio parabatur*, nec Deum nec Sanctos latet, nec ipsos inhabitantes orbem quibus eorũ vita nota est & probata. Huius crudelissimi Edicti 4.

præcipuè Magistri fuerunt Parisius infatigabiles incentores, qui simplicitatem Scholarium Parisius contra dictos Fratres feraliter concitarunt in tantum, vt nisi se piissimus ac deuotissimus Ludouicus Rex Francorum necnon & Frater eius pius Comes Pictauiæ Alphonsus, antequam ipse Rex è transmarinis Partibus rediret in Galliam, muros inquam se pro Fratribus posuissent, abdicatos eosdem rebus & corporibus exterminassent. Hinc cum nihil aliud possent, litteras infamatorias plenas mendaciis contra dictos Fratres per diuersa loca & Regna miserunt. Post has & librum nefandissimum compilarunt, qui sic incipit *Ecce videntes clamabunt Foris*, titulum habens *De periculis Nouissimorum Temporum*: in quo libro spiritu nequitiæ & væsano præfatos Ordines elidere & destruere nitebantur. Qui liber qualiter citatis & vocatis ad Curiam & præsentiam summi Pontificis dictis Magistris damnatus sit & combustus, non solum in ipsa Curia, sed & Parisius coram Vniuersitatis multitudine copiosa, scire poterit qui collationes & disputationes legerit, præcipuè contra Magistros 4. in capite aduersarios. Disputationes quoque D. Hugonis Presbyteri Cardinalis Fratris Ordinis Prædicatorum, D. Richardi & D. Caietani & aliorum Cardinalium plurimorum: necnon & allegationes Venerabilis Fr. Humberti Magistri Ordinis Prædicatorum: sed & Fratris Bonauenturæ Generalis Ministri Ordinis FF. Minorum, & maximè M. Alberti Fratris Ordinis Prædicatorum ad hoc specialiter à D. Papa vocati, & aliorum Prælatorum atque Magnorum virorum disputationes prolixas & magnas habitas Anagniæ coram multis: & in ipsis inuenire poterit, rerum gestarum enucleatissimam veritatem. Quapropter iam dicti Magistri Fratrum Aduersarii dignitatibus & beneficiis omnibus sunt priuati, donec iurauerunt mandato D. Papæ coacti reuocare Parisius & in aliis Ciuitatibus & locis verecundæ prædicationis eorum, quidquid contra dictorum Fratrum Ordines implicitè vel explicitè vomuissent.

Duo autem potissimum M. Guillelmo obiiciebant. Vnum quod in Comitiis Vniuersitatis, in sermonibus ad populum habitis, in quibusuis Conuentibus & congressibus palam & publicè de fama duorum illorum Ordinum detraxisset, nec pepercisset authoritati summi Pontificis & DD. Cardinalium. Alterum quod librum *de Periculis nouissimorum temporum* emisisset in vulgus, iniuriosum omnino & famosum. Ad primum respondit, quædam negando, alia interpretando. Ad alterum verò, si quid factum sit iniuriæ, id sibi Mendicantes imputare debere, qui libellum Introductorium in Prophetias Ioachimi prius ediderant, quique abrogato Christi Euangelio aliud Spiritus S. quod intra paucos annos inceptum esse dicebant, publicè proposuerant. Placet accusationis capita cum Responsionibus hic attexere. Titulus est eiusmodi.

INCIPIVNT CASVS ET ARTICVLI SVPER QVIBVS ACCVSATVS FVIT M. Guillelm. de S. Amore à FF. Prædicatoribus, cum Responsionibus ad singula.

PRimò dixit quod qui ad prædicandum mittitur, si petit vel accipit ab iis, quibus prædicat, peccat mortaliter. Respondet ad hoc M. Guillelmus de S. Amore. Hoc non dixi, sed contrarium: videlicet quod Prædicator missus licitè potest sumere sumptus, quia ei debentur 1. Corinth. 9. *Ordinauit eos Deus qui Euangelium prædicant, de Euangelio viuere.* 2. Timoth. 2. Laborantem Agricolam oportet primùm de frugibus accipere. Gloss. *victum sumere* ab eis quos tanquam cultor vineæ exercet, vel tanquam gregem pacis, non est mendicitas, sed potestas.

Item, dixit quod non licet Religiosis fieri Magistros, vel recipere Dignitates. *Respondeo*, hoc non dixi: sed dixi, quod Religiosis qui reliquerunt mundum, & ea quæ in mundo sunt, videlicet diuitias & honores: omne enim quod in mundo est, non est ex patre sed ex mundo est. 1. Ioan. 2. Sicut non licet iis procurare, vt habeant diuitias, delicias & honores, etiamsi sint vtiles ad regendum populum Dei, quia secundum Augustinum. Locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi ita teneatur & administretur vt decet, indecenter appetitur, vt dicit Gloss. 1. Timoth. 3. super illud, *si Quis Episcopatum desiderat.* Similiter dico

quodnon licet procurare eis, vt fiant Magistri, quia Magisterium honor est; vnde Mathæi 4. super illud *Statuit eum Diabolus super pinnaculum Templi, dicit Gloss. in Palestina plana de super erant texta, & ibi erant Sedes Doctorum, vnde populo loquerentur, vbi multos cepit vana gloria honore Magisterij inflatos: in eo igitur loco Christum tentat in quo multos deceperat,* Ergo Magisterium honor est.

Item dixit, quod non licet Religiosis morari in Curiis Principum & Prælatorum. *Respondeo.* Hoc non dixi. Sed dixi quod periculosum est Prædicatoribus Religiosis morari in Curiis Principum secularium propter periculum adulationis. Vnde Math. 11. super illud *Ecce qui* mollibus induuntur, in Domibus Regum sunt, dicit Gloss. *Rigida vita & prædicatio* declinare debent mollium Palatia, quæ frequentant mollibus induti adulantes.

Item dixit qui offert se ad prædicandum habenti Curam animarum non vocatus, peccat mortaliter.

Respondeo sic non dixi: sed dixi quod cum officium prædicationis sit officium honoris & præsidentiæ in docendo, non debet se homo ingerere ad illud: sed si vocatus fuerit, debet humiliter obedire: nam cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat 8. q. 1. Cap. sciendum.

Item dixit, quod qui recipit Parochianum alicuius Sacerdotis ad confessionem, peccat mortaliter.

Respondeo non dixi sic: sed adieci *sine licentia sui superioris* secundum quod notatur de Pœnit. dist. 6. Cap. placuit. & Extra, de pœnit. & remiss. C. omnis vtriusque sexus.

Item dixit, quod Episcopus prædicans extra suam Diœcesim sine licentia illius Episcopi, in cuius Episcopatu ipse prædicat, duo peccata mortalia committit, furtum scilicet & vanam gloriam. *Respondeo* non credo me sic dixisse: sed dixi, quod non licet Episcopo extra suam Diœcesim prædicare publicè vel alia negotia Ecclesiastica exercere sine licentia Diœcesani. 9. q. 2. Cap. *Nullum Episcoporum.* Item Cap. Nullus Episcopus. Et Cap. Episcopum. Et Cap. Episcopi. Et C. Non inuitati. Quia qui per alienam messem transeunt, falcem mittere non debent 6. q. 2. Cap. scriptum est. & Deuteron. 2. super illud, *Ingressus vineam proximi tui &c.* dicit Gloss. In Ecclesia alicuius Episcopi potest aliquis Episcopus aliquos corrigere vel monere, totam verò plebem non licet ei corrigere, vel magna negotia tractare.

Item dixit quod qui dat omnia sua pro Deo nihil sibi retinens, & postea assiduè viuit de Eleemosynis, non est in statu saluandorum. *Respondeo* hoc non dixi: sed quod homo validus non habens vnde viuat, debet secundum Apostolum operari manibus vnde viuat, ne compellatur egestate rem alterius vel desiderare vel rogare. 1. Thessal. 4. *Operamini manibus vestris*, sicut præcipimus vobis, & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis. Gloss. id est, opus agendum est, non otiandum: quia & honestum est & quasi lux ad infideles; & non desiderabitis rem alterius nedum rogetis vel tollatis. Et vt de materia ista, videlicet in quibus casibus liceat victum vel necessaria vitæ quærere, me breuiter expediam, sic dico. Qui non habet scientiam operandi, nec habet ignorantiam affectantem, potest mendicare, donec sciat operari. Item qui habet impotentiam naturalem, vt pueri & senes & infirmi, possunt licitè mendicare. Item qui habent impotentiam, ex consuetudine, vt pote sicut dicit Augustinus de Opere Monachorum, qui non melius, sicut multi putant, sed quod verum est, languidius educati, idest delicatè nutriti sunt, & ideo laborem operum corporalium sustinere non possunt, si mendicare voluerint, credenda est eorum infirmitas & ferenda. Item qui non inuenerunt, qui opera eorum velint conducere, mendicare possunt. Item qui operantur quod possunt, & opus non sufficit eis ad victum, tales ad supplementum sui victus mendicare possunt. Vnde 2. Thessal. 3. *Vos autem fratres nolite deficere benefacientes.* Gloss. *Pauperibus*: quia etsi operantur, possunt tamen nonullis indigere: non enim in reprehensionem venit qui humanus est in largiendo, sed hic qui cum possit laborem ferre, otiosè vult vitã agere. Item si quis vult erudire animum suum ad ea quæ sunt sibi necessaria in militia Christiana, potest secundum

Augu st. de Opere Monachorum, victum mendicare, ne opprimatur egestate; vt si horis quibus ad erudiendum animum ita vacatur, illa opera corporalia geri non possint.

Item illi qui distracti sunt tali occupatione militiæ Christianæ, vt aliud agere non possint, licitè possunt victum quærere, vel potestate sumendo, vel mendicando secundum Augu st. de Opere Monachorum: & si plures inueniantur casus per scripturas Authorum, aut per inconcussam rationem, paratus sum assentire.

Item dixit quod quicunque est in Religione non habente Reditus vel possessiones, potens laborare opere manuali & non laborat, sed assiduè viuit de eleemosynis, non est in statu saluandorum, nec excusatur per officium prædicationis. Ad hoc iam responsum est, & est sciendum quod ea quæ superius de mendicitate dixi, dixi præcipuè *** propter validos corpore, quotum est in Regno Franciæ multitudo infinita, & propter quosdam iuuenes quos appellant *Bonos-Valetos*, & propter quasdam Mulieres iuuenes quas appellant *Beguinas* per totum Regnum iam diffusas; qui omnes cum sint validi ad operandum, parum certè aut nihil volunt operari, sed viuere volunt de Eleemosynis in otio corporali sub prætextu orandi, cum nullius sint Religionis per Sedem Apostolicam approbatæ. Et extra prædictas iam est quarta *Secta Parisius*, quæ dicit nunquam operandum manibus, sed incessanter orandum: & si homines sic orarent, plures fructus terra sine cultura afferret, quàm modò afferat cum cultura.

Item dixit, quod pretiositas vestium non nocet, vel iuuat ad seculum.

Respondeo hoc non dixi: sed dixi, quod licet vti veste pretiosâ, dum tamen non excedat homo vel mulier modulum personæ suæ vel mores prouinciæ, vel non hoc faciat causâ mouendæ concupiscentiæ, vt dicit Gloss. super illud 1. ad Timoth. 2. *Non in tortis crinibus aut auro aut margaritis aut veste pretiosâ. Gloss. ne his omnibus vltra personæ suæ modum & mores occasioni concupiscentiæ studeant.*

Item dixit quod plus peccat, qui vltra statum suum portat vilem habitum, quàm qui vltra statum suum portat superbum. *Respondeo* non sic dixi: sed quod in vili habitu potest esse superbia, sicut in pretiosa veste: vnde Math. 6. exterminant facies suas. Gloss. sicut in nitore vestium iactantia est, sic in nimio squalore. Hierony. ad Nepotian. Vestes pullas æquè deuita vt candidas; ornatus vt sordes pari modo fugandæ sunt: quia alterum diuitias, alterum gloriam redolet. Item Hierony. Nec affectatæ sordes, nec acquisitæ diuinas laudes pariunt. Et secundum August. de doctr. Christiana, Non ex iis quibus vtimur, sed ex causâ vtendi, vel modo appetendi probandum est, vel improbandum quod facimus. Item dixi quod illa superbia, quæ est ex vili veste, annexam habet simulationem, propter quam maius peccatum est: Math. 6. exterminant facies suas. Gloss. Luctuosis vestibus, in quibus etiam iactantia est, & sic magis sub specie humilitatis decipiunt. Et sciendum quod prædicaui hoc propter *Beguinas* & *Bonos-Valetos* dicentes, quod vestis pretiosa portari non potest sine magno periculo.

Item dixit coram D. Episcopo Matisconensi & Clero & populo ante Ecclesiam S. Vincentii, quod non excusat validum corpore viuentem de eleemosynis assiduæ officiũ prædicationis, vel occupatio orationis, vel psalmodiæ, vel alicuius alterius huiusmodi labor: & cum diceret Episcopus dicto M. Guillelmo, quod non se intromitteret de Ordinibus FF. Prædicatorum & Minorum, cum sint approbati per Curiam Rom. respondit idem Magister quod non crederet D. Papæ contra Apostolum. Et primo ostendere videbatur quod sit contra Apostolum viuere de Eleemosynis.

Respondeo. Iam responsum est supra in articulo *de Mendicitate*, sed quod sibi imponitur in hoc articulo, quod Episcopus dixit sibi, *quod se non intromitteret de Fratribus Prædicatoribus & Minoribus per Curiam Rom. approbatis. Respondeo*. Non credo dictum Episcopum id vnquam dixisse, nec me etiam illud vnquam respondisse.

Item dixi quod mulieres existentes in seculo mutantes habitum suum causâ Religionis, peccant grauiter: & quæ cædunt capillos suos existentes in seculo credentes hoc facere causâ Religionis, peccant; & debent istæ & illæ excommunicari; si quidem tales sunt quæ vocantur Beguinæ. Resp. *hoc non dixi*, sed dixi

quod non licet viro vel mulieri ſeculari vel Regulari mutare habitum ſuæ Profeſſionis in habitum alterius Profeſſionis. Deuteron. 22. *Non indueris veſtimento quod ex lino lanaque confectum eſt.* Gloſſ. *lineis veſtibus lanam miſcet, qui inordinatè viuit ex profeſſionibus diuerſi generis: vt ſi Monialis habeat ornamentum vxoris, & vxor habeat ornamentum Virginis ſiue ſpeciem eius gerat.* Item dixi quod ſi vir vel mulier gerat habitum viliorem, vt aliis diſſimilis videatur & inter alios ſanctior reputetur, peccatum eſt hypocriſis. Math. 6. *Exterminant facies ſuas.* Gloſſ. *vt aliis diſſimiles videantur, & vt illâ vilitate vltra homines prædicentur.* Hæc autem omnia dixi propter hypocritas, de quibus tunc loquebar.

Item dixit quod Chriſtus nunquam mendicauit, nec Apoſtoli; ſed poſt Aſcenſionem Domini reuerſi ſunt ad labores ſuos priſtinos. *Reſp.* dixi, quod non memini me in ſcriptura inueniſſe Chriſtum mendicaſſe. Immò *cum eſſet Paſtor Ouium.* Ioan. 10. *Miſſus ad oues, quæ perierant Domus Iſrael.* Math. 15. recipiendo vitæ neceſſaria ab eis quibus prædicabat, non erat mendicitas, ſed poteſtas, vt dictum eſt ſupra.

Item nec Apoſtolos legi mendicaſſe: ſed poſt Reſurrectionem Domini adhuc ad piſcationem priſtinam rediiſſe. Ioan. 21. *Dicit eis Simon Petrus, vado piſcari.* Gloſſ. *Poſt redditum vnum Chriſtum, poſt acceptum eius inſufflationis ſpiritum*, poſt verba eius *Sicut miſit me Pater & Ego mitto vos*, ſubitò fiunt Apoſtoli qui fuerant, ſcilicet *Piſcatores, non hominum ſed piſcium, cum vnde viuerent non haberent: & ſic eis laborantibus adiecit Dominus neceſſaria quæ promiſit.* Oblata verò etiam rogati vix recipere volebant timore grauaminis 2. ad Cor. 8. *Cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam & communicationem Miniſterij, quod fit in ſanctos.* Gloſſ. cum timens eis non aſſentirem, obſecrabant nos, vt eis liceret ſua dare non quaſi propria, ſed quaſi communia. *Et ſuper* præmiſſis articulis Ego delatus M. Guillelmus per FF. Prædicatores apud D. Epiſcopum Matiſconenſem, purgaui me coram eodem Epiſcopo & Clero & populo, perhibentibus teſtimonium veritati rationibus meis.

Item iſtæ ſunt rationes quas M. Guillelmus de S. Amore coram magnâ multitudine Prælatorum Franciæ, contra Ordinationem D. Papæ tradidit in ſcriptis, ne Fratres reciperentur. *Primò dixit eos non eſſe admittendos ad noſtram ſocietatem Scholaſticam, niſi de voluntate noſtrâ, quia ſocietas non debet eſſe coacta, ſed voluntaria & gratuita.*

Item *timemus ne ſint de penetrantibus domos*: quoniam ipſi in domos ſingulorum ſe ingerunt, conſcientias & proprietates hominum rimantur, & quos ſeducibiles ad modum mulierum inueniunt, ſeducunt, id eſt de conſiliis Prælatorum ad ſua conſilia ducunt, & etiam captiuos ducunt aſtringendo eos ad ſua vel votis vel iuramentis, & tales præcipit Apoſtolus euitari dicens, *Et hos deuita.*

Item *timemus ne ſint de illis, qui cum vnde viuant, non habeant, viuere volunt otioſi & curioſi, ſcilicet de tractando negotia aliena, & de operibus ſpiritualibus*; cum tamen non ſint Apoſtoli vel eorum ſucceſſores, id. Epiſcopi, nec etiam ſint de 72. Diſcipulis Domini, nec eorum ſucceſſores, id. Parochiarum Presbyteri; neque eorum Opitulatores, id. eorum Vicarij, vt dictum eſt ſupra. Tales enim qui ſic viuere volunt, præcipit Apoſtolus euitari dicens 2. Theſſal. 3. *Denunciamus vobis Fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, id eſt, vt inquit* Gloſſa, per Chriſti authoritatem & obedientiam præcipimus, *Vt ſubtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè & non ſecundum traditionem quam accepiſtis à nobis.* vſque ibi. *& nolite quaſi inimicum exiſtimare.* Inſpiciatur Gloſſa, & inuenietis quod tales ſunt euitandi, donec reſipiſcant à tali modo viuendi.

Item *cum iſti ſint in ſtatu perfectionis tenentur ad Conſilia.* Conſilium autem Domini eſt Math. 23. *Nolite vocari Rabbi.* Cum ergo velint docere ſolenniter, faciunt vt vocentur *Magiſtri*, & ſic viuunt contra Domini conſilium, & ita publicè peccant & ſcandalizant; & ſic ſunt euitandi.

Item *quia iſti exercentes officium Magiſterij faciunt contra profeſſionem, per quam mundo abrenunciauerunt.* In mundo enim tria ſunt, vt dicitur 1. Ioan. 2. *Concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.*

Reſpondeo. Ad hæc omnia dico, *quod tunc temporis non eram Procurator Scholarium,* vel

vel Rector de Collegio eorum: sed cum publicè & solenniter, sicut moris est Parisius dimisissem actum legendi coram Magistris Scholaribus reuersus ad Ecclesiam Beluacensem, quæ pro negotiis suis, pro debito iuramenti per litteram suam patentem me reuocauerat, retentus autem fui à quibusdam magnis viris, vt ad Compositionem faciendam inter Fratres & Scholares iuuarem, sicut & feci: & tractatui illius compositionis interfui. Sed cum ante illum Tractatum compromisissent dicti Fratres & Scholares in quosdam Prælatos Franciæ tanquam in arbitros, & obtulissent Fratres suam petitionem & tradidissent in scriptis per quam petebant admitti *Ad Scholasticam societatem Scholarium Scholasticorum*, non per ordinationem D. Papæ, sed de iure communi, sicuti alij Scholares vndecumque venientes; Scholares quasdam exceptiones, *quod Fratres non deberent eis inuitis ad eorum societatem admitti, dederunt in scriptis petentes inducias ad probandum:* quas probationes volentes Prælati admittere, Arbitrium dimiserunt & Arbitrium expirauit. Et tunc de consensu partium facta est per eosdem Prælatos amicabilis compositio inter eos. *Dictas expositiones* vidi & tenui: sed eas non proposui, nec tradidi, *cum Scholarium Procurator non essem:* nec traditæ fuerunt illæ Exceptiones contra Ordinationem D. Papæ: quia de illa tunc non agebatur, nec super illa receperant dicti Arbitri potestatem: sed potius traditæ fuerunt dictæ exceptiones contra præfatam petitionem, per quam innitebantur Fratres iure communi.

Item dixi in sermone Ascensionis Domini, *quod liber Abbatis Ioachimi, qui continet multas hæreses, non potest damnari Romæ: quia plures sunt ibi defensores, qui defendunt eum.* Resp. *Non sic dixi:* sed cum Ego & Quidam alij prædicassemus contra errores repertos in libris qui dicuntur esse Abbatis Ioachimi, & qui fuerunt positi Parisius ad exemplar: & diceret nobis populus, quare non procurabamus errores illos apud sedem Apostolicam reprobari, *ideo* dixi, *quod de illis erroribus tam aliqui erant damnati, vt intellexeram;* reliqui verò non poterant ita citò inspici ad damnandum tum propter magnitudinem & multitudinem illorum, tum etiam propter multiplicem eorum occupationem, quia libri habebant alios defensores.

Item dixit in Sermone *Ramis-Palmarum*, quod tempore Hilarij omnes Prælati fuerunt Hæretici; etiam Papa, cui Hilarius restitit. *Resp.* Quod in periculis nouissimorum temporum aliqui, qui creduntur esse electa membra Redemptionis Ecclesiam persequentur, vt dicit Gregor. super illud Iob. *30. Addexteram Orientis calamitates meæ illico surrexerunt.* Nec mirandum est, quia olim idem accidit: nam in tempore B. Hilarij, omnes Episcopi, qui columnæ Ecclesiæ videbantur, fuerunt Hæretici excepto B. Hilario cum paucis, etiam ipse Papa, qui tunc erat Hæreticus nutu diuino fuit percussus: & forte ille Papa fuit *Anastasius II.* de quo habetur distinct. 19. can. *Anastasius.*

Item dixit, quod homines diuites habere debent vestes pretiosas: quia in diuitiis aut deliciis non est periculum, aut in pulchris vestibus. *Resp.* Non dixi, quod debeant habere sed dixi, quod licet eis habere, ita tamen quod non excedant modulum personæ suæ, & Prouinciæ mores, nec faciant hoc causâ mouendæ concupiscentiæ.

Item dixit in Sermone *Cœna*, quod illi qui cum Regibus morantur, vel assumunt Prælationes, non sunt humiles. Item dixit in sermone *Pentecostes*, quod maius malum erat, si quis prætermitteret cultum vestium personæ suæ congruentem, quàm si excederet in pretiositate vestium. *Ad hæc* satis responsum est supra, nec opus est hic quidquam aliud adducere.

Item dixit in eodem quod ad Reges pertinet ferre vestes pretiosas ad dandum pro Deo & iudicium & iustitiam facere; & qui aliud facit, peccat mortaliter. Non enim dicit Scriptura, quod ad Reges pertinet ferre burellum, vel audire Matutinas; & quod magnum periculum imminet illis qui talia suadent Regi. *Resp.* dixi quod ad Regem attinet ferre habitum congruentem suæ dignitati, ne contemptibilis habeatur. Vnde Hierony. *Vtere diuitiis, non pro te, sed pro Regno, vt timorem incutias ad iustitiam exercendam.*

Item dixit, quod melius est Regibus & Principibus facere iudicium & iustitiam, ad quæ tenentur, etiam omissis solennitatibus Diuinorum Officiorum in

diebus profestis, quæ ipsos à prædictis impediunt; quàm per prædictas solennitates omittere iudicium & iustitiam ad quæ tenentur. *Resp.* dixi, non legi *Regum est audire plures Missas in diebus profestis, vel Matutinas solennes.* Sed legi, *Regum est officium proprium facere iudicium & iustitiam.* 23. q. 5. Cap. *Regum Officium.* Et credo, quod qui contraria eis consulunt, peccant.

Item dixit in sermone *Ramis-Palmarum*, quod Dominus Iesus habuit tam pretiosam vestem, scilicet tunicam inconsutilem, & quæ tanti pretii erat, quod Crucifixores voluerint eam diuidere: & quod si aliquis nunc ita pretiosam vestem deferret, *Papelardi* in faciem eius spuerent, sicut Pharisæi spuerunt in faciem Domini Iesu Christi sic induti. *Resp.* dixi, quod si peccatum esset habere vestem pretiosam cum debitis circunstantiis supradictis, Dominus noster non habuisset tunicam inconsutilem desuper contextam per totum Ioan. 19. quæ satis pretiosa erat ratione ipsius paupertatis assumptæ. Et omnia hæc dixi propter falsam humilitatem: quia per hypocritas erunt pericula nouissimorum temporum, de quibus periculis tunc loquebar.

Item dixit quod si aliqua mulier tantum habeat de suo, quantum aliæ sui status & conditionis, si fecit vestes humiles in signum, quod non curat de superbia, non est Religiosa, quia Religio non consistit in cibis & vestibus, sed tantum in corde.

Responsum est supra, qualiter peccatur in veste, & non peccatur.

Item dixit in sermone *Ascensionis Domini* quod qui exponit se paupertati, ita quod oporteat eum mendicare, peccat mortaliter, nisi operetur manibus, vel nisi sit in Religione in qua possit viuere de bonis Ecclesiæ. *Responsum* est supra in articulo de Mendicitate, nec hic quidquam est addendum.

Item dixit in Sermone, quod qui prædicant & non sunt Episcopi, qui sunt successores Apostolorum, vel Sacerdotes & Curati, qui sunt successores aliorum Discipulorum; vel nisi vocentur à Presbyteris Curatis, sunt Pseudo-Apostoli, non facientes mentionem de commissione Episcoporum vel Papæ, vel Legatorum eius. *Resp.* dixi quod illi qui non sunt Episcopi vel Curati, vel missi ab eis, & se ingerunt Prædicationi, pseudo sunt. Rom. 10. *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Gloss. *Non sunt vere Apostoli, nisi missi.* Et ibidem expresè, adieci quod loquendo de missis ab eis, maximè intelligimus à D. Papa, qui est summus Episcoporum.

Item dixit in eodem, quod signum falsorum Apostolorum est, quod vadunt prædicare, vbi Christus fuit prædicatus vel prædicatur ab alijs, quia Apostolus dixit de se, quod ipse prædicauit, vbi Christus non fuit prædicatus.

Resp. dixi cum Apostolus dicat Rom. 15. *Sic autem Prædicaui Euangelium, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.* Gloss. *ne prædicarem iam per alios conuersis.* & 2 Corinth. 10. *Ne habentes spem gloriari in aliena regula, in his quæ præparata sunt.* Gloss. *ab alys Prædicatoribus*, quia his prædicabat Apostolus, quibus non erat annunciatum, vt gloriam suam labore quæreret: timendum est ne illi qui vadunt prædicare fidelibus iam conuersis & orthodoxis non ostendentes litteras siue Authoritates suæ missionis, non sint veri Apostoli, cum in hoc non imitentur veros Apostolos.

Item dixit in eodem, quod signum falsorum Prædicatorum est, quod de iniuriis sibi factis recurrunt ad D. Papam & impetrant litteras.

Respondeo, Dixi, quod veri Apostoli patientes erant. Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio Luporum.* Glos. *Qui locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare.* Item 2. ad Corinth. 12. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigiis & virtutibus.* Glos. *Patientiam primam commemorat, quæ ad mores Prædicatoris pertinet.* Theophylact. *Primus character Apostoli est patientia, & omnia dextrè ac strenuè ferre.* Et hoc maxime conuenit viris perfectis. Matth. 6. *Diligite inimicos vestros, & benefacite illis, qui oderunt vos.* Falsi vero Prædicatores impatientes sunt. Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos;* Gloss. *Maximè autem per impatientiam cognoscuntur;* quia non solum lædunt quos odiunt, sed etiam diffamant; vnde super illud, Ierem. 23. *A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram*, dicit Gloss. *Non eis sufficit proximos lædere, sed quos semel oderunt, per totum orbem conantur diffamare.* Vnde illi Prædicatores qui vexant homines, vel

alio modo, videntur esse contrariis veris Apostolis, maximè si sint in statu perfectionis. Vnde 1. Corinth. 6. *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis inter vos; quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Gloss. *Perfectis viris licet sua repetere simpliciter, id est, sine causa, sine iudicio; sed non conuenit eis inde mouere causam ante iudicem.*

Item dixit in sermone *Ascensionis Domini* quod signum falsorum Prædicatorum est, quia volunt recipi in aliqua Ciuitate, vel Castro vel societate, contradicentibus illis de communitate vel societate. Resp. dixi quod veri Apostoli nolentibus eos recipere nullam molestiam inferunt vt eos recipiant, ne videantur aliquid quærere terrenorum. Et hoc præcipit Dominus Math. 10. *Quicunque non receperint vos, exeuntes foras excutite puluerem de pedibus vestris.* Gloss. *vt ostendatis appetitum terrenorum non esse in vestris affectibus.* Vel excutite puluerem de pedibus vestris. Gloss. *ad contestationem terreni laboris,* quem pro eis inaniter susceperant: vel vt ab eis nec ad victum aliquid accipiant, nec terrenum aliquid ab eis quærere ostendant, vt & puluerem de terra eorum sibi non patiantur adhærere. Vnde qui faciunt contrarium, veros Apostolos hac in parte non imitantur.

Item dixit in Sermone. *Si quis putat se Religiosum esse:* quod si Christus qui optimè prædicabat tota die prædicans in Ramis Palmarum non potuit habere hospitium in Ierosolyma, sed reuersus est Bethaniam quia non adulabatur, sed dicebat veritatem; sic nec alii Prædicatores nisi adularentur. *Resp.* dixi quod si D. Iesus qui est optimus Prædicator & gratiosus, de quo dicitur Ioan. 7. *Nunquam sic loquutus est homo,* cum tota die 10 Ramis. Palmarum prædicasset in Ierosolyma, eo quod pauper erat & nulli adulatus fuit, in tota ciuitate hospitium non inuenit. Vt dicit Gloss. Math. 21. timendum est ne illi pauperes qui bona & referta hospitia sibi quærunt, si prædicatores esse voluerint, sint adulatores vt libentius recipiantur & melius.

Item dixit in sermone *Pentecostes* quod qui prædicat & petit aliquid vel per se vel per alium, vel etiam si recipiat per se petitum, quamuis non fuerit petitum ad eius suggestionem, gratiam prædicationis vendit, & est Simonia.

Resp. dixi si prædicator non missus post suam prædicationem petat vel peti faciat aliquid ab illis, quibus prædicauit, sperans eos libentius esse daturos propter suam prædicationem, Simoniam videtur committere vendendo gratiam prædicationis ad instar Giezi, qui petiit vestes à Naaman Syro sperans se ab ipso facilius habiturum, eo quod Dominus eius scilicet Elisæus dederat illi Naaman gratiam sanitatis, licet vestes illas petiisset Elisæo nolente 1. q. 1. Cap. *quis studet.*

Item dixit in sermone, *si quis putat se Religiosum esse,* quod sunt in periculo damnationis qui non sunt infirmi, si relicto labore manuum eleemosynas quærunt, etiam si sint Prædicatores: quia non possunt viuere de Euangelio nisi Episcopi & Prælati, qui possunt sumere à subditis, quod non est mendicitas, sed potestas.

Responsum est supra in artic. de Mendicitate, nec hic quidquam est addendum.

Item dixit in Sermone, quod qui non sunt infirmi, peccant mortaliter mendicando, & secundum Ius Ciuile debent grauiter puniri. Responsum est supra in art. de *Mendicitate.* Et sciendum est quod lex ponit Mendicantes validos in hunc modum. *Quod si sint seruilis conditionis,* efficiuntur serui illorum qui produnt eos: si autem sint liberæ conditionis, efficiuntur coloni perpetui eorum qui prudunt eos. Cod. de *Mendicantibus validis.* lege vnica.

Item dixit in eodem quod Regularibus non sunt dandæ Eleemosynæ. *Resp.* dixi quod Mendicantibus validis in casu illicito melius est correctionem dare, quàm illud quod petunt. Lucæ 6. *Qui petit à te, da ei.* Gloss. *quod non petit, sed melius cum iniustè petentem correxeris:* nam secundum Augustin. *Vtilius esurienti panis subtrahitur, si de cibo securus iustitiam negligat: quàm eidem panis frangitur, vt iniustitia seductus acquiescat* 5. q. 5. Cap. Non omnis.

Item dixit in sermone *de Cœna,* quod nemo debet reputari bonus vel humilis, qui portat humiles vestes vel qui ieiunat & dat Eleemosynas & Deum orat tota die in templo, etiam si miracula faciat.

Respondeo dixi quod falsi Prædicatores qui venturi sunt ad seducendum fideles Christi, venient in specie sanctitatis Math. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

Gloſſ. in conſpectu hominum ſimiles ſunt Miniſtris Iuſtitiæ, cum ieiunant, orant, eleemoſynas dant, ſed non ſunt eorum fructus, quia eis pro vitio reputatur. Item Math. 7. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis Ouium, intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces.* Gloſſ. *qui in humilitate ambulant ex falſa religione: ideoque cauete ne vos decipiant blandiciis & ſimulationibus.* Item Coloſſ. 2. *Nemo vos ſeducat in humilitate & Religione Angelorum* Gloſſ. *Qui videntur eſſe Nuncii Dei per ſpeciem & humilitatem Religionis*: & hæc ſunt quibus homines facilè ſeduci poſſunt. Vnde licet oſtendant prædictas ſpecies ſanctitatis, nihilominus tamen poſſunt eſſe Pſeudo, etiam ſi facerent miracula. Vnde Math. 7. *Domine Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo Dæmonia eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui eos.* Gloſ. ſicut cauere monuit à falſis Prophetis, ita ab illis qui dæmonia eiiciunt & virtutes faciunt. Item prophetare, virtutes facere, Dœmones eiicere interdum non eſt meriti illius, qui operatur, ſed inuocatio nominis Chriſti hoc agentis ad damnationem inuocantis, vel ob vtilitatem eorum qui vident, vel audiunt.

Item dixit in ſermone *Qui amat periculum*, quod non eſt reputandus bonus, qui bona prætendit exterius: & cauendum eſt ab illis, quia per tales contingit, quod maior pars Catholicorum pereat; & quod tales perſequentur Eccleſiam, & eorum perſecutio grauior erit quàm Hæreticorum & Tyrannorum. Reſp. dixi, quod illi Pſeudo & Penetrantes Domos qui procurabunt pericula nouiſſimorum temporum, venient ſub habitu Religionis & tantam ſanctitatem prætendent, quod videbuntur electa membra Eccleſiæ. Vnde Apocal. 6. *Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis* veni & vide, *& ecce equus pallidus &c.* Gloſſ. *videns Diabolus nec per apertas tribulationes nec per apertas hæreſes poſſe proficere, præmittit falſos fratres, qui ſub habitu Religionis obtinent naturam rufi equi, & nigri peruertendo fidem: id eſt tantam facient perſecutionem, quantam fecerunt aperti tyranni* quos appellauit Rufum Equum ſupra eodem Capitulo. Item Iob. 30. ſuper illud *ad dextram orientis &c.* dicit Gloſſ. *ad dextram orientis illico calamitates inſurgunt, quia hi ad perſequutionem Eccleſiæ proſiliunt, qui electa membra Redemptoris eſſe credebantur.* Et ideo huiuſmodi homines maximè nocebunt Eccleſiæ Dei. Quia ſicut dicit Gregorius in Paſtorali. *Nemo plus nocet in Eccleſia Dei, quàm qui peruersè agens nomen habet ſanctitatis vel Ordinis.*

Item dixit frequenter, quod ſcit ſe paſſurum multa & grauia pericula, rerum & corporis & etiam mortem pro his quæ prædicat, ſed non curat vt dicit, quia paratus eſt mori pro iſta veritate: & hoc frequenter in ſuis ſermonibus atteſtatus eſt. Reſp. cum Apoſtolus prophetauit pericula nouiſſimorũ temporum 2. ad Tim. 3. *Hoc autem ſcito, quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa &c.* Etiam contra illa tempora periculoſa inſtanter prædicandum præcepit in ſequenti Capite dicens *Teſtificor coram Deo & Chriſto Ieſu. Gloſſ. adiuro te coram Deo &c. prædica verbum, inſta importunè opportunè &c.* Gloſſ. Prophetia eſt ſancti Apoſtoli, qui præſcius futurorum in doctrina præcipit inſtandum eſſe, vt contra hoc quod futurum erat, præparetur Eccleſia: idcirco ſecundum præceptum Apoſtoli cœpi prædicare prædicta pericula: ſed cum quidam veritatem prædicationis ſuſtinere non poſſent, quia ſibi illa veritas aſpera videbatur, ſecundum quod prophetauit Apoſtolus contra, ibidem dicens. *Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ſecundum deſideria ſua coacetuabunt ſibi Magiſtros* Gloſ. *qui hæc illos doceant, quæ libenter audiant, quia veritas illa aſpera videbitur.* Ideo vt nocere mihi magis reformidarent, præcipuè cum multas minas audiuiſſem, aliquando dixi in publico, quod forte propter veritatem de periculis nouiſſimorum temporum quam prædicabam, contingeret me pericula incurſurum: & reuera quod loquebar, accidit.

Item rogauit auditores ſuæ prædicationis, quod ſi aliquando audirent, quod caperetur vel incarceraretur vel decapitaretur occaſione prædictorum, quod ipſi non recederent ab illa veritate quam illis prædicauit. Reſp. dixi quod quidquid mihi pro iſtius veritatis prædicatione accideret, non mouerentur, homines à ſenſu ſuo: ſed ad confirmandum corda ſua in ipſa veritate conſulerent Theologos, & alios peritos ſacræ ſcripturæ, qui hanc veritatem habent in libris ſuis.

Item dixit quod ſuper iſtis petebat Concilium Generale. Reſp. dixi quod ſi

aliquis vellet se opponere, quod minus deberent prædicari pericula nouissimorum temporum, & quod minus essent illa pericula prædicanda quæ dicebam, paratus essem super his subire definitionem Ecclesiastici Iudicii aut Concilii Prouincialis aut Concilii Generalis.

Item dixit quod si contrarium prædicaretur eis per Religiosos, quod non crederent eis, sed remitterent ad disputandum cum Magistris Theologiæ, qui secundùm prædicta sentiebant. Ad hoc responsum est supra prope, nec est quicquam hic addendum.

Item cum D. Turonensis Archiepiscopus ex deliberato Consilio Bonorum & proborum præsente Rege & Episcopo Parisiensi contra huiusmodi falsitates prædicauisset, M. Guillelmus è contra sequenti Dominica congregatâ maximâ multitudine populi cum duobus Magistris Theologiæ fecit ibi portari multos libros, & dixit publicè quod veritatem prædicauerat & adhuc illam prædicare volebat, sed non poterat eam confirmare per Mitras & Crossas & annulos, nec adducere Archiepiscopos & Episcopos, & ideo per scripturam librorum qui præsentes erant volebat illam confirmare, etiam sub sigillis Congregationis prædictorum Prælatorum quæ præcessit: & dixit quod cum Parisius non essent nisi septem Magistri in Theologia, quia Religiosos non computabat, decem illorum extra villam absentibus, tres, scilicet ipse, M. Odo de Duaco & Laurentius & Scholares eorum parati erant hanc veritatem defendere. Et tunc cæpit prædicare contra hoc, quod Archiepiscopus prædicauerat de paupertate: & dixit, quod qui intrat Religionem pauperem, & fortis est corpore ad laborandum manibus, licet sit Prædicator vel quicunque alius, tenetur laborare manibus & ita acquirere victum suum, aliàs peccat mortaliter mendicando. Et si dicatur quod Fratres Minores & Prædicatores habeant Priuilegium mendicandi, non intromittit se de eis, sed audacter dicit, *quod qui petit tale Priuilegium, peccat mortaliter, & qui dat: quia peccatum est contra Apostolum.*

Respondeo, quod cum à quodam bono viro, cuius nomen ignoro, accepissem quandam scedulam Domino Regi Francorum præsentatam, in qua continebantur omnes prædicti errores, qui mihi falsò erant impositi, sequenti Dominica in Ecclesia S. Innocentii de consilio sapientiorum volui me super illis purgare: & cum intellexissem per fide dignos, quod quidam viri Religiosi litterati & promeriti parati erant illic se mihi opponere & impugnare quod dixeram per scripturas, feci libros Theologiæ ad meam defensionem hic deferri, & finito sermone per quendam Magistrum legi articulos dictæ scedulæ sigillatim, & probaui per adstantes Clericos & Laicos, qui omnes sermones meos illius anni ad populum factos audierant, quod ego coram eis non dixeram dictos errores.

Item dixi quod quia non habebam mitram nec annulum, nec authoritatem per quam mihi crederetur, idcirco attuleram libros sacræ scripturæ ad probandum veritatem quam dixeram, vel prædicauetam de periculis nouissimorum temporum: sed per Dei gratiam nullus ibi se opposuit, nec libros oportuit aperiri. Dixit etiam quod Magistri & Scholares Theologicæ Facultatis, qui præsentes erant, parati erant eandem mecum defendere veritatem. De Turonensi Archiepiscopo vel contra ipsum, nunquam protuli verbum vnum.

Item dixit quod illi qui mittuntur ab Episcopo, licet possint audire confessiones, non tamen possunt dare pœnitentiam sacramentalem.

Resp. dixi quod solum habentes curam animarum, vel missi ab eis possunt conferre pœnitentiam sacramentalem.

Item dixit contra illud, cum Episcopus dat curam, totam dat & totam retinet, quod falsum est: quia si totam retinet curam, sic omnes Episcopi retinerent curam: & sic essent in damnationem, cum omnes subditos non possent curare, nec eorum confessiones audire. *Resp.* dixi quod cum Episcopus dat Curam Parochiæ Presbytero, Presbyter habet exercitium Curæ immediate, Episcopus autem mediante Presbytero, tametsi in aliquibus exerceat eam immediatè per seipsum. Ab ipsa autem Cura releuatur Episcopus per Presbyterum, non à toto, sed à tanto; alioquin in maximo periculo essent Episcopi, cum non possint curæ omnium animarum suarum Diœcesium in omnibus semper esse immediatè.

Item dixit in fine Sermonis, quod modò de nouo impetrata est quædam litte-

ta, in quâ continetur, quod *Quidam suis beneficiis priuantur, quorum primus ego sum: alii autem priuantur beneficiis habitis & habendis, nisi recipiant Fratres & excommunicantur.* Nos autem contra sententiam ipsam apposuimus bonam Bartam, quia *Nos posuimus res nostras & Scholarium nostrorum nobis adhærentium in protectione Rom. Ecclesiæ ad Concilium appellando:* nec timemus Excommunicationem D. Papæ, quia non ligat quantum ad Deum. Nos autem peccaremus mortaliter, si dictos Fratres reciperemus: & hoc parati sumus probare: vnde ad recipiendum eos non potest nos cogere Papa, quia non potest facere contra Apostolum.

Respondeo, dixi me audiuisse rumores, quod quædam littera beneficiis priuationis impetrata erat contra me & multos alios: quod tamen postmodum audiuimus esse falsum: quia nondum de impetratione aliquid sciebatur. Dixi etiam quod Magistri Scholares appellauerant ponentes se sub protectione Rom. Ecclesiæ, ne contra eos quicquam iniustè attentaretur: & eandem appellationem de mandato Magistrorum & Scholarium innouari. Quod autem dicitur me dixisse in hoc articulo *Non timemus excommunicationem D. Papæ, falsum est omnino & friuolum:* scio enim quod sententia Pastoris siue iusta siue iniusta fuerit, est timenda 11. q. 3. c. 1.

Item die Lunæ post dictam Dominicam facta Congregatione Magistrorum & Scholarium monuit ipsos viriliter se tenere, & quod non timerent sententiam D. Papæ quantum ad Deum. Dixit etiam quod dicti Fratres nullo modo erant recipiendi ad societatem eorum, quia sunt illi quos præcipit Apostolus euitari, videlicet quia sunt *Pseudo-Prophetæ*, item *Penetrantes domos, & Gyrouagi* seu inquietè ambulantes: tales enim præcipit Apostolus euitari.

Item dixit quod non permitterent aliquem in aliqua Facultate, nisi prius iuraret quod se teneret cum Vniuersitate contra omnes in quocunque statu fuerint.

Respondeo dixi Scholaribus quod ipsi bene defenderent ius suũ secundũ Deum & Iustitiam, quia hoc credebam expedire successoribus eorum futuris: reliqua verò omnia quæ continentur in hoc articulo, non dixi.

Item *fecit sancti Patres* quod cum Magister Ordinis Prædicatorum detulisset quosdam Magistros Theologiæ Parisiensis apud Concilium Episcoporum Rhemensis & Senonensis Prouinciarum celebratum *Parisius*, inter quos erat Parisiensis Episcopus & cum dixisset eos prædicauisse & dixisse errores & falsitates, præcipuè in derogationem Ordinis sui. & Ego ab illis dictis Episcopis cum aliis Magistris vocatus fuissem & interrogatus ab eis vtrum talia dixissem ac prædicassem: cumque constanter ea negassem offerens me per scripturas probaturum, quæcunque prædicaueram, paratus vel corrigere vel reuocare, quæcunque Concilium corrigenda decerneret aut reuocanda; ipsi Episcopi deliberatione habitâ tam Magistro Ordinis supradicto quàm Scholaribus obtulerunt, & parati erant maius celebrare Concilium, in quo decernerentur ea quæ Magister prædicti Ordinis duceret arguenda, docenda vel non docenda, prædicanda vel non prædicanda. Ego autem in nomine meo & aliorum Magistrorum Concilium acceptaui; & vt celebraretur, flexis genibus supplicaui: dictus verò Magister prædicti Ordinis dictum Concilium recusauit, secundum quod probare possum incontinenti per litteras omnium Episcoporum, qui ad prædictum Concilium interfuerunt: quas litteras audiuistis & vidistis.

Dicet autem aliquis, Etsi illa quæ prædicata sunt de periculis Nouissimorum temporum contra Pseudo & Penetrantes Domos, prædicanda essent tempore suo scilicet in Nouissimis temporibus, vel quando propinquius erant illa pericula non tamen sunt modò prædicanda, & ideo temeraria fuit illa Prædicatio iuxta illud Eccles. 20. *Ex ore fatui reprobabitur parabola*, non enim dicit illam in *tempore suo.*

Respondeo cum Apostolus prophetauit dicta pericula 2. Timoth. 3. *Hoc autem scito quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa &c.* statim in principio, sequentis Capituli cum adiuratione præcipit ea extunc instanter prædicari dicens *Testificor coram Deo.* Gloss. *idest, adiuro te teste Deo Patre &c. Prædica verbum, insta, idest instanter prædica opportunè volentibus, importunè nolentibus, in omni patientia*

Et doctrina Gloss. vt patienter sustineas repugnantes & doceas accipientes. Sed quare modò instanter oporteat illa prædicare, subiungit Apostolus dicens. *Erit enim tempus*, &c. Quasi diceret, modò est necesse vt prædices. Erit enim tempus cum multi sanam doctrinam non sustinebunt. Idest non ferent, cum onus sit eis, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi Magistros prurientes auribus. Glos. qui ea doceant quæ volunt. Item Gloss. Prophetia est Apostoli, qui præscius futurorum in doctrina præcipit esse instandum, vt contra hoc quod futurum erat, præparetur Ecclesia. Sic ergo patet quod contra pericula prædicta præparanda est Ecclesia, & modo sunt prædicanda, & semper à tempore Apostoli fuerunt instanter prædicanda.

Item 1. Timoth. 4. vbi loquitur Apostolus de eadem materia dicens, *Spiritus autem manifestè dicit*. Gloss. mihi in corde, quia in nouissimis temporibus, contra quæ modo amplius vigilandum est, discedent Quidam. Gloss. notabiles à fide Gloss. Quæ sibi spiritus S. reuelauerit ad instructionem & cautelam Ecclesiæ, non tacet Apostolus, vt Ecclesia præmonita solicita sit, ne ab huiusmodi hominibus circumueniatur. Sic ergo iterum apparet, quod etiam modo sunt prædicanda dicta pericula, vt præmoneatur Ecclesia ad instructionem & cautelam suam.

Sed iterum dicet Aliquis. Etsi modo sint prædicanda dicta pericula, non tamen Laicis & illiteratis quales non sunt futuri Pseudo-Penetrantes domos: & secundum August. aliter admonendi sunt Clerici, aliter Laici, aliter seculares, aliter Religiosi.

Respondeo quod licet illa peccata quæ suis actoribus nocent spiritualiter coram ipsis actoribus maximè sint prædicanda, tamen alia peccata quæ aliis quàm suis Actoribus nocent spiritualiter, sicut sunt peccata Pseudo & Penetrantium Domos, per quæ spiritualiter alii seducuntur, prædicanda sunt aliis, & maximè Laicis & illiteratis, quia illi facilius seducuntur, secundum quod dicit Apostolus 2. ad Timoth. 3. *Ex his sunt qui penetrant domos & captiuas ducunt mulierculas*. Gloss. idest *Rimantur proprietates vniuscuiusque, & quos idoneos inueniunt, seducunt*. Item & captiuas ducunt mulierculas, hoc est viros seducibiles quasi mulieres sub dolosis & versutis verbis seducunt, vt dicit Glossa. Vnde Apostolus contra deceptiones Pseudo, non ipsis Pseudo, sed illis qui per ipsos seduci poterant, prædicabat dicens Ephes. 5. *Nemo vos seducat inanibus verbis*. Item Coloss. 2. *Nemo vos decipiat in subtilitate sermonum*. Item in eodem. *Nemo vos seducat in humilitate & religione Angelorum*. Gloss. qui videntur esse quasi Nuncii Dei per speciem & humilitatem religionis: & hæc sunt quibus homines facile seduci possunt. Item 2. Thessal 2. *rogamus vos fratres vt non citò moueamini à sensu vestro*. Et infra *Ne quis vos seducat vllo modo*. Item 1. Ioan. 2. Hæc autem scripsi vobis de his qui seducunt vos. Sic ergo patet tam per B. Paulum quàm per B. Ioannem Apostolos, quod simplicibus illiteratis qui facilius seduci possunt, debent maximè prædicta pericula prædicari.

Sed dicet aliquis, quod si prædicta essent prædicanda modo, & etiam coram Laicis vt dictum est, non tamen prædicanda erant à Scholasticis eo tempore quo erat contentio inter Fratres Scholasticos, nec videantur ea dici propter Fratres aut contra Fratres.

Respondeo 1. per interpretationem, quia contentio quam habuerant Fratres contra Scholares super societate Scholastica, quam ab inuitis petebant, antequam hæc prædicarentur: sedata fuerat per amicabilem compositionem factam per Regem Franciæ & Prælatos Regni eiusdem.

2. Dico quod nec contra Ordinem Fratrum, nec contra eorum personas aliquid dicebatur, sed tantum contra opera Pseudo & penetrantium domos: & valde ignominiosum est Fratribus dicere: quod per talia opera intelligerentur ipsi Fratres, cum hoc esse vix vt existimo, posset nisi in eis talia opera, qood absit, modo aliquo apparerent.

Tertiò dico quod ad hoc, quod esset contentio inter Fratres, & Scholares, & ideo ipsa quæ dicebantur de Pseudo, & Penetrantibus domos, possent aliquò modò intelligi contra Fratres, quod absit; non tamen propter dictam contentionem erat veritas dimittenda, exemplo Apostoli, cui contra Pseudo apertissi-

me prædicabat, non obſtante, quod ipſi Pſeudo contra eum contentionem habebant, vt ipſemet profitetur Philipp. 5. dicens *Quidam propter inuidiam & contentionem prædicant*; Gloſſ. *Qui inuident Apoſtolatus mei gloriæ, & eam habere contendunt*. Item in eodem, *Quidam ex contentione prædicant*; Gloſſ. *Ideſt, ex priuato odio, quia aliunde mecum contendunt*. Et infrà; *Exiſtimantes ſe ſuſcitare preſſuram vinculis meis*. Ecce qualiter contendebant Pſeudo contra Apoſtolum; ipſe tamen nihilominùs contra ipſos publicè prædicabat, & publicè ſcribebat. Sic ergo patet, quod tempore præfatæ contentionis potuiſſent prædicta licitè prædicari: quod tamen factum tunc non fuit.

Nec obſtat, ſi dicatur exinde ſcandalum ſuſcitatum: quia Matth. 18. ſuper illud. *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis*, dicit Gloſſ. *Si de veritate ſcandalum eſt, pro ſcandalo veritas relinqui non debet*. Matth. 15. cum Phariſæi, qui inter Iudæos ſanctiores reputabantur, ſcandalizati eſſent propter veritatem, quam Dominus prædicabat: & ob hoc Diſcipuli dixiſſent ad Dominum, *Scis quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt*. non tamen propter hoc Dominus prædicare dimiſit veritatem ſuam: & reſpondens Diſcipulis ſuis dixit, *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum*; & ſecundum Decretalem, *vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquitur*. Extrà, *De regulis iuris*, cap. *Qui ſcandalizauerit*.

De libello autem, qui dicitur reprobatus eſſe à Domino Papa, & cuius editio mihi imponitur, dico, quod cum Prælati Franciæ ſollicitati, vt cauerent Eccleſiæ Gallicanæ ſibi commiſſæ à periculis nouiſſimorum temporum, quæ ſunt ventura per Pſeudo & Penetrantes domos, requiſiuiſſent Magiſtros Pariſienſes, vt authoritates Diuinæ & Canonicæ Scripturæ, de hac materia loquentes, colligerent, & in ſcriptis redderent, quia non poterant vacare inſpectioni librorum: Ego vnà cum aliis Magiſtris & Scholaribus Theologiæ, & Magiſtris Decretorum collegi authoritates prædictas, per multas collectiones, quas Ego & alii prædicti in vnum volumen ſub certis rubricis redegimus; ſed volumen mutatum fuit quinquies ſucceſſiuè, magis & magis corrigendo, quædam addendo, quædam ſubtrahendo, quædam verò determinando, & ſecundum quod perpendere potui inſpiciendo volumen illud, quod vos mihi Domini mei Cardinales reſpiciendum dediſtis, volumen illud, ſecundum quod poſſum recolere, fuit tertiæ compilationis, quæ poſtmodùm mutata fuit bis, & correcta, addendo, ſubtrahendo, declarando. Neſcio tamen, vtrum in iſto volumine, quod mihi diſpiciendum dediſtis, quicquam additum, vel ſuſtractum fuerit, per vitium falſitatis. Vnde ſi Dominus Papa modum & formam illius compilationis reprobauit (nam authoritates diuinas ibi contentas, vt ipſimet confitentur, noluit, nec intendit) ſententiæ ſuæ non reſiſto, ſed obediu credens firmiter, quod ſi quartam vel quintam compilationem earundem authoritatum vidiſſet (cum in eis nihil contineatur, quod offendere debeat animum Chriſtiani) non eas reprobaſſet, ſed potiùs approbaſſet. Hoc autem ſciatur, quod in vnaquaque compilationum dictarum in principio ſupponitur ipſa compilatio correctioni Eccleſiæ, id eſt Domini Papæ, & aliorum Prælatorum, quibus competit authoritas corrigendi; propter quod actores earum, cum nullum errorem ſcienter impoſuerint, & ſi quid ibi erat, quod offendere poſſet, correxerint, nec non illud, quod in illa compilatione, quam Dominus Papa dicitur reprobaſſe, ipſi Domino diſplicuit, defenſare non velint; licet iam illa compilatio reprobata, quàm aliæ ad multorum manus peruenerint, in nullo ſunt arguendi, cum dicat Auguſtinus in lib. *Retract*. in principio, *Neque quiſquam, niſi imprudens, ideo, quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit; ſed ſi dicit, non ea debuiſſe à me dici quæ poſteà mihi etiam diſplicerent, verum dicit, & mecum facit*. Et infra. *Sed qui primas non potuit habere ſapientiæ, ſecundas habeat partes modeſtiæ; vt qui non valuit omnia impœnitenda dicere, ſaltem pœniteat quæ cognouerit dicenda non fuiſſe*. Et infrà, *Scribere autem iſta mihi placuit, vt hæc emittam in manus hominum, à quibus ea quæ iam edidi, reuocare emendanda non poſſum*. Igitur, Patres Sancti, Ego & alii Socii mei, eadem competenter dicere poſſimus de compilationibus ſupradictis, vt qui primas non potuiſſemus habere partes ſapientiæ, nihil impœnitendum dicendo, ſaltem ſecundas haberemus modeſtiæ, quod diſplicuerat, corrigendo, & qui priores compilationes, in quibus aliqua diſplicebant, de manibus hominum reuocare nequiuimus, poſteriores edidimus ad priores, ſicut potuimus.

Reſtat

Restat alterum accusationis caput pertinens ad librum *de Periculis Nouissimorum temporum*, in quo maior fuit difficultas, propter iniurias & scandala quæ Mendicantes passos se fuisse dicebant. Opponebat autem M. Guilelmus nihil à se nec ab Vniuersitate factum, quod fieri non debuisset post publicatum Euangelium æternum, cuius se authores & defensores præstabant. Cum enim ipsi publicè exposuissent finem imminere Euangelij Christi, successurumque anno 1260. Euangelium Spiritus Sancti longè perfectius; quo pacto omnium verè Christianorum conscientias turbabant, non poterant nec debebant Academici sibi temperare, quin istius doctrinæ falsitatem impietatemque arguerent, nec non Prædicatores eiusmodi fugiendos esse demonstrarent. Quod quidem ex pluribus signis quibus sub finem seculorum agnoscentur Pseudo Prædicatores, collegerant. Itaque Guillelmus tam suam quàm Academicorum innocentiam tectè tueri videbatur: vnde cum ista primum exposuit Anagniæ, plurimorum animos ad causam suam conuertit, donec Albertus M. qui à summo Pontifice cum multis aliis vtriusque Ordinis Proceribus euocatus fuerat, solidis rationibus euicit vnius aut paucorum errantium occasione non æquum esse duos Ordines ab Ecclesia approbatos opprimi & abrogari; nec ea scripturæ loca quæ Guillelmus collegerat, posse legitimè nec debere de Mendicantibus intelligi, quorum plurimi miraculis coruscabant & ab origine sui instituti coruscauerant. Huiusce rei meminit Cantipratanus l. 2. de Ap. c. 10. §. 24. cui titulus est. *De lectura Alberti-Magni Romæ facta.*

Et notandum quod antequam præfatus M. Albertus Frater Ord. Prædicatorum Curiam Rom. intrauerat, Quidam dictus M. Guillelmus cum suis Complicibus miro modo Clerum Romanum, nec non & populum in partem suæ peruersitatis inclinauerat & seduxerat multis verbis. Sed post præfatas disputationes cum ad petitionem D. Papæ & omnium Cardinalium ipse M. Albertus Euangelium Ioannis totaliter & Epistolas Canonicas miro & inaudito modo super omnem hominem exponendo legisset, cum tanto fauore omnium negotium FF. Prædicatorum & Minorum terminatum est & conclusum, vt omnes inimici eorum obstupescerent & horrerent, & veritatis fautores summâ pace conquiescerent & gauderent.

Prætereo visiones quas de Alberto refert idem Cantipratanus. dixisse sufficiat omnes scriptores Dominicanos hanc laudem arrogare Alberto, Thomæ verò Aquinati Opusculum 19. contra Impugnantes Religionem, quod ex Alberti rationibus quas in memoriam redegerat, composuisse affirmant. Item & Opusculum 36. quod est contra Retrahentes à Religionis ingressu. In idem quoque argumentum tres libellos edidit Bonauentura, qui leguntur tom. 7. part. 4. Opusculorum. Nempe *Libellum Apologeticum* in eos qui Ordini Fratrum Minorum aduersantur. *De Paupertate Christi contra M. Guillelmum. De Apologia Pauperum contra M. Giraldum de Abbatis-Villa*, Parisiensem quoque Doctorem, quem aiunt Paralysi dissolutum & lepra percussum interisse.

Denique vt verbo absoluam, post longam concertationem Alexander Pontifex, qui teste Auentino l. 7. *Sibilis adulantium seducibilis & prauis suggestionibus inclinatus erat*, ne videretur non satis cautè & circunspectè damnasse libellum de periculis nouissimorum temporum, Guillelmo perpetuum indicit silentium, simulq; damnat *Euangelium æternum*, quod præcipuū fuerat discordiæ seminarium. Verumlicet detestandos execrandosque errores Euangelium contineret, non illos tamen tam solenniter tamque publicè condemnauit, vt libellum M. Guillelmi damnarat, sed clam & quasi furtiuè, ne condemnatio eiusmodi Mendicantium famam opprimeret, si Mathæo Parisiensi credimus, qui eâ de re sic scribit. *Auditis igitur hinc inde querelis* (Dominicanorum scilicet & Academicorum) *præcepit Papa vt nouus ille liber, quem Euangelium æternum nominant, secretò & si posset fieri, sine Fratrum scandalo combureretur: & alia quæ de Ioachim corruptelâ dicuntur emanasse. Vigilanter itaque procurante diligentia M. Hugonis Cardinalis & Episcopi Messanensis, qui de Ordine Prædicatorum extiterat, cautè ac tacitè procuratum est, ita vt tumultus ad horam conquiesceret.* Hinc dolor recruduit Academicorum, quasi non æquo iudicio processum fuisset in vtriusque partis causâ: dicebant enim libellum M. Guillelmi ad summum potuisse damnari scandali, & tamen publicè solenniterq; fuisse damnatum. Euangelium verò æternum, quod plenum erat blasphemia-

rum, horroris & execrationis, tacitè & clanculum fuisse damnatum & combustum. Quod cum præuidisset M. Guillelmus, sæpe in Academia dixerat frustra procuratum iri ab Academicis libri prædicti condemnationem, quod Romæ multos haberet defensores. Quæ quidem verba quasi temere prolata ei inter cætera Accusationis capita, obiecta sunt, vt supra in Obiectis & Responsionibus, Responsionibus & Obiectis retulimus.

Porro in Directorio Inquisitorum Romæ part. 2. qu. 9. de Hæresibus à Romanis Pontificibus damnatis §. 4. de *Erroribus Ioannis de Parma* continentur 27. Errores detestandi, de quorum condemnatione sic habetur. *Alexander* Papa IV. condemnauit Romæ quendam librum *Euangelium æternum* communiter appellatum: cuius author fuit, vt fertur communiter, quidam Frater Ioannes de Parma Italicus Monachus, in quo libro sequentes hæreses & errores sunt reperti.

Primus est, quod doctrina Abbatis Ioachim excellit doctrinam Christi & consequenter nouum & vetus Testamentum.

2. Quod Euangelium Christi non est Euangelium Regni, & ideo non est ædificatorium.

3. Quod nouum Testamentum est euacuandum, sicut vetus est euacuatum.

4. Quod nouum Testamentum non durabit in virtute sua nisi per sex annos proximè tunc futuros, videlicet vsque ad annum Christi Incarnationis 1260.

5. Quod illi qui erunt vltra prædictum tempus, erunt in statu perfectorum.

6. Quod Euangelium Christi aliud Euangelium subdet & ita pro sacerdotio Christi aliud Euangelium succedet.

7. Quod nullus simplex homo est idoneus ad instruendum hominem alium de spiritualibus & æternis, nisi illi qui incedunt pedibus nudis.

8. Quod quantumcunque Deus affligat Iudæos in hoc mundo, illos tamen saluabit, quibus benefaciet manentibus in Iudaïsmo, & quod in fine liberabit eos ab omni impugnatione hominum etiam in Iudaïsmo manentes.

9. Quod Ecclesia nondum peperit nec pariet filios ante finem Regni temporalis, quod finietur per sex annos proximè sequentes: & per hoc datur intelligi ibidem quod Religio Christiana quæ iam multos peperit vocatos ad fidem Christi, non est Ecclesia.

10. Quod Euangelium Christi neminem perducit ad perfectum.

11. Quod adueniente Euangelio Spiritus S. siue clarescente opere Ioachim, quod ibidem dicitur Euangelium æternum, siue Spiritus Sancti, euacuabitur Euangelium Christi.

12. Quod spiritualis intelligentia noui Testamenti non est commissa Papæ Rom. sed tantùm litteralis. Et per hoc datur intelligi quod Ecclesia Rom. non potest iudicare de spirituali intelligentia noui Testamenti: & si iudicat temerarium est eius iudicium, & ei non acquiescendum, quia Ecclesia Rom. vt dicunt, animalis est, non spiritualis.

13. Quod recessus Ecclesiæ Græcorum à Rom. Ecclesia fuit bonus. Et per hoc datur intelligi quod viri spirituales non tenentur obedire Rom. Ecclesiæ, nec acquiescere eius iudicio.

14. Quod tertius Ordo Clericorum, qui secundum prædictum librum est Ordo Religiosorum, non tenetur se exponere morti pro defensione fidei, aut conseruatione cultus Christi, sed secus de aliis hominibus.

15. Quod populus Græcus magis ambulat secundum spiritum quàm populus Latinus. Et per hoc datur intelligi quod populus Græcus magis est in statu saluandorum, & magis est adhærendum ei quàm populo Rom. Ecclesiæ.

16 Quod sicut Filius operatur salutem populi Rom. siue Latini qui Filium repræsentat, sic Pater operatur salutem Populi Græci, qui Spiritum repræsentat. Et per hoc datur intelligi quod Pater saluum faciet populum Græcum & Iudaicum qui Spiritum repræsentat.

17. Quod sicut veniente Ioanne Baptista ea quę præcesserant, refutata sunt necessariò propter noua superuenientia; ita adueniente tempore Spiritus Sancti siue tertio statu mundi ea quæ præcesserunt, refutabuntur necessariò propter noua quæ superuenient. Ex quo datur intelligi ibidem quod nouum Testamentum refutabitur & vetus proiicietur.

18. Quod Spiritus S. aliquid recipit ab Eccleſia, ſicut Chriſtus in quantum homo accepit à Spiritu ſancto.

19. Quod Chriſtus & Apoſtoli eius non fuerunt perfecti in vita contemplatiua.

20. Quod actiua vita vſque ad tempus Abbatis Ioachim fructuoſa fuit, ſed nunc fructuoſa non eſt.

Contemplatiua verò vita ab ipſo Ioachim fructificare cœpit, & amodo in ſucceſſoribus ſuis perfectius manebit: & per hoc datur intelligi quod Ordo Clericorum ad quem pertinet vita actiua, amodo non fructificabit in ædificationem Eccleſiæ & conſeruationem, nec omnino in regimine, ſed Ordo Monachorum in his fructificabit.

21. Quod aliquis de Ordine Religioſorum futurus eſt, qui præferetur omnibus dignitate & gloria, in quo implebitur Prophetia & promiſſio Pſalmiſtæ dicentis; Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

22. Quod ille Ordo, in quo complebitur prædicta promiſſio Pſalmiſtæ, nunc conualeſcet quando Ordo Clericorum definet perire.

23. Quod ille Ordo paruulorum eſt, in quo complebitur promiſſio Pſalmiſtæ.

24. Quod ſicut in primo ſtatu mundi fuit commiſſum Regnum ſeu regimen totius Eccleſiæ à Patre aliquibus de Ordine coniugatorum, in quo authorizatus fuit ille Ordo, ſic etiam in 3. ſtatu mundi committetur alicui vel aliquibus de Ordine Monachorum à Spiritu S. in quo vel quibus ab ipſo gloriabitur ille Ordo.

25. Quod illi qui præſunt Collegiis Monachorum in diebus iſtis cogitare debent de receſſu à ſecularibus, & parare ſe reuertendum ad antiquum populum Iudæorum.

26. Quod Prædicatores qui erunt in vltimo ſtatu Mundi erunt maioris dignitatis & authoritatis, quàm Prædicatores primitiuæ Eccleſiæ.

27. Quod Prædicatores & Doctores Religioſi viri quando infeſtabuntur à Clericis, tranſibunt ad Infideles: & timendum eſt ne ad hoc tranſeant, vt cogant eos in prælium contra Romanam Eccleſiam. Ioan. Apocalyp. 15.

Hos itaque Errores Papa condemnauit, & æternis tenebris ſepeliri iuſſit. Verum licet aliquo modo ſatisfactum eſſet Academicis, qui horumce errorum condemnationem procurauerant, hærebat tamen animis eorum dolor vehemens non tantum quia damnatus fuerat liber Guillelmi, ſed quia infenſiſſimos hoſtes ſuos in conſortium admittere iubebantur: quod ne facerent, ſtatuerunt aliò transferre ſtudium, vbi quietius poſſent litteris vacare, idque antea comminati fuerant etiam apud Pontificem, ſe ſcilicet ſi cogerentur inire cum Mendicantibus ſocietatem, à Pariſienſi Ciuitate receſſuros, atque aliò Muſas ſuas tranſlaturos. De quo eorum propoſito certior factus Alexander Pontifex, exiſtimauit ſibi placandos eſſe eorum animos, & ne de transferendo ſtudio cogitarent, ſpeciali Bullâ vehementer rogat, & rogando vetat, Academiamque Pariſienſem mirificis laudibus extollit. Bulla data eſt Anagniæ eodem anno die 15. Nou. Eſtque eiuſmodi.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis Filiis Magiſtris & Scholaribus Pariſienſibus Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Pariſius peritiæ ſummæ ſinus de ſuæ ſcientiæ ſummâ plenitudine replens Orbem: & tanquam fulgidus Sol Doctrinæ per totum Orbem claræ intelligentiæ lumen fundens depellit ignorantiæ tenebras, ruditatis abſtergit caliginem, aufert imperitiæ nubilum, promit illuminationis auroram, cognitionis pandit ſerenum & lucidum ſcientiæ monſtrat diem, rigat documentorum ſuorum fluentis Paradiſi omnem terram, & bonorum influentiâ dogmatum inſtruit & imbuit Vniuerſum, copioſis & dulcibus ſapientiæ fructibus reficiens Eccleſiam, mundum paſcens. Quia de Pariſius velut de Parentis ſinu Partus ſcientiarum plurimi prodeunt, de ipſâ rectæ ac perfectæ diſciplinæ ſoboles gignuntur. Hinc procedit inclyta Doctorum proſapia, hinc alia progenies prouenit peritorum, quibus Chriſtianus illuſtratur populus & fides Catholica roboratur. *Hunc pro-*

fectò amœnitatis & commoditatis locum vniuersa Artes de totius Orbis ambitu sibi habitaculum communiter elegerunt, & consideratis cæteris mundi mansionibus quasi deliberatione concordi suam fixerunt ibi immobilem stationem. Hæc est egregia litterarum Ciuitas, Artium vrbs famosa, eruditionis Schola præcipua, summa sapientiæ Officina & potissimum Gymnasium studiorum. *Hic conuersantur & degunt scientiæ*: hic firmâ & lætâ societate conuiuunt: hic suas habent & possident Cathedras: hic sua profunda & arcana veritatis Magisterii insinuatione reuelant, & cuiusque ipsarum propria virtus suo ibi proprio innotescit affectu. Inter quas Sacra & Venerabilis Theologia locum obtinet altiorem. Præest enim reliquis sicut superior, & tanquam inferiores cæteræ sibi subsunt. Imperat aliis vt Domina, & illæ sibi vt famulæ obsequuntur: gubernat alias vt Prælata, & ipsæ tanquam sibi subditæ reuerenter intendunt. Ad hanc singulæ in viis leuant & habent intuitum, vt iuxta permissum eius se metientes inoffensè incedant, & gressum ad aliquod inconueniens non impingant. De Parisius itaque fons limpidus scientiarum emanat, de quo potant cunctarum populi Nationum. Ibi erumpit altius puteus Scripturarum, de quo profundæ intelligentiæ pocula mundus haurit. Cum igitur Ciuitas ipsa Parisius tanquam fructifera in campo fidei vbertate præpollens, tanquam spiritualium prouentuum copiam Ecclesiæ afferat Generali: cum honorabilis Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Ciuitatis eiusdem quasi vitæ vitis in vinea Ecclesiæ vini liquore affluens vitalis potûs abundantiam Catholicæ plebi propinet; cõuenit quidem vt ad ipsius Vniuersitatis conseruationẽ, vt firmâ semper stabilitate vigeat, & pleno vigore assiduè conualescat, totius diligentiæ studium impendamus, quatenus Academia Parisiensis Apostolicâ solicitudine, continuo sibi procurato munimine contra noxia quælibet & aduersa solida permaneat & secura, vt sua non quatiatur firmitas, integritas non frangatur aut corrumpatur sinceritas, nec vnitas diuidatur. Sanè ad id in Ciuitate ipsa Generalis studii fundamenta Diuino nutu olim locata & stabilita esse noscuntur: quod ex omnibus gentibus illuc pro acquirendis magnis scientiæ opibus confluat continuè multitudo, vt virtute ibi ac eruditione proficiens, ex suo exercitio thesaurum pretiosum, in cuius vtique conseruatione furum nullatenus timentur insidiæ, sed vnusquisque ex labore sapientiæ fructum reportet: qui summè profectò reficit, nec vnquam afficit fastidio comedentem: imò quantò plus editur, tantò ad sui esum accendit edentis fortius appetitum: nec vsu quidem consumitur, sed seruatur potius & augetur. Ob hoc enim longa tempora si vigiliis & laboribus in eadem Ciuitate decurritis, bona ibi propria hauriendo, citò Parentes & propinqui vestri sedula ibidem vobis subsidia de suis facultatibus subministrant subtrahentes interdũ sibi, vt plenius vestris possint necessitatibus subuenire: quod inibi tanquam in delectabili Odoramentorum Paradiso cum auiditate legentes reficiantur suauibus & electis epulis litterarum, proficientes quotidie bonitatis augmento & crescentes in viros morum honestate compositos & scientiarum cognitione perfectos, vt tandem labor vester & studium ad laudem Dei vestrumque honorem & commodum & propinquorum gaudium elucescat.

Sed sunt Quidam, qui vos in his friuolis occasionibus adinuentis impedire conantur, vestrumque laudabilem in studii exercitatione progressum immissione dissidii & concitatione turbare, sicut his diebus aliqui spiritus malignitatis impulsu fecerant adducentes in vos commotionis turbinem & inferentes discordiæ tempestatem, crebras faciendo conuocationes, praua Conuenticula ordinando, & vos ad hæc iniquis & callidis suggestionibus pertrahendo. Ita quod cum debebatis in quiete & silentio imminere libris & lectioni vacare, oportebat vos propter ista intermisso studio clamoribus & strepitibus interesse, ac pro vanis & minimè congruis tractatibus inutiliter euagari. Si ergo viros tempestuantes corripimus, si Ecclesiastica districtione talium temeritatem arcemus, si horum maliloqua molimina Apostolica potestate conterimus, impias colligationes & reproba Consilia dissipamus, ordiras malitiæ suæ machinas confringentes, ne liberè feriant & præconceptas inferant læsiones, de hoc vehementer gaudere debetis, & tanquam de Magni Beneficii dono communiter exultare, quia resistendo taliter his peruersis, etsi bonum generale agimus, vestrum tamen profectum specialiter procuramus.

Porro cum Dilecti filii Fratres Prędicatores & Minores Pariſius Sacræ ſcripturæ ſtudio ſedulè inhærendo ſibi & aliis multum proficiant, inſignia lucis opera de ſua inſtanti vigilantia & inſtantia vigili proferentes, propter quod ipſum Pariſienſe Studium Genetale augmentum recipit, & eximium veſtra Vniuerſitas ornamentum, Nos turbamur quamplurimùm, & vobis etiam debet non modicuem diſplicere, cum aliqui ſui æmuli ſtatum ipſorum humilem & quietum ſubuertere moliuntur, & aduerſum eorum innocentiam commouerę, quorum profectò multi fuerunt ex vobis, & de veſtro conſortio ad Regulare Collegium tranſierunt, quorumque neceſſitatibus de veſtræ Charitatis eleemoſynis & ſubſidiis potiſſimè ſubuenitur: & qui pro vobis Diuinam Clementiam deuotâ & aſſiduâ ſupplicatione depoſcunt. Vnde quia intelleximus quod aliqui cõtra eoſdem Fratres, quantũ ad prædicationem, confeſſionem, audientiã, mendicitatem ipſorũ & quoad alia in ſcholis, prædicationibus, & alibi linguas relaxare maliloquas præſumpſerunt, non ipſos forte propriis exprimendo vocabulis, ſed apertè quibuſdam certis circumlocutionibus innuendo. Nos attendentes quod prædicti Fratres Sacris ſcripturis & verbi Dei ſtudio ac animarum profectibus necnon Diuinis Officiis & orationibus inſtanter & inceſſanter intendunt, nec torpent otio, ſed opere optimo ſeipſos exercitant, cum ſapientia opus exiſtat maximum, nec ſint plures qui operantur exterius, quàm qui cognoſcendæ Diuinitatis ſtudium exercent. Nam & Dominus miniſtrante & operante Martha Mariæ audientiam, attentionem & ſtudium circa verbum ipſius præcipuę commendauit.

Per quod liquidò patet quod iidem Fratres ad operandum manibus non tenentur: quin imo ſi his intermiſſis laborarent manibus, potiora vtique ac vtiliora in minora minuſque vtilia opera non ſine animarum diſpendio commutarent. Conſiderantes etiam quod reliquerunt omnia propter Deum, exilia vitæ ſubſidia ſalubriter mendicantes, Chriſtum pauperem imitantur perfectionem Euangelicam amplexando: ex quo euidenter apparet, quod in ſtatu ſaluandorum ſunt & per ſuæ Religionis obſeruantiam æterna præmia promerentur. Penſantes inſuper quod de licentia aut conceſſione Rom. Pontificis ſeu Legatorum eius vel Ordinariorum locorum licitè poſſunt prædicare populis, &c. contra omnes qui aduerſus prædictos Fratres ſtultè & improuidè ſunt locuti, efficaciter procedi mandamus graueſq; ipſis pœnas infligi niſi per ſaſisfacientem ſatisfactionem ſibi duxerint celeriter conſulendum: libellumque de periculis Nouiſſimorum temporum poſt plenariam examinationem ipſius tanquam iniquum, ſcelcſtum & execrabilem de fratrum noſtrorum conſilio authoritate Apoſtolica reprobandum duximus & in perpetuum condemnandum. Ideoque Vniuerſitatem veſtram quam affectione paternâ proſequimur, requirimus & hortamur per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ſicut viri prudentes cogitantes diſcretè, quod dignè ac iuſtè proceſſimus in præmiſſis, & quod veſtram in hoc vtilitatem operati ſumus deprimendo Vniuerſitatis eiuſdem tam noxios Turbatores, ac exinde pariter congaudentes virtutum & ſcientiæ ſtudio, pariter intendatis, veſtros ad hoc affectus conuertentes totaliter ac firmantes, à detractionibus, oblocutionibus & doloſis perſuaſionibus aures & animos auertendo & euitando, ac repellendo longius ſeditioſos & pernicioſos viros, quibus amœnum & delicioſum eſſe videtur adinuenire diſſenſiones & diſcordias procurare; ac ſupradictos Fratres tanquam acceptos Chriſti Miniſtros & Interceſſores ad Deum pro populo efficaces, habentes attentius commendatos, nullis eos vexetis aut inquietetis moleſtiis; ſed pro Diuina & noſtra reuerentia ſuæque ſacræ Religionis intuitu, fraternâ ipſos proſequamini Charitate, ac eos beneuolentiæ veſtræ ſuffragiis foueatis. Ad hæc quia ſtudium in Ciuitate prædicta proſperis ſemper excreuit augmentis & optimos produxit effectus; vnde nullatenus expediret ipſum exinde remoueri, ſed valde damnoſum exiſteret ſi forſan alibi transferretur: de veſtra ipſius tranſlatione ſtudii ad locum alium nihil his penſatis ſtatuatis penitus nec firmetis. Nos enim parati ſumus in omnibus quæ ipſius Vniuerſitatis honorem & bonum reſpiciunt, vobis Apoſtolicæ gratiæ ianuam liberaliter aperire. Datum Anagniæ 17. Kal. Decemb. Pontific. noſtri an. 2.

Paulo poſt idem Pontifex ſuſpicatus nunquam adductum iri tot Bullis Academicos ad recipiendos Mendicantes, futuroſque ſemper plurimos qui huic

ſocietati repugnarent non formidatis etiam fulminibus Romanis, vt eorum pertinaciam frangeret, ſcripſit ad Cancellarium Pariſienſem, vetuitque ne vlli Candidato in vlla Facultate licentiam impertiretur, qui non polliceretur ſe pro poſſe Dominicanos in Academiam reſtituturum, & ſedis Apoſtolicæ conſtitutionem omniaque in ea contenta mandata firmiter & inuiolabiliter ſeruaturum. Data eſt hæc Bulla Laterani 17. id. Ian. anno iuxta computationem Rom. 1257. iuxta verò Gallicanam 1256.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio M. H. Cancellario Pariſienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet nos olim pro Studii Pariſienſis conſeruatione Quædam circa ſtudium ipſum de Fratrum Noſtrorum conſilio duxerimus ordinanda, prout in litteris exinde confectis, quæ quidem: Quaſi lignum vitæ, *incipiunt, plenius continentur, nonnulli tamen Magiſtri & Scholares Pariſienſes Ordinationem ipſam, vt audinimus obſeruare non curant, imo in ipſius ſtudii perturbatione contra ipſam multipliciter moliuntur. Volentes igitur vt præfata noſtra Ordinatio ab omnibus reuerenter & ſimpliciter obſeruetur, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta firmiter præcipiendo mãdamus, Quatinus regendi Pariſius in aliquâ Facultate nemini licentiam tribuas, niſi prius bona fide promiſerit prædictam Ordinationem noſtram & quæ continentur in ea ſe firmiter & inuiolabiliter ſeruaturum, non obſtantibus aliquibus litteris vel Indulgentiis à ſede Apoſtolica impetratis: de quibus plenam & expreſſam oporteat in præſentibus fieri mentionem, ſeu per quas mandati noſtri executio in hac parte valeat impediri. Datum Laterani 7. id. Ian. Pontific. noſtri anno* 3. ſcilicet an. 1257. ſecundum computationem Romanam.

Eodem anno Menſe Martio idem Pontifex ſedens Laterani Bullam aliam dat ad omnes Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos, eademque omnino mandat, quæ antea expreſſè mandauerat Vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipreſbyteris & aliis Eccleſiarum Prælatis cuiuſcunque Ordinis vel profeſſionis per Franciam, Burgundiam, Picardiam, Britanniam & Normanniam conſtitutis in Bulla quæ incipit *Non ſine multo Cordis amaritudine*. Data Anagniæ 12. Kal. Nouembris, quam ſupra retulimus. Sic ergo ille.

» Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Venerabilibus Fratribus Vniuerſis
» Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis ad quos litteræ iſtæ peruenerint ſalutem
» & Apoſtolicam benedictionem. *Non ſine multa cordis amaritudine animique turba-*
» *tione audiuimus. &c.* vſque ad illa verba, *æterna præmia promereri.* » Tum ſub-
» iungit. *Volumus & per Apoſtolica ſcripta* vobis diſtrictè præcipiendo mandamus,
» quatenus ſinguli veſtrum in Ciuitatibus & Diœceſibus ſuis ad requiſitionem Fra-
» trum Prædicatorum & Minorum earundem Ciuitatum & Diœceſeon per ſe vel
» per alios inquirentes de plano & ſine ſtrepitu Iudicii ſuper aſſertione & præſum-
» ptione huiuſmodi diligentius veritatem, omnes Magiſtros & Doctores & alios
» qui ſiue in Scholis, ſiue in Prædicationibus, ſeu alibi præmiſſa, nempe quod
» Fratres Prædicatores & Minores in ſtatu & via ſaluandorum non erant: quod nec
» meritoria nec ſalutifera exiſtebat eorum mendicitas & paupertas, cum deberent
» valetudine corporali & aliis iuſtis impedimentis ceſſantibus propriis manibus
» operari, ſub ſpe alieni ſubſidii non torpendo, nec pro ſuſtentatione vel neceſſa-
» riis extranea mendicando ſuffragia, ſeu ab aliis vitæ adminicula exſpectando;
» quodque de licentia vel commiſſione Rom. Pontificis ſeu Diœceſanorum Epiſ-
» coporum Prædicationis exercere Officium & Cõfeſſiones audire libere non vale-
» bant, tanquã per hoc ſacerdotibus Parochialibus præiudicium inferretur, &c. vel
» aliquod ipſorum dicere attentarunt, vel in poſterum attentabunt, ex parte no-
» ſtrá monere ſtudeant, vt infra certum terminum ab ipſis præfigendum eiſdem
» dictum ſuum in iis publicè reuocent, male ſe dixiſſe fatentes, illaque deteſten-
» tur penitus & retractent, aſſerendo conſtanter contrarium, & illud etiam fide-
» liter prædicando: Quod ſi forte ipſi monitis eorundem in hac parte acquieſcere
» non curauerint, ex tunc contra eos ſuſpenſionis, excommunicationis & perpe-
» tuæ priuationis beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum ſententias ſublato cuiuſ-
» libet appellationis impedimento procedant. Laicos de hoc culpabiles vel fautores
» huiuſmodi Præſumptorum animaduerſione percellentes, ſecularis Brachii ad hoc
» ſi neceſſe fuerit, auxilio inuocato. Ne autem aliquis ex ignorantia velamen ex-
» cuſationis aſſumat, vobis vniuerſis & ſingulis diſtrictè præcipimus, vt ad requi-

sitionem Fratrum eorundem Ordinum in Ciuitatibus & Diœcesibus vestris manentium præsentes litteras, & earum tenorem in Ecclesiis & Synodis vestris publicetis & faciatis solenniter publicari, non obstantibus aliquibus litteris vel indulgentiis alicui vel aliquibus personis ab Apostolica sede concessis: quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra suas Ciuitates & Diœceses seu loca in causam trahi non possint. Vos autem memoratos Fratres omni beneuolentiâ & gratiâ prosequentes, eos tanquam probatos & acceptos Christi ministros habeatis pro Diuina & nostra reuerentia propensius commendatos, ipsos ab iniuriis & molestiis optimis præsidiis defendentes, ita quod ex hoc vobis & vestris Ecclesiis fortius obligemur. Datum Laterani 3. Kal. April. Pontif. nostri an. 3.

Hisce quoque temporibus inter Vniuersitatem Oxoniensem & M. Henricum de Lexintona Episcopum Lincolniensem intercessit quædam discordia, quæ studium etiam illud dissipasset, nisi rex Henricus III imminenti malo prudenter occurrisset. Volebat enim Episcopus statuta quadam antiqua & priuilegia Magistris concessa conuellere: tumque Mathæus Parisiensis seu quis alius S. Albani Monachus, Regi in eodem Monasterio moranti suggessit, quanti momenti esset pacem inter Episcopum & Magistros conciliare, præsertim eo tempore quo Academia Parisiensis prima & firmissima Ecclesiæ columna à Mendicantibus concutiebatur. qua de re sic Mathæus Paris. seu eius Continuator, ad an. 1257. *Eodem tempore*, inquit, *videlicet* 7. id. Martij venerunt ad S. Albanum Quidam Magistri Oxoniæ circiter nouem Artistæ, qui querulâ voce coram Rege in capella S. Oswini reposuerunt querimoniam de Episcopo Lincolniensi, qui contra statuta Vniuersitatis antiqua & approbata nitebatur libertates scholarium eneruare. Et statutus est dies responsionis ad instans magnum Parliamentum, vt auditis partium rationibus pacificarentur. Eodemque die secretus dixit Frater, qui & hoc scripsit D. Regi, *Domine pro Domino curam habe de Ecclesia iam vacillante:* Vniuersitas enim Parisiensis tot altrix & Magistra sanctorum Prælatorum non mediocriter perturbatur. *Si similiter vno tempore perturbetur Oxoniensis Vniuersitas, cum sit Schola secunda Ecclesiæ, imò Ecclesiæ fundamentum, timendum est vehementer, ne Ecclesia tota ruinam patiatur.* Et Rex. *Absit, quod hoc contingat maximè meo tempore.* Hinc intelligimus quàm ægrè ferrent etiam Extranei Vniuersitatem Parisiensem turbari, quam primam Ecclesiæ columnam sæpe authores vocitant.

Paulo post eadem Vniuersitas Oxoniensis statutum quoddam condidit & edidit contra Magistros qui legibus Academiæ parere detrectabant, eosque à lectionibus suspensos esse voluit: quod cum crederet Episcopus Lincolnensis fieri contra authoritatem suam & Ecclesiæ suæ iura, nimirum quod spectat ad suspensionem & interdictum quæ sui iuris esse volebat, Oxonienses eiusdem Regis æquitatem appellarunt. Hæc historia legitur in Annalibus Burthoniensibus, his verbis. *Memorandum quod anno Dom. 1257.4. Nonem. in Ecclesia B. Mariæ Oxoniensis.* pro bono pacis ordinatum fuit per Cancellarium & Vniuersitatem Magistrorum Oxoniensium in hanc formam, quod quicumque Magister Regens transgressor Statutorum Vniuersitaris inueniretur, à suis lectionibus per 3. dies amodo sit suspensus iure & authoritate statuti, in quo prius continebatur, *Suspendatur.* Et si venerit congregatione adhuc extante tam in inceptionibus Magistrorum, quàm funerationibus Magistrorum & scholarium defunctorum denuncient *Procuratores* ita. *Nos Procuratores* denunciamus te Magistrum suspensum authoritate statuti, nisi in fide qua teneris Vniuersitati, dicas te credere habere rationabilem excusationem: & si non venerit in ipsa Congregatione, tunc idem fiet in proximâ sequenti, denunciato ei prius specialiter quod intersit: & si in proxima non fuerit congregatione ad ipsum faciendum, faciant Procuratores fieri congregationem, quæ vltra triduum non differatur. Protestatus est ibi tum Dauid Archidiaconus Derby Canonicus Lincoln. coram prædictis Cancellario & Vniuersitate pro Iurisdictione, authoritate & officio Domini sui Episcopi Lincoln. suorumque successorum & dignitate & consuetudinibus Ecclesiæ Lincoln. ne quoad hæc iis per dictam ordinationem aut alia Statuta Vniuersitatis in aliquo præiudicetur, Cancellario & Magistris prædictis protestantibus quod in his per sua statuta vel Ordinationem in nullo volunt nec intendunt præiudicare dicto Episcopo aut suis successoribus seu Ecclesiæ Lincolniensi. In cuius rei testimonium, &c. Hæc annales Burthonienses.

Memorabile quoque est quod hoc anno à Monachis San-Albanensibus institutum est in memoriam Regis Offæ sui fundatoris, vt scilicet completâ qualibet Horâ Canonicâ in Choro, & in Gratiis post prandium clarâ voce diceretur, *Anima Regis Offæ requiescat in pace*: quam historiolam refert Mathæus, & nos eo libentius referemus, quod & Carolo M. fundatori nostro amicissimus fuerit, & erga immortales litteras animo propensissimus, Scholamque Nationis Anglicanæ Romæ fundauit. Sic ergo Mathæus. *Anno quoque* sub eodem apud S. Albanum in Capitulo statutum est die Decollationis eiusdem B. Albani Anglorum Protomartyris, quando videlicet consueuerunt omnes eiusdem Cœnobij Cellarum Priores ibidem conuenire, in præsentia Abbatis & Conuentus omniumque Priorum supradictorum vnanimi consensu, vt completa qualibet hora Canonica in Choro & post Gratias prandij, & similiter in Infirmaria & Camera Abbatis, perfinitis scilicet precibus & Psalmis familiaribus dicatur in propatulo, & in eadem voce. *Anima Regis Offæ requiescat in pace.* Quod in perpetuum continuè inuiolabiliter obseruetur. Hoc autem nunquam antea factum fuisse memoratur, quod nulla ratione poterat excusari. Sed ne talis ac tantæ ingratitudinis Conuentus posset amplius redargui, licet serò nunc salubriter est decretum. Erat enim ille Rex magnificus, videlicet *Rex Merciorum* memorati Cœnobii fundator munificus & Religionis restaurator piissimus. Ipse nempe Rex Offa licet humillimus & religiosissimus, bellipotentissimus fuit, & in armis strenuissimus. *Et sicut Carolus M. in Francia qui erat Regi Offæ contemporaneus & amicissimus, omnes sibi Rebelles edomuit, sic Offa magnanimus omnes Regulos qui in Anglia quondam debacchabantur, vicit & ab Anglica irreuocabiliter aufugauit*, &c. *Iste insuper Rex Offa* in quantum potuit aliquis Rex, Cœnobium S. Albani, quod & ipse magnificè fundauit, liberum esse constituit in temporalibus. *Et vt ipsum liberum faceret in spiritualibus, Romam in proprio corpore adiit, vbi scholam Anglorum instituit & multa fecit obiter beneficia.* Meritò igitur beneficium hoc spirituale memoriæ eius immortali adhibetur, vt in perpetuum deinceps quotidie in fine cuiuslibet Horæ Canonicæ & post Gratias prandii anima eiusdem Regis in Conuentu & alibi, vt prædictum est absoluatur.

Ad hunc quoque annum refert idem Mathæus quamobrem M. Stephanus de Lexintona Abbas Clare-Vallensis, qui Collegii Bernardini prope S. Nicolaum de Cardineto constructor fuerat, Abbatiam eiurare coactus fuerit. *Eodem anno*, inquit, *cum Abbas Clare-Vallensis Stephanus constructor nobilis Domus quæ Chardenay* dicitur apud Parisienses, prædecessoris sui B. Bernardi pedetentim vestigia sequeretur, & in vltimo Capitulo Generali Cisterciensi deponeretur, ipse patienter adinstar Ioseph Fratrum suorum morsus sustinuit & inuidiam. Consueuit enim liuor eminentes impetere. Impositum quippe fuit ei quod contra Cisterciensium statuta impetrauerat à D. Papa priuilegium, vt à statu dignitatis suæ nunquam priuaretur, sed Abbas perpetuò Clare-Vallensis permaneret. Quod tamen falsum fuisse postea liquidò probatur. Quia cum Papa de veritate certificaretur, & iussisset ipsum restitui, punitis grauiter accusatoribus, Rex Francorum respondit tanquam Ordinis Cisterciensis zelator & protector, *Graue scandalum generaretur Ordini, si quem in Capitulo suo Generali deposuerunt Graues personæ, factum eorum cassaretur.* Scripsit igitur sic D. Papæ: & quod petiuit, impetrauit. Stephanus autem, ne læderetur Ordinis sui authoritas, restitui recusauit, asserens se magis esse deoneratum: & sibi ipsi modò vacare magis & prodesse, quàm cum præesse consueuit. Et sic de magno maior meritò effectus est.

De eodem sic habet ad an. 1257. *Labentibus dierum illorum curriculis Stephanus cognomento de Lexintona Abbas Clare-Vallensis*, eo quod contra Statuta Ordinis Cisterciensis priuilegium impetrauerat perpetuò abbatizandi, ignominiosè depositus est: sed hoc, vt dicitur, malitiosè & per inuidiam machinatum est in ipsum, Eo quod Scholam Parisiensem quæ Chardenay dicitur, initiauit & initiatam sustentauerat, & præpollens omnibus virtutum & scientiæ eminentiâ Anglicus extitit natione. Quod cum audisset D. Papa & voluisset ipsum absolutum in pristinum statum restituere, aduersarii eiusdem Stephani effusâ non minimâ pecuniâ in Curia Rom. machinati sunt, vt sententia staret, quam firmauerat de ipsius depositione.

Anno

Anno 1257. tam secundum computationem Gallicanam quam secundùm Romanam; (Galli enim à feriis Paschalibus annum incipiebant) Alexander Pontifex nunquam satis cautum esse ratus securitati Mendicantium, nec satis pacem sustulisse inter eos & Academicos initam, nimirum compositionem illam per Illustrissimos Ecclesiæ Gallicanæ Antistites factam, quâ præsertim cauebatur, vt *Fratres omnibus Bullis à se contra Academiam impetratis aut in posterum impetrandis abrenunciarent*, abrogasse tàm multis Bullis quas in eam rem ediderat, ne deinceps illam Academici veluti clypeum septemplicem aut murum æneum obiicerent ad sui defensionem, ecce solenniori Bulla ad perpetuam rei memoriam, omnes Academicorum nostrorum Exceptiones tanquam elusorias, ineptas & friuolas declarat, & prædictam Compositionem iam triplici Bullâ reuocatam, iterum ac denuo reuocat.

ALEXANDER PAPA IV. AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Circa frequens quotidiana solicitudinis Ministerium occupati supra vires nostras assiduis ingruentium vndique disceptationum incursibus fatigamur, qua Nos inevitabili necessitate constringunt, emergentibus litigiorum morbis varia remedia prouidere. Sed interdum pacem credimus dedisse negotiis, & eadem maiori strepitu recidiuant: dumque Offensionis lapides quibus viæ vitæ huius inhorret asperitas, vt rationalium affectuum pietas vberius procurrat in Deum, salutaribus studiis remouemus, hominis inimici malignitas petras aliquando scandali superiecit grauioris. Sic vtique fit, quod operosior cura plerumque Nobis imminet circa plurima quæ salubri satagimus curasse medela & propensior nos labor repetit post labores, quibus aliam aliis studuimus reparare requiem. *Dudum* sanè cum super quibusdam articulis *Statum Parisiensis Study contingentibus controuersia emersisset, Nos* qui eiusdem *Study* emolumenta zelamur, ne *Viri Scholastici* summotis altercationibus, quæ profectum Disciplinæ præpediunt, in pacis otio pacificis sanæ doctrinæ occupationibus imminerent, per ordinationem quandam quæ *Quasi lignum vitæ* incipit, suborta diffidentium iurgia duximus de Fratrum nostrorum consilio dirimenda. *Verum Magistri atque Scholares Parisienses Ordinationem eandem*, quâ in plana curauimus aspera commutare, ad turbationis materiam assumentes aduersus Dilectos filios Fratres Ordinis Prædicatorum maxima in scandala surrexerunt, eidem Ordinationi erecto inobedientiæ vertice resistendo, nec considerando prudenter, Ordinationi temere obuiari Diuinæ, dum Apostolicæ contradicitur Potestati: ad quod eos credimus non tam voto omnium, quàm particulari quorundam seductione commotos, cum vix ad contumaciam pari consensu multitudo prorumpat, nisi forsitan incitetur à paucis: qui si possit peccare cum plurimis, impunitatem sibi suorum excessuum, quos per hoc potius exaggerant, repromittunt. Cum autem iidem Fratres Magistrorum atque Scholarium infestationibus lacessiti & insecutionibus fatigati Compositionem quandam cum ipsis in derogationem Ordinationis Apostolicæ subiissent, Nos Compositionem eiusmodi quæ Fratres ipsos excludebat à scholis Magistrorum secularium reprobantes, Ordinationem ipsam in cuius contemptu nostra vilipendebatur authoritas, mandauimus inuiolabiliter obseruari, coercendo pœnâ debitâ transgressores. Ipsi vero Magistri & Scholares cum præsumptioni peccatum, peccato contemptum, contemptui pertinaciam adiecissent, tandem *Nuncios ac Procuratores* suos ad sedem Apostolicam destinarunt, per quos ad excusandas excusationes suas coram Nobis & Fratribus nostris inter cætera proponere curarunt, quod cum ipsi de consortio Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium Parisiensium, à quâ omnino recesserant, eius renunciando priuilegiis, & actum postmodum dimittendo legendi non debeant reputari, Ordinationem prædictam, quæ in Vniuersitatis Collegium de quo iam esse desiderant, admittere nullatenus tenebantur; præter id quod ad Societatem nemo est cogendus inuitus, & ipsi Fratres duobus non debent, Vniuersitatis videlicet Scholarium & Conuentus Prædicatorum Collegiis contineri. Addentes quod ipsorum dispar professio eos eidem Vniuersitati reddit incongruos, & ad sustinenda ipsius onera, cuius gauderent commodis, efficit paupertatis conditio im-

„ potentes. Propter quæ nec non & alia quædam à præfatæ Ordinationis aliorum-
„ que Mandatorum Noſtrorum eandem Ordinationem contingentum Executo-
„ ribus, ne contra ipſos procederent, fuerat pro parte ipſorum Magiſtrorum &
„ Scholarium ad Sedem Apoſtolicam multoties appellatum. Proponebant quo-
„ que in Mandatis Apoſtolicis quæ contra eos emanarunt, ſe grauatos iniuſtè, per
„ quæ ipſos puniri grauiter conſtat, qui culpabiles non exiſtunt, & prædictam
„ compoſitionem quam partes acceptauerant, irritare, ad vltimum ſuper his pro-
„ uideri ſibi per Sedem Apoſtolicam poſtulantes. Sed fortius allegabat contra re-
„ bellis eorundem Magiſtrorum & Scholarium contumacia & pertinacia diuulga-
„ ta, quæ non ſolum in Nobis, ſed etiam in felicis recordationis *Innocentio Papa*
„ Prædeceſſore noſtro authoritatem ſedis Apoſtolicæ contempſerunt directis ſibi
„ præmemorati Ordinis Fratribus in Pagina ſacra docentibus eorumque Scholari-
„ bus ad ſuæ Vniuerſitatis conſortium admittendis, ipſius Prædeceſſoris & No-
„ ſtris Iuſſionibus reſiſtendo. Aggrauat autem culpam eorum Exempli contagium,
„ quod fideles tam Principes quàm populi facilè poſſent in debita Deo eiuſque
„ Vicario obedientiâ & deuotione corrumpi, ſi qua ex diſſimulationis Noſtræ pa-
„ tientia, illorum inobedientiæ proueniret authoritas, quibus fidem præbet in
„ plebe fideli ſcientia fidei, quæ eminere dicitur per Doctrinæ ſtudium & exerci-
„ tium Diſciplinæ.

„ Inſurgit quoque aduerſus eorum duritiam arguendam non ſolum noſtræ Or-
„ dinationis quam calumniari conantur, æquitas manifeſta, communis vtilita-
„ tis compendium omnibus afferens & priuatæ iacturæ diſpendium cuiquam
„ non importans, verum etiam iuramentum quo ſe contra eiuſdem Ordinationis
„ tenorem, ne Fratres ipſos reciperent, donec vtrum ſint in Magiſtrorum aut Scho-
„ larium conſortium receptibiles, definitum fuerit, temere adſtrinxerunt. Cum
„ autem, quod iidem Fratres receptibilitatis huius amplitudinem habeant, ipſius
„ Ordinationis authoritas ambiguum non relinquat, de Compoſitione ſanè præ-
„ dictâ eis patrocinium adeſſe non debet, cum fuerit ex quadam impreſſionis im-
„ probitate præſumpta, nec poſſint ob reuocationem ipſius aut de Mandatorum
„ noſtrorum animaduerſione iſtam formare querelam, cum in derogationem Or-
„ dinationis noſtræ ac impedimentum Theologicæ Facultatis eadem compoſitio
„ attentata fuiſſet, & per conſequens in periculum fidei orthodoxæ, quæ ſicut
„ proficiente Sacræ paginæ ſtudio incrementum recipit & vigorem, ſic deficiente
„ perniciosum incurreret detrimentum. Cum etiam Mandata prædicta ſub eadem
„ moderationis forma præceſſerint, vt obtemperantes eiſdem contenta in illis
„ animaduerſionis ſeueritas non feriret, apparet per ea non obedientium innocen-
„ tiam & præteritæ rebellionis culpas percuti, ſed inſolentes contumacium auſus
„ iuſtiſſimè cohiberi. Porro per hoc quod præfati Magiſtri & Scholares ab Vni-
„ uerſitate Pariſienſis ſtudij receſſiſſe, ipſiuſque priuilegiis renunciaſſe dicuntur,
„ excuſationis ſuæ intentio non iuuatur, cum conſtet eos in eluſionem mandati
„ Apoſtolici, quando iam de ipſa Ordinatione ſeruandâ notitia eorum attigerat
„ id feciſſe. Ipſi etiam nihilominus Pariſius remanentes *Studij Scholaſtici* occupa-
„ tionibus incumbebant, licet ad tempus Actum legendi aſtutæ cogitationis con-
„ ſilio dimiſiſſent. Vnde ad remouendum pallium quod ſibi ex huiuſmodi receſſio-
„ ne ac renunciatione prætendunt, abnegantes vobis quod operibus profitentur,
„ Omnes Magiſtros & Scholares qui Pariſius doctrinæ vel Diſciplinæ Studiis ſe
„ ſic exerceant, intelligi volumus eiuſdem Vniuerſitatis conſortio, ſiue illam profi-
„ teantur, ſiue abnegent, contineri. *Nos igitur* omnibus quæ ſuper præmiſſis co-
„ ram Nobis fuere propoſita, plenius intellectis excuſationes & allegationes præ-
„ miſſas, ac appellationes quaſcumque Magiſtrorum & Scholarium prædictorum
„ tanquam eluſorias, ineptas & friuolas de Fratrum noſtrorum conſilio repellen-
„ tes, ſententialiter decernimus Ordinationem ſæpe dictam *Quaſi lignum vitæ*,
„ & omnia quæ continentur in ipſa compoſitione & aliis in contrarium allegatis
„ nequaquam obſtantibus ab omnibus Magiſtris & Scholaribus Pariſius exiſtenti-
„ bus ceſſante Contradictione qualibet integrè & inuiolabiliter obſeruari, & Apo-
„ ſtolica Reſcripta, quæ ſuper ipſius Ordinationis executione vel obſeruatione
„ proceſſiſſe noſcuntur, habere ſui roboris firmitatem. Inſuper adiiciendo ſtatui-
„ mus, vt Scholares omnes tam Religioſi de Prælatorum ſuorum licentia Pariſius

gratia studii quomodolibet commorantes, quàm etiam seculares vbicunque voluerint lectionibus vel prædicationibus audiendis, siue Quæstionibus disputandis liberè valeant interesse, vtque tam Prædicatorum quàm Minorum Ordinum Fratres & Religiosi alii qui pro tempore Parisius Doctores fuerint in Theologica Facultate ac Scholares ipsorum in societatem, consortium & Collegium aliorum Magistrorum & Scholarium Parisiensium recipiantur plenariè, semperque in eis efficaciter habeantur. Nulli ergo hominum liceat &c. Datum Laterani 4. id. Maii Pontific. nostri an. 3.

Porro cum omnes ad quos huiusmodi dissidii notitia peruenerat, quique eiusdem initia, causas & incrementa viderant, aut audierant, Dominicanos palam incusarent, vt gentem turbidam & Inquietam, litiumque ac discordiæ seminatricem, iidem Fratres ab eodem Pontifice Bullam obtinent ad omnes Ecclesiæ Prælatos, quâ postquam immensis laudibus ad cælum vsque eorum Ordinem extulit, eorumque discordiam cum Magistris Parisiensibus à se diligentissimè examinatam asseruit, hortatur vt populos sibi commissos ab hac opinione quam sparserant Academici, deducant.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus vniuersis Archiepiscopis, Episcopis ac Dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis ac aliis Ecclesiarum Prælatis Salutem & Apostolicam benedictionem. *Cælestis ille Agricola summus author fidei præcipuusque ac protector sacrum Prædicatorum Ordinem quasi lignum sterile inseruit in Ecclesiæ Paradiso*, vt delectaret amœnitate, vbertate satiaret, fructuum suauitate mulceret. Hoc itaque speciosum, fœcundum ac dulce lignum imbre superno rigatum pulchra plurima & dulcia poma profert, quorum odore & sapore confortantur & conualescunt debiles, variisque detenti languoribus liberantur. In hoc vtique vitæ Ligno mortales carnis infirmitatibus grauati pabulum suæ salutis inueniunt & internam recipiunt sospitatem. Huius inquam ligni præcepta fragrantia vndique ad libamen ipsius innumeri Professores fidei concurrunt, qui perfruentes assiduè illo & salutaribus eius conualescentes fructibus, de ipsorum prægustata dulcedine ministrant, & ipsi aliis suauia libamenta salutis. Hi sunt viri probati & plenè in lege Domini eruditi Fratres videlicet dicti Ordinis, efficaces quidem in opere, ac ipsi in prædicatione potentes quorum labia gratia cœlestis edocuit ad propinandum salutarem doctrinam aliis & exponendum commodum animarum. Vnde vbique per mundum ipsorum ora intonant velut tubæ, ac in omnem terram exiuit sonus prædicationis eorum: & vsque ad fines Orbis sua salurifera verba sonant. Hi sunt viri præclari conspicuâ religione fulgentes, qui tanquam lucentia sidera in Ecclesiæ firmamento suis splendidis documentis insinuant Mortalibus viam vitæ. Hi sunt Phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui suâ sacrâ conuersatione suauiter redolentes hortantur per hoc alios & inducunt excussâ prorsus inertiâ surgere ac properare ad opera bonitatis.

Ad Vniversos Ecclesiae Praelatos.

Pro his ergo ab Vniuersis Ecclesiarum Prælatis, cunctisque Christi fidelibus diligendi sunt præcipuâ Charitate, ac tanquam Venerabiles Dei sui Ministri & populo suo necessarii honorandi, condignis & fauoribus specialibus muniendi. Sanè quia linguæ maliloquæ Detractorum consueuerunt falsa confingere, ac illa pudicis etiam auribus instillare per oblocutionem aliquorum ex liuore latrantium, quod per Fratrum ipsorum culpam discordia inter eos & Magistros ac Scholares Parisienses emerserit, ne tamen hoc bonæ ac nitidæ Fratrum eorundem famæ valeat derogare, scire vos volumus quod cum super huiusmodi discordia coram Nobis & fratribus Nostris diligens habita fuerit discussio, ipsos nequaquam culpabiles inuenimus in hac parte, sed potius innocentes. Ideoque Vniuersitatem vestram hortamur & rogamus attentè per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dictos Fratres Prædicatores habentes de his penitus excusatos & eorum in his innocentiam vestris subditis exponentes, ipsos ad reuerentiam sedis Apostolicæ & nostram tanquam speciales & amabiles Ecclesiæ Rom. filios ac salutis animarum feruidos zelatores cum omnium benignitate & charitate tractetis, & optimis consiliis & subsidiis foueatis, ita quod affectum quem ad Nos & ad eandem habetis Ecclesiam ex hoc plenius agnoscentes, reddamur deinde ad

veſtra & Eccleſiarum veſtrarum commoda promptiores. Datum Witerbii 10. Kal. Iunii, Pontific. noſtri an. 3.

Dum ita cauet eorum famæ Pontifex, ex altera parte curat Conſtitutiones ſuas à Magiſtris Pariſienſibus obſeruari: atque in eam rem, ne Academici amplius diuerticula quærerent, Bullæ quæ incipit *Circa frequens Miniſterium*, executionem demandat Reginaldo de Corbolio Epiſcopo Pariſienſi his verbis.

Ad Episcopum Parisiensem.

Alexander Epiſ. S. S. D. Venerabili fratri Epiſcopo Pariſ. Sal. & Apoſt. Ben. Cum aduerſus prouiſionis noſtræ Ordinationem ſalubrem, quæ *Quaſi lignum vitæ* incipit, ſuper ſtatu Pariſienſis ſtudii & nonnullis articulis illud contingentibus dudum de Fratrum Noſtrorum conſilio promulgatam, Seculares Magiſtri per duram Rebellionis contumaciam in contemptum poteſtatis Apoſtolicæ calcitrantes ex ipſa contra Dilectos filios FF. Ordinis Prædicatorum offenſionis & ſcandali materiam Quibuſdam ad hoc cæteros inſtigantibus aſſumpſiſſent, tandem poſt culpas culpis adiectas & contemptus contemptibus aggregatos, Nuncios & Procuratores ſuos ad ſedem Apoſtolicam deſtinarunt, per quos ad excuſandas excuſationes ipſorũ, quibus ſe munire contra prædictæ ordinationis obſeruantiã conabantur plura fuêre propoſita corã nobis. Nos verò eis plenius intellectis excuſationes & allegationes ac quaſcunq; appellationes ipſorũ tanquã eluſorias, ineptas & friuolas de prædictorum Fratrum noſtrorum Conſilio repellentes ſententialiter decreuimus ordinationem præfatã & omnia quæ continentur in ipſa cõpoſitione & aliis in contrarium allegatis nequaquam obſtantibus, ab omnibus Magiſtris & Scholaribus Pariſius exiſtentibus ceſſante contradictione qualibet integrè & inuiolabiliter obſeruari, & Apoſtolica Reſcripta quæ ſuper ipſius Ordinationis executione vel obſeruatione proceſſiſſe noſcuntur, habere ſui roboris firmitatem. Inſuper adiiciendo ſtatuimus, vt Scholares omnes tam Religioſi de Prælatorum ſuorum licentia Pariſius gratia ſtudii quomodolibet commorantes, quàm etiam ſeculares vbicunque voluerint, lectionibus vel prædicationibus audiendis, ſiue quæſtionibus diſputãdis libere valeãt intereſſe, vtque tam Prædicatorũ quàm Minorum Fratres & Religioſi alii, qui pro tempore Pariſius Doctores fuerint in Theologica Facultate ac Scholares ipſorum in ſocietatem, conſortiũ & Collegium aliorum Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium recipiant plenariè, ſemperque in eis efficaciter habeant ſicut ex litterarum noſtrarũ quæ incipiunt *Circa frequens*, inſpectione tibi liquidò innoteſcet. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica tibi ſcripta in virtute obedientiæ ac etiam ſub excommunicationis pœna diſtrictè præcipiendo mandamus, quatinus præſentium & litterarum ipſarum tenores omni dilatione & occaſione poſtpoſitã per te vel per alios Pariſius ſolenniter publicans, Ordinationem, litteras & ſtatuta prædicta, & quæ continentur in eis facias integrè & inuiolabiliter obſeruari, Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Illuſtris Regis Franciæ ad hoc ſi opus fuerit, auxilio inuocato. Ne verò tantæ Rebellionis vitium vlterius poſſit eſſe aliis occaſio ſchiſmatis & contumaciæ pernicioſæ fomentum, omnes Magiſtros & Scholares & Auditores Pariſienſes qui expreſsè ac publicè non paruerint Reſtitutioni dictorum Fratrum Prædicatorum, per felicis recordationis Innocentium Papã IV. Prædeceſſorem noſtrũ, & poſtmodum per Nos factæ ordinationi, litteris, ſententiis, ſtatutis ac mandatis noſtris infra vnum menſem poſtquam tenor præſentium vt prædictum eſt, fuerit Pariſius publicatus, omnibus dignitatibus & Beneficiis Eccleſiaſticis ac officio Magiſtrali, prædicatione, & doctrina priuamus, & in poſterum reddimus omnino indignos, decernentes eſſe ab Ordinum executione & ſuſceptione ſuſpenſos. Eos quoque qui occaſione præſentium aut aliarum litterarum ſedis Apoſtolicæ pro dictis Reſtitutione & Ordinatione ſeruandis, ſiue occaſione Pariſienſis ſtudii directarum, ipſum ſtudium diſſipare aut turbare, ſeu alibi ſine ſedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia contra Ordinationis prædictæ tenorem transferre præſumpſerint, Excommunicationis vinculo innodamus. Quos & tu per te vel per alios excommunicatos denuncies Pariſius & vbicunque videris expedire. Siqui verò quod abſit, prædicta non curarint adimplere, aut alias in his contumaces fuerint vel rebelles, ſeu quietis Scholarium & ſtudii turbatores, tu eorum nomina vt nominatim grauiori pœna mulctentur, nobis intimare procures, hoc ipſi ſupradicto Regi denuncians, vt ad honorum partem

malorumque terrorem eos vt expedire videris, coerceat tradita si diuinitus potestate, iuramenta quidem aut obligationes quascunque à dictis Magistris & Scholaribus, seu ab ipsorum aliquibus & specialiter de non recipiendo ad Scholas vel Scholasticam societatem dictos Fratres Prædicatores vel Scholares ipsorum Fratrum Regentiū, siue alias præsumpta contra præfatam Ordinationem nostram, aut aliqua eorum quæ continentur in ipsa seu contra statuta vel mandata nostra, seu ipsorum aliquod decernimus penitus non tenere. Non obstantibus appellationibus aut oppositionibus quibuscunque præteritis vel futuris; aut etiam quod à te dato super hoc executore à Nobis pluries appellasse dicuntur, siue concessionibus aliquibus aut litteris vel indulgentia à sede prædicta concessis, per quæ huius mandati executio in hac parte impediri valeat aut differri, aut de quibus plenam & expressam, seu de verbo ad verbum fieri oporteat in præsentibus mentionem: seu etiam quod dicti Fratres quando consenserunt in Compositione prædicta renonciauerunt, vt dicitur, litteris Apostolicis impetratis & impetrandis, quas in suo robore volumus permanere. Ipsasque sibi & eisdem Fratribus ab earum detentoribus reddi, quas si necesse fuerit, monitione præmissa per Censuram Ecclesiasticam appellatione remota postposita compellas, præceptum nostrum quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus, quod efficacis obedientiæ gaudeamus in te promptitudinem inuenisse. Aliàs autem pro firmo teneas, quod indignationem nostram sub incursu prædictæ pœnæ contra personam tuam, licet ipsam in Christo sincerissimè diligamus grauiter prouocabis, litteris nostris. *Cunctis processibus*, *Licet olim* & *Ad nostram Noueritis*, tibi aliàs directis à nobis in suo robore nihilominus duraturis. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod enim super hoc inueneritis & feceritis, nobis fideliter rescribere non omittas. Datum Viterbii 2. id. Iulii, Pontif. nostri an. 3.

Similiter ad Regem Ludouicum idem Pontifex suas litteras dirigit rogans enixissimè, vt Episcopo Parif. adsit in executione eorum quæ à sede Apostolica statuta fuerant, eique Dominicanorum & Franciscanorum Ordines commendat aduersus Magistros Parisienses.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Charissimo in Christo filio Francorum Regi Illustri salutem & Apostolicam benedictionem. Bona meritoria per quæ virtutum Domino placere desideras, Religiosa multiplicat Charitas, quà humiles Religiosasque personas dum in manibus Diuinæ pacis & spiritus requiescunt, humiliter amplectitur mansuetudinis Regiæ celsitudo. Hoc quippe in cœlis ad mercedis cumulum tibi prægnanter pura reponit intentio; quam pia desideriorum tuorum studia manifestant. Hoc velut insigne imitationis exemplar fidelibus apertè proponitur ad profectum. Ea propter pro Dilectis filiis Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratribus, qui Parisius in prædicatione & Doctrinâ Euangelii laborantes in refrigerii tui consolatione respirant, protectionis Regiæ præsidium implorant. Credimus quod nostræ petitionis instantia cum tuo voto concurrens Regalem auditum aut animum non grauabit. Sanè licet iidem Fratres in executione mandatorum Apostolicorum, quæ super statu studii ad conuertendam seu contetendam secularium Magistrorum & Scholarium Parisiensium duritiam emanarunt, promptum inuenerunt auxilium Regiæ Potestatis. Super quo & ipsi Deo pro te & pro tua salute humilia vota persoluunt, & Nos tuæ Celsitudini gratias agimus copiosas. Quia tamen quandam tulimus de nouo sententiam & statuta condidimus, quibus Turbatorum studii Parisiensis cohibetur improbitas, & ipsis Fratribus ac aliis studium diligentibus sanctæ quietis tranquillitas prouidetur, sublimitatem tuā rogamus & hortamur in Domino, ac in remissionem tibi iniungimus peccatorum, quatenus Venerabili fratri nostro Episcopo Parisiensi, cui prædictorum sententiæ & statutorum commisimus executionem, promptum & fauorabile super hoc contra inobedientes & rebelles, ac quietis studii perturbatores, & præfatorum Fratrum vexatores præstare brachii tui cures auxilium, quo pax muniatur humilium, & insolentium ceruicosa peruicacia confringatur excludendo à Regno Franciæ, vel aliàs coercendo prout videris expedire, ac memoratos Fratres manus Regia præpotenti virtute ab omni molestia protegat & defendat, viuantque Regio culmine tuti

Ad Regem.

& sub tuâ protectione securi inter inquietos, pacifici inter improbos, innocentes preces nostras in hac parte sic impleturus, quod Nos, qui eas tibi ex cordis affectu dirigimus, voti nostri plenitudinem consecuti, tuis cum opportunum fuerit, libentius annuamus. Datum Viterbii 2. Kalend. August. Pontif. nostri anno.3.

Ex his euidenter colligitur quantâ fortitudine & animi constantia ac robore Academiæ suæ honorem propugnarent Academici: nam licet intellexissent damnatum fuisse libellum de Periculis Nouissimorum temporum, & in Ecclesia Cathedrali apud Anagniam publicè combustum; nonnullos etiam è suis despondisse animum & condemnationi subscripsisse: nihilominus tamen Lutetiæ sua statuta & Compositionem seu pacem per Archiepiscopos factam intrepidè tuebantur, neque, vt audiuerunt Bullas illas recentes, tueri destiterunt: quinimo maluerunt ex vrbe discedere plurimi, quàm honori suo & Matri Vniuersitati hanc labem inurere. Quâ de re sic Mathæus Parisiensis adhunc annum. *Tempore sub eodem Vniuersitas Parisiensis*, cum propter tempus Messium quod tunc " instabat, tum propter Fratrum Prædicatorum persecutionem recedens, Ciuita- " tem in magna parte reliquerunt vacuatam. Frater namque Hugo de Ordine Præ- " dicatorum & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis instabat vigilanter & potenter, vt " partem Scholarium infirmaret, & conditionem Fratrum Prædicatorum ipsis re- " bellium roboraret.

Sed iam operæ pretium est videre quomodo Legati Vniuersitatis ex Italia recesserint & recedendi facultatem à D. Papa obtinuerint. Supra quidem ostendimus è quatuor insignibus in Theologia Magistris, qui præcipuè à Dominicanis impetebantur, duos aut tres illorum Palinodiam cecinisse & condemnationi libelli De Periculis subscripsisse: quod tum ex dictis patet, tum ex Chronicis Normaniæ ab Andræa Duchesnio collectis: in quibus sic legitur. *Magistri Theologiæ Vniuersitatis Parisiensis* præcipuè M. Guillelmus de S. Amore prædicare cœperunt " quædam signa Scripturarum ad cognoscendum Pseudo-Religiosos Prædicatores, " qui vltimis temporibus ad debellandum fidem Catholicam sunt venturi, vnde " & quendam de hoc librum composuerant quem intitulauerunt De periculis No- " uissimorum temporum, de quo prædicti Religiosi scilicet Mendicantes supramo- " dum dolentes ad Papam Alexandrum librum prædictum detulerunt, quem con- " demnauit, ipsum dicens compositum in Odium & Scandalum Religiosorum. " Vnde præmissam pacem dissoluit, & quatuor de Maioribus Vniuersitatis Pari- " siensis à Regno, nisi absque mora eos reciperent, priuauit. Qui ad Papæ Curiam " accedentes, tres eorum Voluntati fauentes, restituti & cum ignominia sunt re- " uersi, scilicet M. Odo de Duaco & M. Christianus & Decanus de Barro super Albam, quartus verò, scilicet M. Guillelmus de S. Amore fortiter in Curia " stetit, & in pluribus à prædictis Religiosis accusatus, de sua innocentia & do- " ctrina coram 4. Cardinalibus competenter satisfecit, à quibus ab omni impeti- " tione Fratrum pronunciatus est immunis.

Cæteri igitur Legati Lutetiam reuersi sunt: imo eorum aliqui Pacem cum Dominicanis bona fide inierunt: & Christianus Beluacensis, qui eos acerrimè vexauerat, illis & corpus & libros post mortem tradi voluit.

At M. Guillelmus cum in morbum incidisset, postea verò conualuisset, vbi recedendi petiit à D. Papa facultatem, ingressu Franciæ prohibitus est, ne Academicis nouam daret occasionem conquerendi de Rom. Curiæ non satis æquo processu. Quâ de re sic habent eadem Normaniæ Chronica. *M. Guillelmus de S. Amore* dum obtentâ à Papa Alexandro licentia redeundi propter grauissimam " infirmitatem quæ eum inuaserat, ad terram suam reuerteretur infirmus, Papa Ale- " xander eidem litteras misit, in quibus eum priuabat ab ingressu Regni Franciæ, " & ab omnibus suis Beneficiis, ab actuque pariter legendi, prædicandi atque docendi. Sed præstat eiusdem Papæ Bullam audire in hanc rem ad Guillelmum directam.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, Guillelmo de S. Amore in bo- " num dirigere gressus suos. *Cum propter multiplices* causas & grandes offensas, " quas temerariè commisisti, & specialiter propter Libellum perniciosum & de- " testabilem à te compositum, & per Nos olim de Fratrum nostrorum Consilio re-

probatum & in perpetuum condemnatum merueris graues pœnas, volumus & per Apostolica tibi scripta in virtute obedientiæ sub debito iuramenti quod præstitisti de restando præcisè mandaris nostris; nec non & sub excommunicationis ac priuationis perpetuæ ab Officio & Beneficiis, pœnis quas eo ipso te incurrere volumus, si contra huiusmodi præceptum Nostrum venire tentaueris, saluis aliis mandatis tibi faciendis à nobis districtè præcipiendo mandamus, quatenus nullo vnquam tempore Regnum Franciæ absque Sedis Apostolicæ licentia speciali intrare præsumas, & nihilominus omnem doeendi ac prædicandi authoritate Apostolica perpetuò interdicimus facultatem; ita quod nec docere alicubi, nec vnquam alicui Clero vel populo sine ipsius sedis permissione de cætero audeas prædicare. Datum Viterbii 5. Id. Augusti, Pontif. nostri an. 3.

Ne verò interdictum seu prohibitionem illam quam Papa fecerat, temere forsan violare posset Guillelmus, idem Pontifex duobus interiectis diebus dat Bullam ad Ludouicum Regem, qua eum impensè rogat, ne patiatur Guillelmum in Regno suo commorari, aut iniuriam aliquam fieri Dominicanis ab Academicorum cœtu, postquam de exilio Guillelmi certiores facti fuerint. Bulla talis est.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Charissimo in Christo filio Illustri Francorum Regi Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum propter multiplices culpas & grandes offensas quas Guillelmus de S. Amore temerariè commisisse dignoscitur, & specialiter propter libellum perniciosum & detestabilem ab illo compositum cuius Principium *Ecce videntes clamabunt foris*, & titulus *De periculis Nouissimorum Temporum*, ac per Nos olim de Fratrum nostrorum Consilio reprobatum & in perpetuum condemnatum meruerit graues pœnas, eidem Guillelmo virtute obedientiæ sub debito iuramenti quod præstitit de stando precisè mandatis nostris, necnon & sub excommunicationis & priuationis perpetuæ ab Officio & Beneficiis quas eo ipso incurreret, si contra huiusmodi præceptum nostrum venire tentauerit, saluis omnibus aliis mandatis nostris, quæ sibi forsitan viua voce fieri fecimus, aut mediantibus Nuncio vel litteris duximus facienda, districtè dedimus litteris in præceptis, vt nullo vnquam tempore Regnum Franciæ intrare præsumat, & nihilominus omnem doeendi ac prædicandi sibi authoritate Apostolica perpetuò interdiximus facultatem. Ita quod nec docere alicubi, nec vnquam alicui Clero vel populo de cætero audeat prædicare. Cum igitur Nos Celsitudo Regia rogauerit, sicut à tua credimus memoria non elapsum, vt eidem Guillelmo prædicti Regni interdiceremus ingressum, & Nos hoc prout superius expressum est, faciendum duxerimus, Serenitatem tuam rogamus & hortamur attentè, quatenus præfatum Guillelmum Regnum ipsum intrare nullatenus patiaris. Et quia pro certo nouimus quod Dilectos filios Fratres Prædicatores & Minores speciali fauore prosequeris, super quo te dignis in Domino laudibus efferentes, gratiarum tibi referimus multiplices actiones, Magnificentiam tuam omni quâ possumus affectione rogamus, quatenus eosdem Fratres pro Christi reuerentia, cuius sunt deputati obsequiis, habens benignitate solita commendatos, eos à quorumlibet iniuriis & molestiis protegas & defendas, ita quod tuâ potentiâ communiti, pace quietâ & pacificâ pacis authori valeant famulari. Datum Viterbii 3. Id. Aug. Pontif. nost. an. 3.

AD REGEM.

Similiter litteras dat ad Episcopum Parisiensem, quia præsagiebat fore vt Academici hanc Guillelmi relegationem molestissimè ferrent, & Dominicanos vexarent, præcipitque vt vexatores compescat, Academicos verò moneat non ob id à se Guillelmum relegatum quod Vniuersitatem defendisset, sed quia librum composuerat perniciosissimum.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Parif. Salutem & Apostolicam benedictionem. *Cum propter multiplices culpas & grandes offensas &c.* vt supra vsque ad illa verba *duxerimus faciendum*, tum subiungit. *Ideoque* fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in Ecclesia Parisiensi & alibi etiam vbi videris expedire, per te vel per alium prædicta publicare procures: & si tibi constiterit, quod dictus Guillelmus contra tale præceptum nostrum in aliquo venire præsumpserit, denuncies ipsum excommunicatum, periurum, ac perpetuò ab Officio Beneficiisque priuatum, iniungasque illis ad quos Beneficiorum suorum Collatio pertinet, vt eadem Beneficia si qua eum habere

AD EPISC. PARIS.

" contingit, personis & idoneis & Ecclesiæ Rom. deuotis liberè conferant & assi-
" gnent. Denuncies etiam publicè Dilectis filiis Vniuersitati Magistrorum & Scho-
" larium Parisiensium, quod non pro eo quod idem Guillelmus Vniuersitatem
" ipsam defendit, aut quod pro ea forsan in Francia vel apud sedem Apostolicam
" laborauit, cum Magistros & Scholares prædictos tanquam nobilia Ecclesiæ mem-
" bra sinceritatis præcipuæ affectibus prosequamur, sed pro præfatis excessibus, &
" præcipuè pro prædicto detestabili & à nobis damnato libello sic contra eum pro-
" cessimus: & si adhuc id exegerit proteruia contumacis, grauius authore Domi-
" no procedemus. Datum Viterbii 10. Kalend. Septemb. Pontificatus nostri an-
" no 3.

Interim Dominicani vt sibi Academicorum animos placarent & demererentur, supplicarunt eidem Papæ vt eos excommunicatione solueret, qua eos innodarat, eorumque animos scrupulo eximeret: itaque sequente mense in eam rem rescripsit Pontifex ad Episcopum Paris. id ea lege concedere, vt Academici librum Guillelmi condemnarent, & Ordinationi Pontificiæ pollicerentur se parituros.

" Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili fratri Episcopo Paris.
" Salutem & Apostolicam benedictionem. Dilecti Filii Prior & Fratres Prædica-
" tores Parisienses nobis humiliter supplicarunt, vt cum nonnulli Magistri & Scho-
" lares Parisienses prætextu discordiæ vsque nunc Parisius habitæ & occasione de-
" tentionis cuiusdam libelli olim damnati à Nobis, cuius principium erat, *Ecce*
" *videntes clamabunt*, dicantur sententiam Excommunicationis incurrisse, prouide-
" re super hoc salubriter curaremus. Nos itaque sic volentes ipsorum saluti in hac
" parte consulere, & æquitati nostræ sententiæ super hoc latæ nullatenus derogare,
" Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus omnibus Magistris
" & Scholaribus, qui occasione dictæ discordiæ ac præfati Libelli Interdicti, sus-
" pensionis, aut Excommunicationis sententias nostrâ vel quauis authoritate pro-
" latas hactenus incurrerunt, postquam tibi plenè constiterit, quod ipsi ordinatio-
" nem nostram, quam pro conseruatione studii Parisiensis de consilio fratrum no-
" strorum edidimus, & quæ continentur in ipsa, sententiam quoque ac statuta in
" ea per Nos expressa diligenter & efficaciter ac sine aliquâ fictione obseruant &
" obseruabunt, ac dictum libellum prorsus in toto & in qualibet sui parte combus-
" serint, ac omnino curauerint aboleri, authoritate nostra iuxta formam Eccle-
" siæ Beneficium absolutionis impendas & dispenses eum eis super irregularitati-
" bus, si quas forsan huiusmodi contraxerint. Datum Viterbii 5. Kal. Octob. Pon-
" tif. n. an. 3.

Quia verò nondum Academici librum Guillelmi combusserant, nec eius damnationi subscripserant, prout iniunctum fuerat eorum Legatis, idem Pontifex paulo post aliam Bullam dat ad eundem Episcopum, quâ mandat vt instrumentum Anagniæ confectum, quod supra retulimus, curet Parisiis publicari, & ab Academicis infra mensem à publicatione obseruari, secus eos excommunicationis vinculis irretiat; Magistros verò Odonem de Duaco & Christianum Beluacensem exequi cogat Lutetiæ, quod Anagniæ promiserant.

AD EVNDEM EPISCOPVM.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Episcopo Paris. Sal. & Apost. Ben.

Cum olim apud sedem Apostolicam constituti M. Odo de Duaco Doctor
" Theologicæ Facultatis & Christianus Canonicus Beluacensis coram Dilectis fi-
" liis nostris Fratribus H. titulo S. Sabinæ Presbytero & Ioanne S. Nicolai in car-
" cere Tulliano Diacono Cardinalibus iurauerint stare præcisè mandatis nostris,
" iidem Cardinales præfatis Magistris ex parte nostra quædam fecerunt mandata
" in virtute præstiti iuramenti, prout in Instrumento publico inde confecto, cu-
" ius tenor præsentibus infra subnectitur, plenius continetur. Volentes igitur in
" publicam venire notitiam, quod in hac parte dictis Magistris ab eisdem Cardi-
" nalibus de speciali mandato salubriter est iniunctum, Fraternitati tuæ per Apo-
" stolica scripta mandamus, quatenus præcepta huiusmodi sine moræ dispendio
" publices per te vel per alium Parisius, vel alibi prout videris expedire. Si verò
" dicti Magistri præcepta ipsa infra spatium vnius mensis à tempore publicationis
" huiusmodi adimplere non curauerint Parisius efficaciter & simpliciter, ac sine
aliqua

aliqua fictione, tu eos ibidem publicè denuncies esse periuros. Restitutionem quoque dicti M. Odonis ad Officia, beneficia & alia quibus authoritate quarundam litterarum nostrarum, quarum principium est, Cunctis processibus, priuatus fuerat, authoritate nostra reuocare procures, &c. *Datum Viterbii 6. non. Octob. Pont. n. nostri an. 3.* Instrumentum de quo loquitur in hisce litteris, supra retulimus ad an. 1256. Sic autem incipit. In nomine Christi. Amen. Anno Domini 1256.

Thomas autem Aquinas ex iis vnus qui Anagniæ contra Legatos Vniuersitatis pugnauerant, reuersus similiter Lutetiam die 23. Octob. laurea Doctorali, à qua propter tumultus qui interciderant, biennio retardatus fuerat, donatus est. Deinde reuocatas in memoriam Quæstiones quæ Anagniæ fuerant agitatæ, rationesque & argumenta præceptoris sui Alberti edidit in vulgus, quæ leguntur in opusculis. Qua de re sic habetur in argumento ad Opusculum 34. *contra impugnantes Religionem.* S. Thomas acceptâ benedictione an. 1256. Parisius reuersus est orans: vbi postremo suas certamine compleuit victorias, ac deuictis fugatisque hostibus erexit trophæum in Augustissimo Academiæ totius Orbis Academiarum Principis theatro, omniumque applausu die 23. Octob. laurea (à qua iam biennio emeritus prædictis tumultibus fuerat retardatus) donatus est doctorali. Ibique omnes sui libri Quæstiones, vt scripserat, tanta maiestate, tantoanimi vigore & loquendi facilitate ac fœcunditate probauit, vt celeberrimum & amplissimum totius Academiæ Parisiensis admiratione ac stupore repleuerit concursum & consessum.

Durum id fuit medius fidius Vniuersitati, oculis nempe suis cernere aduersarios triumphantes & Legatos illos suos Palinodiam cantantes, seque cogi admittere Dominicanos ad consortium & societatem à quibus non secus ac à pestibus studiorum, vt pote quietis Academiæ perturbatoribus abhorrebant. Non igitur tam facile tamque subitò solari potuit & sopiri discordia eiusmodi. Recantata à Magistris illis dicta & scripta tam solenniter; M. Guillelmi, qui in laribus propriis apud Sequanos delitescebat, exilium & absentia: Inimicorum assidua præsentia, insultatio, victoria & triumphus exacerbarunt animos Academicorum, & ita exercebarunt vt vix illi è suo Conuentu pedem efferre auderent: & si quando Comitiis Academicis interessent, sibilis & bombis testarumque strepitu exploderentur. Et sic oritur schisma in Vniuersitate; dum alii alias partes tuentur. Theologorum plurimi aut Beneficiorum amittendorum metu, aut spe consequendorum, quorum Dominicani in aula potentissimi dispensatores erant, Pontificis decreto parendum censebant. Alii cum cæteris aliarum Facultatum Magistris vtcumque quidem ferebant damnationem libelli de periculis nouissimorum temporum, cuius licet edendi occasionem dedissent Dominicani, erat tamen cur damnaretur, vt duorum Ordinum ab Ecclesia approbatorum & confirmatorum honori & famæ consuleretur: at verò Guillelmi Legati sui, viri fortissimi, quod pro statutis, pro libertate & priuilegiis Matris suæ Vniuersitatis intrepidè dimicasset, exilium & deportatio ferri nullatenus poterat. Hinc indignatio in eos qui non exspectato conflictu abiectis animis & armis imbelles se suis hostibus dediderant, hocque pacto vnum Guillelmum furori triumphantium reliquerant & permiserant. Accedebat & aliud indignationis argumentum longè grauius, quod polliciti fuissent & iurassent se pro viribus suasuros & effecturos vt Mendicantes in Consortium Academicum admitterentur. Nam cum Theologi totius istius belli authores primi fuissent & Incentores, cæteri qui eorum sustinendorum causâ graues & intolerabiles molestias iniuriasque passi fuerant, omnino ferebant indignè & vlcerato animo, quod ipsi primi receptui canerent.

Imprimis verò Artistæ quibus Academiæ dignitas & libertas erat cordi magis, consortio eiusmodi obstiterunt, existimantes non plus se posse cogi inuitos ad illud, quàm ad vorum Religionis emittendum: neque illud magis quàm istud authoritatis esse Pontificiæ. Itaque solennis Decreti & statuti authores fuerunt: quo eos omnes à consortio communi exclusos esse voluit Vniuersitas, qui M. Guillelmi reuocationi ab exilio consensum & assensum non præberent. Quo pacto tam à Regularibus quàm à Secularibus in ea verba iurare detrectantibus seorsum suas res & Comitia habuerunt. Sicque reliqua pars huius anni & maxima sequentis in perpetua dissidia & rixas abiit.

Eodem anno Primates Germaniæ elegerunt Richardum Cornubiæ Comitem Henrici III. fratrem in Regem Alemanniæ. Et Alexander Pontifex eiusdem Henrici Anglorum Regis filium Edmundum in Regem Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ missis Nunciis depopofcit. Quæ res Francorum mentibus non parum terroris incussit.

Eodem anno habita sunt Comitia frequentissima Londini ad quæ Henricus Magistros Oxoniensis Academiæ vocari voluit, vt eos cum Episcopo Lincolniensi reconciliaret: qua de re sic breuiter Mathæus, seu Continuator. *Eodem anno in media Quadragesima factum est magnum Parliamentum: vbi de precepto Regis venerunt Magistri Oxoniæ vt pax reformaretur inter Episcopum Lincolniensem qui eos infestauit, & Vniuersitatem Oxoniensem.*

1258. Annus 1258. abiit fere totus in discordias cum Dominicanis: licet enim illi opimum de Academia triumphum reportassent, nihilo tamen eorum status erat in Academia tranquillior. Publicas quidem scholas exercebant, Disputationibus intererant nonnunquam, sed velut extranei; vbique enim explodebantur à Scholaribus, dicteriis excipiebantur, & maledictis onerabantur, vt solet fieri à petulanti Iuuentute. Magistri verò nullum cum iis commercium, nullam societatem inire volebant, etiam iussi centies à summo Pontifice & ab Episcopo Parisiensi: patiebantur quidem eos scholas retinere, scholares eorum Vniuersitatis Priuilegiis quanquam ægre, tamen gaudere sinebant, sed eorum commercium non secus ac Hæreticorum & Exsecratorum deuitabant & refugiebant. Itaq; ad solitum illi asylum redeunt: eiusdem Pontificis manum & fulmina implorant, vt illo tonante fulgurante saltem tuti essent, non poterant esse securi. Iraque circa finem Iulij mensis impetrant ab eo Bullam ad Cancellarium Parisiensem, quâ vetabatur, ne vlli Candidato licentiam impertiretur, qui non ante se iuramento obstringeret pacem seruaturum cum Dominicanis, eosque in Studio Parisiensi quietè degere & desudare permissurum.

Porro in ista animorum & temporum agitatione ac perturbatione non video prohibitum fuisse hactenus Cancellarium San-Genouefianum impertiri licentias Artistis: cuius opinor rei ratio est, quia Dominicani vnius Facultatis maximè consortes fieri cupiebant, nempe Theologicæ, proindeque facile patiebantur quietos esse Artistas, quorum Cathedras non ambiebant, instituto quippe suo minus conformes. Nam eodem anno eodemque planè tempore quo Papa interdixit Cancellario Parisiensi licentias impertiri, scripsit ad San-Genouefianum, non quidem prohibens dare licentias Artistis, sed ne daret nisi adhibitis 4 Examinatoribus iuxta vetera Academiæ statuta pro numero scilicet 4. Nationum, quæ hodie Facultatem Artium componunt. Bulla data Anagniæ 4. Kal. Aug. talis est

" Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Cancellario S. Ge-
" nouefæ Paris. Salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte Dilectorum fi-
" liorum Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium Parif. fuit propositum coram
" Nobis, quod licet de antiqua approbata & hactenus pacificè obseruata consue-
" tudine Parisius fuerit obseruatum, vt nulli de Scholaribus ipsis studentibus in
" Artium Facultate, regendi in Artium Facultate licentia concedatur, nisi per 4.
" Magistros examinationi talium ab Vniuersitate Magistrorum Facultatis pro tem-
" pore deputatos examinati fuerint, & idonei vel sufficientes inuenti; tu tamen
" super his indebitam tibi Iurisdictionem vsurpans nonnullis ex Scholaribus su-
" pradictis spretâ examinatione dictorum Examinatorum huiusmodi Licentiam
" temeritate propriâ concessisti, & passim concedere non vereris, examinationi ta-
" lium certos examinatores motu proprio deputando. Vnde fit quod præfata licen-
" tia per te sæpius insufficientibus conceditur & indignis, ac per hoc memoratæ
" Facultatis studium non modicum vilipenditur & penitus eneruatur. Quia ergo
" in his, si ita sunt, non minus honestati tuæ quàm prædictæ detrahitur Faculta-
" ti, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus aliquibus ex Scho-
" laribus supradictis licentiam huiusmodi non concedas, nisi per dictos Exa-
" minatores Vniuersitatis, vt fieri solet, examinati fuerint, & idonei vel sufficien-
" tes inuenti, certus quod si mandarum nostrum super hoc neglexeris adimplere,
" te ad id compelli mediante Iustitia faciemus. Datum Anagniæ 4. Kal. Aug. Pon-
" tif. nostri an. 4.

Eodem anno eadem Artium Facultas videns omnino exhaustum suum ærarium,

nec dubito quin propter Legationem Romanam & durante illâ Dominicanorum discordiâ exhaustum fuisset; vt illud aliquo modo repararet, statuit vt deinceps loco pignoris, seu vt tum loquebantur, vadiorum pecunia numerata acciperetur à Determinatoribus, hoc est ab iis qui ad determinandum publicè admissi fuissent, & à Baccalaureis suis incepturis. Insuper verò, ne Rector, qui pro tempore foret, pecuniam illam publicam & communem alienaret inconsulta Facultate & nisi ad expeditionem procurationemque communium negotiorum, aut ad solutionem communium debitorum.

Nos Magistri Artium de communi consensu Magistrorum nostræ Facultatis „ nullo ex nobis contradicente anxiantes super statu nostri lapsi reparatione, ac „ eiusdem immutatione, quoad quosdam articulos mutando; Considerantes „ nostram Facultatem propter defectum pecuniæ frequenter subiacere pericu- „ lis, quantam penuriam frequenter passi sumus propter inordinatam ac minus „ expeditam Procuratorum nostrorum ac Examinatorum Determinatorum „ refusionem, nec non propter superfluam pecuniæ repositæ expensionem „ ac distributionem factam tam Bedellis nostris, quàm aliis superuenienti- „ bus, statuimus, vt tam *Procuratores* nostri, quàm Examinatores Determina- „ torum, cum ad dicta Officia eliguntur, specialiter iurent coram tota Facultate, „ quod nullum vadium pro bursis Bachelariorum volentium incipere seu deter- „ minare, recipient, sed Bursas in quibus tenentur, ab eis recipient in pecunia nu- „ merata *Procuratores* Bachelariorum, antequam eos ad ducendum per Scholas „ admittant. Examinatores Determinatorum, priusquam eis licentiam conferant, „ nisi quis eorum pro Bachelario seu Determinatore ad primam citationem *Re-* „ *ctoris* veniat in pecunia numerata, ne per aliquod prædictorum valeat refusio „ impediri vel differri. Iurabunt etiam quod ad primam citationem *Rectoris* hora „ determinata ad locum refundendi conuenient parati ad refusionem faciendam, „ nisi legitimâ causâ eo tempore fuerint aliàs occupati. Et quod nullis Bedellis ni- „ si propriis nostris pecuniam quam debent Vniuersitati, nisi per se ipsos destina- „ bunt, sed etiam fideliter reseruabunt ante depositionem: & post pro suis viribus. „ Quo iuramento Rector cum ad officium assumetur, pariter adstringetur, vide- „ licet quod pecuniam communem non alienabit nec alienari permittet, nisi illa „ alienatio pecuniæ cedat ad solutionem debitorum Communitatis seu ad expe- „ ditionem negotiorum Communitatis eiusdem. Quod si aliquis prædictorum con- „ tra suum Iuramentum infringere prædictorum aliquid præsumat, Officio quo- „ libet in nostra Communione perpetuò sit priuatus, & eo ipso se esse priuatum ab „ omni officio cognoscat. Datum Anno Dom. 1258. mense Ianuarii. „

STATVTVM DE PIGNORIS.

Ad hunc quoque annum refert Mathæus Parisiensis Oxoniæ inter Scholares diuersarum Prouinciarum seu Nationum ortam fuisse seditionem. *Ipso quoque tempore*, inquit, *nata est grauissima discordia inter Scholares Oxonienses de diuersis Nationibus oriundos, videlicet Scotos, Wallenses, Aquilonares & Australes, ita vt vexilla bellica in triste prognosticon explicantes se se hostiliter impeterent, & quibusdam interemptis ab inuicem damnificarentur.*

Tunc scilicet habebantur Comitia Regni generalia apud Oxoniam, seu vt vocant *Magnum Parlamentum*: ibique Magnates aduersus Regem & Fratres eius & omnes eius amicos coniurarunt, præsertim verò Pictauienses quorum in negotiis gerendis operâ maximè vtebatur, insectati sunt adeo, vt eos ex Anglia migrare coëgerint. Eorum plurimi Boloniam peruenerunt, indeque è suis ad Regem Franciæ nonnullos miserunt supplicaturos vt liberum commeatum, aut in Regno moram ducere concederet, præsertim verò vt Electo Wintoniensi *Parisius morari ac vt Scholari ad tempus ibidem moram continuare liceret*. Verum id à Rege denegatum ob iniurias quas Regina dicebat sorori suæ Angliæ Reginæ ab iis illatas. Permissum tamen Fratribus Henrici Regis qui similiter fugere coacti fuerant, in Pictauiam transire. Qua de re sic legitur apud eundem authorem.

Cum verò prædicti Fratres Regis apud Boloniam quasi obsessi viliter fuissent „ coangustati, miserunt certum Nuncium ad Regem Franciæ humiliter deputan- „ tes vt ipsos qui ad sinum protectionis suæ in tribulatione confugerant, non dere- „ linqueret, imo potius secundum Priuilegium Regni sui, quod est omnes ad il- „ lud confugientes in pace receptos protegere, ipsos missis pacis nunciis & ductori- „

,, bus per Regnum suum transmeare in Pictauiam permitteret: quod & à Rege
,, piissimo libenter concessum est. *Miseris enim misericordiam facere, licet non ob meritum, charitat. esse perfectam nulli venit in ambiguum.*

1259. Anno 1259. nondum cessauerat discordia Parisiensis: multi in Dominicanos spargebantur & emittebantur in vulgus à Scholaribus famosi Libelli, licet inuitis Magistris: Liber *de periculis nouissimorum temporum*, quanquam Anagniæ damnatus, nihilominus à petulante iuuentute in linguam Gallicam, inque rithmos vernaculos translatus est, vt faciliùs à populo intelligeretur. Interim vrgebant Dominicani admitti in consortium Vniuersitatis: quanquam enim actus publicos frequentare & celebrare sinerentur, nondum tamen societate gaudebant quam postulabant: Imò maxima pars Academicorum, libertatis & priuilegiorum suorum amans ac tenax, ab ipsis & ab aliquibus Theologis, qui seu metu amittendorum Beneficiorum, seu spe obtinendorum, seu tædio tot molestiarum eis adhærebant, secesserat, seorsimque res suas & sua Comitia habebat, non eos quidem apertè & expressâ lege excludendo, ne Censuris ligari viderentur quas Pontifex tulerat, sed certè non communicando cum ipsis quæ ad Vniuersitatem pertinebant. Et in eo ferè statu fuerunt Academici per triennium, à reditu suorum Legatorum. Reginaldus Episcopus Parisiensis instabat reconciliationi, prout sibi ab Alexandro Pontifice iniunctum fuerat & identidem iniungebatur multiplicibus litteris. Academici reluctabantur, petebantque vt antequam illos admittere cogerentur, res Academiæ in integrum restituerentur, vtque Magister Guillelmus de Sancto Amore, qui suâ causâ & tuendæ Academiæ ergo exulabat, Authoritate Apostolica reuocaretur, eique sua beneficia redderentur. Hæc erat tum vnica, saltem speciosa causa dilationis. Non enim æquum esse videbatur Academicis hominem tantæ dignitatis, patronum suum ac defensorem deserere. Id rescripsit Episcopus ad Pontificem, id quoque Dominicani, dissimulanter quidem postulantes, vt pro bono pacis vellet Pontifex hoc impedimentum vnicum auferre. At ille molestè ferens tot suas irritas esse Bullas & nihilominùs vexari Dominicanos: Academicos verò frequenti litterarũ M. Guillelmi commercio recreari, ob idque ferociores videri, nec vllum velle cum Dominicanis habere consortium, nisi prius reuocaretur ab exilio Guillelmus, mandat Episcopo Parisiensi, vt Magistros Vniuersitatis conuocet, & admoneat non Vniuersitatis causâ damnatum exilio, sed propter contumaciam & alias rationes quæ ad personam ipsius non ad Vniuersitatem spectabant, vetetque cum illo commercium habere, aut eius causâ vexare Dominicanos. Bulla est eiusmodi.

„ Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Episcopo Pa-
„ risiensi Salut. & Apost. Bened. Indignanter accepimus & tibi referimus cum
„ dolore, quod Quidam Magistri & Scholares Parisius commorantes, non vnita-
„ tis & concordiæ, sed dissensionis & scandali amatores, Parisiense studium quod
„ sopitis controuersiis erat in tranquillo statu positum, perturbare, ac Religiosis
„ quibusdam & aliis, *à suo eos, vel se ab ipsorum societatis consortio separando*
„ graues inferre molestias moliuntur, eo quod Guillelmi de S. Amore ipsius turba-
„ toris studij suis exigentibus culpis, quia transeunte lingua eius super terram po-
„ suerat temerè os in cœlum, per Nos, citra condignum tamen, quia pœnam me-
„ ruerat grauiorem, ab illis partibus, ne illas corrumpat vlterius, separati releua-
„ tioni seu reuocationi tenuunt consentire, honestatem in hoc & iustitiam ample-
„ ctentes. Cum igitur intentionis & voluntatis nostræ prorsus existat dictum Guil-
„ lelmum, cuius de multis malis, quæ hactenus commisisse noscitur, nulla pœni-
„ tentiæ signa monstrantur, nunquam releuare in aliquo, vel ad sua Beneficia,
„ seu Parisius reuocare, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta districtè præci-
„ piendo mandamus, quatenus conuocatis omnibus Magistris & Scholaribus Pa-
„ risius studentibus, sub excommunicationis pœna eis districtè præcipias, vt
„ nullos Religiosos seu quoscumque alios occasione huiusmodi, quod nempe
„ Guillelmi de S. Amore releuationi seu reuocationi consentire tenuunt, molesta-
„ re præsumant, *se ab eorum, siue ipsos à suo consortio separando*, qui præfati
„ Guillelmi releuationi vel reuocationi non præstant assensum, cum illum præ-
„ stare non debeant, nec hominis iurgiosi & in sua obstinati peruicacia releua-

tionem ſeu reuncationem ſaluâ poſſent conſcientia poſtulare, denuncians nihilominus Magiſtris & Scholaribus memoratis, quod omnes pœnas & priuationes in ordinatione, ſententiis, litteris, vel ſtatutis à Nobis dudum emiſſis contentas incurrunt, qui Religioſos & quoſcunque alios moleſtare præſumunt, ſeparationem huiuſmodi procurantes: cum ſeparare alios à ſe, & ſubducere vel ſubſtrahere taliter ſe ab aliis idem penitus reputemus. Non obſtantibus iuramentis vel promiſſionibus aut obligationibus ſeu quibuſcunq; ſtatutis, quibus dicti Magiſtri & Scholares ſe aſtrinxiſſe pro releuatione vel reuocatione cuiuſlibet pro cauſis Vniuerſitatis afflicti dicuntur, maximè cum idem Guillelmus non pro factis Vniuerſitatis, ſed pro ſuæ malignitatis offenſâ fuerit ſedis Apoſtolicæ iudicio, iuſtitiâ exigente punitus. Datum Anagniæ Non. April. Pontif. noſtri anno 5.

Hic obiter notandum initium ſeparationis Facultatum ſtudii Pariſienſis, & origo nouæ adminiſtrationis eiuſdem Academiæ. Nam vſque ad hæc tempora Vniuerſitas fuit per Rectorem & per Procuratores Nationum ſolummodo, tanquam per ſolos Principes ſuos & Capita adminiſtrata: nec legimus hactenus vllibi Decanorum Facultatum fieri mentionem. Omnes quippe Magiſtri cuiuſcunque Profeſſionis eſſent, in Matriculam ſuæ quiſque Nationis, (veluti olim Ciues Rom. cuiuſcunque Ordinis, Senatorii, Equeſtris & Plebeij) in ſuæ quiſque Tribus Album referri curabant, & ſub Procuratore Nationis militabant. Vnde M. Guillelmus de S. Amore, licet Theologiæ Doctor in ſuis ad obiecta Reſponſionibus, cum Præfectos rei Academicæ commemorat, non alios refert, quàm *Rectorem* aut *Procuratores*. Cû enim ille more conſueto ſolẽniter dimiſiſſet ſcholam, obortâ forte inter Dominicanos & Academicos diſcordiâ, ait ſe retentum à Magiſtris ad illam componendam, licet tum *neque Rector neque Procurator eſſet*: qua in occaſione, ſi tum fuiſſent in Theologica Facultate Decani, non potuiſſet profectò nec debuiſſet eorum non meminiſſe, præſertim cum Quæſtio quæ agitabatur, tota pertineret ad Theologiam. Agebatur quippe de Scholis Theologicis concedendis aut non concedendis Ordini Prædicatorum, iiſque ad Scholaſticam in Theologia ſocietatem admittendis, aut non admittendis. Itaque licet interdum legamus 4. Facultates ſocietatem inter ſe habuiſſe, & illarum ſingulas ſtatuta quædam condidiſſe ſuo ſtatui conuenientia, non ideo tamen ſeparata atque ſeiuncta corpora conſtituebant: ſed ſub authoritate Rectoris ea condebant quæ ad profeſſionem ſuam & docendi modum pertinebant. Cum vero Comitia celebrabantur, ſuffragium ſinguli Magiſtri in ſuis quiſque Nationibus dabant: quemadmodum olim Romani in Comitiis Tributis: in quibus ſinguli, ſeu Senatores & Patricii, ſeu Equites, ſeu Plebeii ſuffragia tabellaſque ferebant.

Vt autem quo Ordine, quaque gradatione facta fuerit iſta Facultatum ſeparatio, & nouorum Corporum diſtinctio, habeamus, operæ pretium eſt animaduertere Dominicanos triplici ſeparationi occaſionem dediſſe: 1°. fuit totius ipſius Vniuerſitatis ab ipſis. Nam cum illi duas Cathedras Theologicas publicas & ſolennes ſtatuto ſibi firmari poſtulaſſent, atque in conſortium Magiſtrorum Theologiæ admitti, vtrumque illis ſtatuto denegatum eſt. Hinc cauſa diſſidii. Academici enim à ſuo illos conſortio in perpetuum expulerunt, ne monſtrum, vt aiebant ex diuerſis Corporibus & ex tam alieni inſtituti Magiſtris cõponerent. At cum ab Innocentio IV. & ab Alexandro item IV. iuſſi fuiſſent eos in ſuum conſortium admittere, alterius ſeparationis viam adinuenerunt, quam mutuam iure appellare poſſumus: renunciarunt enim ſinguli omni ſocietati & conſortio atque iuribus & Priuilegiis Academiæ, & tanquam priuati Magiſtri nullam habentes amplius inter ſe colligationem & communionem, in Ciuitate Pariſ. remanſerunt, reſcripſeruntque Pontifici, ſe non obſtare quominus Dominicani ſocietatem inirent cum Academicis, ſi qui eſſent qui Vniuerſitatem componerent, cæterum ſe nec ſocietatem habere amplius, nec Vniuerſitatem componere. Verum irrita quoque fuit eiuſmodi ſeparationis via, vt ex dictis conſtat.

Tertiò tandem aliam commenti ſunt: nam cum Legati Academici malè exceptiſſent Anagniæ ab Alexandro habiti, coactique fuiſſent non modò illic, ſed etiam Pariſiis publicè recantare quæ dixerant ſcripſerâtve aduerſus Mendicantes, item M. Guillelmus qui Academiæ tuendæ cauſa retentus fuerat, veraretur Lute-

tiam redire. Multi verò è Magistris præsertim Theologicæ Facultatis mallent deinceps cum Dominicanis quantamcunque societatem contrahere, quàm perpetuis fulminibus à Pontifice emissis terreri, atque ita in illâ animorum diuisione periculum esset, ne splendor Academiæ penitus interiret, statuerunt alii Academici inito Consilio & matura deliberatione prius habitâ, sub authoritate Rectoris & Procuratorum vt vera à falsis discernerent, neminem se pro Academico habituros qui non iuraret se Mendicantes ad societatem non admissurum, antequam illi M. Guillelmi postliminium impetrassent. Et quia nonnulli huic statuto subscribere noluerunt aut non ausi sunt, tam ab ipsis quàm à Dominicanis secesserunt: & sic vtraque pars seorsim stetit aliquandiu, donec an. 1259. pax inter eas coaluit. Hæc occasio Bullæ suprадictæ. Quem verò progressum & successum habuerit ista separatio ex dicendis amplius constabit, sufficiat impræsentiarum notasse, quæ causa fuerit huiusmodi secessionis.

Iterum eodem anno Facultas Artium statutum condidit de Examine S. Genuefæ, cauitque ne quis deinceps examinaret, Licentiandos in Artibus, qui à 4. Nationibus Facultatis Artium non fuisset ad id muneris delegatus. Ab aliquot enim annis, forte durante lite Dominicanorum, Cancellarius San-Genouefianus præficiebat ipse propriâ authoritate examini, quos volebat etiam non nominatos à Nationibus. Cuius licentia vt refrænaretur, ab Alexandro Bullam ad eum obtinuerunt, quâ vetabatur per alios examinare quàm per eos qui à Nationibus fuissent confirmati. Hæc ad an. 1258. Statutum vero Facultatis Artium est eiusmodi.

STATVTVM DE EXAMINE S. GENOVEFAE.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis Magistri in Facultate Artium Regentes Parisius cognoscere veritatem. Cum Cancellarius in examinatione B. Genouefæ super libertatibus dictæ examinationis nobis iniuriari multipliciter non formidet, præsertim cum ipse examinatos per non deputatos à nobis seu non examinatos in nostrum præiudicium non modicum & grauamen licentiare præsumat: vnde etiam frequenter à Deputatis rite examinatos & expeditos pro suæ voluntatis arbitrio repellere nullatenus erubescit, ac si nullum ius in examinatione dictâ Nos habere recognoscat: cũ tamen ipse, vt credimus audire non debeat, nec aliquos expedire nisi auditos & expeditos per deputatos à nobis: quousque de contrario authoritate suorum priuilegiorũ nos doceat, quorum copiam nobis sæpe requirentibus denegauit exhibere: considerantes in hoc nostras libertates multipliciter impugnari & volentes impugnationibus his obuiare modis omnibus quibus rationabiliter possumus, pro bono cõmuni statuimus de cõmuni consensu Magistrorum nostræ Facultatis nullo in eis contradicente, vt nullus Bachelarius à modò licentiari ex parte illa per Magistros à Nobis non Deputatos præsumat, seu Magister aliquis Regens vel non Regens licentiam alio quàm modo prædicto procurare: ac nulli liceat Magistrorum qui non sit Deputatus à nobis iuxta formam nostram aliquem Bachelarium superius examinare. Ad quod statutum omnes Regentes sint adstricti & omnes Incipientes adstringantur. Quod si hanc ordinationem aliquis contra suum iuramentum infregerit, indignationem nostræ societatis se nouerit incursurum. Ne quis autem eam infringere præsumat, statuimus omnes infringentes à societate nostrâ priuari. Bachelarium ad nostram societatem in perpetuum non admitti, Magistrum Regentem suis lectionibus priuari: non Regentem societate nostra in Principiis, in examinatione communi, seu in determinatione sui Bachelarii in perpetuum non gaudere cum omnibus pœnis aliis, quas nostra Facultas infligere poterit, quo vsque condignâ satisfactione præmissâ de communi consensu nostro vel maioris partis prædictas pœnas duxerimus reuocandas. Hæc autem ad præsens statuenda decreuimus saluis in omnibus & per omnia libertatibus Ecclesiæ S. Genouefæ authoritate Apostolicâ dictæ Ecclesiæ indultis seu concessis, si qua fuerint indulta examinatione præmissâ. Datum anno Dom. 1259. mense Maio, 3. Non. Iam ad litem Mendicantium redeamus.

Igitur Alexander Pontifex eidem semper proposito insistens non reuocandi ab exilio Guillelmi, vidensque se non potuisse tot Bullis nec posse Academicorum animos peruincere, existimauit occurrendum saltem esse malo venturo; & quia Episcopum & Cancellarium Parisiensem satis habebat ad votum suis manda-

tis obsequentis, scripsit ad Cancellarium San Genouefianum, vetuitque ne cui in vlla Facultate regendi licentiam concederet, qui non iuraret se statuta sua obseruaturum & pacem cum Mendicantibus bonâ fide habiturum.

AD CANCELLARIVM SANGENOVEFIANVM.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto Filio Cancellario Ecclesiæ S. Genouefæ Parisiensis salutem & Apostolicam benedictionem. Præsentium tibi authoritate præcipiendo mandamus, quatinus nullum de cætero licenties Parisius in aliqua Facultate, nisi prius iuret ordinationes & statuta pro tranquillo statu Parisiensis studii dudum à nobis edita & ea quæ continentur in ipsis se inuiolabiliter seruaturum, & expressè promittat per huiusmodi Iuramentum *quod deinceps Religiosorum & aliorum in eodem studio desudantium quietem & pacem directè vel indirectè, occultè vel manifestè per se vel per alium scienter nullo modo turbabit, puniens* nihilominus pœna debita Iuramenti huiusmodi transgressores. Datum Anagniæ 15. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

Ex huiusce Bullæ verbis euidenter colligimus Cancellarium San-Genouefianum tam adhuc Theologis quàm aliarum Facultatum Magistris licentias impertiri consueuisse: quam potestatem & authoritatem quando & quamobrem amiserit aut exercere destiterit, non est hic locus inquirendi.

Porro intelligens idem Pontifex illam Academicorum peruicaciam ex frequenti & libero litterarum M. Guillelmi commercio oriri, aliâ Bullâ ad Episcop. Parisiensem datâ biduo post Anagniæ nempe 12. Kal. Iulias mandauit & præcepit, vt omni eiusmodi litterarum commercio interdiceret Academicis, quandoquidem ex illo ali & foueri discordia comperiebatur. Bulla est eiusmodi.

AD EPISCOPVM PARIS.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili fratri Episcopo Paris. Salutem & Apostolicam benedictionem. Multorum relatione quod per Nuncios & litteras quas Vniuersitas Scholarium Parisiensium vel aliqui de ipsa Guillelmo de S. Amore transmittunt vel recipiunt ab eodem frequenter, Parisiense studium & status Religiosorum & aliorum existentium Parisius non modicum perturbatur. Volentes igitur paucorum malitiis obuiare, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus eidem Vniuersitati & singulis de ipsâ ex parte nostrâ præcipere ac districtius inhibere procures, ne de cætero dicto Guillelmo aliquas litteras vel Nuncios quibus posset bonus status Parisiensis studii & Religiosorũ ac aliorũ quomodolibet perturbari, mittere vel ab eodem recipere Guillelmo aliquo modo præsumant communiter vel diuisim. Etsi quis contrarium fecerit, ipso facto sententiam Excommunicationis incurrat, nec ab ea possit absolui, nisi de mandato sedis Apostolicæ speciali. Datum Anagniæ 12. Kal. Iulii, Pontif. nostri an. 5.

At cum certò resciuisset Rectorem & Magistros Facultatis Artium, aliosque etiam aliarum Facultatum Magistros, qui cum ipsis consentiebant, se tam à Theologorum quàm à Mendicantium consortio in elusionem mandati Apostolici separauisse, paucis post diebus aliam Bullam ad eundem emisit Episcopum, quâ districtissimè mandabat, vt sub pœna excommunicationis cogeret eos, hoc est, tam Theologos & alios Magistros seculares quàm Regulares in suam societatem sincerè recipere. Nam vt supra dictum est, cum Dominicani societatem Theologorum præsertim affectarent, Artistæ & alii qui iurauerant se nunquam in societatem illam consensuros antequam M. Guillelmus ab exilio reuocaretur, resecatis à suo consortio Theologis, seu potius se ab eis separantes crediderunt se à Dominicanorum admissione fore liberos, cum illi non Artistarum aliorumque Magistrorum aliarum Facultatum societatem, sed Theologorum tantùm affectassent. Sed contra Pontifex.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili Fratri Episcopo Paris. Salutem & Apostolicam benedictionem. *Ex alto fuisse conspicimus Ciuitati Parisiensi prouisum*, quod honorificata decore studii Generalis & tantorum Vniuersitate Scholarium illustrata præluceat Orbis Ciuitatibus, Orbemque lucidum reddiderit sui luminis claritate. Ipsa quidem Vniuersitas fons irriguus consueuit esse virtutum, Vniuersale speculum, Mater studere volentium, & Magistra, scientiarum ad singulos dona deriuans, cunctosque clarificans illustribus radiis Doctrinarum. Et quia nonnulli seditionis & nequitiæ filii lucem in tenebras conuertere satagentes tantum studium subuertere conabantur, Nos horum conatibus ob-

» uiantes certa statuta de nostro & fratrum Consilio dedimus, per quæ studio so-
» liti reddebantur incrementa vigoris & talium Peruersorum intentio tollebatur.
» Cumque noster animus optata super eo tranquillitate quiesceret, quod sicut ha-
» bebat relatio plurimorum statum quietis & pacis Vniuersitas resumpsisset, post-
» mudum quod turbati referimus, qui dicebantur à seditionum suarum languore
» sanati, passos fuisse didicimus recidiuam in Diuini nominis contumeliam, Apo-
» stolici mandati contemptum & subuersionem studii memorati. Nuper enim no-
» stris est auribus intimatum, quod Magistri & *Rectores Artistarum* Parisiensium, se
» à Dilectorum filiorum Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratrum, & quo-
» rundam aliorum Magistrorum & Scholarium Religiosorum & Secularium so-
» cietate seu consortio separantes, ipsos in elusionem mandati Apostolici super hoc
» directi ad suum Consortium pro suæ voluntatis arbitrio non admittunt contra
» statuta olim à nobis super hoc edita temerè veniendo. Verum quia id animum
» nostrum acerbius vulnerat, quo materia maioris turbationis & scandali (nisi su-
» per hoc à nobis salubre exhibeatur remedium) posset exinde non absque graui
» Ecclesiæ generalis dispendio facilius exoriri, maximè cum huiusmodi separatio
» quacunque arte vel ingenio adinuenta fuerit, & quocunque nomine censeatur
» expressè contra Ordinationem nostram & statuta prædicta pro tranquillo statu
» studii Parisiensis edita, sit præsumpta. Volumus & per Apostolica tibi scripta
» firmiter præcipiendo mandamus *quatinus eisdem* Rectoribus & Artistis ac aliis Ma-
» gistris & Scholaribus Parisiis commorantibus *ex parte nostra districtè præcipias, vt*
» *infra 15. dies post huiusmodi præceptum eosdem Fratres ac alios in suum consortium seu*
» *societatē iuxta eorundem statutorum tenorem admittere studeant & efficaciter retinere. Ni-*
» *hilominus inhibeas ne similia de cætero attententur*, alioquin tam *Rectores*, Arti-
» stæ prædicti ac alii, qui memoratos Fratres & eis super hæc adhærentes ad huius-
» modi societatem seu consortium iuxta præceptum nostrum taliter admittere ac
» retinere non curauerint, quàm etiam omnes illi qui contra inhibitionem hu-
» iusmodi publicè vel occultè, seu quouis alio modo venire præsumpserint, eo ipso
» sententiam excommunicationis incurrant, à qua nullatenus absolui valeant, nisi
» personaliter ad sedem Apostolicam accesserint, absolutionem huiusmodi petituri.
» Porro cū per Prædicationes & Disputationes Guillelmi de S. Amore prædicti Fra-
» tres qui vt Christū lucrifaciant, electionem voluntariā paupertatis elegisse nos-
» cuntur, & quamplures alii fuerint grauiter diffamati, Nos ad confutandam su-
» per hoc ipsius Guillelmi malitiam & elucidandam in talibus veritatem, Vniuer-
» sis præsentes litteras nostras quibus statum dictorum Fratrum non indignè
» approbamus, duximus destinandas, quarum tenores per te vel per alios Parisius
» & alibi in Ecclesiis & aliis locis, in prædicationibus publicis & prout expedire
» videris coram Clero & Populo tam Latinis quàm vulgaribus verbis exponere
» studeas diligenter. Insuper quendam libellum famosum & detestabilem ab eo-
» dem Guillelmo editum prout publicè apud sedem Apostolicam confessus exti-
» tit, quem per Nos de Fratrum Nostrorum consilio condemnatum igne cremari
» fecimus, cuius titulus *Tractatus breuis de periculis Nouissimorum Temporum* nuncu-
» patur, principium autem eius erat, *Ecce videntes clamabunt foris*, nec non & alios
» quosdam libellos famosos in infamiam & detrectationem eorundem Fratrum ab
» eorum æmulis in litterali & vulgari sermone, nec non rythmis & cantilenis in-
» decentibus, de nouo vt dicitur editos, quos exhiberi facias, detentores ad exhibi-
» tionem ipsorum per Censuram Ecclesiasticā appellatione postpositâ cōpellendo,
» conuocatis Magistris & Scholaribus Parisius existentibus facias publicè coram
» omnibus igne cremari. Præterea Guillotum Bedellū Scholariū Nationis Picardo-
» rū, pro eo quod suæ salutis immemor Dominica in Ramis-Palmatū proximè præ-
» teritâ prædicante Dilecto Filio F. Thoma de Aquino eiusdem Ordinis Prædicato-
» rū quendam libellum famosum, quem vt pote contra eosdem Fratres editū pu-
» blicè reprobauerat, contemptâ excommunicationis sententiâ, quam in omnes au-
» thores, Detentores aut Publicatores ipsius Libelli, authoritate ordinaria promul-
» gasse diceris in conspectu Cleri & Populi tunc ibidem existentis in tui & ipsorum
» Fratrum iniuriam publicare præsumpsit, excommunicatum præsentibus Magi-
» stris & Scholaribus supradictis studeas nuntiare, priuando ipsum nihilominus
» perpetuo Bedellionatus Officio, ita quod illud nec per se nec per alium de cæ-

tero exercere præſumat, nec etiam ſalarium aliquod ſibi (quem de Ciuitate Pariſienſi ſublato appellationis obſtaculo perpetuo procures expellere,) petere vel recipere liceat ratione Officij ſupradicti, auxilio Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Regis Franciæ Illuſtris ad promiſſa ſi opus fuerit inuocato. Non obſtantibus quibuſcunque appellationibus à dictis Magiſtris, Rectoribus & Scholaribus interiectis. Ad hæc volumus quod omnes illi qui deinceps huiuſmodi libellos vel conſimiles edere & detinere ſeu publicare, aut præfatum Bedellum Pariſius reducere præſumpſerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, à quâ non niſi iuxta modum abſolui valeant prænotatum. Præſentes autem litteras omni morâ & difficultate poſtpoſitâ coram Vniuerſitate prædictorum Magiſtrorum & Scholarium ſtudeas publicare. Datum Anagniæ 6. Kal. Iulij, Pont. noſtri. an. 5.

Ipſi quoque Academici tam per litteras quàm per Legatos Guillelmi ſui poſt liminium poſtularant, excuſantes contumaciæ crimen quod ei Pontifex obiiciebat potiſſimum. Non extant, credo, nunc Vniuerſitatis litteræ; ſed ex eis quas ad eam reſcripſit Pontifex, ſatis intelligitur Academicos moleſtè licet ferentes quod ſuâ cauſâ M. Guillelmus exularet, parendo tamen aliquatenus Alexandri mandatis, à Conuentibus ſuis non expuliſſe Mendicantes, at quoties iis intereſſent, Defenſoris ſui cauſam & poſtliminum in Quæſtionem reducere conſueuiſſe, vt ſic eos excedere compellerent, ne quod damnauerat Pontifex, approbare cogerentur. Reſpondit verò Alexander & peruicaciam Guillelmi obiecit: expianti tamen crimen veniamque poſtulanti pollicitus eſt gratiam ſuam & reditum. Bulla eſt eiuſmodi.

AD VNIVERSITATEM,

Alexander Epiſcopus Ser. Seruorum Dei, Dilectis filiis Magiſtris & Scholaribus Pariſienſibus Sal. & Apoſt. bened. *Ex alto fuiſſe conſpicimus Ciuitati Pariſienſi prouiſum, quod honorificata decore Studij Generalis & tantorum Vniuerſitate ſcholarium illuſtrata præluceat Orbis Ciuitatibus, orbemque lucidum reddiderit ſui luminis claritate. Ipſa quidem Vniuerſitas fons irriguus conſueuit eſſe virtutum, vniuerſale ſpeculum, mater ſtudere volentium & Magiſtra ſcientiarum, ad ſingulos dona deriuans, cunctiſque illuſtribus radiis Doctrinarum clarificans, &c.* Inter alia quæ olim pro Vniuerſitatis & diſciplinæ veſtræ profectu ſalubriter ordinanda proſpeximus, quod Religioſi viri, præſertim FF. Prædicatores & Minores degentes Pariſius, qui ſicut merito & participatione doctrinæ atque ſcientiæ Vniuerſitatis veſtræ debent pars non incongrua nec indigna videri, eiuſdem Vniuerſitatis tam conſortio quàm Beneficio gauderent in omnibus ſub certâ formâ duximus ſtatuendum. Sed licet non forſan in omnibus, in plurimis tamen animoſæ voluntatis arbitrio rationabilis æquitatis euertente iudicium, aliqui contra Ordinationem noſtram, cui voluntariæ approbationis aſſenſus, & promptæ obeditionis obſequium debebatur, præſumptuoſum rebellionis leuauere calcaneum: aliqui mandatorum noſtrorum vim & poteſtatem ingenioſis adinuentionibus vacuantes, ſuperficialiter ſic noſtris detulêre ſermonibus, quod verius illuſiſſe probantur. Cum enim iuxta Ordinationem eandem prædictos Fratres teneamini à veſtro non ſeparare conſortio, quis non videat manifeſtæ deluſionis commentum, quod ſeparando vos ab ipſis, prohibitam ſeparationis pœnam eis infligitis indirectè contra poſitam vobis eiuſdem Ordinationis legem communem priuatis fraudibus rectiſſimè moliendo? *Pro Guillelmo præterea de S. Amore quem à Communione veſtrâ prorſus extraneum notiſſima culpa fecit, ad priſtinum Vniuerſitatis veſtra reuocando conſortium, Conuentum fieri, vel haberi Tractatum, ne ſopiti ſcandali rediret occaſio, Apoſtolica Sedis Auctoritas interdixit.* Nihilominus autem quia noſtis eoſdem Fratres propter tranſgreſſionis culpam & prolatæ animaduerſionis pœnam, quas religioſo timore deuitant, nec poſſe nec velle, vbi habentur de prædictâ reuocatione Tractatus, conuenire vobiſcum, quoties pro quibuſlibet Vniuerſitatis negotiis conuenitis, huiuſmodi Tractatus reducitur, quo eiſdem Fratribus illicitum fiat veſtris Congregationibus intereſſe. In quo vtique facto ſagittæ nocere paratæ quæ peruersè mittuntur in alios, in ſpirituales plagas mittentium conuertuntur. Caueant ergo ſibi qui tales ſtruere non verentur inſidias, ne dum aliis tendiculas deceptionis obiiciant, ipſi in propoſitos ſibi à Nobis laqueos Excommunicationis aliarumque ſententiarum inciderint, à quibus ne-

quibunt, cum voluerint, de facili expediri. *Mirum si considerationis vestræ doctæ prudentia dignum veniâ iudicet prædicti Guillelmi graue peccatum, quod nec Confessionis humilitas, nec pœnitentiæ satisfactio, nec conueniens pœnitudinis indicium mitigauit. Præsumptionis enim eius audacia publicauit longè latéque se ipsam, eamque non tam condigna quàm misericordis animaduersionis vltio prædicauit: quod videlicet in Vniuersitatis vestræ perniciosam scissuram & dissolutionem studij salutaris non est veritus ponere os in cælum contra Sedis Apostolicæ potestatem, aduersus authoritatem Pontificum, contra ministeria Sacerdotum, contra statum & profectum Religiosorum virorum, maximè Prædicatorum & Minorum, quorum sacra plantatio sanctam fœcundat & venustat Ecclesiam reprobè dogmatizans, & quantum in ipso fuit, disseminans in Ecclesiæ vnitatis nefandi schismatis pestem, famosum infamemque conscribendo libellum, ne in ventum caderent contumeliosa & damnabilia verba sua.* Porro quamuis eundem libellum in fauillam & in cinerem Ecclesia Rom. damnauerit spiritu oris sui, ostendens hoc ipso quæ stipendia deberentur auctori, ipse tamen nec apud Sedem Apostolicam, nec postmodum alibi constitutus suum super eodem libello, quem se composuisse non abnuit, humiliter confiteri curauit & emendare commissum: Sed in suâ rigidus peruicaciâ eos, quorum animos incitare non desinit, temeritatis propriæ incentiuo secum trahit in pertinacis, vt accepimus, obstinationis abyssum. *Hæc quippe non est illa quæ desursum venit, sapientia pudica, pacifica, & modesta, pro qua capescenda peregrinari patriis relictis sedibus elegistis: pro quâ constituistis Scholasticis vos exercere sudoribus: pro qua decreuistis nocturnis lucubrationibus fatigari, quam vtique nemo pertinget qui fuerit sapientiæ terrenæ quæ animalis est & maligna, ac sanæ doctrinæ opposita, studiosus. Hæc nempe Carnalium est deorsum emergens prudentia quâ secundum hominem ambulantes, zelo & contentione rixantur, ac sibimet propter concupiscentiam, quæ in eorum membris militat, inquieti pacem ad Deum & proximos nesciebant, &c. Præfatus verò Guillelmus pro quo per memoratos Nuncios supplicastis, si conuenientia humilitatis & pœnitentiæ signa monstrauerit, per quæ appareat è via suæ prauitatis conuersus, poterit Apostolicæ Sedis non solum misericordiam sed & gratiam promereri, &c.* Datum Anag. 5. Id Iulij an. 5.

Ex his Bullis perspicuum est fuisse tum in Vniuersitate Schisma. Nam ab anno quidem 1243. quo hæ turbæ exordium sumpserunt, ad annum vsque circiter 1257. constans fuit animorum consensio, non esse Regulares vllatenus in commune consortium admittendos. At post reditum legatorum Academicorum plurimi Theologi, vt supra dictum est, Regularibus adhærentes Pontifici parendum esse putauerunt. Alij cunctandum rati, donec aut tempus emolliret ipsius Pontificis animum, aut M. Guillelmus ab exilio reuocaretur, aut alia occasio occurreret tuendæ libertatis, in eodem proposito constantes perstiterant: seque proinde à prædicta Theologorum Regularibus adhærentium parte seiunxerant, suaque Comitia celebrabant. Nec dubitandum quoque videtur, quin & illi similiter sua suosque actus Scholasticos cum Regularibus habuerint. Molestè tamen ferebant se à reliquo Vniuersitatis corpore; cuius Rector caput erat & Procuratores Nationum præcipui Administratores & Præfecti, tanquam membra putrida esse diuulsos. Itaque ad eundem Pontificem recurrentes prædictam Bullam obtinuerunt, quâ *Rectori & Procuratoribus* quos *Artistarum Rectores* vocat, & aliis aliarum Facultatum Magistris eorum parti adhærentibus excommunicationem comminatus est, nisi protinus diuisos illos Magistros tam seculares quam Regulares ad suum consortium reuocarent.

Cum autem vocat *Rectores Artistarum* (seu his verbis *Rectorem & Procuratores* Nationum intelligens, seu reuera duos *Rectores Vniuersitatis*, vt accidit aliàs Schismaticis temporibus) id cum contemptu dixisse videtur in suæ argumentum indignationis, quasi hic sensus eius fuerit, quod absurdum prorsus ipsi videretur, vt Theologi suis decretis parerent, Artistæ verò & alij minimè, quibus Rector & Procuratores, non illis adhærerent. Vnde in Bulla, quam supra retulimus, Theologiæ Magistros mirificè collaudat, de cæteris nullâ ferè factâ mentione, Theologicamque Facultatem quasi aliarum Dominam extollit, cæteras deprimendo veluti ancillas: quippe existimabat, si Theologi semel consentirent, cæteros quoque Magistros statim consensuros. Vel ob hanc rationem *Artistarum Rectores appellat*, quia *Rectoris & Procuratorum* ele-

ctio ab Artiſtis pendebat. Licet enim non diffiteamur fuiſſe in Nationibus ab omni æuo 4. quodammodo Facultatum Profeſſores, certum tamen eſt è Collegio Artiſtarum Rectorem & Procuratores aſſumi ſemper conſueuiſſe; vt qui ordine profeſſionis inferiores erant, Præfectorum Vniuerſitatis electione pares eſſe poſſent. Quemadmodum igitur olim apud Romanos Conſules & Dictatores Plebeij, licet ex infimo Ordine aſſumpti toti tamen Reipub. præerant: ita & Rector de Artiſtarum Collegio ſumptus, qui ordo eſt in Vniuerſitate poſtremus, totius nihilominus Academiæ Caput eſt ſupremum; eique tanquam Dictatori omnium Facultatum Magiſtri parere tenentur. Hinc poſt acceptas prædictas Alexandri litteras, in quibus Rector Artiſtarum appellatur, in inſtrumento publico eiuſdem Vniuerſitatis eodem anno 21. Feb. confecto *Rector* ſimpliciter denominatur, his verbis. *Rector Vniuerſitatis Magiſtrorum & Scholarium Pariſius ſtudentium.* Sed de his hactenus.

Porro quia verebatur Pontifex vt non poſſet Epiſcopus Pariſienſis litteras ſuas executioni demandare abſque auxilio brachij ſecularis, vt vocant, ſcripſit ſimiliter ad Regem Ludouicum, rogauitque vt Epiſcopo prædicto præſtaret operam ad exequendum ſua mandata, quoties ab eo poſtularetur.

Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Chariſſimo in Chriſto filio Regi Francorum Illuſtri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dum Apoſtolicæ ſedis ſermones & ſcripta ea promptitudine, quoties tuæ Celſitudini mittuntur, aſſumis, vt videaris in illis eum cuius in terris vices licet immeriti gerimus, intueri. Expendis vtique latius animaduertendum cæteris Chriſtianiſſimæ Deuotionis exemplar, quod palam ſemper effulſit, & in excelſo throno benedicti à Domino Regni tui. Hinc Nobis & Eccleſiæ Chriſti acceſſit aſſiduè materia ſpiritualis exultationis & laudis. Hinc quoque in preſſuris quas eadem Eccleſia inter fluctuoſos mundi huius impetus extrinſecus inquieta perpetitur, refrigerium percepis internæ conſolationis & pacis. Sanè quamuis experimentorum teſtimonia de tuarum Nos lætificantia incremento virtutum quas ſublimis venuſtat humilitas, iugiter increbreſcant, hoc tamen nunc inter bona tua lætanter & gratanter accepimus, quod ad fauorem Regium contra Pariſienſis ſtudii Turbatores viris pacificis ſapientiæ otia ſtudioſa cenſentibus impendendum preces & exhortationes Apoſtolicæ te pronū & beneuolū innenerunt. Super quo Serenitati tuæ gratiarum exoluimus actiones. Cum autem Venerabili fratri noſtro Epiſcopo Pariſienſi contra Turbatores eoſdem diuerſa mandata dederimus, in quibus exequendis ipſum oportet Regalis potentiæ brachio adiuuari, Celſitudinem tuam rogamus & hortamur attentè in remiſſionem tibi peccaminum ſuadentes, quatinus eidem Epiſcopo ad compeſcendum & puniendum illos prout expedire cognouerit, dexteram traditæ tibi diuinitus poteſtatis accommodes, quotiens f..eris requiſitus, vt tuo munimine inter inquietos innocens pacificorum tranquillitas muniatur, cupientium ſtudiis vacare prudentiæ tuta conualeſcat vtilitas, & exinde apud Deum tuorum creſcat cumulus meritorum. Datum Anagniæ Idib. Iul. Pontif. noſtri an. 5.

Quis non fremat cum audit tot Bullas tam leuem ob cauſma datas? tot fulmina manu Apoſtolica emiſſa? quis non miretur ſummum Pontificem alioqui virum optimum, ita ab inimicis Vniuerſitatis induci potuiſſe, vt tam vehementer perſequeretur Academiam Pariſ. quod nollet alterius Ordinis & inſtituti homines in ſuum conſortium admittere? Tunc enim Academici damnatum fuiſſe Guillelmi Libellum minus impatienter ferebant: ſed violari ab iſtis hominibus ſua priuilegia, libertates imminui, ſtatuta infringi, cum inimicis & ab inimicis cogi conuerſari, omnia habere cum acerrimis perſecutoribus communia, vno verbo cum percuſſoribus ſocietatem inire compelli, hoc vero ſupra quam dici poteſt, indignanter ferebant.

Nihilominus vt turbationi eiuſmodi finem qualemcunque imponerent, vtque tempus protraherent, diuerſa ſemper effugia meditando, cenſuerunt tandem eos eſſe admittendos, ſed tam duris conditionibus, vt vel ipſi conſilium ſuæ admiſſionis abiicerent, atque à propoſito deſiſterent: nam cum quo in ordine reponendi eſſent in Vniuerſitate, quemve locum in actibus, ſupplicationibus ſolennibus, Conuentibus ac Comitiis eſſent habituri, tribus vicibus deliberatum eſſet, concluſerunt tandem iis, qui ſuperbè dominari volebant, tamque ſtudioſè & ambitioſè nomen Magiſtri affectabant, infimum locum eſſe aſſignandum, & cæteris Religioſorum Ordinum Magiſtris eſſe poſtponendos: vt patet ex hoc inſtrumento apud Mathurinenſes confecto.

RECEPTIO DOMINICANORVM AB VNIVERSITATE.

Vniuersis Præsentes litteras inspecturis Rector & Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisius studentium salutem in Domino sempiternam. Nos ex certis & rationabilibus causis in certis aliis litteris plenius expressis adperpetuam rei memoriam voluimus, statuimus & irrefragabiliter per præsentes Ordinamus, vt videlicet Fra-
„ tres Prædicatores seu Iacobitæ cuiuscunque conditionis aut status extiterint,
„ quotiens eos ad actus publicos seu facta quæcunque dictæ nostræ Vniuersitatis
„ vocari vel admitti continget, totiens infimum locum honoris & reuerentiæ per
„ Nos vel Magistros in omnibus prædictis actibus Scholasticis, publicis &
„ consuetis, Scholaribus, Bachalariis aut Magistris cuiuscunque status fue-
„ rint, vltimum & infimum assignatum obtineant & in eisdem per eos ad
„ quos spectat, collocentur: vt puta Magistri in Theologia post omnes alios
„ Magistros iuuenes & antiquos tam seculares, quàm alios Religiosos illius Facul-
„ tatis in Congregationibus, Vesperiis, Aulis Episcopi, Principiis quibuscunque,
„ & in quacunque Facultate vltimum locum habeant & infimum. Nec in Dispu-
„ tationibus dictæ Facultatis Theologiæ ante alios Magistros tam seculares quàm
„ alios Religiosos cuiuscunque Ordinis arguere præsumant. Eisdemque fratribus
„ Iacobitis in huiusmodi Disputationibus & actibus Scholasticis quibuscunque,
„ quibus arguere consuetum est aut respondere, aut alium actum quemcunque
„ Scholasticum facere post prædictos Magistros volumus locum vltimum & infimũ
„ assignari. Et cum in Sermonibus, Processionibus seu Disputationibus coram Do-
„ mino nostro Rege vel alibi: & generaliter in quibuscunque factis Vniuersita-
„ tis dictos Fratres locum honoris vltimum & infimum retinere volumus & ha-
„ bere. Et quod Bachalarii præsentari prædicti Ordinis post præsentatos aliorum
„ Ordinum videlicet Minorum, Carmelitarum & Augustinensium, Cisterciensium
„ & aliorum cuiuscunq; Ordinis extiterint, ac etiam post Seculares & Religiosos in
„ Scholis & aliis locis & actibus nostris vltimum locum habeant: vt puta si sedeant
„ & arguant, in actibus nostris publicis supradictis infimum locum retineant: & ad
„ omnes & singulos dicti Ordinis Fratres præsentes & futuros hanc nostram ordina-
„ tionem extendentes, Seculaiesque nec non aliorum Ordinum Magistros Bacha-
„ larios tanquam digniores, excellentiores & in fide orthodoxâ firmiores per
„ præsentes ordinauimus in omnibus supradictis præsidere secundum Ordinem
„ hactenus obseruari consuetum, dictam Ordinationem nostram seu statutum te-
„ nore præsentium intimantes, & in valuis Ecclesiarum affigi, nec non tam in
„ Scholis quàm in sermonibus intra studium nostrum & etiam vbilibet publicari &
„ denunciari volentes, mandantes & præcipientes omnibus iuratis Nostris quibus-
„ cunque præsentibus & futuris sub pœnâ periurii, resecationis & à nostro consortio
„ priuationis eandem firmiter obseruare & obseruari facere, consuetudinibus aut
„ statutis seu aliis etiam iuramento vallatis nostræ præsenti Ordinationi & statuto
„ obuiantibus hactenus in contrarium obseruatis non obstantibus quibuscunque,
„ quas vel quæ quoad præmissa nostræ Ordinationi seu etiam statuto nolumus
„ derogare. Quod omnibus tenore præsentium volumus esse notum. In cuius rei
„ testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Da-
„ tum Parisius in nostra Congregatione Generali Magistrorum tam Regentium
„ quàm non Regentium apud S. Mathurinum super hoc specialiter ternâ vice ad
„ prædicta ordinandum, & statuendum congregata & vocata diebus 20. mensis
Ianuarii, 19. Febr. & concorditer 21. eiusdem mensis Februarii an. 1259.

Hoc statutum, hæc status depressio hominibus altum sapientibus vehementer displicuit. Sed quid erat quod molirentur aduersum? postulauerant admitti ad scholas & ad actus Scholasticos, hoc statuto admittebantur: societatem inire cum Academiæ Magistris affectauerant; hoc statuto ab ea non arcebantur: imo ad eam adlegebantur, quod maximè cupierant; sed dominari prohibebantur, quod vehementer optabant. De hac verò infra alios Religiosorum Ordines, aut infra statum Secularium in Actibus & Comitiis depressione conqueri non videbatur esse ferendum in hominibus humilitatem Christianam supra omnes speciali lege profitentibus: cum ipse Christus hoc omnibus exemplum dederit, & supremus Pontifex eius in terris Vicarius *se seruum seruorum* non dedignetur appellare. Adde quod si quia aliis Religiosorum Ordinibus subiiciebantur conquesti fuissent, iam illis subeundum erat cum eiusmodi Ordinibus

certamen. Nec erat quoque vnde Pontifex in Academiam fulmina iaculari posset; quando quidem quod iusserat, executioni demandarat. Restabat igitur, vt quod tandem factum est, fieret, nimirum vt illi cæterique Religiosorum Ordines cum Theologis societatem solummodo inirent, priuarumque ac singulare Corpus in Academia componerent, Caput sibi seu Decanum præficerent, quemadmodum singulæ Nationes priuata erant Corpora, suum singulæ Procuratorem habentes: atque ita cum Nationibus eidem supremo Rectori subiectis societatem inirent. Quam quidem tanto libentius admiserunt Nationes, quia nullum sibi neque suis suppositis cum Dominicanis commercium aut deliberationem esse volebant. Sic igitur omnino credibile est auctam fuisse adiecto hoc Theologorum Ordine Vniuersitatem. Vnde an. 1537. post contentionem & litem 50. prope annorum de numero Nominandorum à singulis Facultatibus ad Beneficia, præsentibus duobus Senatoribus à Curia Parisiensi delegatis in solennibus Comitiis professi sunt Theologi se esse *Primariæ accessionis* ad Vniuersitatem, nec vllus contendentium hanc eis prærogatiuam derogauit. Eorum verò exemplum postea secuti Decretistæ & Medici Doctores speciales quoque pro sua professione Ordines composuerunt & Decanos sibi præficientes, cum Procuratoribus & Nationibus septem Vniuersitatis Collegia seu priuata Corpora constituerunt.

Cæterum istiusmodi adoptio Mendicantiũ non esse visa est tanti, vt possint dici membra seu vt obtinuit loquendi vsus, *supposita* Vniuersitatis: licet enim ad societatem actuum scholasticorum admissi sint, non sunt tamen vllatenus admissi ad societatem Politiæ seu administrationis publicæ. Et hinc forte factum, vt quia Decanus Theologiæ ad Consilium publicum Vniuersitatis vocatur, nunquam Monachus fiat Decanus, iuxta prouerbium, *Monachus non decanizat*: quia publici consilii non potest fieri particeps, nisi ex speciali indulgentia, sicut nec Collegii Academici præfecturam suscipere aut bona possidere quæ sunt Vniuersitatis, ob votum Religionis cui specialius adstringitur. Et hinc Ludouicus Seruinus Patronus olim Catholicus lib. 1. de causis Beneficialibus, in confutatione argumentorum Antonii Loisellii contra M. Ioannem Hamiltunem parochiæ SS. Cosmæ & Damiani Curionem ab Vniuersitate præsentatum an. 1586. euincit Monachos non posse propriè dici esse *de corpore* Vniuersitatis.

On nous obiecte que les Mendians qui viuoient sous S. Louys, sont membres de l'Vniuersité. Cela ne se peut dire si on ne veut maintenir de faux toute l'Histoire du temps & les Registres de l'Academie, par lesquels il appert que les Maistres de l'Vniuersité en toutes les Facultez & Nations ont empesché leur entrée, & les efforts par eux faits pour estre du Corps de l'Vniuersite. I'employe ce qu'en ont escrit Guillaume de S. Amour & autres Maistres de Paris au Pape Clement IV. S. Thomas d'Aquin grand Patron des Iacobins en son liure *Contra impugnantes cultum & Religionem Mendicantium c. 3. An Religiosus licitè possit esse de Collegio Scholarium*, reciteles argumens qui estoient proposez contre eux, & premierement qu'en vn mesme Office il n'y doit auoir vne profession dissemblable, selon la Loy diuine escrite par Moyse disant, *Non arabis simul in boue & asino.* Et partant la profession des Religieux & seculiers estant diuerse, on ne peut associer les Mendians aux seculiers. Item chacun estant tenu d'obeir au Chef de son Ordre, il est malaise qu'vn Religieux reconnoisse pour son Chef le Recteur des Seculiers. Car il seroit Religieux & Seculier ensemble: ce qui ne se peut, les actions des deux ne se pouuant imiter par vn. Car qui s'est obligé à vn, n'est plus en sa puissance pour se lier à l'autre. Dauantage par les Statuts des Colleges il est defendu à vn Seculier d'estre de diuers Colleges, s'il n'a dispense: beaucoup moins vn Religieux qui est du College de sa Religion, doit estre de la Compagnie des Moines Seculiers. Ie laisse les arguments de l'oisiueté contraire aux lettres: qui fut obiecté aux Mendians par ceux qui leur vouloient mal. Ie sçay qu'ils ont fait de grands fruits en l'Eglise. Car entre les Religieux Mendians les Docteurs Scholastics s'estant montrez, la Theologie fut grandement augmentée par eux, & premierement par Alexandre de Ales, en l'an 1250. cent-ans apres la premiere naissance des Sententiaires qui fut sous Albert le Grand precepteur de S. Thomas. *Guill. Parisiensis, Guill. Varro praceptor Scoti, Gregorius Ariminensis*, & plusieurs autres.

Mais la Profeſſion des Mendians a eſté ſeparée de celle des Seculiers: & encore que leur doctrine ait eſté approuuée par l'Vniuerſité, toutefois l'Ordre de leur Religion n'a eſté iointe auec les Eſcoliers. Que s'ils auoient eſté vnis & que de Corps diuers, on en auoit fait vn, il faudroit rapporter des lettres patentes d'vnion octroyées par le Roy qui eſtoit lors ou, par ſes Succeſſeurs. *Nam ad Cathedram Apoſtolicam non pertinet ſtudentium ſocietas: ſed vt tunc publicè dictum & ſcriptum fuit, adminiſtratio ſacramentorum & alia huiuſmodi. Vnde authoritate Apoſtolica Magiſtri Pariſienſes cogi non potuerunt, vt Religioſos ad ſuam ſocietatem admitterent.* Or iamais le Roy n'a vny les Mendians auec l'Vniuerſité & n'y en a point de lettres. Et c'eſt le principal argument des Maiſtres de l'Vniuerſité, auquel l'on n'a point fait de reſponſe pertinente. Simplement les Mendians on dit que l'argument eſtoit faux, *Et ad eum qui regit Rempublicam Chriſtianam, Scholarium regimen pertinere.* Ce qui eſt bon à dire où le Pape eſt Sieur Temporel, mais non pas en ce Royaume, où la connoiſſance de telle Police appartient au Roy & aux Officiers Royaux.

Ne rendez donc point noſtre Vniuerſité Mendiante, elle n'eſt compoſée de Mendians; Elle a pluſieurs Colleges qui ſont fondez par les Rois & par Princes & Seigneurs Laics. Elle en a auſſi qui ſont fondez par Eueſques, Preſtres, & autres perſonnes Eccleſiaſtiques. Mais le reuenu de ces fondations & dotations eſt temporel. Elle peut ioüir de ce reuenu, les Mendians y renoncent. Et encore que l'Vniuerſité n'ait gueres de biens temporels: ſi eſt-ce que le peu qu'elle tient, elle le veut conſeruer ſous l'authorité du Roy & des Arreſts de la Cour, & elle ne permettra que ſes aduerſaires la ioignent aux Mendians qui ſont du tout autres qu'elle, ie ne veux dire contraires, mais s'il n'y a contrarieté, il y a telle diſſimilitude & diuerſité que les deux Profeſſions ne peuuent eſtre conioinctes. De fait en l'an 1253 les Maiſtres de cette Eſchole enuoyerent des lettres à toutes les Egliſes & Prelats concernant leurs plainres & doleances contre les Freres Preſcheurs, leſquels auoient eſté logez en la maiſon S. Iacques vis à vis de S. Eſtienne qui eſtoit dehors la Ville au lieu & terre appartenante à l'Vniuerſité. Eſtans du commencement en petit nombre, depuis ils firent pluſieurs entrepriſes contre l'Vniuerſité, mêmes en l'abſence de ceux qui s'étoient retirez à Angers: & auoient occupé quelques chaires *conniuentibus Epiſcopo & Cancellario Vniuerſitatis qui tunc erant*, ainſi que dit le liure du Recteur. Et du depuis eſtant multipliez en Docteurs s'efforcerent d'vſurper d'autres Chaiſes malgré l'Vniuerſité par autres lettres eſcrites par le Pape Alexandre IV. en l'an 1255. ſcellées du ſceel des 4. Nations, aucuns Eſcholiers ſe nommant les Reliques de la diſperſion & bris du naufrage eſpars çà & là pour les diſputes ſe ſont plaints, *his verbis. Radix amaritudinis ſurſum germinans Apoſtolo deteſtante in Perſecutorum noſtrorum, Fratrum videlicet Prædicatorum, cordibus coaleſcens in fructus amaros adeo pullulauit, quod ſtudium noſtrum per lites & iurgia inquinatum eſt*, dont ils ſe plaignoient pour les raiſons portées par leurs remonſtrances. Car pour auoir vne bonne paix l'Vniuerſité & Maiſtres des Eſcholiers deſirant rallier leurs Soldats, qui eſtoient la pluſpart en route auoient donné & offert à Frere Mathieu Prieur & à ſes Freres dudit Ordre le lieu de S. Iacques appartenant à l'Vniuerſité, & en ſigne de reuerence & reconnoiſſance qu'ils tiennent ce lieu par le bienfait de l'Vniuerſité comme de leur Dame & Patrone, ils auoient promis de receuoir les Eſcholiers & leurs ſucceſſeurs quand ils iroient en leur Maiſon, & s'eſtoient chargez de celebrer deux Meſſes: l'vne le lendemain de Saint Nicolas, l'autre le lendemain de S. Martin: mais n'accompliſſans toutes leurs promeſſes ils donnerent occaſion aux Eſcholiers & Maiſtres de l'Vniuerſité de ſe plaindre à l'encontre d'eux.

Ie ne m'arreſteray plus longuement ſur ce point: ſeulement i'adiouſteray ce que nous enſeigne l'Hiſtoire de l'an 1431. qui eſt en vn liure eſcrit à la main dans la Bibliotheque de S. Victor. En cette année preſidoit en l'Egliſe le Pape Eugene IV. qui fauoriſoit les Mendians & leur octroya vne Bulle par laquelle il ordonnoit que les Religieux ſeroient receus à lire la Bible & les Sentences, & admis à la Licence de la Faculté de Theologie & Eſcholes de Paris. Cette Bulle fut refuſée par les Docteurs de Paris & les Mendians y renoncerent; & partant on ne peut pas dire qu'ils ſoient du Corps de l'Vniuerſité. Au ſurplus entre les articles du

plaidé cette cause. *Item iurabitis* prosequi reuocationem &annullationem Bullæ Mendicantium per D. Alexandrum V. eis concessæ. Et paulo post. 3. *Iuratis* non ponere in deliberatione reconciliationem alicuius Religiosi de Ordine Augustinianorum aut Fratrum Minorum, nisi prius Conuentus reconcilietur totus 4. *Non ponere* in deliberatione reconciliationem alicuius illorum Conuentuum Augustinianorum & Minorum, nisi prius habita reuocatione & ipsa publicata.

Porro non tantum Vniuersitatis iura vsurpare audebant Dominicani: quinimo in aliena Monasteria inuolabant, vt refert adhunc an. Mathæus Paris. *Tempore eodem*, inquit, *collata domo* quadam cum mansione pertinente eidem in Dunstaple charitatiuè Fratribus Prædicatoribus, Quidam se ex eis instanter ingesserunt in eandem secretius, in enormem nocumentum Prioris & Conuentus de Dunstaple. Exemplo edocti Fratrum Minorum qui apud S. Ædmundum mansionem, malo grato Abbatis & Conuentus eiusdem loci adepti in non minimam illius Domus læsionem domicilia adeo sumptuosa construxerunt, vt in oculis intuentium tot sumptus tam subito effusa pauperibus Fratribus paupertatem voluntariam professis admirationem suscitarent. Memorati igitur Fratres repentino & clandestino impetu arcam erexerunt & solenniter non exspectatâ quacunque licentiâ Diuina celebrarunt ibidem. Animabant enim ipsos quæcunque voluerunt adepta priuilegia & protectio Cardinalis Fratris Hugonis non minima.

Idem Author adhunc annum notat turbatas fuisse tres Vniuersitates, Oxoniensem, Cantabrigiensem & Parisiensem: sed hanc maximè per Dominicanos & Minoritas. *Eadem quadragesima*, inquit, *orta est Oxoniis & Cantabrigiæ discordia grauissima*, eo quod vnum reum mortis & carceri addictum vinculis ruptis, & effracto carcere Clerici violenter rapuerunt, & in Ecclesiam traxerunt protegendum in eadem. Vniuersitas insuper Parisiaca per Prædicatores & Minores non mediocriter est perturbata. Tot autem Ordines exorti sunt, quod hi hos & è conuerso supplantant: nec sufficit, vt consueuit, populus eos plebeiis Eleemosynis sustentare.

Eodem anno Engelramus de Coucy inter Magnates Franciæ primus duos Scholares cum Magistro quos in suo fundo feram venantes, repererat, suspendi iussit: ipse vero à Rege Ludouico eodem supplicio damnatus est si credimus Mathæo Westmonasteriensi, qui rem sic narrat. *Anno sub eodem aliud euenit in Partibus Transmarinis* horribile factum, sed in caput agentis comparabiliter conuersum. Engeliamus de Cursy vir Magnus; & quasi Nobilium Franciæ primus crudelitate simul & prauitate patrizans Clericulos duos cum suo Magistro bestiam quandam vsque in terminos suos insequentes iocando, furibundè apprehendit, & nullo vlterius exquisito iudicio innocentes suspendit. Quod cum Regi Franciæ nunciaretur, aduocato eo clam & super hoc facto publice conuicto, licet plures Nobiles pro eo supplicassent; nec contra eum sententiam proferre voluissent, ipse Rex iuramenti sui in sua coronatione recordans, proferens proprio ore sententiam suspensionis eum fecit incarcerari, exspectans tempus propositum perficiendi. Nec mirum si ipse alios damnans sine Iudicio pœna condemnatur consimili, cum Patrem sequeretur qui consimilia faciens interitu truncabatur non dispari.

Nangius eandem historiam narrat paulo aliter his verbis. *Erant tunc temporis* in Abbatia S. Nicolai de Bosco tres pueri Nobiles de Flandria, qui ibidem missi fuerant propter idioma Gallicum addiscendum: quos iocantes & spatiantes per nemora dictæ Ecclesiæ arcubus & sagittis cuniculos sagittando, dum sequerentur prædam suam in nemoribus Domini de Couciaco, Forestarii ipsius Domini eos ita repetientes ceperunt, quibus captis & in prisionem ductis retulerunt Domino suo Forestarii quod fecerant. Quo audito ipse continuò, vt potè crudelis & immisericors ante causæ & ætatis ac generis ipsorum cognitionem suspendere eos fecit. Quod intelligens Abbas S. Nicolai in cuius erant custodia deputati, & D. Gilo Brunus Constabularius, à cuius genere dicebant Puerorum alterum deriuari, instantissimè Regi querimoniam detulerunt: & idcirco D. Rex Dominum de Couciaco fecit ad Curiam euocari super tali facinore responsurum. Qui

in Regis præsentia constitutus dixit se de Responsione cogi non debere, volens & petens per Pares Franciæ si posset secundum consuetudinem Baroniæ iudicari: sed contra eum probatum extitit per Curiæ recordata, quod terram in Baronia non tenebat, quia terra de Bouis & de Gornayo quæ à terra de Couciaco per Fraternitatis partitionem decisa fuerat, illud Dominium Baroniæ importabat. Tali igitur altercatione negotio dependente, Rex Dominum de Couciaco non per Pares nec Milites, sed per Clientes Aulicos fecit capi, & in domo sua *Parisius quæ Lupara dicitur custodiâ reseruari:* diem sibi constituens ad quam omnes Regni Proceres conuenirent. Proceribus verò postmodum Parisius congregatis, Dominoque de Couciaco in medio constituto Rex eum super casu prædicto respondere compulit. Tunc ille per Regis voluntatem omnes Barones ibidem consistentes sui generis vel parentelæ ad suum Consilium conuocauit, tantaque fuit ibi sui Generis nobilitas, quod Rex quasi solus præter paucos Consilii sui remaneret. Ipse Rex etiam non erat expers affinitatis illius Parentelæ. Erat autem Regis intentio iustum Iudicium iudicare inflexibiliter, vt ad pœnam talionis dictus Dominus puniretur, & morte consimili damnaretur. Vix tamen ad vltimum precibus & interuentu Procerum sic fuit ordinatum, quod decem millibus librarum vel circiter vitam suam redimeret, & duas Capellanias constitueret pro animabus Puerorum ad perpetualiter celebrandum. Nec ille verus cultor Iustitiæ illam pecuniam suis thesauris addidit, sed in pietatis operibus totum distribuit: quia Domum Dei de Pontisara reditibus augmentatis de illa pecunia fabricari fecit, *Scholas & Dormitorium Iacobitarum* Parisius & Ecclesiam FF. Minorum à fundamentis in integrum consummauit.

Eodem anno Carthusiani à Rege Ludouico obtinuerunt locum & Domum *Vallis-viridis* vulgò de *Vauverd*, ad construendum ibi in solitudine Cœnobium: cuius rei extat Diploma Regium, in quo multa ad commendationem Vniuersitatis Parisiensis continentur.

CARTHVSIANI PARISIIS LOCANTVR.

In Nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. Nouerint Vniuersi præsentes pariter & futuri, quod ad Nostram accedentes præsentiam Fratres Ordinis Carthusiensis Nobis humiliter supplicarunt, vt prope Ciuitatem nostram Parisiensem, in qua fluunt aquæ largissimæ salutaris Doctrinæ, adeo quod fluminis impetus Ciuitatem ipsam lætificans & inundans Vniuersalem irrigat Ecclesiam; pio Diuini nominis amore vellemus eidem Ordini de loco aliquo competenti liberalitate Regia prouidere, petentes humiliter, & instanter vt locum nostrum ac *Domum de Valle-Viridi* prope Ciuitatem prædictam muris excelsis & quouis modo circumcinctum pietatis intuitu dignaremur sibi concedere, vt in ipso & per ipsum totus Ordo reuiuisceret & floreret: *sicque Domus ipsa secus salutarium aquarum plantata decursus fructum in tempore suo datura gratissimum, totum Carthusiensium Ordinem fœcundaret.* Nos autem Fratres ipsos & eorū Ordinem Deo gratū specialis Dilectionis & fauoris gratiâ prosequentes piis supplicationibus annuimus eorū, & locum prædictum ac Domum de Valle-viridi, sicut eam tenebamus, Fratribus ipsis ibidem summo Regi perpetuò seruituris in puram & perpetuam Eleemosynam concedimus & donamus, locum ipsum, personas & bona quæcunque ad ipsum pertinentia in Nostra Regia protectione suscipientes & volentes ab omni iniustâ molestatione manere quieta. Donamus insuper & concedimus in perpetuam Eleemosynam pietatis intuitu, & pro Nostræ & Antecessorum nostrorum animarum remedio Fratribus ipsis inibi Domino seruituris ad eorum sustentationem quinque modios bladi de Gonessa ad mensuram & modium Parisiensium in Granario nostro Parisiensi percipiendos annuatim ad festum Omnium Sanctorum: quos à Præpositis & Ministris quicunque pro tempore fuerint, eisdem Fratribus solui sine diminutione vel difficultate præcipimus ad terminum prælibatum. Præterea donamus eisdem & concedimus domum quam emimus à liberis defuncti Petri Cocci sitam iuxta Gentiliacum, cum porprisio & terris adiacentibus & vinea ac aliis eius pertinentiis ab ipsis in perpetuum possidenda. Quod vt perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri authoritate ac Regii nominis charactere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Melidunum anno Dom. Incarnat. 1259. mense Maio. Regni verò nostri an. 33. adstantibus in Palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo.

nullo. Sig. Ioannis Buticularij. Sig. Ægidij Constabilarij. S. Alphonsi Camerarij.

Anno 1260. Mense Aprili Facultas Artium statutum fecit de Examine B. Genouefæ (quod propriè suum esse voluit) vetauitque Examinatoribus San-Genouefianis habere sub se Bacalarios: insuper statuit, vt antequam examinarent, in præsentia suâ iurarent: item de modo eligendi Examinatores, si in aliqua Natione non esset in eligendo concordia. 1260.

Nos Magistri Artium 4. Nationum Regentes Parisius Ordinationi siue Statuto per Nos siue per Antecessores nostros anno Dom. 1259. facto & inregistrato, tres articulos sequentes de communi consensu dignum duximus adiungendos. 1. *Videlicet* quod nullus Magister deputatus ad audiendum siue examinandum à parte B. Genouefæ, siue in Communibus siue in propriis, quamdiu in officio examinandi existat, Bachelarium ad petendum licentiam per se vel per alium à parte eadem perseueret sibe audiat. 2. *Insuper* quod Examinatus in Communibus eligatur per Nationes, quemadmodum in propriis. Ita tamen quod Electores iurati ad eligendum tam *Procuratores* quàm *Examinatores*, quotiescumque deputantur, accedant; & Examinatores in communibus electi in præsentia *Facultatis* antequam quenquam examinent, prout moris est de fideliter examinando præstent iuramentum. 3. *Item volumus* & ordinamus quod quilibet Rector in primâ sui Institutione specialiter per suum Sacramentum sit adstrictus ad puniendum Transgressores horum articulorum, & etiam in præmemorata Ordinatione siue statuto contentorum cum consilio duorum Magistrorum specialiter ad hoc de qualibet Natione per Procuratores vocatorum, dummodo eidem de Transgressione & Transgressore per fide dignos fideliter constiterit, secundum pœnas in supradictâ ordinatione impositas, reseruatâ tamen potestate Facultati pœnam mitigandi siue relaxandi, quotiens sibi videnr expedire. *Adiicientes* etiam, si Controuersia siue contentio in aliqua Natione super eligendo Examinatore in Communibus oriretur & duraret per tres dies continuè, quod de Nationibus concordibus qualibet vnum Magistrum mitteret ad eligendum cum Electoribus à Natione discordi deputatis: & illi iurati cum aliis ad electionem procederent: & ille in quem maior pars eorum consentiret, remaneret Examinator. *Volumus* etiam quod obseruentur ista specialiter sub eadem fidei & iuramenti religione, sub quâ sæpe dictam ordinationem siue statutum adstringimur obseruare, formâ quam Bachelarij consueuerunt in præsentia Cancellarij iurare à Bachelariis obseruatâ. In cuius rei testimonium sigilla 4. Nationum fecimus apponi. Datum anno Dom. 1260. mense Aprili. STATVTVM FACVLTATIS ARTIVM.

Cum autem multi è Magistris & Scholaribus Parisiensibus Excommunicationis sententiam passi, eiusdem vinculo innodati tenerentur, propterea quod librum M. Guillelmi de Periculis nouissimorum temporum penes se non obstante interdicto papali detinuerant, Episcopus Parisiensis summum rogauit Pontificem, vti sententiam illam relaxaret multitudinique parceret: quamobrem Alexander totum illi postea negotium permisit, vt patet ex hac Bulla.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Paris. Sal. & Apost. bened. Tua nobis Fraternitas intimauit, quod nonnulli Clerici tuæ Ciuitatis & Diœcesis incurrerunt Excommunicationis sententiam latam authoritate nostrâ in omnes illos qui libellos famosos contra Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres à Magistro Guillelmo de S. Amore seu aliis editos publicare præsumerent seu retinerent. Quare nobis humiliter supplicasti, vt cum multitudo sit in causa, super hoc eorum saluti prouidere misericorditer curaremus. Itaque de tua circumspectione confisi, præsentium tibi authoritate concedimus, vt ab eisdem Excommunicatis sufficienti cautione præstitâ, quod libellos huiusmodi, quos comburi facies, de cætero non tenebunt, ipsos ab huiusmodi sententia absoluas hac vice iuxta formam Ecclesiæ vice nostrâ, ac facias eos ab executione suorum Ordinum vsque ad certum tempus prout expedire videris, manere suspensos. Tandem cum ipsis super irregularitate, si quam medio tempore celebrando Diuina Officia, seu immiscendo se illis, contraxerint, dispensare procures, prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire. Datum Laterani 3. Non. Decemb. Pontif. nostri an. 6.

Ex hac Bulla euincit Wadinghus in Annalibus Minorum finem accepisse

controuersiam Parisiensem. *Tandem*, inquit, *an.* 1260. *finem accepit controuersia Parisiensis cedentibus Religiosorum aduersariis contrario Pontificis conatui & absolutionem petentibus ab incursis Censuris.* Commisit Papa suam authoritatem *Episcopo Parisiensi, vt pœnitentes à nexu solueret, eâ tamen præmissâ cautione ne amplius apud se retinerent perniciosos libellos Guillelmi de S. Amore quos comburi iussit ab Episcopo.*

Quibus tamen conditionibus facta fuerit hæc Partium dissidentium reconciliatio, neque ex instrumentis publicis neque ex Bullis aut ex authorum testimoniis hactenus mihi constitit. Vnum quidem scio, diuortii occasionem sumptam ex statuto Vniuersitatis mense Aprili an. 1253. facto, quo cautũ fuerat *vt de cætero nullus in quacunque Facultate Magistrorum vel consortium Vniuersitatis admitteretur aliquatenus, nisi prius in plena Congregatione Magistrorum, vel saltem coram 3. Magistris suæ Facultatis ad hoc specialiter deputatis iuraret statuta licita & honesta & Vniuersitati expedientia se firmiter seruaturum. Item secreta & Consilia post inhibitionem sibi factam bonâ fide celaturum.* Dominicani enim iurare noluerant: & hinc diuortium exortum. Verum legem tandem acceperunt, & non secus ac seculares iuramento consueto sese submiserunt: vt patet ex statutis Vniuersitatis, præsertim verò ex eo quod an. 1318. die Lunæ post festum B. Martini hiemalis authoritate etiam Apostolicâ conditum est, cui hic titulus præfixus legitur. *Statutũ Vniuersitatis quod Religiosi iurent sicut cæteri Magistri si velint intrare congregationes.* Et in corpore statuti. *Iuxta mandati Apostolici tenorem nuper super his nobis* directi omnes & singulos
" huiusmodi Regentes modo debito nobis nondum iuratos à nostris congregationi-
" bus & secretorum tractatibus ducimus & meritò fore priuandos. De quorum nu-
" mero venerabiles viri ac Religiosi Fratres Ioannes de Prato Prædicatorum, Pe-
" trus Amoly Minorum, Ioannes de Dunis Cisterciensis, Ioannes Paignotte Ere-
" mitarum Ordinum existentes fœdus vnitatis ac debitæ conformitatis nobiscum
" sponte & ex certa scientia & iure volentes inire, tandem anno Dom. 1318. die
" Lunæ post festum B. Martini hiemalis coram nobis in *nostra Congregatione generali*
" *Parisius apud S. Mathurinum tunc facta supplicauerunt*, quatinus ipsos Magistros
" antedictos in Theologica Facultate actu regentes ad debita nobis & Vniuersitati
" nostræ ac solita iuramenta præstanda & præstati competentia, in eadem beni-
" gnè admittere curaremus.

Hoc anno orta est in Italia Flagellatorum secta authore quodam Eremita Raynerio, vt ait Spondanus: de quâ sectâ nos infra pluribus, vt se dabit occasio. Eodem anno obiit Accursius nominatissimus Iurisconsultus Florentinus auditor quondam & Discipulus Azonis, an. ætatis 78. Eodem quoque aiunt nonnulli Raymundum Lullium cœpisse suas opinationes disseminare: sed Raymundi ætas huic tempori vix consentit.

Hoc quoque anno Bonauentura de Balneo - Regio in Comitiis Narbonensibus dicitur mutasse sui Ordinis formam & habitum, qui antea Pastoritius erat: gestabant enim Minoritæ capillos promissos ac passim diffluentes, caputque ferè semper apertum, Capucium quoque à tergo more Capucinorum, quo in pluuioso & frigido tempore vtebantur. At habitum tunc sumpsit qualem habent hodie Minoritæ, vulgò *Cordigeri*, testibus Petro Galesino, Alphonso Diacono, Hieronymo Confussio.

Hoc quoque anno Capella S. Iodoci Parisiensis erecta est in Parœciam per M. M. Radulphum Ecclesiæ Paris. Archidiaconum & Lucam Canonicum Parisiensem, qui ad id muneris à Reginaldo de Corbolio Episcopo deputati ante fuerant. Hic autem est M. Lucas qui ab Alexandro Papa & Episcopo Ebroïcensi prouinciam accepit excommunicandæ Vniuersitatis ob rem Mendicantium. Vid. Antiq. Paris. l. 3. vbi de Capella S. Iodoci.

Ad hunc annum referunt nonnulli Regem Anglorum Henricum in Galliam trans-fretasse; & Parisiis magno apparatu & festiuitate receptum fuisse (quâ in receptione dubium non est quin partem maximam habuerit Vniuersitas Parisiensis) eum verò Normaniam Patri suo Ioanni ablatam repetiisse: sed habitis tandem super ea re Regni Gallicani Comitiis certam pecuniæ summam accepisse. Hanc historiam referunt Continuator Mathæi & Nangius ad an. 1259. Henricus verò de Knygthon ad an. 1261. prior ita habet. *Eodem anno Rex Anglo-*

rum Henricus III. à Conquæſtu anno Regni ſui 45. in Galliam trans-fretauit, " & à Rege Francorum petiit reſtitutionem terrarum ſibi à Patre ſuo Ioanne iniuſte ablatarum per auum eiuſdem Regis Franciæ Philippum & Patrem Lodowicum & ab ipſo iniurioſè hactenus detenrarum: ſed Gallicis multa contra Regem Angliæ allegantibus & ſpecialiter donationem Normaniæ antiquam non fuiſſe ſpontaneam, ſed primum per Ducem Rollonem à Rege Francorum vi extortam. Cum Rex non haberet animum requirendi petita nec pecuniam ad conducendum exercitum, & præcipuè cum cerneret ſuos iam in procinctu inſurgendi contra eum, pacem ſubſcriptam quodammodo compulſus admiſit. Vt videlicet Regi Francorum remanerent in pace Ducatus Normaniæ & Comitatus Andegauiæ, pro quibus Rex Franciæ ſoluit ſibi trecenta millia librarum Turonenſium paruarum promiſitque reſtitutionem terrarum ad valorem viginti millium librarum annui cenſus in Gaſconia. Quo pacto omnibus terris in manu Regis Francorum exiſtentibus reſignauit plenè & purè. Ex tunc verò litteratum ſuarum abbreuiauit titulum, vt nec *Ducem Normaniæ nec Comitem Andegauiæ* ſe vocaret. "

Henricus Knyghtonlus paulo aliter rem narrat ad an. 1261. Nimirum Regem & Reginam Anglorum transfretaſſe in Franciam: habitam enim fuiſſe prælocutionem per Regem Alemanniæ Richardum Fratrem ipſius Henrici Angliæ Regis & per alios ſolemnes Nuncios, *vt cum Rege Francorum tractaret & finaliter componeret de Normania*: at eum malo conſilio ductum compoſuiſſe *ſic, vt Regi Francorum Normania remaneret reddità ſibi & heredibus ſuis ſingulis annis certà ſummà pecuniæ*. Eam tamen pecuniam poſtea pœnitentià ductum nunquam recepiſſe nec recipere voluiſſe quandiu vixit; immò in litteris ſuis & Epiſtolis toto tempore ſuo ſe *Ducem Normaniæ* appellaſſe: at Eduardum filium eius & Succeſſorem in Regno illa duo verba *Dux Normaniæ* in ſuis Epiſtolis non poſuiſſe.

Nangius ad an. 1259. rem paulò accuratius ſic deſcribit. *An. D. 1259. Venit in Franciam Henricus Rex Angliæ* cum Rogero Comite Gloceſtriæ & cum multis ſui " Regni Principibus ac Nobilibus. Quem Rex Franciæ Ludouicus honorificè ſuſcipiens Pariſius in proprio fecit Palatio hoſpitari, ipſum ſuoſque per plures dies electis vinis & ferculis ac largis muneribus honorando. Poſtmodum verò dictus Rex Angliæ B. Dionyſium viſitare cupiens receſſit Pariſiis & ad Eccleſiam B. Dionyſii venit cum magna deuotione & reuerentia. Vbi à Conuentu ipſius loci in Cappis ſericis reueſtito cum honore ſuſceptus per menſem & amplius reſidentiam faciens, Conuentui cappam auream & cyphum magni ponderis contulit: & antequam inde diſcederet, filiam ſuam fecit Ioanni filio Ioanis Comitis Britanniæ deſponſari. "

Ludouicus igitur Rex Franciæ ipſum ibidem pluries viſitans, quia remorſum " conſcientiæ ſentiebat pro terra Normaniæ & aliis terris quas Philippus Rex Franciæ auus ſuus Ioanni Regi Angliæ Patri iſtius Henrici Regis de quo agimus, *iure & iudicio ſuorum Parium abſtulerat*, pacem cum ipſo quotidie facere ſatagebat, quæ tandem facta eſt in modum qui ſequitur. Nam Henricus Rex Angliæ de expreſſa voluntate fratris ſui Richardi Regis Alemanniæ & Principum ac Prælatorum Angliæ conſilio quittauit in perpetuum Regibus Franciæ quidquid iuris requirebat in Ducatu Normanniæ & Comitatibus Andegauiæ, Cenomaniæ, Pictauiæ, Turoniæ ac eorum feodis. Rex verò Franciæ dedit ei magnam ſummam pecuniæ cum quadam terra, quæ Petragoricum nominatur verſus partes Gaſconiæ ſituata, tali conditione quod cum terra illa totam Gaſconiam de cætero à Regibus Franciæ teneret in feodum & inde homagium faciens in numero Baronum Franciæ adſcriberetur & tanquam dux Aquitaniæ eſſet de cætero *vnus de Paribus Franciæ appellatus*. Quod homagium præſentibus Prælatis, Principibus totius Regni quam plurimis fecit Henricus. Sed cum iuramento pro Burdegala, Baiona & terra Gaſconiæ ac pro cæteris quæ in Lemouicenſi, Petragoricenſi, Agennenſi & Xantonenſi Epiſcopatibus ex domo Regis Franciæ poſſidebat. "

Anno 1261. 8. Kal. Iunii Alexander IV. moritur: quo mortuo paccatiores " fuerunt Muſæ Pariſienſes, quas toto ſui Pontificatus tempore duriſſimè tractauit " 1261. & perſecutus eſt, ob Willelmum de S. Amore Mendicantium malleum, quos "

ille tuebatur, præsertim verò Ordinem Franciscanorum: noluit enim etiam rogante Ioanne de Parma Ministro Generali, quem supradiximus authorem fuisse Euangelii æterni, aliquem è Collegio Cardinalium Ordini protectorem dare, sed hanc sibi curam voluit reseruare: quod olim S. Francisci stigmata à se visa diceret: quâ de re extat ipsius Bulla Anagniæ data in ipso Pontificatus eius exordio, quâ stigmatum veritas Apostolico scripto confirmatur. *De Præfato sancto,* inquit, *hac certius asserentes, indoctas fabulas, seu varia adinuentionis deliramenta* non
" sequimur, cum ea nobis dudum nota fuerit plenior fides rerum, quando videli-
" cet Nos in Minoribus constituti Confessoris eiusdem familiarem ex munere Diui-
" no meruimus habere notitiam, præfati Prædecessoris nostri domesticis obse-
" quiis tunc temporis insistendo. Vocabatur ante promotionem Raynaldus de Anagnia Gregorii IX. ex fratre Philippo nepos, qui patruum suum æmulatus, mirificè vtrumque Mendicantium Ordinem fouit & amplificauit, Gregorius quippe nulli priuilegio pepercit, quo eos promouere posset, vt ad an. 1227. scripsimus.

Alexandro successit Iacobus Pantaleo Gallus Tricassinus, Sutoris vt aiunt calcearii, imò veteratoris filius, qui adolescens studiorum causâ Parisios profectus litteris humanioribus, Philosophicis, Theologicisque animum applicuit, Laureaque doctoratus Parisiensis redimitus Trecas rediit, inquit Frizonius in sua Gallia Purpurata, vbi minora eius sacerdotia recitat Vallis color Poëta illius æui.

Parsulit hic primum Trecis fit Clericus, inde
Parochiæ vnius Rector in vrbe fuit.
Canonicum post hæc suscepit & Archilenitam
Laudunum, tanti nouerat acta viri.

Ex Archidiacono Laudunensi factus Patriarcha Hierosolymitanus & demum Alexandro suffectus Vrbani IV. nomen accepit, consecratusque est circa decollationem S. Ioan. Baptistæ, cuius vita, vt ait Platina, *omni ex parte laudanda fuit, doctrina, pietate & religione.* Multæ quoque patientiæ fuit, cui cum aliquis aliquando improperaret, quod vili patre & ignobili natus esset, respondit, *nobilem non nasci sed fieri, virtutis esse atque nobilitatis.* Statim post inaugurationem suam auxilio Cruce-Signatorum fugauit exercitum Romanorum, quem Manfredus intruserat in Patrimonium S. Petri. Is est qui Carolo fratri Regis Francorum Regnum Siciliæ contulit.

Iste Pontifex Matris suæ Academiæ Parisiensis memor, nonnullos ex alumnis ad Cardinalatum statim promouit, & inter alios M. Guidonem Grossum Iuris Canonici disciplinâ conspicuum, quem in Scholis Paris. nouerat quemque habuit successorem sub nomine Clementis IV. Mandauit etiam Abbatibus San-Germano-Pratensi & San-Genouefiano, vt suos subditos, Officiarios, famulosque iureiurando adstringerent, nihil se Scholaribus Vniuersitatis iniuriæ illaturos: quemadmodum Ciues Parisienses tunc temporis iurare tenebantur, vt habetur in Bulla quæ seruatur in Chartario Nationis Gallicanæ.

Hoc anno obiit M. Hugo de S. Caro seu de S. Theodorico, Cardinalis S. Sabinæ ex Baccalario Parisiensis Academiæ factus Dominicanus: quem celebri de Pluralitate Beneficiorum Disputationi diximus interfuisse an. 1238. Neminem autem tam aduersum sibi habuit Academia in negotio M. Guillelmi, quàm illum Cardinalem plurimæ apud Alexandrum IV. authoritatis hominem. Obiisse verò aliqui Lugduni, alii apud Vrbem-Veterem memorant; deinde Lugdunum in Cœnobium Dominicanorum translatum: nec de anno constat: aliqui enim serius, alii citius mortuum scribunt: sed cum Vrbani IV. electioni interfuerit, non potuit obiisse an. 1260. vt testatur Epitaphium quoddam Lugdunense, & asserit Theodoricus Vallis-coloris Hugoni æqualis. Epitaphia sic se habent.

In hoc sepulchro iacet vir venerabilis Hugo de S. Theodorico, Deo & hominibus gratiosus, tituli S. Sabinæ quondam Presbyter Cardinalis, luminare Magnum Ecclesiæ, ordinis Prædicatorum lucerna, Theologiæ Parisius Doctor egregius, famosus Diuinarum Scripturarum tractator & expositor luculentus, verbi Dei Prædicator eximius, oliua pietatis, palma Iustitiæ, speculum honestatis, Religiosorum Patronus, veritatis præco, Pater

pauperum & solatium miserorum, qui obiit apud Vrbem veterem anno D. 1262. 14. Kal. April.

Aliud breuius refertur à Frizonio & Theophilo Raynaudo, quod Lugduni extat in Æde S. Dominici.

Hic iacet Dominus Hugo de S. Theoderico Ordinis Fratrum Prædicatorum, huius Conuentus sacræ Theologiæ Doctor & Prædicator egregius, quondam Cardinalis Sabinensis, qui obiit anno Dom. 1260. 14. *April.*

Est & aliud quod in antiquo sepulchro apud Vrbem Veterem legitur, his versibus exaratum.

Eclipsim patitur sapientia, sol sepelitur
Felici fine, sancta quoque cardo Sabina.
Iste fuit, per quem patuit Doctrina Sophiæ.
Præco Dei, Doctor fidei, Cytharista Mariæ,
Hugo sibi nomen, & Cardo Presbyter omen.
Patria natalis Burgundia, Roma Localis.
Soluitur in cineres Hugo, cui si foret hæres
In terris vnus, minus esset flebile funus.

Anno 1262. iam incipiebat secta Flagellatorum latius diffundi, qui ardentissimo pœnitentiæ spiritu concussi se se ipsos ad effusionem sanguinis flagellabant vbique passim, sed maximè in Templis, vt iram Dei mitigarent: quam quidem sectam Ioannes Longinus Historiogr. Polon. ait Parisiis & in Gallia originem cæpisse. *Flagellatorum*, inquit, *quadam secta*, quæ primum ex Galliis & Parisiis manasse ferebatur &c. At Monachus Pictauinus Perusii primum, deinde Romæ inchoatam vniuersos Italiæ populos peruasisse narrat. *In tantum itaque*, inquit, *timor Christi irruit super eos*, quod Nobiles pariter ignobiles, senes & Iuuenes, infantes etiam quinque annorum nudi per plateas Ciuitatum, opertis tantummodo pudendis, depositâ verecundiâ bini processionaliter incedebant, singuli flagellum in manibus de corrigiis continentes, & cum gemitu & ploratu se acriter super scapulis vsque ad effusionem sanguinis verberantes, & effusis fontibus lachrymarum ac si corporalibus oculis ipsam Saluatoris cernerent Passionem, misericordiam Dei & Genitricis eius auxilium implorabant, supplicitet deprecantes, vt qui innumeris pœnitentibus est placatus & ipsis iniquitates proprias cognoscentibus parcere dignaretur. Non Solum igitur in die, verum etiam in nocte cum Cereis accensis in hieme asperimâ centeni, milleni, decem millia quoque per Ciuitates & Ecclesias currebant, & se ante altaria humiliter prosternebant præcedentibus eos sacerdotibus cum crucibus & vexillis, &c. Mulieres quoque tantæ deuotionis fuerunt minimè expertes, sed in cubiculis suis non tantum populares, sed etiam matronæ Nobiles & Virgines delicatæ cum omni honestate hæc eadem faciebant. Tunc fere omnes discordes ad concordiam redierunt, vsurarii & raptores malè ablata restituere festinabant &c. Verum ea Pœnitentium pietas in hæresim tandem desciuit fœdissimam. Primum enim dicebant neminem posse saluari, qui in suâ sectâ per mensem saltem non fuisset versatus. Deinde etiam nullis sacris Ordinibus initiati Confessiones à se inuicem excipiebant. Aiebant etiam posse se hoc pœnitentiæ genere animabus damnatis solatium & refrigerium afferre. 1262.

Hoc anno inter Cardinales adsciti sunt ab Vrbano MM. Henricus de Segusia Gallus, fons & splendor Iuris denominatus, ex Archiepiscopo Ebredunensi Cardinalis Hostiensis, qui inter alios M. Guillelmum Durandum Speculatorem dictum habuisse dicitur auditorem. Guido Grossus mox Clemens IV. futurus, Simon de Bria, tit. S. Ceciliæ, quem statim in Galliam misit Legatum, vt in sequentibus patebit.

Eodem anno obtinuit Vniuersitas ab Vrbano Pontifice priuilegiorum suorum multiplicem confirmationem pluribus Bullis mense Ian. apud Vrbem Veterem datis quæ in Tabulario Nationis Gallicanæ seruantur pendente adhuc & integro plumbo ex fune cannabino. Earum vnâ confirmatur Gregorii IX. constitutio

circa licentias & iuramentum à Cancellario Parisiensi præstandum, circa Lectionum etiam cessationes, si grauior iniuria inferatur nec satisfiat; item circa Lectiones Ordinarias. Est autem eiusmodi.

Vrbanus Ep. S. S. D. Dilectis filiis Vniuersis Magistris & Scholaribus Parisiensibus sal. & Apostolicam Benedictionem. Olim in Ciuitate Parisiensi dissensione subortâ instigante Diabolo & studium ibi enormiter disturbante, Quæstiones huiusmodi felius recordationis Gregorius Papa Prædecessor noster potius Prouisionis moderamine quam iudiciali sententia duxit de Fratrum suorum consilio sopiendas. Circa statum verò Scholarium & Scholarum hæc statuit obseruanda; videlicet quod quilibet Cancellarius Parisiensis deinceps creandus coram Episcopo vel ipsius mandato in Capitulo Parisiensi vocatis ad hoc & præsentibus pro Vniuersitate Scholarium duobus Magistris in sua institutione iurabit, quod ad regimen Theologiæ ac Decretorum bona fide secundum conscientiam suam loco & tempore secundum statum Ciuitatis & honorem ac honestatem Facultatum ipsarum non nisi dignis licentiam largietur, *nec admittet indignos Personarum & Nationum acceptione summotâ*. Ante vero quam quenquam licentiet, infra 3. menses à tempore petitæ licentiæ tam ab omnibus Magistris in Ciuitate præsentibus quàm aliis viris honestis & litteratis per quos veritas sciri possit, de vita, scientia & facundia, nec non proposito & spe proficiendi ac aliis quæ sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat, & inquisitione sic facta quid deceat & quid expediat, bona fide det vel neget secundum conscientiam suam petenti licentiam postulatam. Magistri vero Theologiæ ac Decretorum quando incipient legere, præstabunt publicè iuramentum quod super præmissis fidele testimonium perhibebunt.

Cancellarius quoque iurabit quod Consilia Magistrorum in malum eorum nullatenus reuelabit, Parisiensibus Canonicis libertate ac iure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate.

De Physicis autem & Artistis ac aliis Cancellarius bona fide promittet examinare Magistros, & non nisi dignos admittens repellet indignos.

Cæterum quia vbi non est ordo, facile repit horror, constitutiones seu ordinationes prouidas faciendi de modo & hora legendi & disputandi, de habitu ordinato, de Mortuorum exequiis, nec non de Bachelariis qui & quâ horâ & quid legere debeant ac hospitiorum taxatione seu etiam interdicto, & rebelles ipsis cōstitutionibus vel ordinationibus per substractionem societatis cōgruè castigandi, idem Prædecessor vobis concessit liberam facultatem. Et si forte vobis substrahatur hospitiorum taxatio, aut quod absit, vobis vel alicui vestrum iniuria, vel excessus inferatur enormis, vt pote mortis vel membri mutilationis, nisi congruâ monitione præmissâ infra 15. dies fuerit satisfactum, liceat vobis vsque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones. Et si aliquem vestrum indebitè incarcerari contigerit, fas sit vobis nisi monitione præhabitâ cesset iniuria, statim à Lectione cessare, si tamen id videbitis expedire. Præcepit autem idem Prædecessor vt Parisiensis Episcopus sic delinquentium castiget excessus, quod Scholarium seruetur honestas & maleficia non remaneant impunita, sed occasione delinquentium non capiantur vllatenus innocentes: immo si contra quemquam suspicio fuerit orta probabilis, honestè detentus idoneâ cautione præstitâ cessantibus Carcerariorum exactionibus dimittatur. Quod si forte tale crimen commiserit quod incarceratione sit opus, Episcopus in carcere culpabilem detinebit; Cancellario habere proprium Carcerem penitus interdicto..

Prohibuit insuper dictus Prædecessor, ne Scholaris pro contracto debito de cætero capiatur, cum hoc sit canonicis & legitimis sanctionibus interdictum. Sed nec Episcopus vel Offiçialis eius, seu Cancellarius pœnam pecuniariam pro excommunicationis enforta vel alia qualibet Censura requiret: *nec Cancellarius à licentiandis Magistris iuramentum vel obedientiam seu aliam exiget cautionem: nec aliquod emolumentum seu promissionem recipiet pro licentia concedenda*, iuramento superius nominato contentus.

Porro Vacationes æstiuæ non extendantur de cætero vltra mensem. Sed Vacationum tempore Bachelarii si voluerint, suas continuent lectiones. Inhibuit autem expressius, vt Scholares per Ciuitatem armati non vadant, & turbatores pa-

cis & studii Vniuersitas non defendat. Et illi qui simulant se Scholares, nec tamen Scholas frequentant, nec Magistrum aliquem profitentur, nequaquam Scholarium gaudeant libertate.

Adhæc iussit vt Magistri Artium vnam lectionem frequentent, & vnus post alium ordinariè semper legant, & libris illis Naturalibus qui in Concilio Prouincialium ex certa causa prohibiti fuêre Parisius, non vtantur; quousque examinati fuerint & ab omni errorum suspicione purgati. Magistri verò & Scholares Theologiæ in Facultate quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodocti, nec loquantur in lingua populi & populi linguam Hebræam cum Azotica confundentes; sed de illis tantùm Quæstionibus in Scholis disputent quæ per libros Theologicos & SS. Patrum Tractatus valeant terminari.

Prætetea de bonis Scholarium qui intestati decedunt, vel rerum suarum ordinationem aliis non committunt, Prædecessor ipse sic duxit prouidendum, videlicet vt Episcopus & vnus de Magistris quem ad hoc Vniuersitas ordinarit, recipientes omnia bona defuncti & in loco tuto & idoneo deponentes, statuent certum diem quo illius obitus in patria sua valeat nunciari. Vt illi ad quos bonorum eius est successio deuoluta, possint Parisius accedere vel idoneum nuncium destinare. Et si venerint vel miserint, restituentur eis bona cum cautela quæ fuerit adhibenda. Si vero non comparuerit aliquis, ex tunc Episcopus & Magister bona ipsa pro anima defuncti, prout expedire viderint, erogabunt; nisi forsan ex aliqua iusta causa venire nequiuerint successores, & tunc erogatio in tempus congruum differatur. Verum quia Magistri & Scholares qui damnis & iniuriis lacessiti iuramento inuicem sibi præstito à Ciuitate Parisiensi dissipato studio discesserunt, nisi sunt causam agere non tam propriam quàm communem, dictus Prædecessor generalis Ecclesiæ necessitate ac vtilitate pensata voluit & mandauit, vt postquam à Charissimo in Christo filio nostro Illustri Rege Francorum Magistris & Scholaribus priuilegia exhibita fuerint & de ipsorum malefactoribus emendæ taxatæ, Parisius licitè studeant nulla prorsus de mora vel reditu, infamia vel irregularitate notandi. Nos autem Prouisionem, constitutionem, concessionem, prohibitionem & inhibitionem huiusmodi approbantes adinstar Prædecessoris prædicti, ea omnia & singula mandamus & præcipimus inuiolabiliter obseruari. Datum apud Vrbem-Veterem 14. Kal. Feb. Pontif. nostri anno 2.

Ex hac Bulla suspicari licet Vniuersitatem ad Vrbanum suum olim alumnum statim post promotionem Legatos destinasse ad impetrandum M. Guillelmi de S. Amore reditum, eumque impetrasse. Licet enim Pontifex in prædicta Bulla distinctè Guillelmi non meminerit, dum tamen generatim verat vllum Magistrum ob moram aut reditum infamiâ vel irregularitate notari, nec Guillelmum excipit, satis innuit se non prohibuisse quominus postliminio reuerteretur; noluisse verò forsan eum nominatim appellare, ne prædecessoris sui à quo fuerat expulsus, memoriæ iniuriam facere videretur. Vtut sit, certum est M. Guillelmum paulo post Luteriam rediisse, suoque aduentu totam Academiam vehementer recreasse.

Legationis autem ab Vrbanum missæ Princeps videtur fuisse M. Laurentius Theologos vnus è quatuor qui ab Alexandro citati fuerant, quique Anagniæ palinodiam cecinerant. Quod conicere licet ex his verbis quæ Bullis ab Vrbano concessis eiusdem Secretarii seu Notarii manu supetscripta sunt. *M. Laurentius pro Vniuersitate Parisiensi*. Earum autem vna est, *de taxatione hospitiorum* hoc modo.

Vrbanus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio... Archidiacono Meldensi Salutem & Apost. Benedictionem.

Scientiarum fontem irriguum, fluuiumque virtutum, Parisiensem videlicet Vniuersitatem Apostolico fauore dignè prosequimur, & tanto potius statum eius prosperum affectamus, quanto potiores fructus in prouectione multorum sub diuersorum dogmatum fœcunditate producit. Ex parte siquidem dictæ Vniuersitatis fuit propositum coram Nobis, quod cum Taxatores deputati tam per Charissimum in Christo filium nostrum Regem Franciæ illustrem, quàm per Vniuersitatem eandem ad taxandum domos Ciuium Ciuitatis Parisiensis, in quos idem Rex iurisdictionem obtinet temporalem pro habitatione Magistrorum & Scholarium in Ciuitate ipsa studio insistentium litterarum pro eo quod illi quorum sunt domus, taxationem earum seruа-

re nolunt, prohibent ne aliquis vsque ad certum tempus domus ipsas inhabitare præsumat, prohibitio huiusmodi obseruatur. Verum si contingat Taxatores ad taxandum Domos Ecclesiasticarum personarum Ciuitatis eiusdem pro habitatione huiusmodi constitutas, similem prohibitionem circa domos ipsas facere pro eo quod eædem personæ taxationi talium nolunt stare, dicta prohibitio à personis ipsis minimè obseruatur Nos itaque eiusdem Vniuersitatis precibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus si huiusmodi prohibitiones Taxatorum Domorum eorundem Ciuium, vt prædicitur, obseruantur, nominatas personas vt prohibitiones quæ per Taxatores domorum suarum taliter fiunt, simili modo studeant obseruare. Dummodo huiusmodi Taxationes & prohibitiones fiant per aliquos ad hoc à personis & Vniuersitate deputatos eisdem, nisi personæ ipsæ velint in ipsis domibus personaliter habitare, monitione præmissa per Censuram Ecclesiasticam appellatione remotâ compellas. Datum apud Vrbem-Veterem 5. idus Ianuarii, Pontific. nostri an. 2.

Extat alia Bulla similiter plumbeo sigillo munita, de iuramento præstando à Ciuibus quibuscunque tam Regi quàm Episcopo Paris. Abbatibus S. Germani & S. Genouefæ subditis, & supra hæc quoque verba leguntur: *M. Laurentius pro Vniuersitate Parisiensi.*

Vrbanus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri...Episcopo Meldensi Salutem & Apostolicam benedictionem. *Scientiarum fontem irriguum fluuiumque virtutum, Parisiensem videlicet Vniuersitatem Apostolico fauore dignè prosequimur: & tanto potius statum eius prosperum affectamus, quantò potiores fructus in prouectione multorum sub diuersorum dogmatum fœcunditate producit.* Ex parte siquidem eiusdem Vniuersitatis fuit propositum coram nobis, quod licet Charissimus in Christo filius noster Illustris Rex Franciæ à Ciuibus Ciuitatis Parisiensis in quos iurisdictionem obtinet temporalem, quod aliquem de Vniuersitate ipsa non offendent, corporale præstari faciat iuramentum, tamen venerabilis frater noster Episcopus Paris. S. Germani de Pratis & S. Genouefæ Monasteriorum Abbates & eorum Conuentus, ac Decanus & Capitulum S. Marcelli Parisiensis ab hominibus in quos similem iurisdictionem obtinent, huiusmodi iuramentum exhiberi facere indebitè contradicunt. Attendentes igitur quod multipliciter eidem Vniuersitati expedit securitatis beneficio perfrui, qui sunt scientiarum studiis quietis plenitudinem requirentibus deputati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus si dictus Rex exhiberi faciat à iam dictis Ciuibus huiusmodi iuramentum, Episcopum, Abbates & Conuentus, Decanum & Capitulum prædictos, quod ab eisdem hominibus suis sub ea forma, sub qua idem Rex illud ab hominibus ipsis exhiberi facit, simile faciant iuramentum præstari monitione præmissâ authoritate nostrâ appellatione remotâ compellas. Non obstante si eis à sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto huiusmodi mentionem sine alia indulgentia Apostolica, de qua nostris in litteris fieri debeat mentio specialis. Datum apud Vrbem-veterem 5. id. Ian. Pontif. nost. an. 2.

1263. Anno 1263. M. Guillelmus de Brayo Remensis Archidiaconus, in pago Brayo editus, vir litteratissimus & laureâ Magisterii Theologici donatus ad Cardinalatum ab Vrbano assumptus est titulo S. Marci. Item Annibaldus Annibaldensis de Molaria Romanus, genere, vita ac doctrina nobilis, Prædicatorum Ordinis, multæ lectionis, vt ait Nomenclator, atque indefessi studii, qui scripsit Commentaria in 4. lib. Sentent. cum Theologiam Lutetiæ profiteretur, è quibus D. Thomæ Summam emedullasse videtur, vt aliqui scribunt. Quodlibetorum etiam librum, in quo promiscuè & indiscriminatim adopertas Quæstiones abnodare contendit. Cui pariter Doctor Angelicus Thomas Aquinas in litterarium mutuis Commentarios suos in libros Sententiarum transmisit atque dicauit. Et ille vicissim Thomæ & M. Petri Tarentasiensis eodem Ordine Cardinalis doctrinam probauit, eorumque Opera quasi in compendium redegit. Obiit autem iste vir insignis an. 1272. sub Gregorio X.

Eodem quoque reuocatus est ab exilio M. Guillelmus de S. Amore, ad cuius aduentum tanta fuit Vniuersitatis lætitiâ, quantus fuerat dolor de eiusdem

exilij

exilii sententia. Nec Dominicani quos tunc Academici pacatius viuere sinebant, eius reditum impedire moliti sunt: forte quia Vrbani animum senserunt erga Vniuersitatem esse propensiorem, vt pote viri aliàs Academici: aut etiam quia veriti sunt ne societatem quam vi obtinuerant, amitterent.

Eodem anno idem Pontifex authoritate sua confirmauit constitutionem Magistrorum & Scholarium Vniuersitatis Patauinæ, qui illius Ciuitatis Episcopum in Cancellarium delegerant ad licentias impertiendas. Extatque eius rei priuilegium in hunc modum.

Vrbanus Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Paduano Salut. & Apost. bened. Lecta corã nobis Fraternitatis tuæ petitio continebat, quod Rectores Vniuersitatis Magistrorum & Scholariũ Paduæ deliberatione prouidâ statuerũt, vt Scholares ipsius Vniuersitatis qui debent in Magistros assumi coram Episcopo Paduano præsentibus Doctoribus Vniuersitatis eiusdem examinari debeant diligenter, & idem Episcopus eis si reperiantur idonei, debeat docendi licentiam concedere; Et quod statutum huiusmodi est vt affirmas, inuiolabiliter obseruatum. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati statutum ipsum sicut est prouidè factum, ratum habentes & gratum, authoritate Apostolicâ confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, decernentes vt qui secus ibidem sibi Magistri nomen assumpserit, pro Magistro nullatenus habeatur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Vrbem Veterem 5. id. Ian. Pontif. nostri an. 3.

CANCELLARIVS VNIVERSITATIS PATAVIAE.

Eodem anno D. Radulphus *de Chevry* consecratur in Episcopum Ebroicensem, post assumptum M. Radulphum de Grosparmi ad Cardinalatum. De eo sic habet Chronicon Rothomagense. *In Octauis B. Mariæ Magdalenæ consecrati sunt in Ecclesia Rothomagensi à D. Odone Archiepiscopo Rothom. M. Odo de Lorrex Baiocensis & D. Radulphus de Chevry in Episcopum Ebroicensem.*

At in M.S. Rothomag. idem Radulphus de Grosparmi è nobili gente Normanica, Regiæ Capellæ Silnanectensis Thesaurarius, Franciæ Cancellarius & Peronensis Ecclesiæ Custos consecratus fuisse legitur an. 1259. *Anno 1259. die crastina S. Lucæ Euangelistæ consecratus est in Episcopum Ebroicensem M. Radulphus Grosparmi natus de Piris, in Ecclesia B. Taurini Ebroicensis, ad cuius consecrationem adfuerunt nulli Archiepiscopi, Episcopi & alii Religiosi. Interfuit & Ludouicus Illustris Rex Francorum cum duobus pueris suis Ludouico & Philippo, D. Simon de Monte-forti, Comes de Leycestre & Comes de Eu, & multi alii nobiles & potentes.* Hunc quoque aiunt ab Vrbano creatum Cardinalem Albanensem an. 1261. & Legatum Apostolicum factum. Caue igitur confundas istos duos Radulphos; item & tertium cognomento *de Albussone*, qui cum fuisset post obitum Ioannis de Aubergenuilla electus Episcopus Ebroicensis, in gratiam prædicti Radulfi de Grospa mi iuri suo cessit.

Ille autem circa hæc tempora legauit Vniuersitati Parisiensi seu potius pauperibus Scholaribus Vniuersitatis plateam quandam inter portas FF. Minorum & S. Germani Pratensis extra vrbem sitam, vt intelligitur ex quodam instrumento publico an. 1292. facto inter Vniuersitatem Parisiensem & Monachos San Germano-Pratenses. Mouerat enim litem Vniuersitati Ioannes de Cumenis Abbas, ignorans prædictum Legatum; at agnito iure à lite destitit, & cum Vniuersitate amicè composuit. Legauit, inquam, plateam Radulphus pauperibus Scholaribus eorumque alimentis destinauit: & legati sui tutricem esse voluit Vniuersitatem. Vnde cum an. 1292. pax prædicti conclusa est, non defuerunt qui Vniuersitatem malè gestæ tutelæ accusarent, vt suo loco referemus.

Hocce verò tempore lis quoque erat inter ipsam Vniuersitatem & Gerardum de Morette Abbatem S. Germani, de porta quadam ad Pratum-Clericorum posita, per quam Monachi exibant & intrabant; quamque pro libito claudebant & aperiebant. Contendebat autem Vniuersitas clausam [illegible] debere esse, nec licere Monachis fossas, quibus Pratum à muris Abbatiæ disiungebatur, transilire. Verum postquam ea de re diu certatum est, inter se tandem de limitatione Fossæ, seu vt dicebant, *Fossati* conuenerunt. Quæ conuentio facta est circa an. 1272. regnante Philippo Rege Ludouici filio.

Ad hunc quoque annũ referunt Historici Anglicani Henricum Regem & Ba-

tones Angliæ qui ab ipso dissidebant, compromisisse se Ludouici Francorum Regis sententiæ tanquam Decreto peremptorio irrefragabiliter statutos. Habitus est igitur in eam rem Ambiani Conuentus Procerum Regni tam Ecclesiasticorum quàm Laicorum frequentissimus: vbi postquam causam suam egerunt Rex Henricus & Simon Montefortius Leicestriæ Comes Coniuratorum Princeps Ludouicus pro Rege sententiam dixit. Verum reuersus in Angliam Comes nihilominus Regem bello lacessiuit, quod fuit vtrique parti funestum.

Eodem anno Vrbanus Pontifex indulsit Scholaribus S. Nicolai de Lupara ne extra Ciuitatem Parisiensem traherentur litis causâ: idque ad triennium sulummodo: cuius Bulla legitur in Chartulario S. Nicolai his verbis.

PRIVILEGIVM SCHO. S. NICOLAI DE LVPARA.

Vrbanus Episc. Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis... Magistro & Fratribus Hospitalis pauperum Scholarium S. Nicolai de Lupara Parisius Salutem & Apost. bened. Vestræ meritis deuotionis inducimur, vt vos fauore beneuolo prosequamur: sed in iis præcipuè quæ vos & Hospitale vestrum dignè possint à dispendio præseruare. Cum itaque nonnulli Clerici & Laici sicut asseritis, non vt suam prosequantur Iustitiam, sed vt vos afficiant laboribus & expensis, coram diuersis Iudicibus super diuersis Quæstionibus quas maliciosè fingunt interdum, vos authoritate Apostolica, vel litterarum Sedis Apostolicæ ad loca nimis à vobis remota in causam trahere sæpe præsumant, propter quod Hospitalitatis officium in Hospitali prædicto non modicè impeditur. Nos propter hoc vestris supplicationibus annuentes, authoritate vobis præsentium indulgemus, vt per litteras dictæ Sedis aut Legatorum eius de cætero impetrandas extra Ciuitatem & Diœcesim Parisiensem super bonis quæ infra ipsas habetis, non possitis vsque ad triennium conueniri, nisi dictæ litteræ sedis eiusdem faciant de hac indulgentia mentionem, dummodo infra dictam Ciuitatem & Diœcesim parati sitis coram competente Iudice de vobis conquerentibus iustitiæ plenitudinem exhibere. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem &c. Datum apud Vrbem Veterem 16. Aug. Pontif. nostri an. 6.

Eodem anno 1263 Vrbanus litteras dedit ad Priorem de Cardineto, quibus potestatem fecit absoluendi ab excommunicationis vinculis Scholares Clericorum percussores, leguntur que in Chartulario Parisiensis Ecclesiæ his verbis.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Priori de Cardineto Paris. salutem & Apostolicam benedictionem. Scientiarum fontem irriguum fluuiumque virtutum Parisiensem scilicet Vniuersitatem Apostolico fauore dignè prosequimur, & tantò potius statum eius prosperum affectamus, quantò potiores fructus in prouectione multorum sub diuersorum dogmatum fœcunditate producit. Cum itaque sicut ex parte Vniuersitatis prædictæ fuerit propositum coram nobis, quod Quidam tam Magistri quàm Scholares Parisienses pro violenta iniectione manuum in Clericos & personas Ecclesiasticas sententiam excommunicationis incurrerint, Nos eiusdem Vniuersitatis supplicationibus inclinati, absoluendi per te, vel per alium aut alios dictos manuum iniectores iuxta formam Ecclesię ab huiusmodi excommunicationis sententia, dũmodo passis iniuriam satisfecerint compètenter, & illorũ non fuerit adeo grauis & enormis excessus, quod propter hoc ad sedem Apostolicam sint meritò destinandi, liberam tibi authoritate præsentium concedimus facultatem: quas post quinquiennium volumus non valere. Datũ apud Vrbem-Veterem 5. id. Iannuarii Pontificatus nostri an. 2.

1264. INSTITVTIO FESTI CORPORIS CHRISTI.

Idem Pontifex anno 1264 in eadem vrbe sedens agitato cum Cardinalibus consilio sacratissimi Sacramenti Festum solemne instituit tribus præsertim miraculis & nonnullis etiam reuelationibus motus. Tria hæc miracula recensentur. 1m. an. 1239. in Parochia Xantiuensi prope Valentiam Hispaniæ vrbem. 2m. Parisiis in sacra Capella regnante Ludouico IX. 3m. anno 1263. prope Vrbem-Veterem, vbi tum degebat Vrbanus. Idem meminerat se cum adhuc esset in Minoribus & Leodii Officio Archidiaconatus fungeretur, audiuisse à Ioanne de Lausenna S. Martini Leodiensis Canonico, quasdam reuelationes factas S. Iulianæ Leodiensi super hoc festo instituendo. Agitantibus hoc consiliũ commodè superuenit Thomas Aquinas ex Gymnasio Parisiensi, vbi tum Cathedram Magistralem occupabat, in Italiam profectus ad offerendum Pontifici Opus, quod *Catenam auream* nuncupauit, in Euangelium Christi secundum Mathæum. Cum enim inter omnes Doctores sacram scripturam subtilius & accuratius interpretari iudi-

catus fuisset, ei vnâ voce demandata est cura componendi Officii de Sacramento altaris ad vsum Ecclesiæ Romanæ. Quod vbique die solenni & per Octauas recitandum esset. Aggressus est, & absolutum Crucifixo offerens, hanc dicitur audiuisse vocem, *Bene scripsisti de me Thoma.* Protinus ergo Pontifici obtulit & ex hoc in Ecclesia Catholica recitari iussum. Eiusdem Thomæ est hymnus. *Verbum supernum prodiens;* Sequentia, *Lauda Sion Saluatorem.* & adoratio eiusdem Sacramenti rithmica quam morti propinquus & sacrum Viaticum exspectans recitasse dicitur, *Adoro te deuotè, latens Deitas.*

Eodem anno idem Pontifex Manfredum Siciliæ tyrannum, vi expellere cupiens, qui Conradum nepotem ex auito Regno vi expulerat, per M. Simonem de Bria Cardinalem S. Ceciliæ, Regnum Siciliæ, Apuliæ Ducatum & Capuæ Principatum Carolo Andegauensium Comiti Ludouici Regis fratri possidendum dedit, quantum nempe dare potuit. Quâ de re sic Nangiacus. *Anno Domini* 1254. Vrbanus Papa nequitiam Manfredi tyranni *terminare desiderans, tanquam ad suæ defensionis dextram recurris ad Franciam, & per Simonem S. Ceciliæ Presbyterum Cardinalem Carolo Comiti Andegauensi, fratri Regis Franciæ Ludouici Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ & Capuæ Principatum misit, sibi & hæredibus suis vsque ad quartum hæredem possidendum, si contra Manfredum Tyrannum insurgeret, & S. Ecclesiam ab eius inuasione custodiret.*

Scripsit in eam rem per eundem Simonem ad Ludouicum Regem, exposuitque quo pacto Manfredus Christianorum opem respuens, Sarracenos in auxilium aduocasset, Ecclesias spoliaret, Prælatos expelleret, alios intruderet, omnia diuina & humana iura pessundaret. *Verum*, inquit, *quia cœlestis altitudo Consilii liberationē prædictæ Ecclesiæ tibi tuæque Christianissimæ Domui reseruauit, & velle videtur vt iugum oneris eiusdem Ecclesiæ & sceptrum exactoris eius per tui potentiam superentur, ecce dilectum Filium nostrum S. tit. S. Ceciliæ Presbyterum Cardinalem ad Christianissimum Regnum tuum pro negotio dicti Regni Siciliæ, a quo vtique Regno panditur omne malum ipsius Ecclesiæ & tantorum periculorum causa procedit in personam memorati Comitis, in quem suæ deuotionis & strenuitatis pensatis meritis oculos mentis nostræ direximus, actore Domino promouendo, commisso ei plenè legationis officio de Fratrum nostrorum consilio destinamus.*

Ita scribebat Vrbanus mense Maio: at circa festum B. Remigii obiit & apud Perusium sepultus est. Cui successit Guido Sabinensis Episcopus, Clemensque huius nominis IV. vocatus est. Et iste Carolum an. 1245. post acceptam Romæ Senatoriam dignitatem regali Siciliæ diademate insigniuit.

Ille est Guido Grossus Natione Prouincialis, qui vxorem habens & filios, Ludouici IX. fuerat Aduocatus Generalis & Consiliarius. mortuâ vero vxore propter vitam bonam scientiamque laudabilem Podiensis factus Episcopus; deinde Narbonensis Archiepiscopus; hinc ad Episcopatum Sabinensem & Cardinalatum assumptus, ab Vrbano Legatus missus fuerat in Angliam ad pacem conciliandam, & tandem post mortem Vrbani absens in Papam electus est: & ille statim Ottobonum S. Adriani Diaconum Cardinalem in Angliam destinauit ... [illegible]cto in Francia M. Simone Legato.

[illegible]isce temporibus grauis inerat inter Nationes discordia, hinc Gallicanâ, illinc [illegible]bus reliquis quæ sibi seorsim Rectorem præfecerant dissidentibus: aliundè vero crebris excommunicationum fulminibus simul omnes feriebantur, hinc ab Episcopo & Officiali Parisiensi illinc à Roberto Siluanectensi Episcopo tum Priuilegiorum Apostolicorum Conseruatore. Nam Episcopus Parisiensis in Rectorem & Procuratores trium Nationum Picardiæ, Normaniæ & Angliæ occasione cuiusdam *Panni* Vniuersitati legati sententiam tulerat excommunicationis. Siluanectensis verò in Rectorem & cæteros Gallicanæ Nat. Magistros ob denegatam sibi nonnullorum priuilegiorum copiam, quorum Conseruator erat. Verum consentientibus vtriusque sedis Episcopis Simon Legatus sententias relaxauit, suasque in eam rem litteras dedit ad Archipresbyterum S. Seuerini Parisiensis, quæ tales leguntur in Chartulario Parisiensi.

Simon miseratione Diuina tit. S. Ceciliæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus prouido viro N. Archipresbytero Ecclesiæ S. Seuerini Parisiensis Salutem in Dom.

" Dudum inter prouidos viros Magistros Parisius in Artibus actu Regentes Gallicæ
" Nationis ex vna parte, ac Magistros aliarum 3. Nationum, videlicet Picardorum,
" Normanorum & Anglicorum, ibi in Facultate Regentes eadem ex altera; nec
" non specialiter inter ipsas duas Nationes Picardorum & Gallicorum super diuer-
" sis articulis non leuis contentionis exortâ materiâ partes ipsæ bonum pacis & con-
" cordiæ affectantes in Nos super his tanquam in arbitros & cõpositores amicabiles
" vnanimiter & concorditer compromittere, ac tanquam in Legatum sedis Apo-
" stolicæ plenam iurisdictionem habentem consentire fide mediâ curauerunt: sanè
" discretus vir... Officialis Parisiensis in Rectorem & Procuratores ac quosdam alios
" de prædictis Nationibus Picardorum, Normanorum & Anglicorum, *occasione*
" *cuiusdam panni Vniuersitati Paris. legati*, & cuiusdam etiam contumaciæ au-
" thoritate Venerabilis Patris Episcopi Paris. N. Episcopus Siluanectensis, seu alius
" de ipsius mandato in Rectorem & Procuratorem & quosdam alios prædictæ Na-
" tionis Gallicæ, *occasione quarundam priuilegiorum ipsi Vniuersitati Paris. à sede Aposto-*
" *lica concessorum*, quorum Conseruatorem se esse dicebat, quorumque copiam eos
" sibi facere denegasse dicebat, *authoritate conseruationis sibi commissæ excommunicatio-*
" *nis sententias promulgarunt*. Cum autem isti essent de articulis in compromisso ex-
" pressis, ab eodem Siluanectensi Episcopo relaxandi huiusmodi eius sententiam
" obtinuimus per suas litteras potestatem. Idemque Parisiensis Episcopus & Offi-
" cialis prædictus, quod eandem ipsius Officialis relaxaremus sententiam, consen-
" serunt. Nos igitur ad requisitionem partium sententias huiusmodi authoritate
" quâ in hac parte fungimur, duximus relaxandas. Quocirca discretioni vestræ
" eadem authoritate mandamus, quatenus ad requisitionem ipsarum partium
" sententias huiusmodi relaxatas esse, vbi & quando expedire videbitis, denun-
" cietis. Datum Parisius 8. Kal. April. Pontif. D. Clementis Papæ IV. an. 1.

Ad huncannum refertur obitus Odofredi Beneuentani insignis Iure-Consulti qui Commentarios ad Codicem & Pandectas scripsit, de Formulis actionum, de Ordine Iudiciorum, de Arte Notariatus, &c. Obiit autem Bononiæ 3. Decemb.

1266. Anno 1266. Clemens Pontifex offensus nonnullis vexationibus & iniuriis, quas Scholares Parisienses Episcopo Parisiensi intulerant aut inferri procurauerant, Episcopum immunem esse voluit ab omni Excomunicatione & Interdicto quo per Conseruatores aut Executores priuilegiorum feriri potuisset, vt patet ex litteris sequentibus.

" *Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Parisiensi Sal.*
" *& Apost. Bened.* Exigentibus tuæ deuotionis meritis, votis tuis libenter annui-
" mus, & petitiones tuas quantum cum Deo possumus, fauorabiliter exaudimus.
" Igitur quieti tuæ paternâ volentes sollicitudine prouidere, vt nullus Exemptus
" Ciuitatis vel diœcesis Parisiensis contra te vel Parisiensem Ecclesiam per litteras
" Sedis Apostolicæ Conseruator vel Executor esse valeat, authoritate tibi præsen-
" tium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ
" Concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc at-
" tentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli
" Apostolorum eius se nouerit incursurum Datum Viterbij 6. Kal. Iunij, Pontif.
" nostri an. 2.

Extant aliæ litteræ in Chartulario Ecclesiæ Parisiensis eadem die datæ, quibus refrenatur licentia Scholarium & potestas vocandi ad tribunal Conseruationis Clericos quoscunque & Laicos, quos etiam multis iniuriis & damnis afficiebant. Sunt autem eiusmodi. *Littera Clementis Papæ super abusione Priuilegiorum Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium Parisiensium.*

Clemens Episc. seruus seruorum Dei, Dilecto filio Simoni tituli S. Ceciliæ Presbyte-
" *ro Cardinali Apostolicæ Sedis Legato Sal. & Apostol. bened.* Iniunctæ nobis quan-
" quam immeritis Apostolicæ dignitatis exposcit Officium, vt inuigilemus solici-
" tè remediis subditorum: quia dum eorum remouemus grauamina, dum scanda-
" la tollimus, in eorum possumus quiete quiescere & optatæ tranquillitatis gau-
" dium obtinere. Ad nostrum siquidem frequenter peruenit auditum, *quod Magi-*
" *stri & Scholares Vniuersitatis Parisiensis asserentes Vniuersitatem eandem nonnullis Pri-*
" *uilegiis & indulgentiis Apostolicis fore munitam*, huiusmodi priuilegiis & indul-
" gentiis multipliciter abutuntur, dum eorum prætextu tam ipsi quàm plures

alij qui se Parisius studere confingunt, quamquam ibidem disciplinis Scholasticis non insistant, ac nonnulli qui aliàs non studerent inibi, nisi vt exercerent huiusmodi abusionis malitiam & debacchari nequiter valeant in bonis innocentium personarum, & diuersi alij qui diuersarum adinuentionum & figmentorum nanciscuntur ingenia, per quæ suffragari sibi proponunt indulgentias & priuilegia memorata, de propinquis seu remotis partibus, prout eis suggerit propriæ impetus voluntatis, ad Ciuitatem Parisiensem Clericos & Laicos quos sibi aut eorum aliquibus iniuriari asserunt, coram quibusdam *quos falsò Iudices seu Conseruatores* ad hoc per priuilegia vel indulgentias huiusmodi deputatos esse proponunt, citari procurant sæpius & diuersas in illos sententias promulgari non ad hoc quod secum prosequantur iustitiam, sed vt eosdem Clericos & Laicos qui ratione delicti siue contractus aut rei de qua agitur seu aliàs forum de iure ibidem minimè sortiuntur, fatigatos laboribus & exhaustos expensis interdum vexationem suam redimere, quandoque pactiones cum eis damnosas inire compellunt. Et ex his quoque sæpe accidit, quod dum hi qui citati sunt aut eorum Procuratores seu Nuncij *coram Iudicibus seu Conseruatoribus* comparent, ab eisdem acriter verberantur, molestantur enormiter, & quod est detestabilius, interdum gladiis perimuntur in offensam Diuini nominis & totius scandalum regionis. Licet igitur vniuersa erronea nobis quibus omnium fidelium populorum est in Christo dilectio generalis, vbique displiceant, *in Ciuitate tamen tam nobili, tam famosa quæ propter scientiæ fontem in vniuersum mundum diffusâ claritate refulgens cœlestis gloriam firmamenti repræsentare dignoscitur, dum qui erudiuntur ibidem celebri fiunt splendore conspicui, & qui erudiunt in æternitatem cum stellis perpetuam assumuntur, abusiones huiusmodi eo magis nostris obuiant desideriis, quod ad Ciuitatem eandem propter tantam prærogatiuam ipsius specialiorem affectum gerimus charitatis.* Hinc est quod Nos indignè ferentes vt nitor eius tali occasione remissionis incurrat vmbraculum, quem sincerissimè cupimus suscipere condignæ intentionis augmentum, ac propter hoc pati nolentes vt abusiones prædictæ vel similes ibidem vel alibi committantur. Tum quia non est verisimile talem indulgentiam siue priuilegium per quam vel quod eis id liceat, à Sede Apostolica emanasse, tum quia si forsitan emanauerit, illud absque subreptionis astutia non credimus impetratum, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi priuilegium siue indulgentiam tibi faciens exhiberi, Detentores illius ad exhibitionem eius monitione præmissâ per Censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compellendo, eius transcriptum nobis sub tuo inclusum sigillo transmittas. *Rectoribus* verò, *Magistris*, *Scholaribus* & vniuersis aliis supradictis vt à tali abusione omnino desistant, authoritate nostrâ per te vel alium firmiter inhibens, ipsius Priuilegij vel Indulgentiæ suspendas effectum donec aliter super hoc duxerimus ordinandum. Citationes verò, sententias & processus quos in Ciuitate ac Diœcesi Parisiensi seu alibi occasione illius indulgentiæ seu priuilegij post tuam inhibitionem per talem abusum præsumptos inueneris, quos interim carere omnino viribus decernimus & nullius existere firmitatis, denuncies penitus non tenere. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo non obstantibus priuilegiis & indulgentiis supradictis, aut si eisdem *Rectoribus, Magistris & Scholaribus* communiter vel diuisim à Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint, per ipsius sedis litteras non facientes plenam & expressam de indulto huiusmodi mentionem. Datum Viterbij 6. Kal. Iunij, Pontif. nostri an 2.

Idem Pontifex datis ibidem litteris 15. Kal. Augusti commendauit Ludouico Regi Carthusiensem Ordinem paulo ante ab ipso in Valle-viridi collocatum.

Clemens Episc. Seruus Seruorum Dei, Charissimo in Christo filio Regi Francorum illustri. Carthusiensis Ordinis, cuius sinceritas in sui simplicitate non deficit, sed quasi lux splendens vsque ad diem perfectum crescit & aliàs creuit Domino promouente, obliuisci non possumus, & ex nostro affectu alios æstimantes, quod amamus tenerrimè, amicis specialius commendamus. Hoc probauit tua serenitas, cum minori fungeremur officio: nam quotiens à te recessimus, nisi fallimur, vltima verba nostra recommendationem ejusdem Ordinis (ORDO CARTHVSIENSIS.)

" continebant. Aucta ergo in nobis ad eundem dilectio pro eo scribere tuæ cel-
" situdini nos compellit, quam attentius duximus deprecandam, quatenus to-
" tum Ordinem, sed specialiter Domum Vallis-viridis prope Parisius quam plan-
" tasti, pro nostra & Sedis Apostolicæ reuerentia in tuorum remissionem peccami-
" num, oculo pietatis respiciens sis eis beneuolus & beneficus, & eiusdem defensor
" assistas consiliis & auxiliis opportunis. Datum Viterbij 15. Kal. Aug. an. 2.

BENEFICIORVM DISPENSATIO. Quanquam autem erat ipse Rex Rom. Curiæ Romanoque Pontifici addictissimus nec non erga omnes Religiosos Ordines bene affectus, nihil tamen de iuribus Regiis in dispensatione beneficiorum remittebat, ne Pontifici occasionem daret arrogandi sibi in vacationes Beneficiorum authoritatem. Itaque cum quidam Cardinalis Præbendas duas in Ecclesiis Remensi & Laudunensi authoritate Apostolicâ inconsulto Rege contulisset, ipse Pontifex factum excusauit & tandem irritum esse voluit, ne in præiudicium Regaliorum factum aut affectatum fuisse videretur. Extant in eam rem duæ eius litteræ ad Regem Ludouicum.

" Clemens...... attendere tuam volumus celsitudinem: quod dilecto filio Re-
" mensi Electo de N. F. non confirmato, nos dilectum filium nostrum G. tituli
" S. Martini (al. S. Marci) Presbyterum Cardinalem fauore volentes, prosequi
" speciali, ordinationem eidem dedimus Laudunensis & Remensis, quas Electus
" memoratus habuerat, Præbendarum. Si tamen Remensis à confirmatione Ele-
" cti tempore, quam plurimi asserebant ad collationem Regiam, sicut de iure,
" sic de consuetudine non spectabat. Idem sane Cardinalis dictam Præbendam
" contulit cuidam Clerico digno vt asserit, & maiori, licet eum multa nos rogans
" instantia vt te sollicitis precibus inducamus ad effectus huiusmodi sine tuo in
" posterum præiudicio tolerandum. Quod si tibi placuerit, nostras litteras de hoc
" dabimus efficaces. Alioquin placeat tibi saltem eidem omnino cedenti in fauo-
" rem eiusdem Cardinalis, eidem Præbendam de nouo concedere memoratam.
" Nos ergo qui ius tuum, si de consuetudine illud potes defendere, nec volumus
" nec voluimus perturbare, sinceritatem tuam rogandam duximus, quatenus per
" alteram dictarum viarum desiderio satisfacias Cardinalis & nostro. Quod si
" tibi non placet vti de iure tuo sine nostra & Ecclesia Rom. iniuria æquanimiter
" toleramus. Datum Viterbij. 15. Kal. Ian. an. 2.

Posterioribus litteris omnino reuocat collationem seu donationem illius Præbendæ, ne Regaliorum iuri præiudicium faceret.

" *Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei*, Charissimo in Christo filio Regi Fran-
" corum Illustri Sal. Cum dilectus filius noster G. tituli S. Marci Presbyter Car-
" dinalis authoritate nostrâ sibi à nobis oraculo viuæ vocis commissâ Præbendam
" quam in Remensi Ecclesia per promotionem Venerabilis Fratris nostri Ioan-
" nis (de Curtiniaco) Archiepiscopi Remensis, tunc Canonici eiusdem Ecclesiæ
" olim dignoscitur vacauisse, Dilecto Filio Ioanni de Villarificco Remensi Cano-
" nico contulisset, Nos collationem huiusmodi ratam habentes, eam authoritate
" Apostolicâ duximus confirmandam. Verum quia tu eâ ratione, videlicet quod
" vacantes confers in ea Ecclesia Præbendas à tempore quo eandem Ecclesiam
" Pastoris Regimine contigit destitui, donec substitutus illi Archiepiscopus Re-
" galia recipit à te, huiusmodi collationem in tuum præiudicium asseris esse fa-
" ctam, Nos te quem pro tuis clarissimis meritis internæ complectimur brachio
" charitatis, super hoc scandalizare nolentes, Dilecto filio Dionysio Canonico
" eiusdem Ecclesiæ damus in mandatis, vt à dicto Ioanne resignationem illius
" Præbendæ liberam authoritate nostrâ recipere non omittat... Nos quod per præ-
" missa vsui quo in præfata Ecclesia circa collationem Præbendarum ipsarum vl-
" terius præiudicare non volumus, nec etiam intendimus, has litteras in testimo-
" nium sublimitati Regiæ duximus concedendas. Datum Viterbij Idib. Septemb.
" Pontif. nostri an. 2.

Iam quo in statu res essent Vniuersitatis hocce tempore, iuuat inquirere. Imprimis in quodam M. S. Epistolarum Clementis, qui codex in Bibliotheca San-Victorina seruatur, legimus Magistrum quendam Parisiensem fuisse apud Pontificem accusatum, quod eum Romæ esset, viro cuidam Primario nempe Cardinali dixisset, esse Parisiis celebrem opinionem tunc temporis de mysterio Eucharistiæ, quâ contendebatur Corpus Christi non esse verè in altari, sed sicut

signatum sub signo, suamque illam esse. At ille hac Epistola se apud eundem excusat; & crimen in Impostores regetit.

QVAESTIO DE EVCHARISTIA.

R. Horrendam & summè detestabilem hæresim manifestè continentem pio motu sancta vestra paternitas charitatiuè suo deuoto filio recenter scripsit me dixisse cuidam Magno Vito, dum olim essem in Rom. Curia, conferendo cum eodem adiiciente me. *Parisius esse celebrem opinionem Corpus Christi non essentialiter & verè esse in altari, sed sicut signatum sub signo, prout respersit postmodum latenter sermo & ad nostram audientiam peruenit.* Quod si memor essem me dixisse, aut forsan lingua labente dixissem, studerem reuocare. Quod nequaquam cogitauimus, nec os nostrum polluimus errore tanto vel...... *in aliqua Facultate testimonio Doctorum Parisiensium.* Quod si quis vellet in dicti falsi impositione contra nos persistere, promptos nos inueniret in mortem & vitam. Sed, Pater Sanctissime, *narrabunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua & nostra tenet;* immo verbum iniquum constituerunt aduersum me tam impudenter quàm irreuerenter, non parentes Pontificali quam forte desiderant, dignitati. Sed In præfati dicti insaniam stimulati à Sathana inciderunt transcendentes, qui Dei virtutem iuxta modum naturalium rerum metientes audacius & periculosius veritati contradixerunt, vt M. Petrus Lombardi recitat in principio 10. distinct. 4. Sentent. Asserentes in *Altari non esse Corpus vel Sanguinem, nec substantiam Panis & Vini in substantiam Carnis & Sanguinis conuerti;* sed ita & Christum dixisse Hoc est Corpvs mevm, sicut dixit Apostolus ad Corinthios, *Petra autem erat Christus.* Dixerunt ibi esse Corpus tantùm in Sacramento id. in signo, & solùm in signo à nobis manducari. Et hæc prima hæresis facta est in Discipulis Christi dicentis, *Qui non manducauerit Carnem & sanguinem, non habebit vitam æternam,* dixerunt, *durus est hic sermo, quis potest audire?* & abierunt retro instruente Christo illos 12. qui remanserunt & dicente: *Spiritus est qui viuificat, Caro non prodest quidquam.* Hoc est illud Corpus de quo Eusebius ait, *Hoc corpus assumptum ablaturus à nobis, ab oculis & illaturus sideribus, necesse erat vt die cœna Sacramentum Corporis & Sanguinis consecraret & commendaret nobis, vt coleretur iugiter per ministerium, quod semel offerebatur in pretium, formâ datâ à Domino consecrationis Verbi Cœlestis, quod corpus sic consecratum siue Caro Christi interiorem hominem reficit spiritualiter & saginat.*

Non tamen latet, Pater Sancte, quod vos scire nullatenus dubitamus, quod 4. modis dicitur. 1. Secundum similitudinem; vt species panis & vini; & hoc impropriè. 2. Materialis caro Christi crucifixa & lanceata, quæ prius de Virgine sumpta est, & sic propriè accipitur. 3. Ipsa Ecclesia vel eius vnitas mystica. 4. Ipsa caro Christi spiritualis, quæ verè cibus est: quam carnem qui manducat, spiritualiter veritatem Carnis & Sanguinis Domini dicitur sumere: quia ipsam efficaciam id. ipsam peccatorum remissionem habet, pro qua sic oratur, cum dicitur. *Proficiant nobis Domine quæsumus tua sacramenta quod continent, vt quod nunc spe gerimus, rerum veritate capiamus.* id. prædictam efficientiam & etiam verum Corpus Christi, quod sic sumitur quia verissimè est in altari (vt etiam dicit Augustinus) visibiliter in Cœlo quia in forma humana, sed in altari inuisibiliter, scilicet in forma humana, quia sub speciebus panis & vini operitur, vbicunque in altari celebretur, integrum est non per partes discretum, vt illi dixerunt qui retro abierunt. Verus ergo Deus & verus homo in hoc sacramento est, quod est Corpus Christi plenum gratiâ & diuinâ maiestate, rerum veritatem & naturam in se continens mysticâ consecratione panis in Corpus & vinum in Sanguinem substantialiter conuersum in verbi Diuini consecrata potestate creaturam inuitantis in memoriam Dominicæ Passionis, sicut per Spiritum S. vt ait Augustinus, vera Caro sine coitu creata est in Aula Virginali, sumptum de Virgine, in cruce lanceatum, crucifixum, idem numero post resurrexit & in cœlum ascendit. Vt enim ait Gregorius, quis fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hostia ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo sanctissimo Christi mysterio Angelorum choros adesse, summa & ima sociari, & in eodem momento substantia panis & vini in corpus Christi secundum totam substantiam conuersum mirabiliter vel mutatum, quod est cœleste in cœlum rapitur ministerio Angelorum Corpori Christi consociando. Quod autem oculo sacerdotis

" in altari videtur sub speciebus videlicet panis & vini esse verè, vt asseruerunt " tunc huius hæresis primæ falsi Christi discipuli, vt signarum solum in signo vel " sub signo, à veritatis tramite orthodoxæ & Catholicæ recedentes per errorem. " Vt igitur fides habeat meritum, & vt non esset horror carnis & sanguinis nec " ridiculum à Paganis, non sub humana specie visibiliter sumitur, sed sub spe" ciebus sacramentalibus panis & vini. Vnde dicit Hilarius Papa, *quod non " est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed spiritualis virtus sacramenti, id. " non est ibi in illa repræsentatione qua humanis sensibus subdi valeat & repræsentari.* " Vera tamen substantia & quantitas Corporis Christi & virtus sacramenti spiri" tualis videlicet veniens cum corpore mystico, secundum quod dicit Hugo de S. " Victore. Sed de his quia mysterium fidei credi & salubriter inuestigari non potest, " quandoque salubriter cum potest voluntati eius impotentiæ salubre atque mira" bile hoc sacramentum & supra naturam penitus adscribatur. Sed Deus huius se" culi operatur in illis diffidentiæ filiis, qui non rationi voluntatem subiiciunt. " Insipientiæ verba contra nos callidè adaptare nituntur, non veri sed placiti ra" tiones sectantes, quos nunquam voluntas, non intelligentiæ veritas incitat, " dum ad fabulosam calumniam se conuertunt loquentes mendaciter hypocri" sim; quia in verbis eorum pietas quam amisit conscientia, prædicando. Narbo" nensis Diœcesis illius tempore hinc inde discerpitur, malè regitur, idiota præ" latus est, impudenterque per multa media sagaci diligentiâ serpunt & se la" tenter ingerunt vt locum habeat sequens relatio Prælationis ambitæ in animæ " suæ periculum. Quod nequaquam aduertunt, ambitionis desiderio velant ocu" lum rationis, verborum mendacio piam fidei sanctitatem in eo in quo est, deni" grare molientes, sine fide contra vnitatem fidei, quæ in nobis à sacro fontis ba" ptismate culpabiliter bellant; quam postmodum *Parisiense Studium* clarius con" firmarat exclusâ prorsus à nobis illâ damnatâ & execrabili hæresi, quam nobis " imponunt, virus suæ nequitiæ in nos transfundendo, in Electorum gloria ma" culam ponentes. Si autem authoritatem Apostolicam .... inuenirent & lucer" nam veritatis, si quam sibi placitam in nobis Deus misericorditer exaltauit, quod " Paternitati vestræ ab initio bene complacuit, immò benignè & efficaciter pro" mouit, & Nos cum multâ cordis amaritudine turgiter exposuerunt, nec tamen " patienter sustinere debemus, quod dicitur in prouerbiis, quia cor nouit amari" tudinem animæ suæ vt in gaudio eius misceatur extraneus. Absit igitur Pater " Sanctissimè, quod contra fidei Dominicæ professionem vipereæque doctrinæ " fraudulentiam in aliquo fidelitatis & sacramentorum infirmationi vel Satha" næ aditum pandamus, vt à SS. Patrum vestigio atque S. Matris Ecclesiæ disce" damus limitibus, & nostris, hæc manus nostra rudis calamo conscripsit per ve" stram summam præeminentemque sapientiam corrigenda in suis sententiis & " verbis. Sanctitatem vestram conseruet Dei Filius in longitudinem dierum. " Amen.

Eodem tempore Raimundus Alafredus Canonicus Aniciensis, nepos ipsius Pontificis studebat Lutetiæ, qui cum adeundæ Bononiensis Academiæ desiderium concepisset, & ad Clementem ea de re scripsisset, sperans se in eo studio maioribus impensis & honorabiliori ornatu, qualem deceret nepotem Pontificis Rom. commoraturum, rescripsit Pontifex se nec probare nec improbare propositum, minimè verò expectandum ipsi esse, quod conceperat, fore scilicet vt Bononiæ tanquam Papæ nepos in splendore & pompa degeret. Talis est ad eum Epistola.

Quod te scripsisti velle studere Bononiæ, nec te reprobare possumus nec probare, cum " omne Studij sumptum propositum censeatur fauorabile, vt aures mulceat audientium qui" bus offertur aliquis amator studij vel solo nomine studiosus, quamquam multoties agatur " aliud & aliud simuletur. Sanè in dubiis præsumentes in dexteram potius quàm " sinistram, tuum propositum circa Studium quod ab olim nutriuimus, commen" damus. Sed an tuo proposito locus congruat, ipse despice; cum sis ex insolen" tia Modernorum superuacuis expensis obnoxius, vt necessitates alias omitta" mus, ad quas situs Ciuitatis inuitat, quæ in via publica constituta multorum ex" hibet ibi studentibus præsentiam, verecundam non obsequentibus, & obsequen" tibus onerosam. Tuæ igitur deliberationi committimus, vt vires tuas fideliter

meliaris: *nec enim vt Papa nepos ibi manere poteris* ; & si vixeris vt Raimundus, forsan à pluribus contemnêris. Quod si adeo fortis es animi, vt contemnere scias & valeas te contemni, hic est gradus humilitatis sublimior, & ad quem pauci te iudicant adscendisse. Et si tibi datum est desuper, referas gratias largitori beneuolo gratiarum. Alioquin consultius te credimus alium locum eligere, proposito tamen laudabili non mutato. Nec culpes Nuncium de mora diutina, quem ideo detinuimus, vt per eum ordinationem Aniciensis Ecclesiæ mitteremus: sed tandem æstimamus melius eam per alium destinari. Datum Viterbij 4. Non. Nouemb. anno 2.

Hocce quoque tempore grauis intercedebat inter Nationes Vniuersitatis discordia plures ob causas: quamobrem in illo animorum dissidio Gallicana sibi Rectorem vnum, aliæ tres sibi alium præfecerant, periculumque erat diuturnioris mali, nisi M. Simon de Bria Cardinalis Legatus, eiusdem Academiæ olim alumnus dissidentes partes ad amicam pacem adduxisset. Legitur in libro Rectoris compositio ista sub hoc titulo. *De Reformatione pacis Magistrorum Picardorum, Normanorum, Anglicorum, & Gallicorum.* At in libris Nationum Gallicanæ & Picardicæ paulò fusior constitutio illa legitur sub eodem fere titulo, his verbis.

Reformatio Vniversitatis.

Simon miseratione Diuina tituli S. Ceciliæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, Ad perpetuam rei memoriam. *Beneplacitum est Domino in pace fidelium*, & reconciliatio discordium in conspectu eius, sacrificium est in suauitatis odorem, quibus salubriter id efficitur, vt auferatur iniquitas, impetus refrenentur, extinguantur scandala, retundatur effrenitas, reprimatur iniuria & discordia requiescat. Sic quod sub pacis & tranquillitatis imperio foueatur caritas, rerum dispendium euiterur, & labor mortalium se immiscentium quæstionibus infinitis sopito litium strepitu ad quietem & operationis suæ debitum officium se conuertat. *Sanè super diuersis Quæstionum articulis Magistris actu Regentibus Parisius in Artium Facultate trium Nationum videlicet Picardiæ, Normanorum & Anglicorum ex vna parte, & Gallicorum ex altera, & ipsis etiam Magistris Nationis Picardorum seorsum cum Magistris Nationis Gallicorum periculosè contendentibus & damnosè, deliberauimus super hoc interponere iuxta officij nostri debitum partes nostras, & pro causa quæ non solum ipsorum Magistrorum speciale, verum etiam commune omnium respicit interesse, in medias partes tanti dissidij prosilire.* Propter hoc itaque Partibus ipsis ad nostram præsentiam euocatis articulos contentionum huiusmodi nobis exponi mandauimus & in scriptis etiam exhiberi.

Proposuerunt itaque Procuratores Nationis Gallicorum contra ipsam Picardorum Nationem, 1. Quod cum Ioannes de Vlliaco in eadem natione Gallicorum spontanea voluntate inciperet, sicut etiam determinauerat in eadem, Natio Picardorum super hoc indebitè se opponens, eum ex se ipsa esse confinxit, & propter hoc cepit ipsum diuque detinuit; & sibi multas iniurias irrogauit, vel eum capi & detineri, sibique dictas iniurias irrogari mandauit, seu hæc rata habuit, non sine ipsius Gallicanæ Nationis contemptu & præiudicio manifesto. Et cum de his & quibusdam alijs iniuriarum articulis occasione huiusmodi substitutis in quendam Magistrum Petrum Maioris Caleti in Rothomagensi Ecclesia, & Ioannem Meldensem Archidiaconos fuisset ab ipsarum duarum Nationum, Picardorum videlicet & Gallicorum Procuratoribus compromissum; iidem Archidiaconi formam in compromisso huiusmodi eis traditam excedentes, de facto arbitrati fuerunt, quod illustris Rex Franciæ ordinaret; cuius Nationis idem Magister Ioannes & alij de villa ipsa de Vlliaco qui pro tempore Parisius in Artibus incipient, sint censendi. In eorum exprimentes arbitrio Regem ipsum ordinasse quod idem M. Ioannes de natione remaneret Gallicorum; & quod illi de Vlliaco qui de cætero in Artibus incipient Parisius, de Natione Picardorum existant, quamuis ipsa Gallicorum Natio eis super hoc vt asserit, huiusmodi non concesserit potestatem, nec concesserit quod ipsa Regi daretur eidem; nec ordinationem eius super hoc quoad illos qui inciperent in futurum, ex post facto etiam approbauit.

2. Proposuerunt, quod dicti Archidiaconi præfati compromissi formâ seruatâ inter alia pronunciarunt, quod Magistri Ioannes Fertel & Ioannes de Huy de eadem Natione Picardorum, qui fuerunt in captione dicti M. Ioannis de Vl-

" liaco principales, ipsi Magistro Ioanni & Gallicorum Nationi iniuriam huius-
" modi emendarent, & infra festum Paschatis, tunc proximè futurum, iter arri-
" perent propter hoc Sanctorum Ægidij & Iacobi limina visitandi, quod ibi fuis-
" sent testimoniales litteras authenticas allaturi, & *Rectori* & *Procuratori* dictæ Na-
" tionis Gallicorum etiam ostensuri.

" 3. Proposuerunt quod cum Robertus de Noua-Villa & Magister Renerus so-
" cius eius de præfata Natione Picardorum, Guillelmum Canonicum Tullensem,
" & quosdam Seruientes nepotum Venerabilis Patris in Christo Archiepiscopi
" Bisuntini de natione Gallicorum ex rancore prioris discordiæ sacrilego ausu
" cepissent, prædicti Archidiaconi, in quos super hoc etiam compromissum exti-
" tit, pronunciauerunt quod captores ipsi eidem Guillelmo in Natione Gallico-
" rum huius iniuriam emendarent, & propter hoc cum ipso vsque ad domum eius
" & ab ea vsque ad domum Archidiaconi dicti Meldensis accederent, & ibidem
" vsque ad eiusdem Archidiaconi beneplacitum se carceri manciparent: Quod-
" que M. Sygerus de Natione Picardorum super huiusmodi eiusdem Guillelmi
" captione de qua suspectos esse dicebant, ad ipsorum Archidiaconorum arbitrium
" se purgaret. Vnde Procuratores Gallicorum prædicti dicebant non esse peri-
" tum arbitrio supradicto in eiusdem Nationis Gallicanæ præiudicium & graua-
" men.

" 4. Proposuerunt quod Guillotus Bedellus Picardorum eâ die quâ prædictus
" M. Ioannes incepit, quasdam litteras falsas sub nomine cuiusdam quem Subdele-
" gatum Conseruationi Priuilegiorum Vniuersitatis Paris. esse dicebat, præsumptio-
" ne damnabili fabricatas inter alia continentes quod Subdelegatus ipse dictum M.
" Io. de Vlliaco & cum sub quo incipiebat, aliosque omoes qui eius principio in-
" teressent, excommunicationis vinculo innodauit, per singulas Scholas Magi-
" strorum Artium legit, & ausu nefario diuulgauit in eiusdem Nationis Gallica-
" næ infamiam & iniuriam manifestam, propter quod petierunt ipsum Bedellum
" ab Officio Bedellariæ penitus amoueri.

" 5. Proposuerunt quod Quidam de Natione Picardorum inter quos principa-
" les extiterunt MM. Sygerus & Simon de Brabant, præsente & ratum habente
" ipsâ Picardorum Natione quosdam Nationis Gallicanæ, ne in vigiliis quondam
" Magistri Guillelmi Antissiodorensis, ratione quarum Magistri totius Vniuersitatis
" conuenerant in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Parisiensium, sicut alii legerent
" & cantarent, impedire: & propter hoc libros de illorum manibus trahere attenta-
" runt, & in eorum aliquos Clericali militiæ adscriptos ibidem manus iniecerunt
" temere violentas, in eiusdem Nationis Gallicanæ iniuriam & contem-
" ptum.

" Contra tres Nationes videlicet Picardorum, Normanorum & Anglicorum pro-
" posuerunt ipsi Procuratores Nationis Gallicanæ dicentes per eas illi non minimas
" iniurias irrogatas.

" 1. In eo quod inhibuerunt prædicto M. Ioanni de Vlliaco, ne in Natione Gal-
" licorum inciperet.

" 2. Super eo quod ipsum dum iuxta morem iret per Scholas, admittere nolue-
" runt.

" 3. Super eo quod *Rector* ipsarum 3. Nationum cuidam Baccalario sponte De-
" terminanti in Natione Gallicorum inhibuit, ne determinaret in ea, & præcepit
" eidem quod ad Nationem accederet Picardorum.

" 4. In eo quod *Rectorem* Vniuersitatis indebitè creauerunt, Natione Gallicanâ
" rationabiliter contradicente, & rationem assignante & causas, quare id fieri non
" debebat.

" 5. Super eo quod volunt, vt Bedellus Gallicorum recipiat de obuentionibus
" Nationum iuxta modum, qui vt iidem Procuratores asserunt, visus est hactenus
" obseruari, videlicet vt ipse Bedellus Gallicanæ Nationis percipiat quartam par-
" tem in obuentionibus suæ Nationis & tertiam partem obuentionum aliarum: Be-
" delli verò aliarum trium Nationum nihil percipiant de obuentionibus suarum
" Nationum, sed tertiam partem tantummodo in obuentionibus aliarum.

" 6. In eo quod prædictum Bedellum Picardorum, qui sicut prædicitur, aduer-
" sus Nationem Gallicanam grauiter deliquerat contra laudabilem consuetudi-
nem

nem super hoc introductam, in suo seruitio tenuerunt. Super hoc requisitione ac precibus ipsius Nationis Gallicanæ obauditis contemptibiliter.

Petierunt etiam Procuratores prædicti per Nos infrascriptis articulis prouideri.

1. Videlicet ne ipsam Nationem Gallicorum aliis 3. Nationibus indissolubiliter vniremus.

2. Quod simpliciter ordinaremus, ne dictæ 3. Nationes aliqua statuta quæ ipsam tangant, facere valeant expresso ipsius Gallicanæ Nationis non interueniente consensu.

3. Similiter quod ordinaremus quod ipsa sola tres Examinatores possit habere, cum tot sint in ea numero personæ, quot in aliis tribus existunt.

4. Quod interdicta quæ fecit de quibusdam Scholis & Domibus tempore præsentis discordiæ, faceremus inuiolabiliter obseruari.

Porro *Procuratores* prædictæ Nationis Picardorum contra Nationem Gallicorum proponere curauerunt, quod eadem Natio Gallicana duos Scholares de Vliaco qui determinauerunt post dictum Arbitrium in Natione Gallicorum Paris. de Sophismate, & qui de iure & ex forma eiusdem Arbitrii de ipsa Natione Picardorum esse debebant, consortio suæ Nationis applicarunt; in hoc & in aliis etiam contra formam dicti Arbitrii temerè venientes.

Proposuerunt autem Procuratores Prædictarum triumNationum, Picardorum videlicet, Normanorum & Anglicorum contra ipsorum Gallicorum Nationem. Imprimis quod ipsa se ab earum consortio minus iustè ac sine causa rationabili & contra statutum iuramento vallatum, more insolito, & contra studii separauit.

2. Quod cum interim immineret *Rectoris Vniuersitatis electio* celebranda, Magistri Gallicanæ Nationis vocati ab aliis 3. Nationibus ad electionem Rectoris venire contumaciter recusantes, sibi *Rectorem* contra statutum iuramento firmatum & contra morem solitum elegerunt, *Rectori* per eos rite iuxta ipsius statuti formam electo obedire, sicut per fidem tenentur, indebitè recusantes & vsurpantes sibi tantum Iuris & auctoritatis in faciendis statutis & Scholis & domibus interdicendis & aliis communibus Vniuersitatis negotiis. *In impetrando etiam Conseruatore Priuilegiorum ipsius*, quantum tres aliæ supradictæ, seque ipsis quominus vsu communis Archæ gaudere valeant, opponentes, ei vnam de ipsis clauibus denegando, ipsarumque Bacalarios *qui incipiunt & ducuntur per Scholas iuxta morem* admittere non sine ipsarum iniuria & præiudico respuentes.

3. Quod ipsa Natio Gallicorum Bacalarios suos nondum iuxta morem & statutum super hoc editum examinatos, licentiari procurat, eos per Rectorem & Procuratores suos minus rectè electos incipere nihilominus faciendo: inferentes ex hoc quod pro Magistris vel Licentiatis haberi non deberent, qui taliter & per tales sunt Magisterium & Licentias assecuti. Procuratoribus prædictæ Nationis Gallicanæ hoc idem replicantibus contra ipsas.

4. Quod idem *Rector* Nationis Gallicanæ taliter electus præter consensum aliarum Nationum quandam Domum de nouo ex motu proprio interdixit, & interdictam fecit nuntiari.

5. Quod eadem Natio Gallicorum pecuniam quæ sibi obuenerat, dum erat de aliarum Nationum consortio refundere vel restituere siue in communi 4. Nationum ponere, sicut est hactenus consuetum, indebitè contradicit, Procuratoribus Nationis Gallicanæ ipsam ad eiusmodi pecuniam refundendam dicentibus non teneri & petentibus etiam per Nos ordinari, ne ad refundendam de cætero pecuniam quæ sic obuenit, & contribuendum in solutione debitorum in expensis Vniuersitatis plusquam vna ex aliis, teneatur.

6. Quod Magistri Gallicanæ Nationis ad exequias Magistrorum & Scholarium aliarum Nationum vocati venire ac eis interesse recusaret, fidem & pœnam super hoc appositas contemnentes.

7. Quod ipsi Magistri Nationis Gallicanæ legunt cursoriè in diebus disputabilibus, & disputant peruerso ordine cum legere tenentur. Licet autem tam Ma-

" giſtri 4 Nationum quàm prædicti Procuratores ipſarum vtrimque petierint vt
" prædicta omnia & ſingula emendaremus, ac emendari & corrigi ratione præuiâ
" faceremus. Voluerunt etiam & conſenſerunt, ac inſtanter petierunt, vt quæſtio-
" nes huiuſmodi non tam iudicialis deciſionis calculo quàm prouidentiæ conſilio
" noſtræque voluntatis beneplacito ſopiremus. Et propterea ſic in Nos non ſolum
" tanquam in Arbitrum, Arbitratorem & amicabilem compoſitorem de alto &
" baſſo, verum etiam tanquam in Apoſtolicæ Sedis Legatum plenam poteſtatem
" & iuriſdictionem plenariam obtinentem, de vniuerſis Quæſtionibus ac titulis
" ſupradictis & aliis quibuſcunque inter eos vſque in diem huiuſmodi compromiſ-
" ſi exortis compromittere ac conſentire fide ab eorundem Magiſtrorum ſingulis
" corporaliter præſtitâ curauerunt hoc pacto, vt illos articulos de quibus expedire vi-
" derimus, iudicio terminemus, prout in ipſo Compromiſſo plenius continetur. Et
" demum Procuratores partium prædictarum lite ſuper his legitimè conteſtatâ &
" præſtito Calumniæ iuramento, ad proprias ſuper hoc intentiones fundendas,
" nonnullas litteras & alia documenta, quædam etiam ſtatuta & munimenta alia
" coram Nobis in iudicio exhibentes & expreſsè renunciantes aliquibus probatio-
" nibus quibuſcunque tam pari quàm concordi inſtantiâ ſupplicarunt, ne am-
" plius protrahi tantarum litium diſcrimina pateremur.
" Nos igitur perſpecto, quot ex huiuſmodi Controuerſiis oriebantur ſcandala,
" quot odia, quot rancores, quàm inſeparabilium impedimenta profectuum,
" quantaque diſpendia rerum, animarum exitia, & pericula perſonarum, prædi-
" ctis quoque articulis & Quæſtionibus omni attentione penſatis & eiſdem litteris,
" documentis, ſtatutis & munimentis diligenter inſpectis, multiſque per Nos ad
" ipſos interrogationibus factis & Reſponſionibus ſubſtitutis ad eas; iuribuſque
" partium recenſitis, & ſuper his omnibus & aliis negotiis & contingentibus no-
" biſcum, & cum nonnullis peritis deliberatione habitâ diligenti: Conſiderato
" quoque ſuper omnia quod diſſenſiones & ſchiſmata ſemper in propriæ deſola-
" tionis interitum adoleſcunt, veritate dicente *quod omne Regnum in ſe diuiſum fa-*
" *cile deſolatur.* Inſpecto etiam, quod *ex vnione parua res creſcunt, ex diuiſione maxi-*
" *mæ collabuntur.* Et propter hoc etiam intellecto quod ante omnia opus eſt diuiſos
" parietes iungere, vt ex præſentis ordinationis ſtructurâ optatus fructus valeat pro-
" uenire, *Pronuntiamus, arbitramur & ordinamus, in primis.* Quod prædicta Natio
" Gallicana tribus aliis Nationibus, & ipſæ illi, ſine contradictione & difficultate
" qualiber inuicem vniantur, ac ipſum corpus Studij Facultatis prædictæ deinte-
" gratum atque diuulſum ſine moræ diſpendio reintegrent & reforment, eique
" conſtituant vnum caput, *ac Rectoribus* quos ſibi monſtruosè præfecerant, ſine
" omni dilatione dimiſſis, eiſdem vnicam perſonam idoneam iuxta formam quæ
" infra ſequitur, præficiant in Rectorem pari cum ſuis prædeceſſoribus concorditer
" electis poteſtate functurum: ſic voluntarios reſtringendo motus & actus proprios
" limitando, quod ad iniuriam vnius alia vel aliæ non procedant, & ideo nulla vel
" nullæ ipſarum in faciendis ſtatutis vel interdicendis Domibus vel Scholis, ſeu
" aliis communibus Facultatis negotiis authoritatem ſibi vindicent ſpecialem,
" ſed fiant in licitis caſibus ipſius Facultatis *Statuta*, & interdicantur Domus &
" Scholæ, ac impetretur eius *nomine Conſeruator communi & expreſſo cuiuſlibet Na-*
" *tionis interueniente conſenſu. Aliter autem facta & facienda Facultatis prædicta Statuta*
" *vel huiuſmodi Interdicta non valeant, nec ſeruentur.* Nulla quoque Nationum ipſa-
" rum in admittendo ad communem Archam alias Nationes, vel in recipiendo ipſa-
" rum Bachalarios, cum per ſcholas, ſicut prædicitur, deducuntur, ſe difficilem ex-
" hibeat vel rebellem, ſed omni promptitudine facilem & debitâ beneuolentiâ
" manſuetum ad conſeruationem vnionis ſuæ per hæc & alia concinnè laborando.
" Et ne huiuſmodi laborem ipſarum præmiſſæ vnionis bonum, per ea quæ de
" præfatis Licentiis & principiis reſtricantur, quod abſit euacuari contingat, *Nos*
" *Auditis* & etiam intellectis his quæ fuerunt ſuper hoc propoſita coram Nobis, &
" Priuilegiis Cancellario S. Genouefæ ſuper hoc à præfata Sede conceſſis diligenter
" inſpectis, his quoque quæ in dandis licentiis huiuſmodi eidem Cancellario
" competunt, ac aliis conditionibus ad præſens circa hoc concurrentibus attentâ
" meditatione penſatis, Pronunciamus licentias & principia ſupradicta valere, &
" dictos Bacalarios & Magiſtros cuiuſcunque Nationis exiſtant, haberi debere pro

Licentiatis, Bachalariis & Magiſtris. Et licet libera Separationis Nationum Facultatis diſſipationem ſtudij & alia multa mala inducere dinoſcatur, ne tamen inſeparabilis vnionis prætextu vna Natio ab aliis indebitè opprimi valeat vel grauari, ſic nos decet ſeparationes temerarias prohibere, quod iuſtas & rationabiles, cum res exiget, permittamus. Nos itaque ad quos ſpectat circa omnes noſtræ Legationis perſonas & Scholares præcipuè Pariſ. cogitare conſilia, & periculis obuiare, Statuimus & irrefragabiliter ordinamus, quod nulli Nationi liceat ſe à tribus vel duabus aliis vllo vnquam tempore ſeparare, niſi rationabilis & iuſta cauſa ſeparationis ſibi fuerit & etiam manifeſta; & hoc tunc demum poſtquam talis fuerit in formâ, quæ ſequitur, declarata. *Statuentes* igitur Ordinamus quod ſi forte per miniſterium ſeductoris, quod abſit, in agro Pariſienſis Studij zizania ſeminantis inter Nationes exorta diſcordia, vna à tribus vel duæ à duabus ſe voluerint ſeparare, id paſſim vel protinus non præſumant, *ſed tres antiquiores Magiſtri Theologicæ Facultatis & quatuor Decretiſtæ tunc Pariſius exiſtentes, Regentes actu*, & impedimentum Canonicum quominus expeditioni negotii vacare valeant. non habentes, de ſeparationis cauſâ quam prætendi contigerit, an ſit rationabilis, iuſta & manifeſta, & quæ & qualis emenda ex ipſa ſeparationis cauſa quam talem agnouerint, ſequi debeat, & à Nationibus vel Natione cauſam talem præſtantibus aliis exhiberi cognoſcere incipiant infra 3. dies poſtquam ſuper his à partibus vel earum altera fuerint requiſiti, & procedentes de plano & abſque iudiciorũ ſtrepitu ac ſummatim illa determinent infra menſem. Quorum pronunciationem vel maioris partis eorum ſtare volumus, & contra eam aliquatenus partes non venire. Super quâ pronunciatione fiat publicum inſtrumentum vel litteræ ſigillo authentico communitæ. Si verò partes negligant vel recuſent ſuper hoc ipſos Magiſtros requirere, ipſi nihilominus ad id vltro etiam irrequiſiti ſe offerant. Etſi ex diſſenſione tantùm viderint periculum imminere, quod periculoſius ſit ipſis Nationibus in vnum taliter remanere, vocatis partibus de ſeparationis cauſa & emenda præſtandâ, iuxta formam eandem cognoſcant protinus & decidant. Qui autem inceperint cognoſcere durante menſe, priuſquam definierint non mutentur, etiamſi cognitione pendente actum legendi dimiſerint, vel antiquiores abſentes ab initio Pariſius reuerſi fuerint; vel impedimentum antiquorum ceſſauerit, qui in cognitionis exordio canonicè fuerunt impediti. Et ſi qui ex eis ſe cognitioni malicioſè ſubſtraxerint, vel opem ſcienter dederint, quominus determinetur negotium infra menſem, eo ipſo Excommunicationis ſententiam, quam ex nunc promulgamus, incurrant: & alii iuxta formam præſcriptam procedant nihilominus in eodem. Cum autem per dictam pronunciationem manifeſtum extiterit quæ & qualis emenda à Natione ſeu Nationibus cauſam rationabilem iuſtam & manifeſtam ſeparationis præſtantibus, alii vel aliis debeat exhiberi, ipſis etiam exhibentibus, vel abſque moræ diſpendio exhibere paratis, non liceat Nationi ſeu Nationibus, cui vel quibus emenda fuerit exhibenda, ab vnione recedere aliarum. Si autem in emenda exhibenda reddiderint ſe difficiles aut rebelles, tunc demum ipſi vel ipſis liceat ſe ab aliis donec emendam in formâ prædictâ taxatam præſtiterint, ſeparare. Quo caſu ſtatuendum duximus quod ſinguli per quos ſteterit, ſeu qui ſe duxerint opponendos, quominus emenda ſecundum dictorum Magiſtrorum arbitrium ſine difficultate præſtetur, eo ipſo excommunicationis ſententiâ quam ex nunc proferimus, ligentur; quâ ligati nec Licentiatorum tenere Principia, nec Licentiandos Cancellariis valeant præſentare. Et in aliis etiam tanquam Excommunicati arctius euitentur. Et ſi per 15. dies in hac rebellione extiterint, liceat Licentiatis ſub ipſis, liberè ſub aliis Magiſtris non excommunicatis incipere, non obſtantibus in hoc caſu contrariâ conſuetudine vel ſtatuto; & eaſdem Excommunicationem & pœnas illos incurrere volumus qui contra ordinationis noſtræ tenorem ſe duxerint ſeparandos; eoſque qui iuxta formam ſeparati præſcriptam emenda taxata per ipſos contentos eſſe volumus ſibi præſtita vel oblata abſque difficultate vel moræ diſpendio ad vnionem non redierint aliorum. Quod ſi prædicti Magiſtri vel maior eorum pars quæſtionem non deciderint, nec emendam taxauerint infra menſem, ex tunc Pariſienſis Epiſcopus qui pro tempore fuerit, tam de ipſa ſeparationis cauſa quàm de emendâ prædictâ, ſuâ & noſtrâ authoritate cognoſcat: &

proceſſu per dictos Magiſtros habito rite ſeruato procedat in his omnibus ſummarim de plano & ſine ſtrepitu Iudicij & decidat, prout ſuperius eſt expreſſum. Qui verò contra ipſius Epiſcopi pronunciationem ſuper emendæ proteſtatione, vel ad vnionem reuerſione venire præſumpſerint, Excommunicationis ſententiam & pœnas incurrant, quas inuenientes ſuper his vltra Magiſtrorum arbitrium duxerint ſtatuendas

De Electione Rectoris.

Et quia in frequenti mutatione Magiſtratuum, & tenax Diſciplina reſoluitur, & admiſſâ variatione Regentium ſubditorum tranquillitas diſſipatur, illum vſum quin potius abuſum non à multis retro temporibus introductum, videlicet quod Rector nouus ſingulis menſibus, vel ſex hebdomadis eligatur, turbationem ſtudii, ac incentiuum inuidiæ immittentem prorſus duximus abolendum. Statuentes & Ordinantes quod Rector Vniuerſitatis quater in anno, videlicet primâ die legibili poſt feſtum S. Dionyſii ante vacationes Natiuitatem Domini præcedentes: vltimâ die legibili ante Annunciationem B. Mariæ Virginis: & vltimâ die legibili ante feſtum Natiuitatis B. Ioannis Baptiſtæ, & non pluries eligatur, qui officium Rectoriæ liberè exercere valeat per tempus ſuæ Rectoriæ regimini deputatum, niſi fortè culpis ſuis exigentibus infra tempus ipſum iuſtè apparuerit amouendus, quo caſu vel ſi forte decedat, vel cedat, ſeu actum legendi dimittat, tempus quod de regimine ipſius ſupererit, accreſcere volumus ſucceſſori. Eligetur autem Rector vnicus à 4. Procuratoribus Nationum, vel aliis 4. earum Magiſtris iuratis ſecundum tenorem Statuti ſuper hoc dudum editi, ſicut etiam à nonnullis annis extitit obſeruatum. (*Per quod Statutum ordinatum eſt quod nullus poteſt eligere qui non poteſt eligi, quia intrantes iurati, qui eligunt Rectorem debent habere vocem actiuam & paſſiuam, & quod nullus de magiſtris habet vocem paſſiuam ad electionem Rectoris, niſi ſit Bachelarius in Theologia vel legerit curſoriè, vel rexerit per ſex annos continuè in Grammaticis, licet ad eligendum Intrantem ſeu Electorem Rectoris, omnes actu Regentes Pariſius habeant vocem actiuam, ſeu ſuffragium actiuum.*) *Natio* autem ſeu Nationes quæ iuxta præſcriptā formam ſe ab aliis ſeparauerint, ei qui tunc erit Vniuerſitatis Rector, & de Nationibus originem duxerit, obedire ſeparatione durante non teneantur inuitè. Quo caſu & aliàs quandocunque ſeparatione iuxta prædictam formam ſtatuta, officium Rectoris exſpirare contigerit, nulla ſeu nullæ Nationes ſeparatione durante Rectorem eligent. Sed earum quælibet per eum quem prius Procuratorem habuerat, ea quæ ad officium Rectoris pertinent, cùm res exegerit donec reſtauretur vnio, exequatur.

Hæc Parentheſis eſt in lib Rectoris ad marginem.

Amplius, quia Nationis incertitudo veluti præcipuum diſſenſionis ſeminarium inter Nationes ipſas poſſet ſicut facta recentia nos edocent, grauem contendendi generare materiam, Nos ſuper hoc opportunum volentes adhibere remedium, Statuimus & ordinamus dicente Apoſtolo *finem eſſe omnis controuerſiæ, iuramentum.* Vt quotiens de alicuius Bachelarij Natione contigerit probabiliter dubitari, ſtetur eiuſdem Bachelarij ſiue de prædicta villa de Vlliaco fuerit, ſiue etiam vndecunque abſque retractatione aliqua, iuramento de qua Natione ſit, vel fore ſe credat, tactis Sacro-ſanctis Euangeliis & vocatis Procuratoribus Nationum, inter quas ſuper hoc fuerit contentio exhibenda. Et hoc ipſum circa prædictum M. Ioannem de Vlliaco & alios duos Bacalarios loci eiuſdem prædictos, volumus & præcipimus obſeruari.

Super iniuriis autem ipſius Magiſtri Ioannis de Vlliaco, & M. Guillelmi Canonici Tullenſis captione ſecutis, arbitramur & ordinamus, quod Natio Picardorum quantum in ſe fuerit, bonâ fide, opem & operam exhibeat efficacem, vt Magiſtri Ioannes Fretel & Ioannes de Huy, Robertus quoque & Renerius prædicti Captores illorum iniurias emendent. Propter hoc limina Eccleſiæ B. Mariæ de Rupe Amaroris peregrè viſitando, & quod ibi fuerint, authenticas afferendo litteras, ac Procuratori Nationis Gallicorum oſtendendo. Det ſimiliter opem & operam bona fide quod ſupradictus Magiſter Sygerus ſuper captione ipſius Magiſtri Guillelmi tertiâ manu ſe purget; alioquin ipſos à conſortio ſuæ Nationis excludat, non prius reſumendos ad illud, in quamcunque ſtuduerint Facultatem, quàm emendam præſtiterint ſic iniunctam: & dicti ſacrilegi ab Excommunicationis ſententia quam propter ſacrilegium ſic commiſſum meruiſſe cognoſcuntur, ſe rite docuerint abſolutos. Articulum autem de

excessu prædicti Bedelli cum circa ipsum plenam non inquisiuerimus veritatem, non determinamus ad præsens, sed eum ordinationi & arbitrio nostro in posterum reseruamus.

Quia verò contra Nationem Picardorum super impedimento præstito Magistris Nationis Gallicanæ ne legerent in exequiis supradictis, & ablatione librorum de manibus eorundem & prædicta iniectione manuum violentâ, nihil sufficienter inuenimus esse probatum, ipsam ab impetitione dictæ Nationis Gallicorum super hoc duximus absoluendam, saluâ tamen eidem Nationi Gallicorum omnium quæ super hoc sibi contra priuatas personas competit, quæstione.

Quoniam insuper de 4. primis articulis quos Natio Gallicana super iniuriis ab aliisq. Nationibus sibi, vt dicebat, illatis exhibuit, nobis non extitit sufficiens facta fides, easdem 3. Nationes ab impetitione Nationis Gallicanæ super his absoluimus, & ei perpetuum silentium imponimus super illis. Super quinto autem articulo de portionibus Bedellorum recipiendis in obuentionibus Nationum illud volumus obseruari, videlicet quod refusa pecunia à quauis Natione quæ inter Bedellos fuerit diuidenda, ipsis Bedellis proportionibus æqualibus assignetur. Ita videlicet quod Bedellus quilibet cuiuscunque fuerit Nationis, tantum percipiat, quantum vnus ex aliis in pecunia quæ à Natione cuius Bedellus extiterit, refundetur. De præfato autem Bedello propter prædictum eius excessum à tribus Nationibus non repulso eandem Gallicorum Nationem eo volumus esse contentam quod alias Ordinauimus de eodem, petitioni eiusdem Nationis super hoc, & super hoc etiam quod petit, quod sola tres Examinatores habere valeat, minime annuentes.

De Refusione autem prædictæ pecuniæ arbitramur & ordinamus, quod tam ipsa Natio Gallicorum quàm aliæ singulæ pecuniam quæ ab ipsis Bacalariis incipientibus & determinantibus obueniet in futurum vuione durante ad requisitionem *Rectoris* electi concorditer sine diminutione refundat. Illam autem quæ ipsis obuenit tempore præsentis discordiæ, vel etiam ante, cum vix de ipsa certa possit haberi noticia, & de iniustâ separatione Gallicanæ Nationis non constet ad plenum, nullatenus refundere teneantur. Illam verò petitionem quam fecit eadem Natio Gallicana de non refundendo in posterum nec contribuendo in solutione debitorum & expensarum Vniuersitatis plusquam aliqua aliarum, non duximus admittendam. Ordinantes quod super hoc seruetur in posterum quod hactenus fuit obseruatum.

De modo autem legendi & disputandi & accedendi ad exequias Magistrorum & Scholarium decedentium, Ordinabimus Domino fauente, quod iuxta consilium in talibus peritorum videbimus ordinandum. Volentes itaque inter Partes & Nationes prædictas omnem contendendi cessare materiam, Ordinamus & præcipimus vt nulla ipsarum aliquibus super iniuriis præteritis refricet quæstionem nisi in casibus, in quibus ei ad præsens Ordinario nostra expresse concedit. Datum apud Ecclesiam S. Genouefæ Paris. vocatis ad hoc & præsentibus Partibus supradictis & omnibus Magistris Facultatis prædictæ tunc actu regentibus ac *Procuratoribus omnium Nationum*; præmissa quoque omnia & singula rata habentibus, & voluntariè & expresse acceptantibus vniuersa. 6. Kal. Sept. Pontif. D. Clement. Papæ IV. an. 2. Anno verò Domini 1266.

Ex hoc statuto tria potissimum colligimus. 1. Electionem Primariam Officiariorum Vniuersitatis, designationem & electionem videri pependisse à solis Nationibus. Vult enim Cardinalis, vt Apostolicorum Priuilegiorum Conseruator impetretur *communi & expresso cuiuslibet Nationis interueniente consensu*: vnde conicitur Facultates quæ dicuntur hodie Superiores, aut nondum adhuc segreges fuisse, seu seorsim à Nationibus priuata Corpora constituisse, aut si constituebant, nullam in eiusmodi designatione partem habuisse; cum in ea re nullatenus earum meminerit. Adde quod vult Cardinalis, vt si non possint in vnam sententiam conuenire Nationes, trium Theologorum & 4. Decretistarum arbitrio & decisioni se submittant. Non fuisset autem æquum eam iis legem imponere, si Facultates ipsæ seorsim à Nationibus in Electione Conseruatoris suffragium tulissent, quippe eas (si quidem earum Magistros) in propria causa Iudices constituisset. Deinde non solent assumi Iudices & Arbitri, nisi qui neutri separ-

ti addixerunt quique liberum habent suffragiū : non habuissent autem septem illi Magistri liberum, si suum Facultates ipsæ tulissent. Denique quid opus erat recurrere ad septem arbitros, quando quidem ipsæ Facultates si suffragium ferebant, rem decidere poterant? Consequens ergo esse videtur, aut fuisse tum adhuc confusas in Nationibus Facultates, aut certè nullum ius habuisse in designatione Conseruatoris. Atque ex hoc statuto Nationes primariam authoritatem primariumque ius sibi vindicant eligendi Officiarios Vniuersitatis, quos deinde Decanis & Facultatibus præsentant, vt si minus idoneos censuerint, eos reiicere possint probatis causis legitimæ reiectionis.

2. Intelligimus fuisse pro monstro reputatum, quod Nationes *duos Rectores creauissent*. Vnde patet ab omni æuo Rectorem vnum rei Academicæ præfici consueuisse. Hincque confutatur opinio nonnullorum existimantium Procuratores ipsos Nationum olim fuisse Rectores. Non enim potuisset Vniuersitas stare tam multis annis seculisque, si plures authoritate pares Præfectos habuisset, quibus necesse erat Nationum suarum, ab inuicem sæpe dissidentium diuersa commoda procurare.

3. Inualuisse prauam consuetudinem mutandi Rectores singulis mensibus : quæ mutatio frequens seminarium erat iurgiorum. Vnde liquet quod etsi non essent antiquitus perpetui Rectores, annuum tamen aut semestrem aut certè trimestrem Magistratum gerebant.

Referuntur & ad hunc annum litteræ Clementis ad M. Guillelmum de S. Amore, quibus testatur se Tractatum Collectionum sacræ Scripturæ accepisse, sed propter varias occupationes non potuisse tam citò examinare, legisse tantummodo & in pluribus locis agnouisse vetus erga Mendicantes odium. Itaque M. Thomam per quem opus ipsum acceperat, remisit cum hisce ad M. Guillelmum litteris, quarum copiam fecit Andreas Duchesnius Historiographus Regius ex MS. Victorino.

CLEMENTIS EPIS. AD GVILL. DE S. AMORE.

" Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio M. Guillelmo de S. Amore. Si circa veritatis laboras indaginem, si cautelas Ecclesiæ necessarias colligis ex scripturis, dum tamen sobrius inquisitor existas, & actiuum cuites scandalum, non te credimus arguendum. Sed cauendum est tibi, ne vel præteritorum tuo hæreat animo nimis tenax memoria, & ne sub doctrinæ specie Detractoris colores insidias, vel illam obiurgationem mereris audire, quâ Paulum tetigit Festus dicens, *Te multæ litteræ faciunt insanire*. Sanè libellum nouum euoluere cepimus quem misisti : qui licet interdum alias oras continens circumeat, veterem tamen vultum multùm sapit : & quod cum excussius & discussus coloratus in aliquo videatur, totam primi substantiam comprobabitur retinere. Verum quia totum non legimus, nihil tibi possumus respondere, nisi quod prouidâ diligentiâ cor tuum munias, ne sub boni specie te seducat, qui se vt lateat, in lucis Angelum transfigurat. Nos autem cum legerimus hoc opusculum, & aliis amatoribus veritatis, & eandem intelligentibus communicauerimus, tunc quod nobis videbitur, tibi curabimus intimare. Sed quia res forsitan abibit in longum propter negotiorum instantiam quæ de mundi diuersis partibus Nos solitò acrius inquietant, Dilectum filium M. Thomam supradicti præsentatorem operis vltrà nolumus detinere. Datum Viterbii 15. Kalendas Nouemb. an. 2. nostri Pontif. hæc Ep. continetur in MS. Victorino veteri, continente Ep. Clementis, paucis immutatis.

Hoc autem opus aiunt Dominicani à Clemente transmissum ad M. Ioannem de Vercellis Magistrum Ordinis Prædicatorum: ab eo verò traditum Thomæ Aquinati vt ad singulas Guillelmi rationes responderet, qui contra eum libellum ediderit contra impugnantes Religionem: in cuius Opusculi veteri argumento sic aiunt: *Tempore Ludouici S. Francorum Regis* Willelmus de S. Amore, Sigeriusque Magistri Parisienses, multique sequaces in hunc eeciderunt errorem, vt Mendicantium Religiosorum statum damnatum assererent, librumque sacrilegum multis sacræ paginæ sanctorumque authoritatibus licet malè intellectis & peruersè expositis refertum Clementi IV. summo Pontifici obtulerunt. Pontifex ergo Reuerendo M. Ioanni de Vercellis Magistro Ordinis Prædicatorum di-

ctum librum transmisit, præcipiens vt eidem perfamosissimum tunc in toto orbe Doctorem F. Thomam de Aquino faceret responderi. Deuotissimus igitur Pater & Doctor Thomas Fratrum in Capitulo Generali Anagniæ congregatorum orationibus se faciens commendare præfatum librum studiosè perlegit, quem reperit erroribus plenum. Quo comperto alium ipse librum qui incipit. *Ecce inimici tui sonnerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput.* &c. tam citò tamque eleganter & copiosè composuit, vt non humano ingenio visus sit eum edidisse, sed potius in spiritu accepisse de dextera sedentis in throno. Quem librum in quo omnia nequissimorum tela penitus extinxerat, præfatus summus Pontifex tanquam verè Catholicum approbans, libtumque contrarium tanquam Hæreticum & nefarium damnans, ipsius authores cum Complicibus deposuit de Cathedra Magistratus, expulsósque de Parisiensi studio omni dignitate priuauit. Prædictus verò Doctor post diuinitus obtentam Victoriam Parisios rediens omnes dicti operis articulos publicè & solenniter repetens disputauit firmauitque.

Quod hic aiunt Dominicani rursus damnatum fuisse M. Guillelmi librum tanquam nefarium & hæreticum, ipsiusq; authores è studio Parisiensi expulsos, nusquam, quod sciam legitur. Reuera Alexander IV. Guillelmum Edicto remouerat ab vrbe & Academia Parisiensi: cæteros inibi manere & docere permiserat. At de Clemente non legitur quod vltimam istam elucubrationem damnauerit: neq; vllum extat eiusmodi damnationis argumentum. Sigerius autem cuius hic meminerunt. Picardicæ erat Nationis, eiusque fit mentio in Reformatione Simonis Cardinalis factâ an. 1266. 6. Kal. Sept.

Peruersum autem in Theologia docendi modum & consuetudinem quæ temporibus hisce vigebat, acriter reprehendit Rogerus Baccon Oxoniensis cap. de quarto Theologorum peccato, in Opere maiore ad Clementem IV. in quo ostendit malè Sententiarios Magistros supra Baccalarios dignitatem sibi vindicare, malè quoque plus deferri Consarcinatoribus quàm vero Textui Scripturæ sacræ. *Baccalarius*, inquit, *qui legit textum*, succumbit Lectori sententiarum. Parisius ille qui legit Sententias habet principalem horam legendi secundum suam voluntatem: habet & socium & cameram apud Religiosos: sed qui legit Bibliam caret his & mendicat hora legendi secundum quod placet Lectori Sententiarum: & qui legit Summas disputat vbique & pro Magistro habetur: reliquus qui textum legit, non potest disputare, sicut fit hoc anno Bononiæ & in multis aliis locis, quod est absurdum. Manifestum est igitur quod textus illius Facultatis subiicitur vni Summæ Magistrali: sed propter hoc est statutum cuiuslibet Facultatis. Nam omnis alia Facultas vtitur Textu suo solo & legitur Textus in scholis, quod scito Textu sciuntur omnia quæ pertinent ad Facultatem propter quam Textus sunt facti: & longè maius est, quod Textus hic de ore Domini & Sanctorum allatus mundo est, ita magnus, quod vix sufficeret aliquis Lector ad perlegendum eum in tota vita sua. Alibi Magistri Textum legunt. Demum facti Doctores non vsi sunt nisi hoc Textu, neque sapientes antiqui, quorum aliquos vidimus, vt fuit D. Robertus Episcopus Lincolniæ & Frater Adamus de Marisco & alii maximi viri.

Contra pravam methodum docendi theol.

Eodem anno admisit Vniuersitas quinque Bursas fundatas in Collegio Sorbonico à M. Nicolao Tornacensi in gratiam quinque Pauperum Scholarium Flamingorum: vt patet ex hoc instrumento.

Quinque Bursarii Sorbonici.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisiensium salutem in Domino. Cum Dilectus noster Nicolaus Tornacensis Ecclesiæ in Flandria Archidiaconus quingentas libras Parisienses M. Roberto de Sorbona Canonico Paris. Prouisori Congregationis Pauperum Magistrorum studentium Parisius in Theologica Facultate contulerit ad reditus comparandos pro sustentandis Magistris memoratis, Nos ipsius beneuolentiæ gratâ volentes vicissitudine respondere, concessimus quod idem Archidiaconus coadunet quinque Magistros bonæ famæ, vitæ & conuersationis honestæ studentes in Theologia qui plenam habeant notitiam idiomatis Flamingi, quod in suo Archidiaconatu proprium esse dignoscitur, possit ponere annis singulis in domo dictorum Magistrorum, quibus de bonis dictis Magistris assignatis prouideatur, sicut cæteris

" prouideatur Magiſtris & prouidebitur in futurum. Vt iidem Magiſtri in diuina
" ſcientiâ eruditi & ex bonorum conuictu moribus informati docentes verbo pari-
" ter & exemplo in locis ad quæ vocari ipſos contigerit, fructum facere valeant
" qui non penit. Poſt eiuſdem verò Archidiaconi deceſſum, D. Epiſcopo Tor-
" nacenſi qui pro tempore fuerit vel per ſe vel per Archidiaconum Flandrenſem,
" ſi ad hoc eum idoneum videtit, ponendi ſimiliter annis ſingulis in dicta domo
" Magiſtros præfati Flamingi Idiomatis vſque ad numerum prætaxatum liberam
" concedimus poteſtatem. Ita tamen quod ſi Prouiſor prædictæ Domus aliquem
" vel aliquos de dictis Magiſtris bona fide non eſſe idoneum vel idoneos Archi-
" diacono prædicto vel Epiſcopo ſignificauerit, poterit idem Prouiſor eoſdem reii-
" cere. Et ipſi Archidiaconus vel Epiſcopus poterunt alios pro eiſdem ſubrogare:
" debet etiam quantumcunque fuerint idonei prædicti Magiſtri in ſequenti an-
" no de nouo præſentari. Datum anno Domini 1266. Menſe Octobri.

Eodem anno celebratis, vt ſcribit Spondanus, à Bonauentura Franciſcanorum Miniſtro Generali Comitiis Generalibus ſui Ordinis Lutetiæ, cœptæ ſunt publicæ haberi Diſputationes: tum quò facilius de eâ quæ in ſingulis eſt fide iuxta Petri conſilium, cum modeſtiâ & timore rationem reddere aſſueſcerent, tum vt perſpicere poſſent Ordinis Rectores quantum proficerent in ſacris doctrinis adoleſcentes. Quæ ſemel introducta in eum Ordinem conſuetudo neque aliquando poſtea intermiſſa, in cæterorum quoque ferme omnium Comitiis frequentari cæpit, cum propter tanti Inſtitutoris reuerentiam, tum propter manifeſtam eiuſmodi exercitationum vtilitatem. Hæc Spondanus.

Eodem anno habita ſunt Pariſiis Comitia Gallicana frequentiſſima, die Iouis ante Dominicam quâ cantatur Lætare Ieruſalem, in quibus Rex Ludouicus, filius eius Philippus & multi alii Proceres crucem aſſumpſerunt à Simone de Bria Cardinale S. Ceciliæ contra Sarracenos & Turcas Chriſtianis Orientalibus bellum cruentum inferentes.

1267. Eodem anno 1266. more Gallicano, vel 1267. more Romano, cum quidam Scholaſtici deambularentes in area Parauiſi Pariſienſis ad recreationem animi & ad diſputationes more Peripatetico habendas, ſero Sabathi poſt Cineres à nonnullis famulis Epiſcopi & Officialis Pariſ. grauiter vulnerati fuiſſent: ipſomet Officiale aut imperante aut conniuente, eaque de re conqueſta eſſet Vniuerſitas apud Simonem Cardinalem tunc Legatum ille in locum deſcendit, Officialem citauit, reſpondere iuſſit ad ea quæ ipſi obiicerentur, & demum vis illatæ conſcium & conuictum damnauit, poſt multas & varias à menſe Martio ad finem menſis Iunii citationes, interrogationes & reſponſiones. Vt patet ex hoc inſtrumento.

Sententia contra Officialem Paris. lata

" Simon miſeratione Diuina tituli S. Ceciliæ Preſbyter Cardinalis Apoſtolicæ
" ſedis Legatus ad futuram rei memoriam. Per diligentis inquiſitionis effectum,
" debitum Officii Præſidentis opus redditur inſpectori, corrumpuntur Præuarica-
" torum exceſſus, & interdum falſa magnaque criminatio refrenatur, reſtituitur
" claro domus diuina decori, vtilique compendio publicæ conſulitur honeſtati,
" mortifera purgantur vitia, ſeruntur virtutes, rectificantur mores & in melius re-
" formantur, accentur iniuriæ, corriguntur errata & inſolentiæ reprimuntur, offen-
" ſi pacificantur animi, tolluntur & ſcandala & diſpendioſa pericula declinantur,
" fiuntque praua in directa & in vias planas aſpera conuertuntur. Proinde cum per
" grauem infamiam validumque clamorem diebus proximè præteritis ad noſtrum
" perueniſſet auditum, quod mandante vel ratum habente diſcreto viro *Gaufri-*
" *do Canonico & Officiali Pariſienſi*, ſeruientes ipſius Officialis, ac ſeruientes Fur-
" ni Venerabilis in Chriſto Patris Pariſienſis Epiſcopi die Sabbati proxima poſt
" diem Cinerum Quadrageſimæ proximè præteritæ, de domo ipſius iuxta Pari-
" ſienſem Eccleſiâ ſita, in qua Officialis ipſe moratur, cōtra multos Scholares Cle-
" ricos qui ante Portas eiuſdem Eccleſiæ in loco qui dicitur *Paruiſum*, & imbi cir-
" cà horam ſerotinam tum peregrinationis tum diſputationis gratiâ conuenerant,
" exeuntes armati, & in ipſos Scholares temerè irruentes, ex eis aliquos ſcilicet
" Helluinum *de Foſſees*, Ioannem *de Vius*, Ioannem Nepotem quondam M. Re-
" migii Phyſici, Guillotum dictum *le Cotonnier* Clericos adeo grauiter vulnera-
" runt, quod de morte ipſorum merito timebatur, & infamia & clamor huiuſmodi
" iam in tantum etiam deſcendiſſent, quod diutius ſine graui ſcandalo diſſimula-

ri

ſi non poterat, nec ſine magno & euidenti periculo tolerari. Nos frequentibus clamoribus excitati, & illius vindictæ memores, quam Heli ſummus ſacerdos excepit, pro eo quod filiorum ſuorum exceſſus efficaciter non correxit, contra Officialem quantumcunque Nobis dilectus eſſet, & carus, quia Seruientes ſuos, eoſque eorundem Scholarium aggreſſores cum potuiſſet, vt dicebatur, punire neglexit, reddens ex hoc non minimum ſe ſuſpectum, ſuper his ac ſuper aliis ad negotium facientibus, deliberauimus exactæ Iuſtitiæ debitè inquirere veritatem. Ad domum igitur ſupradictam in qua Officialis ipſe morabatur, perſonaliter accedentes, eidem Officiali citato legitimè & in noſtra præſentia conſtituto, decimâ quintâ die Martii proximo præteriti expoſuimus; & in ſcriptis tradidimus omnes articulos ſeu Capitula ſuper quibus contra eum inquirere volebamus, & tandem nos ei requirenti competentibus ad deliberandum ſuper eiſdem articulis & capitulis, vt facultatem habeat defendendi ſe ipſum conceſſis indulgentiis & ab eo poſtmodum de veritate dicenda iuramento recepto, ac ſuper eiſdem articulis, interrogationibus ſibi factis, eiuſque ad illas Reſponſionibus conſecutis, & multis teſtibus tam ſuper articulis ipſis quàm etiam ſuper illis quos idem Officialis ad ſui defenſionem exhibuit, receptis ſolemniter & examinatis etiam diligenter, eorumque publicatis atteſtationibus & factâ ipſi Officiali copiâ de eiſdem, nec non ad proponenda omnia quæ vellet proponere ſibi competenti ac peremptorio termino aſſignato. Auditis inſuper & receptis omnibus quæ voluit proponere verbo tenus & in ſcriptis, concluſo etiam in negotio quoad ipſum vniuerſa curauimus eiuſdem negotii acta reuoluere, & quid in illo probatum eſſet vel confeſſatum, ſeu aliàs legitimè habitum, indagare. Inuenimus igitur prædictum Officialem coram nobis in Iudicio fuiſſe confeſſum, quod nonnulli Seruientes de domo & furno prædictis, quorum nomina in primo citatorio, cuius idem Officialis prius copiam habuerat, ſunt expreſſa, de domo ipſa cum armis ad Scholares exeuntes eoſdem, ipſoſque aggredientes eorum aliquos percuſſerunt, & illos ex ipſis quorum nomina ſuperius ſunt expreſſa, grauiter vulnerarunt. Et licet Officialis in eiuſmodi Confeſſione adiecerit, quod ipſi *Seruientes* hoc fecerint iniuriam repellendo, nullam tamen de iniuria huiuſmodi fidem fecit, quinimo per iuramentum proprium recognouit, quod portas præfatæ domus tenere poterant, & quod eas concluſas tenendo, ab eiſdem Scholaribus tuti erant. Tum etiam confeſſum fuiſſe reperimus, quod ipſi Seruientes dictam domum poſt ſic commiſſum exceſſum huiuſmodi reuerterunt, quod tunc ibi eos idem Officialis inuenit, quanquam ipſos de facto capi facere & detinere potuit, & quod eos liberè & impunitos abire permiſit. Circa finem quoque præſentis negotii fuit Officialis ipſe confeſſus, quod ipſe *Leonardum dictum Carcerarium* expreſſum in citatorio ſupradicto, propter quem exceſſum huiuſmodi, cui ſe interfuiſſe recognouit, in Iudicio coram nobis vnà cum quibuſdam aliis ex Malefactoribus ſupradictis faciebamus in eadem domo in carcere præfati Epiſcopi detineri, motu proprio ſine alicuius mandato fecerat liberari.

Et licet ad excuſationem ſuam prætenderit quod bonam & idoneam cautionem pro illius dimiſſione receperat ab eodem, quantam vel qualem recepiſſet dotem, vel exprimere non curauit; ex parte noſtra ſuper hoc requiſitus nec etiam recipiendi ab eo cautionem aliquam ſuper hoc vllam habuerat poteſtatem. Teſtes etiam contra Officialem ipſum productos inter alia depoſuiſſe comperimus, quod eodem Officiali, poſtquam iam huiuſmodi cōmiſſus erat exceſſus veniente ab extra, & in Curia ipſius Domus Seruientes inueniente prædictos, ipſi Seruientes cum eos idem Officialis interrogaſſet, quid fecerant, reſponderunt, quod extra Paruiſum ipſos Scholares expulerunt. Hoc depoſuerant etiam ipſi teſtes, quod tunc Officiali prædicto fuit dictum ibidem quod prænominatus Gujllotus le Cotonnier, quem vtique Clericum Scholarem Pariſ. eſſe conſtat, fuerat ibidem ab vno ex Seruientibus ipſis grauiter vulneratus. Inuenimus etiam vnum de teſtibus depoſuiſſe prædictis, quod tunc Officialis ipſe dictis Seruientibus dicentibus prædicta, reſpondit, *Non ſitis ſtupefacti pro tanto*: alterum autem, *Non ſitis pro tam modico ſtupefacti*. Tertius verò Teſtis perhibet quod tunc Seruientibus ipſis eidem Officiali reſpondentibus quod extra præfatum locum Scholares repulerunt, Officialis ipſe dixit eis, vt verbis vtamur Teſtium, *Hoc eſt bene*. Plu-

res quoque ipsorum Testium perhibent, quod is qui dictum Guillotum vulnerauit, fuit ad quandam Cameram dictæ domus abductus & inclusus etiam in eadem gladio sanguinolento quo dictum Guillotum vulnerauerat, de manibus eius arrepto. Perhibent etiam quod præfati Furni Seruientes qui excessum huiusmodi perpetrarunt, nocte illà in eadem domo ipsius Episcopi pernoctarunt, sibi per familiam Domus quibusdam victualibus ministraris: ipsemet etiam Officialis in quibusdam scedulis quas ad sui defensionem exhibuit, confitetur quod eius familia dictos Seruientes per multos dies & noctes in domo retinuit supradicta. Quanquam dicit, quod id ad suam peruenit notitiam ex post facto. Lucidè etiam & expressè Testes exposuere prædicti, quod sæpe dictus Officialis præest familiæ dictæ Domus, quæ cum aliis excessum huiusmodi perpetrauit: & quod ipsa familia sibi subest, ac quod non obedientes sibi, si vellet punire, valeret, quamuis idem Officialis se illi præesse per proprium negauerit iuramentum.

Porro Nos vocatà multitudine Peritorum, præmissa & alia omnia quæ huiusmodi negotium instruebant, tam quæ contra Officialem ipsum facere videbantur, peritis ipsis fideliter exponere ac diligenter elucidare studuimus, & vnà cum eis vniuersa ipsius negotii merita attentione solicità, zelo Iustitiæ ponderare. Inter alia igitur id attentione considerauimus diligenti, videlicet quod malefactores prædicti deliquerunt in loco, vbi Iurisdictio ad Officialem ipsum ratione Officii sui notoriè pertinebat, per quam ipse non solum spirituales potest pœnas infligere, sed etiam citra vindictam sanguinis, temporales. Et quod ipsi Malefactores post maleficium perpetratum, supradictam domum siue Curiam, vnde contra Scholares ipsos exiuerant: & vbi Officialis ipse Iurisdictionem similem obtinet, reintrarunt. Cumque Officialis ipse tunc eos ibidem inuenit, & ipsos quos de facto capere ac detinere potuit, liberè & impunitos abire permisit, licet eos pauperes esse notorium foret, nuncque ipsorum aliquos esse malæ opinionis & famæ ad sui defensionem alleget. Cum per hoc & aliàs etiam dictus Officialis intelligens Ecclesiastico Iudici temporalem Iurisdictionem exercenti commutationem pœnarum à sacris Canonibus esse permissam, intrepidè prouidere debuit vt malefactoribus supradictis qui iam ex suo excessu sacrilego reputari poterant, Censuræ Ecclesiasticæ contemptores, aliam pœnam quæ Sanguinis vindictam non saperet, posset infligere, & condignè tanto eorum flagitio compensare: præsertim cum memor esse debuerit, quod ipse in eos vel eorum aliquos imperium & authoritatem se habere declarans eis sub interminatione amissionis rerum & corporum prout ad sui defensionem adstruit, inhibere curaret, ne contra Scholares supradictos exirent, & tenentes portas clausas nullam eis violentiam irrogarent: & vt ipsos etiam tanquam inhibitionis suæ violatores improuidos & temerarios contemptores pœna debita castigaret. Quia cum ex eis aliquem etiam de sua propria familia non puniuerit, videbatur aliquibus inhibitionem huiusmodi de corde non processisse sincero, nec in ea menti labia consonasse; sed aliud fuisse dictum in publico & aliud in priuato, præsertim cum non sit verisimile quod tales & tot numero ac taliter ac tandiu Officiali ignorante in domo ipsa quam idem Officialis inhabitat, continuè potuerint receptari, & quod tales receptare & tandiu tenere familia præsumpsisset sine ipsius Officialis conniuentia & consensu. Nec iustum asserit excusationis præsidium, quod domus custodià inhibi tenebantur, cum multi non excommunicati, nec aliàs criminosi ad hoc potuerint euocari. Vnde cum saltem tunc ipsorum notorius esset excessus, videbatur aliquibus quod non solum Officialis ipse illorum quodammodo approbaret excessum quos taliter sustinebat: sed etiam quod de huiusmodi eorum excessu præsensisset, cōcordantibus non minimum hoc ipso, vt similiter videbatur, aliquibus verbis illis quæ idē Officialis in reditu suo dixit Seruientibus supradictis, videlicet. *Non sitis stupefacti pro tanto hoc, Bene est, Non sitis pro tam modico stupefacti.* Cū ista verba quorundam iudicio præmissis attestari expressius videantur, & quandam approbationem eorum quæ Seruientes ipsi contra dictos Scholares fecerant, importare. Quorundam quoque iudicio ad hoc suffragari quodammodo videbatur eiusdem Officialis supra prædictam familiam, probata licet iuramento per eum inficiata prælatio, *cum veritas negata de publicis, minus relinquat fidei de occultis.* Aliqui etiam intellecto quod præsumptuosè Leonardum dimisisset, eundem

Officialem ipsum super causa detentionis illius sibi conscium esse dixerunt, & eum in illius pœnis recolere culpam suam. Præ cæteris verò attentione consideramus speciali quàm amarus odor ex diuulgatâ super his contra dictũ Officialem infamiâ fit iam vsque ad diuersas mundi Prouincias resolutus, & quàm horrendum præloquium grauissimi scandali sit ex præmissis non sulum ad propinquos sed etiam longè longissiméque positos iam deductum in enarratione Parisiensis studii manifesta, quàm enormia quoque tam animarum quàm personarum & rerum dispendia, quàm incomparabilia scientiæ aliorumque incomparabilium profectuum detrimenta sint, maximè quibus Officialis ipse potuerit occurrisse, vt etiam per hoc ipsum ei fugâ sex vel pluriũ ex malefactoribus supradictis quos deriuisse potuit & puniisse, ac defectus doctrinæ omnium Magistrorum Parif. qui vt asserunt eo causam præstante iam per tres menses vel circiter à Lectionibus cessauerunt, aliaque varia dispendia inde postmodum subsecuta meritò debeant imputari.

His igitur & Vniuersis confessionibus, probationibus, præsumptionibus aliisq; omnibus tã quæ contra dictũ Officialem, quàm quæ pro ipso facere videbantur, tam nobiscum quàm cum multis peritis plenâ inuestigatione discussis & diligenti meditatione pensatis, Nos tantum sedare scandalũ & futuris obuiare periculis ac ingruentibus dispendiis prouidere volentes, sicque Iustitiæ debitum soluere, ne per disciplinæ rigorem probemur excedere, néue Moysis exemplo, fratri amico vel proximo, vltra quam conueniat, indulsisse, maximè cum B. Gregorium dixisse legamus *Quàm grauius delinquitur, si inter peruersos plus æqualitas quàm Disciplina custoditur; & quod supradictus summus sacerdos quadam falsâ pietate superatus ferre delinquentes filios voluit apud districtum Iudicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit.* Dictum Officialem supradictum citari legitimè ac peremptoriè ad definitiuam audiendam sententiam & præsentem de prædictorum Consilio publico, vt sic loquamur, *Officialitatis Officio in his scriptis perpetuâ quâ fungimur authoritate, priuamus.* Et ne vnquam Parisius vel alibi ad huiusmodi assumatur Officium, Statuimus & irreuocabiliter prohibemus, *volentes nihilominus ac mandantes ac etiam per hanc sententiam decernentes, quod idem Gaufridus extra Ciuitatem Parisiensem per triennium ab instanti festo B. Mariæ Magdalenæ continuè commoretur, nisi per Vniuersitatem prædictam ad Ciuitatem ipsam interim reuocetur. Et quod non prius ad Vniuersitatis prædictæ consortium admittatur quàm super hoc ipsius Vniuersitatis gratiam impetrarit.* Actum & datum in claustro Ecclesiæ Parisiensis in domo quam habitat M. Ansellus de Buciaco Canonicus Parif. xi. Kal. Iulij, Pontificatus D. Clementis Papæ IV. an. 3. (id. 21. Iunij an. 1267.

Continuò Sententia ista significatur M. Gaufrido eique exilium indicitur, & omni Officialitatis munere interdicitur: quod certè durum fuit, & plurimorum animos mouit ad commiserationem: sed eâ in re non tam læsis Scholaribus & Vniuersitati cautum fuit & consultum quàm prospectum exteris & alienigenis, qui ex omnibus terrarum orbis partibus ad Studium Parisiense omnium quæ vnquam fuerunt, amplissimum & celeberrimum, confluebant, & quorum præsertim securitati Rex Francorum consultum, esse volebat. Cum verò M. Gaufridus existimaret aut iniuriam sibi factam, aut certè grauiorem delicto pœnam inflictam fuisse, à prædicto Simone & à Sententiâ quam tulerat, Summum Pontificem Clementem appellauit, atque apud eum valde questus est. Quod vbi intellexit Vniuersitas, ipsa quoque Legatos suos eodem anno, paulo post sententiam illam latam, ad Papam mittendos esse existimauit: vt patet ex hoc instrumento publico, tum Rectore Vniuersitatis *M. Roberto de Vmchelis.*

In nomine Domini nostri Iesu Christi Amen. Anno eiusdem 1267. Indictione 10. die Iouis proximâ post festum B. Martini æstiualis, scilicet die 7. ineuntis mensis Iulij. In præsentia Boni Amici Clerici authoritate Apostolica publici Notarij & Testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum pateat vniuersis hoc publicum Instrumentum inspecturis, quod Nos M. M. Odo de Carnoto Decanus Magistrorum Parisius Regentium in Physicâ, Robertus de Vmchelis Rector Vniuersitatis Parif. Odo de Polengio Procurator Nationis Gallicanæ Parisius, Petrus Cornuluensis Procurator Nationis Anglicorum Parisius, Mathæus Argenis Procurator Nationis Picardorum Parisius, Guillelmus de PROCVRATORIVM VNIVERSITATIS.

Insulis Procurator Nationis Normanorum Parisius constituti nostro & Nationum nostrarum prædictarum nomine, ac etiam de assensu & consensu Magistrorum Parisius regentium in Theologica Facultate, quorum nomina inferius sunt expressa, M. Odonem de Bella-valle Clericum, & Guillelmum Picardorum Bedellum Vniuersitatis, quemlibet eorum in solidum; ita quod non sit melior conditio occupantis & quod vnus inceperit, alius possit illud idem exequi cum effectu, facimus, constituimus & ordinamus Procuratores legitimos & Nuncios speciales ad prosequendum appellationem Sententiæ à venerabili Patre D. Simone tituli S. Ceciliæ Presbytero Cardinale Apostolicæ Sedis Legato latæ contra M. Gaufredum Canonicum Parisiensem quondam Officialem eiusdem loci *pro Vniuersitate Parisiensi, seu ad instantiam Vniuersitatis Parisiensis.* A qua Sententia idem Officialis dicitur ad Sedem Apostolicam appellasse, & ad impetrandum litteras super contributione, ad Contractum contrahendum pro soluendis debitis Vniuersitatis Parisiensis, de quibus constiterit per legitima documenta seu instrumenta; ac etiam super mutuo contrahendo pro prosecutione negotii appellationis prædictæ & pro aliis negotiis, rebus, & causis Vniuersitatis licitis & rationabilibus expediendis & procurandis; nec non ad impetrandum litteras in Curia D. Papæ super præmissis cuiuscunque tenoris existant, & super eis videlicet quæ in dictis articulis occurrere seu emergere possent principaliter vel incidenter ad contradicendum, Iudices eligendum, recusandum & conueniendum in ipsos. Dantes eisdem Procuratoribus & cuilibet eorum in solidum plenariam potestatem & speciale mandatum agendi, excipiendi, proponendi, defendendi, petendi, excipiendi, iurandi in animas nostras & prædictorum de calumnia seu de veritate dicendâ, & faciendi cuilibet alterius generis sacramentum secundum quod in causis exigitur & ordo postulat rationis; ponendi, positionibus respondendi, expensas petendi & recipiendi easdem & super eisdem, si ibi fuerint adiudicatæ, litem contestandi, acta, instrumenta, testes producendi, appellandi, appellationem prosequendi & eidem renunciandi, alium Procuratorem cuilibet eorum constituendi loco sui cum voluerit, & sibi viderit expedire, qui eandem seu consimilem in prædictis omnibus habeat potestatem omnia alia & singula faciendi super præmissis articulis, quæ Nos faceremus seu facere possemus, si præsentes essemus. Promittentes pro Nobis dictisque Magistris, *Nationibus & Vniuersitate* prædictis, Nos & dictos Magistros, *Vniuersitatem & Nationes prædictas* ratum & firmum habere & non contrauenire, quidquid per dictos Procuratores in solidum & per Constitutum seu Substitutum ab ipsis seu ab altero ipsorum super præmissis articulis, & quolibet præmissorum factum fuerit, seu etiam procuratum, & pro ipsis & ipsorum quolibet, si necesse fuerit Iudicium solui. Interfuerunt Testes præsentes Venerabiles viri M. M. Ioannes de Siuriaco Archidiaconus Carnotensis, Raymundus de Caturco, Capricerus Aurelianensis, Ioannes de Herford Decanus eiusdem loci, Ioannes de Chamlayo Canonicus Altissiodorensis, Stephanus de Bona-valle Clericus, Stephanus de Aluernia Canonicus de Gornayo & alij quamplures. Præsens autem publicum Instrumentum seu scriptum fieri fecimus per Notarium supradictum qui precibus nostris ac rogatus à Nobis dictisque Magistris prædictis omnibus præsens interfuit & scripsit. Ad maiorem autem cautelam & securitatem omnium præmissorum *Sigilla 4. Nationum ab antiquo Parisius distinctarum præsenti publico instrumento duximus apponenda.* Nomina vero Doctorum Theologicæ Facultatis, qui præmissis consenserunt, sunt hæc; F. Guillelmus de Baslo Ordinis FF. Minorum, F. Balduinus de Tornaco Ordinis FF. Prædicatorum, F. Gregorius Ordinis Vallis-Scholarium, F. Galdaricus Monachus Niger: M. Giraldus de Abbatis-Villa Archidiaconus de Pontano in Ecclesia Ambianensi. M. Guillelmus de Alumna, M. Ioannes de Allodio Aurelianensis Diœcesis. *Et sciendum est quod dicti Religiosi Ordinis Minorum, Prædicatorum & Vallis-Scholarium coram dicto Notario consenserunt præmissis; alij verò Magistri Theologiæ prædicti coram Nobis.* Actum Parisius præsentibus testibus supra scriptis ad hoc specialiter vocatis & rogatis.

Ego bonus Amicus Bononiensis Clericus quondam Roberti filius authoritate Apostolica publicus Notarius prædictis interfui, vt scripta leguntur, scripsi, publicaui: & prædicta omnia in hanc publicam formam redegi, compleui, roga-

tus me subscripsi & signum meum apposui. *Ad maiorem autem Cautelam omnium præmissorum prædicti Magistri vidente me Notario & præsente Sigilla 4. Nationum ab antiquo Parisius distinctarum præsenti publico instrumento apposuerunt.*

Huius instrumenti multa sunt capita animaduersione digna. 1. quidem tum primum videri *Decani* nomen in Vniuersitate vsurparum: nondum enim mihi venit in manus antiquius instrumentum, in quo nomen illud extet in ea significatione: quippe hic M. Odo de Carnoto videtur fuisse Decanus Facultatis Medicinæ, & quasi ab ipsa sua Facultate delegatus. Nisi forte quis dicat nomen *Decani* non accipi hic strictè pro *Præposito* sui Ordinis, sed generaliori significatione pro antiquiore Magistrorum in Medicina Regentium & adhuc in Nationibus sub Procuratoribus militantium, cum in instrumento prædicto tota Vniuersitas 4. *Nationum* nomine comprehendatur: sic enim aiunt, ipse M. Odo, Rector & Procuratores. *Nos Parisius constituti nostro & Nationum nostrarum prædictarum nomine*, nullâ factâ Facultatum quasi à Nationibus distinctarum seu separatarum mentione, præterquam Facultatis Theologicæ, quæ ad consensum instrumenti accedere videtur veluti iam extra Nationes posita: post verba enim supra allata, sequuntur ista immediatè, *ac etiam de assensu & consensu Magistrorum Parisius regentium in Theologica Facultate.*

2. Notatu dignus est ille ordo Nationum: nam primus locus Gallicanæ, 2. Anglicanæ tribuitur, veluti primis institutricibus Scholæ Parisiensis 1 3. & 4. reliquis duabus, quasi addititiis & accessoriis. Quanquam hic ordo non semper, neque etiam idem temporibus iisdem obseruatus est: nam in Reformatione Simonis an. 1266. Gallicana primum locum occupat, Picardica secundum, 3. Normanica, postremum denique Anglicana. Crediderim autem diuersitatem illam ex eo esse, quod de præcessione sæpe certauerint, maximè verò Picardica & Anglicana, vt alio loco referemus.

3. Notabile est pariter, quod 4. Nationes instrumentum istud Procuratorum & publicum conficiunt nomine totius Vniuersitatis, illudque sigillis suis ad maiorem cautelam communiunt. Vnde datur intelligi Facultates quæ Superiores dicuntur, nondum omnino fuisse segreges seu separatas à Nationibus & in consortium adoptatas: aut certè nondum adhuc habuisse propria sigilla: aut denique penes Nationes fuisse publicam administrationem Vniuersitatis.

4. In Theologica Facultate notantur duplicis generis homines, Monachi & Seculares. Vnde confirmatur id quod supra diximus de Monachis, scilicet non venisse in consortium Vniuersitatis nisi per Theologicam Facultatem. Vnde illi quasi membra diuulsa, separatim apud Notarium declarant & contestantur suum consensum, non apud Rectorem & Procuratores, à quibus directè non fuerant recepti. Contra verò Seculares. *Alii verò Magistri Theologia prædicti coram Nobis.*

His ita constitutis & factis, cum deliberaretur de pecunia Legatis danda seu viatico attribuendo, M. Gaufridus aliâ viâ & compendiosiore sibi procedendum ratus, ad preces confugit, atq; per Simonem ipsum Cardinalem qui sententiam tulerat, reconciliatus est Vniuersitati & restitutus in integrum, præstito prius iuramento se nullum vnquam è Seruientibus seu famulis suis qui delictum perpetrarant, in familiam recepturum, deinde etiam pro virili parte curaturum comprehendi eos qui fugerant, atque ad pœnas dari.

Anno 1268. Ludouicus Rex prope in procinctu expeditionis transmarinæ, ne quid oriretur turbarum se absente occasione vacationis Beneficiorum Ecclesiasticorum, Ecclesiæ Gallicanæ & Patronis Ordinatiis ius suum asseruit, editâ *Sanctione Pragmatica* in hunc modum. 1268.

Ludouicus Dei Gratia Francorum Rex ad perpetuam rei memoriam. Pro salubri ac tranquillo statu Ecclesiæ Regni nostri, nec non pro Diuini cultus augmento & Christi fidelium animarum salute, vtque gratiam & auxilium omnipotentis Dei, cuius soli ditioni, atque protectioni Regnum nostrum semper subiectum extitit, & nunc esse volumus, consequi valeamus, quæ sequuntur, hoc Edicto consultissimo in perpetuum valituro statuimus & ordinamus. Sanctio Pragmatica.

1. Vt Ecclesiarum Regni nostri Prælati, Patroni, & Beneficiorum Collatores Ordinarii, ius suum plenarium habeant, & vnicuique sua Iurisdictio seruetur.

„ Item Ecclesiæ Cathedrales & aliæ Regni nostri liberas Electiones & earum „ effectum habeant.

„ Item Simoniæ crimen pestiferum Ecclesiam labefactans à Regno nostro pe„ nitus eliminandum volumus & iubemus.

„ Item Promotiones, Collationes, Prouisiones Prælaturarum, Dignitatum vel „ aliorum quorumcunque Beneficiorum, Officiorum Ecclesiasticorum Regni no„ stri secundum dispositionem & ordinationem & determinationes Iuris commu„ nis, sacrorum Conciliorum Ecclesiæ Dei atque Institutorum antiquorum SS. „ Patrum fieri volumus pariter & ordinamus.

„ Item libertates, Franchisias, immunitates, prærogatiuas, iura & priuilegia per „ inclytæ recordationis Francorum Reges Prædecessores nostros & successiuè per „ Nos Ecclesiis, Monasteriis atque piis Locis Religiosis, nec non personis Ecclesia„ sticis Regni nostri cōcessas & concessa innouamus, laudamus, approbamus, & con„ firmamus per præsentes: harum tenore vniuersis Iustitiariis, Officiariis & subditis „ nostris ac Loca-tenentibus præsentibus & futuris, & eorum cuilibet prout ad „ eum pertinuerit, districtè præcipiendo mandamus, quatenus omnia & singula „ prædicta diligenter & attentè seruent, teneant & custodiant, atque seruari, tene„ ri & custodiri inuiolabiliter faciant, nec aliquid in contrarium quouis modo „ faciant vel attentent, seu fieri vel attentari permittant; Transgressores aut con„ tra facientes iuxta casus exigentiam tali pœnâ plectendo, quod cæteris deinceps „ cedat in exemplum. In quorum omnium & singulorum testimonium præsentes „ litteras sigilli nostri appensione muniri fecimus. Datum Parisius anno Dom. 1268. „ mense Martio.

Quo spiritu quóque impulsu ductus ita statuerit Ludouicus, nemo, credo, satis accuratè expressit. Hæc verò meo quidem iudicio causa fuit: nimirum sapiens ille Princeps iuxta ac pius animaduertit Curiam Romanam in vacantia Ecclesiarum Beneficia dignitatesque manum iniicere nonnunquam, easque vario sub prætextu, cum se dabat occasio, conferre, & sic Regia Patronorumque cæterorum iura sæpe turbare. Clemens licet Regiarum causarum Patronus & Cognitor olim fuisset, vacantem Præbendam in Remensi Ecclesia per Cardinalem S. Marci inconsulto Rege contulerat, vt ad an. 1266. retulimus: quam tamen collationem, quia sensit Regem non æquo animo ferre, reuocauit. Anno 1267. aut hoc anno, Archidiaconi Senonensis (eo ad Archiepiscopatum assumpto) Dignitatem pro iure suo M. Aymerico, vel Præcentori Ecclesiæ Senon. conferri voluit; vicissimque Rex pro suo, alteri, nempe M. Gerardo de Ramplione, seu Rampilione. Quam in rem extant hæ litteræ Clementis in MS. Victorino. Prior ad Regem est eiusmodi.

„ Clemens.... Cum in Archidiaconatus Senonensis negotio curialius nobiscum „ agere tua, Fili charissime, circunspecta prudentia potuisset, nec peccabimus si „ dixerimus, debuisset; cum pro iure saluando Regio si quod erat vel esse poterat, „ viam nobis placuisset eligere gratiosam, quam acceptam habere te decuisset, „ cum de illorum numero non credaris qui suam fortitudinem Legem iustitiæ es„ se volunt. Sanè nullus manus nostras ligauerat: nemo linguam, quin Nos statim „ Venerabili Fratri nostro P. Senonensi Archiepiscopo consecrato Archidiaconatum „ conferre possemus, & infra tempus de consecrandis Episcopis à Canone definitum „ ex Apostolicæ plenitudine potestatis. Sed neutro istorum vsi tuæ beniuolentiæ „ morem gessimus, nec humilitatis nostræ fructum alium reportamus, nisi quod „ efficaciter docti sumus, cum se facultas obtulit, in similibus inoffensâ semper iu„ stitiâ cautius nos habere. Tu ergo fili Charissime diligenti meditatione pensabis „ cum bene feceris, an Patri beniuolo vicem dignam rependeris: quod defendi „ posse non credimus, nisi sacrorum Canonum fundamenta totaliter à radicibus „ euellantur. Nos autem cum aduersario quem Nobis constituere voluisti, ius no„ strum prout expedire viderimus, prosequemur. Datum an. 4.

Item scripsit ad Archiepiscopum Senonensem nomine Petrum, qui ex Pædagogo fratrum Henrici Cornuti, Præbendâ & Officialis dignitate donatus, postea & Archidiaconatu, tum Camerariatu in Curia Rom. ab Vrbano insignitus; demum à Canonicis postulatus in Archiepiscopum an. 1267, à Clemente Romæ fuerat inauguratus; quamobrem ipse Clemens Præbendam, quam ante inaugurationem

habebat, vacare credens, sibi conferendam arrogarat. Sic ergo ille.

Ex parte Charissimi in Christo filij nostri L. Regis Franciæ Illustris nobis extitit supplicatum, vt super collatione Archidiaconatus quem obtinebat Electus, ius suum conseruaremus eidem. Nos verò qui beneficia quæ in Curia vacare contigerit, nostræ dudum collationi reseruasse dignoscimur, decernentes irritum & inane quidquid per alium super eis contingeret impetrari, Archidiaconatum eundem te consecrato vacantem conferre libere poteramus. Sed sicut eidem Regi antea scripseramus, collationem distulimus, donec ipsum vidisses, & eidem ius nostrum plenius ostendisses. Licet autem cordi sit nobis in omnibus & per omnia iura Regia conseruare; quia tamen nostrum negligere nolumus, in his maximè quæ salutem respiciunt animarum, fraternitati tuæ per Apostolica tibi scripta mandamus, quatinus viso Rege & iure nostro quod iustum est & liquidum, eidem plenius patefacto dictum Archidiaconatum authoritate nostra vel M. Aymerico vel Præcentori Senonensi conferre nullatenus omittas; nisi forsan ex parte Regis eiusdem audiueris aliquid quod te moueat ad collationem huiusmodi differendam, in quo casu processum tuum & dilationis causam nobis rescribere non omittas. Cæterum si prout dicitur, quod non credimus, idem Rex nobis non deferens, sicut Nos ei detulimus, Archidiaconatum cuiquam contulit memoratum, suspendas ab officio & beneficio possessorem, præfixo eidem termino peremptorio duorum mensium quo se nostro conspectui præsentialiter repræsentet. Quod si nondum possessorem apprehendit eiusdem aut eidem renunciet, aut citatus veniat, vt est dictum, pariter & suspensus.

Vt verò audiuit M. Girardum de Rampilione Canonicum Senonensem à Rege collationem Archidiaconatus eiusmodi accepisse, has ad eum dedit litteras.

Clemens Ep. Seruus Seruorum D. Dilecto filio M. Girardo de Rampilione Canonico Senonensi Sal. & Apost. bened. Cum Archidiaconatus maior Senon. Ecclesiæ in Curia nostra vacauerit, venerabili fratre nostro P. Senonensem in Archiepiscopum consecrato, in quo prout audiuimus, ius asseris te habere, per Apostolica tibi scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus petitionem eiusdem vel aliquid pertinens ad eundem per te vel alium, clam vel palam nec recipias nec attingas, nec de te ipso aliquatenus intromittas, donec te nostro conspectui personaliter præsentaueris tuam nobis iustitiam ostensurus. Quod si secus egeris, ipso facto sententiam excommunicationis incurras, & priuatus omnibus Beneficiis Ecclesiasticis inhabilis nihilominus maneas ad habenda. Si verò petitionem eiusdem es nactus, sub eadem forma præcipimus tibi quatenus dimittas, & nisi feceris, eisdem Sententia excommunicationis & pœnis aliis maneas inuolutus.

Item Officiali Parisiensi & M. Helyæ de Cantuito scripsit eadem de re in hæc verba.

Clemens.... Dilecto filio Officiali & M. Helyæ de Cantuito Parisiensi Sal. & Apost. bened. Dilectioni tuæ in virtute obedientiæ per Apostolica tibi scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus M. Girardum de Rampillione Canonicum Senonen. ad nostram euocantes præsentiam, venire per censuram Ecclesiasticam compellatis, litteras quas dirigimus ad eundem, quas & vobis sub Bulla nostra mittimus interclusas, sub bonorum & grauium testimonio primùm legatis & lectas tradatis eidem; & si copiam alicuius vestri scriniarij habueritis de lectione & traditione huiusmodi faciatis confici publicum instrumentum, alioquin in testimonium rei gestæ vestras nobis patentes litteras transmittatis. Datum. an. 4.

Igitur ex his agnoscens Ludouicus animum Pontificis, veritusque ne quid se absente moliretur aduersus Regni libertates & antiqua iura, præallatam edidit Constitutionem circa Beneficiorum dispositionem, quam in toto Regno seruari voluit; & paulo post aliam similem ad Narbonenses, quam ex Archiuo Præsulis Narbonensis publicâ luce donarunt viri clarissimi Catellus & Duchesnius, correctiùs verò Baluzius in Notis ad cap. 1. lib. 3. de Concordia Sacerdotij & Imperij: in eaque hæc verba leguntur ad rem istam pertinentia. *Cupientes in primis ætatis & Regni nostri primordiis illi seruire à quo Regnum recognoscimus; & id quod sumus, desideramus ad honorem ipsius, qui nobis culmen dedit honoris, quod Ecclesia Dei*

quæ in partibus veſtris longo tempore fuit afflicta & tribulationibus innumeris conquaſſata, in noſtro Dominio honoretur & feliciter gubernetur. Vnde de Magnorum & prudentum conſilio ſtatuimus quod Eccleſia & viri Eccleſiaſtici in terris conſtituti prædictis, libertatibus & immunitatibus vtantur quibus vtitur Eccleſia Gallicana, & eis plenè gaudeant ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ memoratæ.... Actum Pariſius anno gratiæ 1268. menſe Aprili.

1269. Anno. 1269. Ludouicus IX. antequam pro ſecundâ vice ad expeditionem ſacri belli in Terram ſanctam proficiſceretur, Teſtamentum condidit ſanctiſſimo Principe digniſſimum: quod vel vnum ſufficeret ad probandam eius ſanctitatem, ſi alia deficerent argumenta. Eo autem certas pecuniæ ſummas legat pauperibus ſcholaſticis, S. Honorati, Bonorum puerorum, S. Thomæ de Lupara & aliis quos vulgò Burſarios appellamus, qui ſimul cohabitantes tam diuinorum Officiorum quàm litterarum exercitia obibant. Multa quoque alia legata in eodem Teſtamento continentur, digna poſteritatis memoria. Eſt autem eiuſmodi.

Testamentum D. Ludovici.

» *In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Amen.* Ludouicus D. G. Francorum » Rex. Notum facimus quod Nos per Dei gratiam ſani & incolumes Teſtamentum » noſtrum ordinauimus in hunc modum. Volumus quidem & præcipimus, quod » omnia debita noſtra ſoluantur, & quod omna debita noſtra ſoluantur & quod » omnia forisfacta noſtra emendentur, & fiant reſtitutiones noſtræ per Executo- » res huius Teſtamenti inferius nominatos per ſe vel per alios, ſecundum quod vi- » derint expedire. Quibus ſi viſa fuerint aliqua dubia vel obſcura, damus eis po- » teſtatem ordinandi & faciendi ſuper iis, prout inſpectâ ſalute animæ noſtræ vi- » derint faciendum.

» Legamus autem Chariſſimæ Vxori noſtræ Margaritæ Reginæ quatuor millia » librarum. Abbatiæ noſtræ Regalis montis 600. lib. *Libros verò noſtros quos tempore » deceſſus noſtri in Francia habebimus, præter illos qui ad vſum Capellæ pertinent, legamus » Prædicatoribus & FF. Minoribus Pariſ.* Abbatiæ Regalis-Montis & Prædicatoribus » Compendienſibus ſecundum diſcretionem & ordinationem Executorum noſtro- » rum eiſdem æquis portionibus diuidendos, præter illos libros, quos dicti Fratres » Prædicatores Compend. iam habent. Item legamus Abbatiæ B. Mariæ Regalis » iuxta Pontiſaram 400. lib. Abbatiæ Lilij B. Mariæ, iuxta Meledunum 300. libr. » *Domui Dei Pariſ.* centum libras ad vſum pauperum eiuſd. Domus. Domui Dei » Pontiſ. 60. libras. Domui de Vernon. ſimiliter ad vſum pauperum 60. lib. Item » legamus 200. Domibus Dei magis indigentibus & plus oneratis duo millia li- » brarum diſtribuendas vnicuique videlicet ſecundum diſcretionem & ordinatio- » nem Executorum noſtrorum. Item 800. Leproſarijs 2000. libras eodem modo » diſtribuendas eiſdem ſecundum diſcretionem & ordinationem Executorum no- » ſtrorum. *Item legamus Domui Fratrum Minorum Pariſ. 400. libras.* Aliis autem Do- » mibus Fratrum Minorum in Regno Franciæ conſtitutis per conſilium & ordina- » tionem Miniſtri Prouincialis Franciæ, nec non Gardiani & Lectoris Pariſius, » qui pro tempore fuerint, vel duorum ex ipſis, 600. libras. *Item legamus Domui » Fratrum Prædicatorum Pariſ. 400. lib.* Aliis autem Domibus FF. Prædicatorum in » Regno Franciæ conſtitutis per ordinationem & conſilium Prioris Prouincialis » Franciæ, nec non Prioris & Lectoris antiquioris Domus Pariſ. 600. lib. *Item le- » gamus Abbatiæ S. Victoris Pariſ. 50. lib. Abbatiæ* Victoriæ iuxta Siluanect. 50. lib. » Aliis autem Abbatiis Ordinis S. Auguſtini magis indigentibus & plus oneratis » in Regno Franciæ conſtitutis 300. lib. diſtribuendas eiſdem ſecundum diſcre- » tionem & ordinationem Executorum noſtrorum. *Item legamus Prioratui S. Mau- » ricij Siluan. 50. lib. Abbatiæ Ciſtercienſi 50. lib.* & aliis viginti magis indigentibus » & plus oneratis Abbatiis eiuſdem Ordinis 300. lib. diſtribuendas eiſdem ſecun- » dum diſcretionem & ordinationem Executorum noſtrorum. Abbatiæ S. Antonij » Pariſ. 100. lib. Abbatiæ de Parco iuxta Criſpiacum 60. lib. Abbatiæ Theſauri » B. Mariæ 40. lib. Abbatiæ de Villar. iuxta Feritatem 40. lib. Abbatiæ de Byarz » verſus Peronam 40. lib. Abbatiæ de Saluatorio iuxta Laudunum 40. lib. Et aliis » Abbatiis Monialium Ciſtercienſ. Ordinis 600. libras diſtribuendas magis indi- » gentibus & plus oneratis ſecundum diſcretionem & ordinationem Executorum » noſtrorum. *Item legamus* Domui Sororum S. Dominici iuxta Montem Argi 30. » lib. Nouæ Domui Sororum eiuſdem Ordinis vltra Pontem Rothomag. ſitæ 60. lib.

lib. Abbatiæ Humilitatis B. Mariæ iuxta S. Clodoaldum 50. lib. Monialibus S. Damiani Remenſ. 15. lib. Monialibus einſdem Ordinis quæ ſunt apud Pruuinum 15. lib. *Item legamus* Abbatiæ Fontis Ebraudi 100. libr. Et triginta Prioratibus Fontis-Ebraudi in Regno Franciæ conſtitutis 200. lib. diſtribuendas magis indigentibus & plus oneratis ſecundum diſcretionem & ordinationem Executorum noſtrorum. *Item Domus* S. Mathurini Pariſ. Ordinis S. Trinitatis & Captiuorum 60. lib. Fratribus Nouæ Domus Fontis Bliaudi Ordinis einſd. ad vſus pauperum 40. lib. & aliis Domibus eiuſd. Ordinis in Regno Franciæ conſtitutis magis indigentibus & plus oneratis 100. lib. *Item legamus* Abbatiæ Præmonſtrat. 30 lib. Abbatiæ Albæ Curiæ 20. lib. Abbatiæ Gaudij-Vallis 20. lib. Et aliis Domibus eiuſd. Ordinis magis indigentibus & plus oneratis ſecundum diſcretionem & ordinationem Executorum noſtrorum 100. lib. *Item legamus Domui Vallis Scholarium Pariſ. 40. libr.* Et aliis Domibus eiuſd. Ordinis 100. lib. diſtribuendas eiſdem ſecundum diſcretionem & ordinationem Executorum noſtrorum.

Item legamus Domibus Ordinis Cartuſ. in Regno Franciæ conſtitutis 60. libr. diſtribuendas ſimiliter ſecundum diſcretionem & Ordinationem Executorum noſtrorum. Et Fratribus eiuſdem Ordinis ad ædificationem nouæ Domus ſuæ iuxta Pariſius 100. libr. *Item legamus* Domui de Vicennis Grandis Montis Ordinis 20. lib. Et Fratribus de Saceis Pariſ. 60 lib. Fratribus Ordin. S. Crucis 20. libr. Fratribus Eremitis de Ordine S. Guillelmi iuxta Pariſ. 20. lib. Fratrib. de Monte Carmeli Pariſ. 20. lib. Fratrib. Eremitis de Ordin. S. Auguſtini Pariſ. 15. lib. Fratribus de Ord. B. Mariæ Matris Chriſti Pariſ. 20. lib. *Item legamus* ad ædificandum & ampliandum locum Beguinarum Pariſ. 100. lib. & ad ſuſtentationem pauperiorum ex ipſis 20. lib. *Item legamus* pauperibus mulieribus Beguinis in Regno Franciæ conſtitutis 100. lib. per Bonos viros quos ad hoc Executores noſtri viderint ordinandos, diſtribuendas. Item pauperibus Beguinis de Cantiprato iuxta Cameracum 40. lib. *Item legamus* Filiabus Dei & Mulieribus pœnitentibus Pariſ. 100. lib.

Volumus autem quod Executores noſtri requirant ab omnibus Religioſis & Conuentibus Religioſorum locorum quibus legata fecimus, quatinus intuitu pietatis ſingulis annis faciant anniuerſarium noſtrum certâ die obitus noſtri. Capellanos autem Capellæ noſtræ Pariſ. attentè requirimus vt pro nobis poſt deceſſum noſtrum Miſſam quæ pro Fidelibus defunctis dicitur, per vnum ex Concapellanis ſuis ſingulis diebus celebrari faciant in futurum, & anniuerſarium noſtrum Die obitus noſtri ſolenne faciant annuatim. *Item legamus* pauperibus mulieribus maritandis vel aſſignandis 1000. libras. *Item legamus* ſexcentas libras ad burellos emendos pro pauperibus veſtiendis, & 100. lib. pro ſotularibus pauperibus diſtribuendis.

Item legamus Pauperibus Scholaribus Sancti Thome de Lupara Pariſ. 15. libras. Et Pauperibus Scholaribus S. Honorati Pariſ. 10. libras. Bonis pueris Pariſ. 60. libras. Et Minutis Scholaribus Pariſienſibus 150. libras per Priorem Fratrum Prædicatorum & Gardianum FF. Minorum Pariſ. diſtribuendas. Item legamus orphanis, viduis, & minutis pauperibus 2000. librarum. Item legamus pro calicibus 150. lib. Albis & aliis ornamentis Eccleſiaſticis emendis per manum Executorum noſtrorum pauperibus locis quæ indigebunt in Domaniis noſtris vbi videbitur bonum eſſe. *Item legamus* Seruientibus noſtris qui nondum ſunt à nobis remunerati, vel qui minus ſufficienter remunerati ſunt 2000. lib. diſtribuend. per manum Executorum noſtrorum.

Volumus autem & præcipimus quod omnia ſupradicta de mobilibus quæ habebimus in Regno Franciæ tempore deceſſus noſtri, ſoluantur. Quæ ſi forte ad ea ſoluenda non ſufficerent, volumus & præcipimus vt de venditionibus Boſcorum noſtrorum omnium qui ſunt in Domaniis noſtris perficeretur ſolutio omnium prædictorum tam ex illis venditionibus quæ tunc eſſent, quàm ex aliis quæ poſſent fieri in Boſcis prædictis. Ita quod in illis venditionibus nihil perciperet hæres noſter, donec omnia prædicta eſſent plenariè perſoluta. Et ad hæc omnia tenenda & firmiter obſeruanda Hæredem noſtrum & terram noſtram obligamus. Præterea volumus & præcipimus vt Clerici noſtri & Capellani tem-

Pore decessus nostri de nostro existentes hospitio, quibus in aliquo Beneficio Ecclesiastico prouisum non fuerit, habeant & percipiant in Bursa Hæredis nostri Regis quilibet eorum 20. libras annuæ pensionis, quousque sibi de Beneficiis Ecclesiasticis vel aliàs sit prouisum. De Baptizatis autem nostris tam maioribus quàm minoribus quos venire fecimus citra mare, volumus & præcipimus vt secundum quod ordinatum est à nobis, de prouisionibus ipsorum filius noster qui successurus est nobis in Regno post decessum nostrum prouidere teneatur eisdem, nisi causa rationabilis obsisteret, quare subtrahi, vel minui deberet prouisio aliquorum ex ipsis. Volumus insuper & præcipimus vt prouisionem quam fecimus quibusdam honestis mulieribus quæ Beguinæ dicuntur, in diuersis Ciuitatibus & villis religiosè degentibus seruet & teneat hæres noster qui nobis succedet in Regno, & eam seruari faciat & teneri quandiu vixerit earum qualibet, quæ videlicet assignatæ non fuerint aliàs competenter. Donamus autem & assignamus filiis nostris Ioanni, Petro & Roberto certas terrarum portiones secundum quod in litteris nostris patentibus super his confectis plenius continetur, &c. In his autem & in omnibus supradictis volumus & ordinamus ius alienum per omnia & in omnibus esse saluum. *Huius autem Testamenti nostri Executores constituimus Dilectos & fideles nostros Stephanum Episcopum Parisiensem, Philippum Ebroicensem electum, S. Dionysij & Regalis-Montis Abbates qui pro tempore fuerint, & M. Ioannem de Trecis & Henricum de Verzel Clericos nostros Archidiaconos in Ecclesia Bajocensi, &c.* In cuius rei testimonium præsentem Paginam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius anno Dom. 1269. Mense Februario.

Circa verò dispensationem & dispositionem Beneficiorum Ecclesiasticorum, tam ratione Regalium, quàm alio quocunque iure ad Regis collationem pertinentium, eam penes Stephanum Episcopum Paris. voluit esse, quandiu in expeditione transmarina commoraretur. Vt patet ex hoc eiusdem Regis diplomate dato paulo post Testamentum suum confectum.

BVRSARII SEV PAVPERES SCHOLARES.

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex Vniuersis, &c. Notum facimus quod Nos existentes in procinctu itineris nostri proficiscendi in subsidium Terræ-Sanctæ, Personatus, Præbendas, Ecclesias, Capellanias & cætera Ecclesiastica Beneficia quæcunque vacare contigerit citra mare in hac nostræ peregrinationis absentia, ad nostrum Patronatum, collationem seu præsentationem nostram tam ratione Regalium quàm alio quocunque iure pertinentia conferendi personis idoneis & nullum aliud Beneficium Ecclesiasticum habentibus, ac præsentandi ad vacantes Ecclesias vice nostra Dilecto & fideli nostro Stephano Parisiensi Episcopo plenam & liberam committimus potestatem, dum tamen de consilio discretorum virorum, Cancellarii Parisiensis Ecclesiæ, Prioris FF. Prædicatorum & Gardiani FF. Minorum Parisiensium, vel duorum ex ipsis in huiusmodi collatione vel præsentatione procedat; & in litteris donationis vel præsentationis specialiter exprimatur quod ex authoritate & vice nostra sibi commissa Collatio vel præsentatio ipsa fiat. Hanc vero potestatem ipsos habere volumus, quandiu absentes in hac peregrinatione fuerimus, vel donec à nobis vel successore nostro si nos contingat decedere, fuerit aliud super hoc ordinatum retentâ nobis plenariâ potestate aliqua Beneficia quæ nobis aliisve conferre placuerit, conferendi. In litteris autem collationis & præsentationis quæ fuerit ab eis facta, prædicti Episcopi sigillum apponi volumus cum sigillo alterius prædictorum.

In cuius rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini 1269. Mense Martio.

Hanc Regis fuisse consuetudinem toto vitæ suæ tempore refert Nangius in eius Gestis. Sic enim habet. *Sanè in Beneficiis Ecclesiasticis conferendis*, quæ ad patronatum siue donationem ipsius pertinebant. Deum semper præ oculis habebat, & electis & probatis personis ea quantum poterat, conferebat. Præcipuè autem in Ecclesiis Cathedralibus, vbi sede vacante ratione custodiæ Regalium ex consuetudine pertinebat ad eum Collatio Præbendarum. Quas personas inquiri & eligi faciebat per Cancellarium Parisiensem & alios viros Bonos. Hanc autem consuetudinem obseruabat, quod nulli quantumcunque litterato aliquod Beneficium Ecclesiasticum possidenti conferret aliud Ecclesiasticum,

nisi primo Beneficio simpliciter resignaret. Nec Beneficium non vacans omnino alienis concedere vel conferre volebat, donec testimonium habebat certitudinis quod vacaret.

Eodem anno Collegium Cluniacense in Academia Parisiensi ab Yuone de Vergy Abbate Cluniac. inceptum est ad vsum & commoditatem Scholarium Monasterij Cluniac. qui Lutetiam ad studia mitterentur: quod deinde ab Yuone II. eius Nepote item Abbate perfectum & absolutum est. Quam in rem extat in illo Collegio ad Ianuam Capellæ in Claustro hæc inscriptio. *Yuo primus Abbas Cluniacensis ac primus huius Collegij fundator ann. Dom. 1269. plateam emit, murosque fecit in circuitu, Refectorium, Culinam, Dormitorium ac Claustri medietatem. Æterna pace fruatur, Amen. Yuo II. Abbas Cluniacensis primi fundatoris Nepos hanc ædem D. Virgini sacram, Capitulum & alteram Claustri medietatem fecit cum Bibliotheca. Æterna pace fruatur, Amen.* Henricus verò de Fauteriis, qui cœpit Ordinem regere an. 1308. rexitque annis 11. Statutum edidit Scholaribus illius Collegij obseruandum. Coll. Clvniacense.

Refert quoque Genebrardus Collegium Quæstorum siue Thesaurariorum à M. Guillelmo de Saona Ecclesiæ Rothomagensis Thesaurario conditum fuisse hoc anno.

Eodem anno Bonauentura de Balneo-Regio, vulgò de Bagny Comitia Ordinis sui Generalia Assisij habens, innouari voluit Constitutionem aliàs à S. Francisco editam de cantando solenniter diebus Sabbati sacro in honorem D. Virginis. Addidit, vt Fratres è sacro suggestu monerent populum ad triplicem pulsum campanæ sub vesperam ter eandem Virginem salutare verbis Angelicis *Aue Gratia plena.* Iussit etiam quod iam anno 1260. præceperat, vt in mensis Fratres non vterentur vtensilibus stanneis aut cyathis vitreis. Item instituit vt secundum Nationes præcipuas, Romanorum, Lombardorum, Hispanorum & Germanorum 4. constituerentur Assistentes siue Regentes in *Gymnasio Generali Parisiensi*, qui præessent suæ Nationis hominibus, vt sedulò proficerent, viderentque ne quidpiam eis deesset quod necessarium foret. Thesavrar.

Anno 1270. Ludouicus Rex morti propinquus apud Carthaginem vbi obiit Mense Augusto, hæc propriâ manu scripsit ad filium Monita, vt legitur in quodam M. S. Gerardi de Monte Acuto Regi à Secretis, & Custodis Chartarum, Priuilegiorum, Regestorumque Regiorum; quæ quidem Monita Regi suo obtulit. an. 1374. vt ipse ait. Nos verò ad memoriam Venerandæ antiquitatis, eadem ipsa verba Gallica apponemus. 1270.

Chier Fils. La premiere chose que ie t'enseigne si est. Que tu mets tout ton cueur en Dieu aymer. Car sans ce, ne se peut nul sauuer. Garde toy de faire toute chose qui deplaise ly peur, c'est peché mortel. Ançois deutois tu souffrir toute maniere de tourment que tu péchasses mortellement. Monita S. Lvdovici.

Se Dieu t'enuoye aduersité, souffre en bonne grace & en bonne patience, & pense que l'as bien deserny & que il te tournera tout à ton preu.

Se il t'enuoye prosperité, si l'en mercie hautement, si que tu n'en soies pas pire ou par orgueil, ou par autre maniere de ce dont tu dois mieux valoir, car l'on ne doit pas Dieu de ses dons guerroyer.

Confesse toy souuent & eslis Confesseurs preud'hommes & saiges qui te sachent & osent enseigner que tu dois faire & dequoy tu te dois garder. Et si te doys en telle maniere porter que tes Confesseurs, & ti amy te osent seurement reprendre & monstrer tes defauts.

Le seruice de Sainte Eglise oyes deuotement sans bourder, sans trufler & sans regarder çà & là: mais prie Dieu de bouche & de cueur en pensant à luy deuotement & especianment à la Messe & à cette heure que la Consecration est faite.

Le cueur aye doulx & piteux aux poures & à leurs niée, & les confortes & aydes selon ce que tu pourras. Se tu as aucunnes mesaises de cueur, di le tantost à ton Confesseur ou à aucun preud'homme, si le porteras plus legierement.

Gardes que tu ayes en ta compagnie tous preud'hommes, soient Religieulx, soient Seculiers, & souuent parles à eulx & fuy la compagnie des mauuais.

„ Escoute volontiers les Sermons & en appert & en priué, & pourchace volontiers
„ prieres & pardons. Ayme tout bien & hay tout mal en quoy que ce soit.
„ Nul ne soit si hardy qui die parole deuant toy qui attraye ou esmeuue à pe-
„ ché, ne ne mesdie d'autruy par derriere en maniere de detraction. Nulle ville-
„ nie de Dieu ne de ses Saints ne souffre que l'en die deuant toy que tu n'en faces
„ tantost venjance. Rends graces à Dieu souuent de tous les biens que il ta fais.
„ Si que tu sois digne encore de plus auoir.
„ A droiture soutenir sois roide & loyaux enuers tous Chrestiens sans tourner
„ çà ne la, mais tousiours à droit, & soustiens la querelle au plus poure & pour Dieu,
„ iusqu'à tant que la verité soit declairée.
„ Se aucun a affaire en querelle contre toy, soyes tousiours pour ly encontre toy
„ iusques à ce que tu saiches la verité : car ainsi iugeront tes Conseillers plus har-
„ diment selon droiture & selon verité.
„ Se tu tiens riens d'autruy par toy ou par tes Baillifs, & soit chose certaine, rens
„ le sans demourer, & se c'est chose douteuse, fais enquerir par saiges hommes
„ isnellement & diligemment la verité. Et à ce dois tu mettre toute t'entente
„ comment les gens & li subiets viuent en paix & en droicture dessous toy, mes-
„ mement les Religieulx & toutes les personnes de sainte Eglise.
„ L'en raconte du bon Roy Philippe, que vne fois li dit vn de ses Conseillers
„ que moult de griefs & de forfaits li faisoit sainte Eglise, en ce que li Clercs li
„ tolloient ses droitures & amenuisoient ses Iustices & que c'estoit moult grant
„ merueille comment il le souffroit. Et li bon Roy respondit que bien le croyoit.
„ Mais quant il regardoit les honneurs & les courtoisies que Dieu ly auoit faites,
„ il vouloit mieux son droit laisser aller que auoir contens à sainte Eglise, ne
„ scandales esmouuoir. Aymes donc Beau-fils les personnes de sainte vie, & gar-
„ de leur paix tant comme tu pourras.
„ Ceux de Religion ayme & leur fay bien à ton pouoir, & mesmement ceulx
„ par qui Dieu est honoré & seruy, & la foy plus preschée & exaucée.
„ A ton pere & ta mere dois tu amour & reuerence, & garder leurs comman-
„ demens.
„ Les Benefices de sainte Eglise donne à personnes bonnes & dignes du Conseil
„ de Preud'hommes, & donne à ceulx qui n'ont riens en sainte Eglise.
„ Garde toy d'esmouuoir guerre sans tres grant conseil, mesmement contre tou-
„ te Chrestienté. Et se il le te conuient faire, si garde sainte Eglise & ceulx qui
„ riens n'y ont mesfait.
„ De toutes guerres & de tous contens, soient tiens ou soient à tes subjets, ap-
„ paises au plus pres que tu pourras, ainsi comme saint Martin faisoit.
„ Sois diligent d'auoir bons Preuosts & bons Baillifs, & enquieres souuent
„ d'eulx & de ceulx de ton Hostel comment ils se maintiennent.
„ Trauaille toy aux pechez empescher & mesmement villains sermens & laiz
„ & heresies fais destruire & abatre à ton pouoir.
„ Et encore te commans, que tu reconnoisses les benefices nostre Seigneur,
„ & que tu li en rende graces & mercys.
„ Fais prendre garde que les despens de ton Hostel soient raisonnables & à me-
„ sure.
„ Et en la fin Beau-fils, ie te coniure & te requiers que se ie meur auant toy, que
„ tu faces secours à m'ame (ou à m'arme) en Messes & en Oraisons par tout le
„ Royaume de France, & que tu m'ottroies especiaument part pleniere en tous
„ les biens que tu feras.
„ Au derrain tres-cher fils, ie doings toutes les beneiçons que bons Peres es-
„ prouues peut donner à fils, & la bennisté Trinité & tuit li Saints de Paradis
„ te gardent & defendent de tout mal. Et Dieu te doint grace de faire sa volonté
„ tousiours, si que il soit honoré par tout, & que nous puissiens apres cette vie
„ estre ensemble auec luy & le louër sans fin. Amen.

Hæc monebat Ludouicus Mense Augusto, & paulò post fato communi functus est. Filius verò eius Philippus III. ad Regni Francici habenas accessit.

Eodem anno obiit M. Guido de Melloto Episcopus Antissiodotensis 13. Kal.

Octob. cui ſucceſſit M. Erardus de Liſigniis eius nepos ex ſorore filius Guillelmi Mareſchalli Campaniæ & Margaretæ de Melloto: hic, vt legitur, in eius vita in Hiſtoria Epiſcoporum Antiſſiodor. c. 64. *In ætate tenera in arte cantandi fuit quam plurimum eruditus: poſtmodum verò ſtudiis liberalibus traditus pollenti floruit ingenio in tantum quod in iuuenili ætate commendabiliter rexit in Artibus. Deinde Legali ſcientiæ ingenium ſuum ita applicuit, quod ipſe acquiſiuit illius ſcientiæ margaritam. Poſtmodum ad Iuris Canonici Facultatem ſe transferens, laudabiliter licentiatus fuit Pariſius in Decretis.* Obiit autem an. 1277. 15. Kal. April. cui ſucceſſit Guillelmus de Greſſibus vel de Greſſio.

Eodem anno Doctor quidam ex Arabia Lute iam venit: cumque ſe ad ſcholarum regimen, ſeu vt vulgò dicitur, Regentiam obtuliſſet, interrogatus & examinatus eſt à Magiſtris & à Cancellario, deque omnibus Quæſtionibus propoſitis optimè reſpondit: atque ita diſpenſatum eſt cum eo de curſu ſtudiorum; quem licet non confeciſſet in Academia, illi tamen propter eximias ingenii quæ in eo elucebant dotes, permiſſum eſt ſcholas habere publicas.

Eodem anno Stephanus II. dictus *Tempier* Epiſcopus Pariſienſis ex Aurelianenſi vrbe oriundus aduocato Magiſtrorum Theologiæ Conſilio varios contra Catholicam fidem errores damnauit die Mercurii ante feſtum B. Nicolai, qui à quibuſdam Philoſophiæ & Theologiæ Magiſtris in Scholis docebantur. Sunt autem hi numero tredecim, qui referuntur in 4. Tomo Biblioth. Patrum. — Errorvm condemnatio.

1. Quod Intellectus hominum eſt vnus & idem numero.

2. Eſt *quod voluntas hominis* ex neceſſitate vult, vel eligit.

4 Eſt quod omnia quæ in inferioribus aguntur, ſubſunt neceſſitati corporum ſubcœleſtium.

5. Eſt quod Mundus eſt æternus.

6. Eſt quod nunquam fuit primus homo.

7. Quod anima quæ eſt forma hominis, ſecundum quod homo corrumpitur corrupto corpore.

8. Quod anima ſeparata poſt mortem non patitur ab igne corporeo.

9. Quod liberum arbitrium eſt potentia paſſiua, non actiua: & quod neceſſitate mouetur ab appetibili.

10. Quod Deus non cognoſcit ſingularia.

11. Quod Deus non cognoſcit aliud à ſe.

12. Quod humani actus non reguntur prouidentiâ Diuinâ.

13. Quod Deus non poteſt dare immortalitatem vel incorruptionem rei corruptibili vel mortali

In eodem Concilio decretum eſt, vt monerentur *Rector Vniuerſitatis & Procuratores Facultatis* Artium, ne paterentur in Scholis Philoſophicis agitari Res Fidei, ne imbecillioribus adoleſcentum animis ratio dubitandi de Myſteriis inſcrutabilibus inſtillaretur. Quamobrem ſœpius ob eam rem congregata Facultas tandem ſtatuto memorabili, quod anno ſequente edidit, voluit omnes Profeſſores à ſuo conſortio & ordine reſecari, qui contra ſtatuta peccarent, vt ſuo loco dicetur.

De hiſce Hæreſibus loquitur Baronii Continuator ad hunc annum. Poſtquam enim multis egit de morte S. Ludouici quæ hoc anno contigerat, ſubiungit. *Et quaſi tot calamitates vni obruendo* anno non ſufficerent, nouæ etiam erupêre hæreſes, quas in Galliis nonnulli ex Philoſophorum Ethnicorum lacunis hauſtas acuendi ingenii ſpecie in Concertationibus Academicis ſpargere cœperunt. Negabant inepti viri animorum diſtinctionem, creationem mundi, Primi hominis efformationem, immortalitatem animæ, liberum voluntatis arbitrium, pendere verò omnia à Cœleſtium Corporum influxibus aſſerebant. Nullas in alterâ vitâ pœnas improbis propoſitas iactabant, conuellebant Diuinam ſcientiam, eripiebant Deo prouidentiam, omnipotentiam labefactabant, ac rem corruptibilem incorruptibilitate donare, vel incorruptibilem corrumpere, atque in nihilum redigere poſſe negabant. Peruerſam adeo ac peſtiferam *doctrinam damnauit Stephanus Epiſcopus Pariſ. eiuſque diligentia extincti fuerunt.*

Eodem anno Facultas Medicinæ tunc temporis, vt credibile eſt, proprium in Vniuerſitate conſtituens Corpus ſeorſim à Nationibus, vnum è ſuis M. Petrum

de Langres multauit, quod fraudem fecisset. Legitur statutum in antiquo libro Rectoris fol. 70. recto his verbis.

„ Anno 1270. M. Petro de Lemouicis tunc Decano cum compromisisset stare
„ Ordinationi Facultatis de alto & de basso M. Petrus de Lengres Claudus, pro
„ eo quod fraudem fecerat Magistro suo, & aduocauerat quosdam alios Magi-
„ stros ad tenendum communem suam, tandem congregatis Magistris Medicinæ
„ in Ecclesia S. Genouefæ paruæ & sufficienti super hoc factâ inquisitione; fuit
„ sententialiter punitus M. Petrus in decem libris Turon. de quibus fuit empta
„ insula apud S. Genouefam paruam. Item quod numquam de cætero tenebit
„ communem in Facultate Medicinæ, nisi hoc tota Facultas reuocauerit.

„ Eodem anno ipso eodem existente Decano fuit statutum quod quicunque Ba-
„ chelarius reciperet licentiam contra consuetudinem Facultatis: vel Magister
„ qui hoc procuraret ipso facto, esset priuatus in sempiternum societate Magistro-
„ rum & omni actu Scholastico prædictæ Facultatis. Simili pœna punietur, qui
„ renuerit iurare statuta & formas huius libri. Et per iuramentum singulorum de-
„ beret inuiolabiliter obseruari.

1271. Anno 1271. cum M. Ioannes de Aurelianis tunc Cancellarius Vniuersitatis & Ecclesiæ Parisiensis Ferdinandum Regis Aragoniæ filium Theologicâ laureâ donasset, nullo ante tentatum examine, coactus est ab Vniuersitate Dignitatem illam abdicare, aut saltem à Licentiis dandis abstinere: eo quod contra statuta tam Papalia quàm ipsius Vniuersitatis solus authoritate propriâ non vocatis de more Examinatoribus Doctoralem pileum ausus esset imponere. Quod quidem initium fuit magnæ diuturnæque litis inter Academicos & Cancellarios Ecclesiæ Parisiensis, etiam apud Curiam Romanam, vt suis locis docebimus.

Eodem anno 1. April. Facultas Artium legitimè congregata iuxta constitutionem Cardinalis S. Ceciliæ de separatione Nationum, statuit in hunc modum de Quæstionibus Philosophicis ad fidem pertinentibus, ne vllus scilicet Magister illas vllatenus in scholis moueret, aut agitandas proponeret, sed Theologis agitandas relinqueret. Extat statutum in libro Rectoris, vnde exscripsimus.

Statutum Facultatis Artium contra disputantes de fide.

„ Vniuersis ac singulis præsentibus & futuris S. Matris Ecclesiæ filiis præsentem
„ paginam inspecturis *Omnes & singuli Magistri Logicalis scientiæ seu etiam Naturalis*
„ *Parisius Professores qui statutum & Ordinationem super separatione* Nationum delibera-
„ tione prouida factam Venerabilis Patris D. Simonis diuina permissione tituli S.
„ Ceciliæ Presbyteri Cardinalis Apostolicæ sedis Legati tenent obseruantque firmi-
„ ter, pronunciatæque sententiæ 7. Iudicum ab eodem Legato datorum in eodem
„ statuto totaliter adhærentes. Salutem in omnium Salutari *Nouerint Vniuersi quod*
„ *Nos omnes Magistri & singuli de Bonorum Consilio deliberatione quàm plurimâ & proui-*
„ *dâ super hoc præcedente volentes toto posse præsentibus & futuris præcauere periculis quæ oc-*
„ *casione huius rei nostræ Facultati in futurum possent accidere, de communi consensu nul-*
„ *lo ex nobis contradicente die Veneris præcedente diem Dominicam qua cantatur Lætare*
„ *Hierusalem, conuocatis propter hoc Magistris omnibus & singulis in Ecclesia S. Genouefæ*
„ *Paris. statuimus & Ordinamus quod nullus Magister vel Bachelarius nostræ Facultatis*
„ *aliquam Quæstionem purè Theologicam, vt pote de Trinitate & Incarnatione, sicque de*
„ *consimilibus omnibus determinare seu etiam disputare præsumat, tanquam sibi determi-*
„ *natos limites transgrediens* cum sicut dicit Philosophus, non Geometram cum Geo-
„ metra sit penitus inconueniens disputare. Quod si præsumpserit nisi infra tres
„ dies postquam à nobis monitus vel requisitus fuerit, suam præsumptionem in
„ scholis vel in disputationibus publicè, vbi prius dictam Quæstionem disputauit,
„ reuocare publice voluerit, ex tunc à nostra societate perpetuò sit priuatus.

„ Statuimus insuper & ordinamus, quod si Quæstionem aliquam quæ fidem vi-
„ deatur attingere simulque Philosophiam alicubi disputauerit Parisius, si illam
„ contra fidem determinauerit, ex tunc ab eadem nostra societate tanquam hære-
„ ticus perpetuò sit priuatus, nisi suum errorem suamque hæresim infra tres dies
„ post monitionem nostram in plena congregatione vel alibi, vbi nobis videbitur
„ expedire, reuocare curauerit humiliter & deuotè. Super addentes iterum quod
„ si Magister vel Bachelarius aliquis nostræ Facultatis passus aliquos difficiles vel
„ aliquas Quæstiones legat vel disputet, quæ fidem videantur dissoluere aliquato-

nus, rationes autem seu textum, si quæ contra fidem dissoluat, vel etiam falsas simpliciter & erroneas, totaliter esse concedat, aut aliter huiusmodi difficultates vel in textu vel in authoritatibus disputare vel legere non præsumat, sed hæc totaliter tanquã erronea prætermittat. Quod si quis in hoc rebellis fuerit pænâ secũdum Facultatis nostræ arbitrium suæ culpæ competenti ac debitâ puniatur. Vt autem hæc omnia inuiolabiliter valeant obseruari, fide corporali præstitâ in manu Rectoris nostræ Facultatis, Nos omnes & singuli Magistri iurauimus, & Nos omnes ad hoc spontaneè concessimus adstringendos. *In cuius rei memoriam hoc idem statutum in Registro nostra Facultatis sub eisdem verbis scribi fecimus ac etiam ordinari. Iurabit autem Rector quilibet in Facultate de cætero creandus, quod omnes Bachelarios in nostra Facultate incepturos ad hoc idem obseruandum adstringi faciet corporalis fidei in manu sua præstito iuramento.* Datum an. 1271. 1. April. die.

Eodem anno corpus S. Ludouici in Africa defuncti summâ Populorum frequentia in tumulo San-Dionysiano conditum est die Veneris proximâ ante Pentecosten: & eius tactu multa sunt patrata miracula. Vnum inter cætera refertur à Guillelmo Carnotensi his verbis. Ipsa die quâ pretiosum Curpus apud S. Dionysium est sepultum, ibidem quædam Matrona de Sagiensi Diœcesi visum oculorum, quem dudum quasi totaliter amiserat, recuperasse fertur: & hoc vidisse se dicunt aliqui fide digni, & præcipuè M. Guillelmus de Matiscone Canonicus Parisiensis, qui se asserit vidisse.

Nec est prætereundum quod scribit Ioannes de S. Victore, in via quæ ab Vrbe Parisiensi tendit ad Sancti Dionysii, positas & erectas fuisse Cruces illas lapideas quæ hodie etiamnum stant, iis in locis vbi qui ossa Defuncti Regis deferebant, ad resumendum spiritum quieuerunt.

Eodem anno referunt obiisse M. Ioannem de Rupella Aquitanum Doctorem Minoritam, & M. Annibaldũ Annibaldensem de Molaria Presbyterum Cardinalem Tit. SS. 12. Apostolorum, virum Religiosum & Pium ac è Prædicatorum Collegio eminentissimum, olim in hacce Vniuersitate Professorem eximium. De quo sic habet Nomenclator. *Annibaldus Annibalensis* de Molaria Rumanus Ordinis Prædicatorum, multæ lectionis, atque indefessi studii Cardinalis scripsit Commentaria in 4. libros Sententiarum, cum Lutetiæ Theologiam profiteretur, in quibus D. Thomæ Summam emedullasse videtur. Quotlibetorum etiam librum in quo promiscuè & indiscriminatim caligine adopertas Quæstiones abnodare contendit & vbique constat sibi.

Quia verò mirificè omnes viros doctos diligebat & quantum poterat, promouebat, Thomas Aquinas suos illi in Libros Sententiarum Commentarios dedicauit. Obiit tandem post decennium sui Cardinalatus Vrbe-Veteri, hoc vel sequente anno, atque in Cœnobio Prædicatorum humatus est cum hoc Epitaphio.

Vrbs Genitrix, Genus Annibalum, Sors, Presbyter, Ordo
Dominici, fons Diuinus, Prælatio, Cardo
Quem decorat titulo duodenus Apostolorum.

Eodem anno M. Nicolaus Cancellarius Parisiensis quos libros Stephani Cantuariensis in Officii sui inauguratione acceperat, M. Ioanni de Aurelianis successori suo coram Officiale Parisiensi tradidit mutuandos pauperibus Scholasticis in Theologia studentibus iuxta Testamentum & vota prædicti Stephani. Qua de re extat hoc instrumentum apud Hemeræum pag. 55. de Academia Parisiensi.

Nomina librorum Theologiæ quos bonæ memoriæ M. Stephanus Archidiaconus Cantuariensis legauit accommodandos Pauperibus Scholaribus Parisius in Theologia studentibus & indigentibus per manus Cancellarii Parisiensis qui pro tempore fuerit. Vniuersis præsentes litteras inspecturis Officialis Curiæ Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra præsentia constitutus M. Ioannes de Aurelianis Canonicus & Cancellarius Parisiensis recognoscit & confitetur se recepisse & habuisse à Venerabili viro M. Nicolao Ecclesiæ Parisiensis Archidiacono, quondam prædictæ Ecclesiæ Parisiensis Cancellario libros

LIBRI THEOLOGORVM A CANCELLARIO PARIS. SERVATI.

inferius annotatos tradendos & recuperandos Pauperibus in Theologia studentibus. secundum quod in quadam clausulâ Testamenti bonæ memotiæ Stephani quundam Archidiaconi Cantuariensis præsenti instrumento insertâ continetur, quæ ralis est. *Volo etiam & præcipio* quod libri mei Theologiæ Cancellatio Parisiensi tradantur, qui eos Pauperibus Scholaribus in Theologia studentibus & libris indigenribus ad studendum commodet intuitu pietatis. Ita tamen quod Cancellarius qui pro tempote fuerit, quolibet anno dictos libros recuperet & recuperatos iterum tetradat & accommodet annnatim Pauperibus Scholaribus quibus videbitur expedite. Nomina verò Librorum sunt hæc. Videlicet Biblia sine Glossa, completa.

Item Genesis & Exodus Glossatus in vno volumine. Item Exodus Glossatus per se Irem Iob Glossatus per se. Irem Ezechiel Glossatus per se. Item Euangelia Glossata in vno volumine pet se. Irem Psalterium Glossatû & completum. Item 4. Libri Sententiarum. Item Libri Numerorum. Item Iosue, Iudicum, Ruth, Deuteronomium glossatum in vno volumine. Irem Epistolæ Pauli Glossatæ. Item Iob glossatus, Item summa de vitiis. Item Epistolæ Pauli glossatæ cum minori glossa. Item Liber Machabæorum 1. & 2. vsque ad 10. caput glossatus. Item Euangelium Matci, Euangelium glossatum. Nos verò supradictus Officialis in supradictorum omnium fidem & testimonium præsentibus litteris sigillum Cúriæ Parisiensis duximus apponendum, vnà cum sigillo Cancellarii memotati optantis & rogantis, vt successores sui Cancellarii qui pro tempore fuerint, otdinenr, & faciant de libris prædictis Diuinæ pietatis intuiru secundum quod continetut in clausula prædicta. Darum anno 1271. die Apostolorum Simonis & Iudæ. Item Biblia postillata in duobus voluminibus, quæ contulit Episcopus Stephanus. Item Otiginale Sententiarum M. Petri Lombatdi in quodam libro cooperto de corio vitulino iam quasi depilaro, cum clauis rotundis de cupro in asseribus.

Eodem anno videtut fuisse factum à Medicinæ Facultate statutum aduersus Pseudo-Medicos, quod legitur in libro antiquo Rectoris, quanquam ertot & mendum irrepsir in Notas anni, nam ibi dicitut fuisse factum an. 1031. Io. de Cheroles Decano. Verum certum est eo tempore neque Facultatem adhuc extitisse Medicinæ, neque Decanum institutum, imo vix fuisse Parisiis huiusce Disciplinæ Professionem. Ad quem verò annum reponere liceat hocce statutum, dubius sum. Crediderim ad hunc annum referendum: quippe bisce temporibus varia legimus fuisse facta statuta ad Facultatem prædictam pertinentia. Vt vt sit, conditum est aduersus Pseudo-medicos, quos Practicanres vocabant, cui hic titulus præfixus est. *Statutum contra illicitè Practicantes.* Statutum vero tale est.

STATVTVM FACVLTATIS MEDICINAE ADVERSVS PRACTICANTES.

Anno eodem videlicet M. XXXI. (crediderim ita ponendum M. CCLXXI.) *M. Io. Dera Cheroles tunc existente Decano Facultatis Medicinæ Magistri dicta Facultatis ordinauerunt & fecerunt statutum contra istos Practicantes Parisius vel circiter in modum qui sequitur. In nomine Dom. Amen. Quoniam autem nonnulli nondum in arte Medicina prouecti Causas Medicinalis operis penitus ignorantes turpiter & inuerecundè vsurpando sibi assumunt Parisius Officium practicale sine Peritorum consilio administrantes quibuscunque & temerè qualescunque Medicinas, quarum violentias ignorant penitus, quot pro basi*, quot pto formis, quot pro acumine poni debeant in huiusmodi medicinis, quas ex proprio capite simplicibus hominibus miserabiliter administrant. Et idcirco suis administrationibus non secundum artem, sed magis à casu & à fortuna factis multos mortis supplicio enormiter tradiderunt, quod est in periculo animarum suarum, & maximè cum ipsi in hoc sententiam incurrerint excommunicationis authoritate Officialis apparet manifestè. quod etiam est periculum non modicum Parisius habitantium. Nec non etiam vertitur in dedecus & in grauem infamiam omnium in Medicina peritorum. *Idcirco Nos Doctores in Facultate Medicinæ Parisius Regentes ad deuotas & pias supplicationes quamplurimorum, videlicet Religiosorum, Clericorum, Scholarium, nec non multorum Ciuium Parisiensium tot erroribus, periculis & scandalis occurrere volentes, quoddam Statutum nostrum dudum factum per prædictas litteras Officialis videlicet & etiam Regalium vallatum seu etiam confirmatum nomine Facultatis per iuramenta nostra*

ſtra confirmamus in hanc modum, inhibentes videlicet ſub pœna in præfatis litteris Officialis Pariſ. & Regalium contenta, necnon etiam ſub omni pœna nobis ab vtraque Iuſtitia tam Seculari quàm Eccleſiaſtica concedenda, ne aliquis Iudæus vel Iudæa in aliquam perſonam fidei Catholicæ Chirurgicè ſeu Medicinaliter operari præſumat.

Item cum Quidam manualiter operantes aliquas Confectiones agant, ſeu etiam habeant, earum tamen cauſam & rationem penitus ignorant: quin etiam modum adminiſtrandi & aſpectum quos habent Medicinæ ad morbum, & maximè reſpectu particularium omnium neſciunt, cum iſta potiſſimè periti Medici induſtriæ reſeruentur. Iſti tamen Manuales Artifices falcem ſuam in alienam meſſem ponentes quibuſcunque curis, vt per fide dignorum teſtimonium nobis conſtat, temerè & in publicum ſcandalum ſe miſcent. In hoc etiam periurium & excommunicationis ſententiam incurrentes. Idcirco firmiter inhibemus, ne aliquis Chirurgicus ſeu Chirurgica, Apothecarius ſeu Apothecaria, Herbarius ſeu Herbaria per iuramenta ſua limites ſeu metas ſui artificij clam vel palam ſeu qualitercunque excedere præſumat. Ita quod Chirurgicus ſe nullatenus intromittat niſi de manuali practica, & vt ad ipſum pertinet. Apothecarius autem ſeu Herbarius niſi ſolum de Confectione ſua & de adminiſtratione ſolum Magiſtris in Medicina facienda, vel de quorum licentia conſtiterit Facultati. Et ne error poſſit inde contingere, ordinamus quod Apothecarius ſiue Herbarius per Decanum noſtrum vel per ſigillum ſuper his, nec non etiam ſuper aliis dubiis ſi quæ contigerint, certificetur Decretum Facultatis. Excludentes tamen à dicto ſtatuto illos qui Pariſius vel prope non practicant, nec etiam contrahunt manſionem, quibus credarut per ſuum Iuramentum. Item nullus prædictorum aliquem infirmorum viſitet, vt ei aliquod alteratiuum medicamentum ſeu laxatiuum, aut quodcunque aliud quod ad Medicum pertineat, ſubminiſtret, nec adminiſtrari conſular vel procuret, niſi per Magiſtrum in Medicina prout ſuperius eſt expreſſum. Et hæc eis per Iuramenta ſua iniungimus & ſub pœna prædicta eo modo quo ſupradictum eſt, necnon etiam ſub priuatione omnimodæ adminiſtrationis noſtræ ſub eiſdem pœnis. Etiam eiſdem præcipimus ne aliquis eorum ſanis hominibus aliquam prædictarum Medicinarum ſine Magiſtri præſentia adminiſtrare præſumat exceptis illis quæ communiter vendi ſolent, cuiuſmodi ſunt ſucura roſata, dragia communis, aqua roſacea & ſimilia, excludendo eis omnem viam & modum adminiſtrandi, in quibus peritia Medici fuerit requirenda. Et quoniam nonnulli ſunt qui ſimul quærunt ſcientiam & modum ſciendi, quod eſt inconueniens maximum, cum eorum error etiam in principio modicus, maximus ſit in fine. Idcirco ſub pœnis præfatis & ſpecialiter ſub priuatione cuiuſcunque promotionis in Facultate Medicinæ habitæ & habendæ, vniuerſis Scholaribus & etiam ſingulis inhibemus firmiter, ne aliquis eorum ſano ſeu etiam infirmo aliquod medicamen confortatiuum, alteratiuum ſeu etiam laxatiuum ſine alicuius Magiſtri in Medicina præſentia ſubminiſtret. *Nec etiam exceptâ primâ vice viſitet niſi ſecum affuerit Magiſter aliquis, qui ipſum dirigat & modum operis oſtendat. Et ſi aliquem contra prædictum ſtatutum nouerit operantem, per iuramentum ſuum Decano noſtro vel ſaltem alicui Magiſtro actu Regenti ſecretè reuelabit, & ille reuelabitur celando perſonam reuelantem.*

Ad eundem annum legitur factum Inſtrumentum de ſigillo Facultatis Decretorum. Ipſa enim Facultas recens à Nationibus vt credibile eſt ſeparata & corpus in Vniuerſitate conſtituere incipiens, ne quid deeſſet ad ſui complementum Sigillum ſibi proprium arrogare cœpit, *ſicut Nationes Magiſtrorum Artium, quæ propriis ſigillis vti conſueuerant nemine ſuper hoc contradicente.* M. Ioannes de Allodio ſeu de Aurelianis Cancellarius Pariſienſis obſtitit quominus eiuſmodi ſigilli vſus inualeſceret, negans id fieri poſſe abſque licentia Pontificis, & prædictæ Facultatis Baccalarios licentiare recuſauit. Verum poſt multas tandem altercationes, præſentibus Gaufrido Decano & Capitulo Pariſienſi habitas, ita conuenerunt Partes inter ſe, vt ſigillum apud Sequeſtrum deponeretur hac lege, vt ſi Pontifex intra anni ſpatium eiuſdem vſu non interdiceret, ipſi Facultati reſtitueretur, eoque deinceps vti poſſet. Nihil autem à Pontifice contra decretum eſt; ac proinde redditum eſt Facultati ſuum ſigillum. Idem fere accidit Facultati Me-

SIGILLVM FACVLTATIS DECRETORVM.

dicinæ, quæ an. 1274. decreuit seruare & custodire sigillum, quod apud Sequestrum solebat esse, illudque argenteum habere. Vnde manifestè patet istas Facultates tunc cœpisse priuata esse Corpora, & suos Decanos, acta sigillumque seorsim à Nationibus habere: vt amplius dicetur in Synopsi.

Ad hunc quoque annum legitur in Indice Chronologico Bucholceri *M. Guilelmum Durandum* Speculatorem vulgò dictum, virum exercitationis forensis peritissimum & ideo *Practica Patrem* vocatum, opus eximium condidisse quod *Speculum Iuris* inscribitur.

1272. Anno 1272. grauissima inter Nationes Facultatis Artium orta est discordia in Electione Rectoris. Cum enim tres Nationes communi consensu elegissent *M. Albericum* de Remis in Rectorem, cum postridie instituendus fuit, seu instruendus, Nationis Normanicæ maior pars cum quibusdam aliarum Nationum Magistris intercessit: & pro causis intercessionis attulit, quod M. Albericus par non erat Rectoriæ dignitati sustinendæ, eàque etiam indignus videbatur propter nonnulla crimina quibus eum onerabat. Sed nihilominus institutus est M. Albericus, eique omnia insignia Rectoria tradita. Normanorum verò Natio ei se paritutam omnino negat, facitque à tribus aliis Nationibus diuortium. Quo intellecto cæteræ iuxta Constitutionem Simonis Cardinalis supra expressam ad an. 1266. rem deferunt ad tres Magistros Theologos & quatuor Decretistas, vt de separatione illâ & diuortio iudicent. At Normani ante & post sententiam ab illis latam, ad Sedem Apostolicam appellant. Fertur interim sententia contra Normanos, pronunciaturque iniustam & illegitimam esse huiusmodi separationem, eosque sententiam excomunicationis incurrisse, quam Cardinalis Simon tulerat, in eos qui se sine causâ ab aliis separarent & schisma facerent.

Post trimestre spatium, cum de noua Electione agendum fuit, tres Nationes prædictæ *M. Alberico* alium Rectorem substituunt, non vocatis ad electionem Normanis, quos excommunicationis sententiâ & vinculo irretitos prædicabant. Contra Normani, qui hactenus sine capite & Rectore fuerant, vocatis ad Comitia sua, quasi ad Comitia Rectoria tribus aliis Nationibus, nec conuenientibus suum sibi *Rectorem M. Sygerum* præficiunt, & Procuratorem nouum Bedellosque creant qui nouo Rectori itemque Procuratori appareant & ministrent. Ita duo Rectores in Vniuersitate instituti totam Academiam turbant eiusque leges peruertunt miserandum in modum. Quibus tamen post Rectoriæ tempus elapsum, vtraque pars nouos substituit. Sicque per triennium ingens studiorum & animorum turbatio est, donec tandem vtraque pars compromisit se iudicio Simonis Cardinalis qui res Academiæ statumque eius optimè nouerat, staturam. Compromissum igitur suum ad eum mittunt, qui Romà in Galliam reuersus cum legationis Apostolicæ munere an. 1275. iurgia ista omnia composuit: vt ad annum illum referemus.

Circa hæc quoque tempora discordia quæ intercedebat inter Monachos San-Germano-Pratenses & Vniuersitatem propter Portam in muro sitam versus Pratum Clericorum, extincta est, fuitque facta limitatio quædam fossæ; & in eam rem confectum est instrumentum inter Vniuersitatem & Gerardum de Moterre qui obiit an. 1274. 24. Decemb.

Ad hunc annum legitur in libro Rectorio pag. 69. Factum à Facultate Medicinæ statutum, cui pro titulo est, *De Ordinatione Magistrorum secundum Statutum*; & est huiusmodi.

STATVTVM FACVLTATIS MEDICINAE. *Anno Domini 1272.* Magistri facultatis Medicinæ Franco de Luneyn, Guillelmus de Blans, Io. de Roseto tunc vices Decani gerens, Hugo de Parma, Francus Lombardus, Ioan. de S. Dionysio pro bono & vtilitate & honestate Facultatis ordinauerunt in hunc modum, quod sequitur; scilicet quod omnis Bachelarius in Facultate prædicta incepturus Magistris in Medicina omnibus existentibus in suo Principio pileos administrabit. Item ordinauerunt, quod pileos suos in Missa, Principiis, Disputationibus, comestionibus portare tenentur & alibi, vbi eis pro honestate Facultatis videbitur expedire. Item Decanus pro tempore legat eis Capitulum de hoc actu quem tenentur iurare, aliàs non admittentur ad incipiendum in Facultate Medicinæ.

Sequuntur in eodem libro quædam Ordinationes circa licentiandos: quædam

præmittuntur circa Baccalarios in eadem Facultate, quibus annus non est appositus quo factæ sunt. Ad pag. eiusdem lib. 68. de Baccalariis hæc legitur sub hoc titulo. *Capitulum eorum ad quæ tenentur Cursum incipere volentes.*

Sciendum quod Bachelarij in Medicinæ Facultate de nouo Cursum incipere « volentes tenentur per fidem ad omnia quæ sequuntur. Pro facto fidem dabunt « quod secretè Ordinationes, statuta, honores, consuetudines *(seruabunt)* vel quæ « per Decanum (supplemus) *vel per alium & vices Decani gerentes, vel quæ per totam* « *Facultatem iudicabuntur eidem.* «

Item dabunt fidem Decano vel alij Decani Officium tunc gerenti vel coram « tota Facultate, quod in Medicina audierunt per annos nouem & fint in quarto « de quo audiuerint per quinque menses. Et si Bachelarius de quolibet dictorum « annorum per 9. menses Medicinæ studio non vacauerit, nihilominus eidem « legendi Cursum licentia concedatur, dummodo per tertium & duos menses « Bachelarius in dicta scientia studuerit Parisius diligenter, scilicet audiendo « ordinariè non computato tempore vacationis. «

Item fidem dabunt quod bis responderunt de Quæstione in Scholis duorum « Magistrorum, sic intelligendo vt disputatione solenni & non in lectione, vel saltem « semel in disputatione generali. «

Item dabunt quatrò fidem, quod librum quem legent cursoriè, eundem ordinariè « audiuerunt. «

Item dabunt 4. Bursas, quæ primo à Bachelario Cursum de nouo legere volenti « ante omne iuramentum receptum petantur. «

Item Bedello vnam Bursam ad minus. Item fidem dabunt quod qualibet die « Sabbati intererunt Missæ sicut Magistri quandiu legent, hoc in pœna duorum « denariorum. «

Sequitur alia ordinatio sub hoc titulo. *Capitulum eorum ad quæ tenentur Bachelarij in Medicina incipere volentes.*

Sciendum quod Bachelarij in Medicina incipere volentes ad ea quæ sequuntur, « per fidem tenentur. Nam fidem dabunt, quod Ordinationi Missæ factæ à « Magistris in Facultate Medicinæ actu Regentibus, stabunt, & eandem, dum « erunt actu regentes, perpetuò obseruabunt. Item fidem dabunt, quod nullum « Bachelarium in Facultate Medicinæ causâ examinationis audierint nisi in Scholis « propriis, vel in scholis aliorum, in quibus congregantur Magistri causâ alicuius « Bachelarij incepturi. Item ante omne iuramentum 4. Bursæ ab eisdem petantur, « & quod dabunt Seruienti antequam incipiant 20. solidos Parisienf. ad « minus. Item quod consuetudines & Statuta Facultatis obseruabunt. «

Sequuntur articuli quos debent iurare. *Statuta autem & Consuetudines quas debent* « *obseruare sunt hæ.* 1. De Missa. 2. De forma licentiandi ad Cursus. 3. De forma « Licentiandi Magistros per Cancellarium. 4. De his ad quæ tenentur in Medicina « incipere volentes. 5. De antiquis consuetudinibus obseruandis. Et hæc debent « eis legi si velint. Item Statutum est quod quicumque Bachelarius recipiet li- « centiam contra Statuta Facultatis & consuetudinem, vel Magister, qui hæc procuraret, « ipso facto est priuatus in sempiternum societate Magistrorum & omni « actu scholastico prædictæ Facultatis. Simili forma punitur qui tenuit formas & « ordinationes contentas in hoc libro iurare. Et hæc omnia debent per iuramentum « singulorum inuiolabiliter obseruari. «

Quod pertinet verò ad Licentiandos hæc legitur pag. 69. Ordinatio sub hoc « titulo. *Capitulum eorum ad quæ tenentur illi qui volunt licentiari in Medicina Parisius.* « Tum sequitur Ordinatio talis. *Hæc est forma Bachelariorum in Medicina licentiandorum.* « 1. Debet dare fidem Magister sub quo est Bachelarius Cancellario præsentibus « Magistris ad hoc vocatis de idoneitate Bachelarij licentiandi. Tempus « auditionis quod debet probare per duos testes ad minus & tempus auditionis « quod debet audiuisse per quinque annos cum dimidio si rexerit vel licentiatus « fuerit. Forma auditionis librorum est, quod debet audiuisse bis artem Medicinæ « Ordinariè & semel Cursoriè, exceptis vnius Theophili, quas sufficit « semel audiuisse Ordinariè vel Cursoriè, Viaticum bis ordinariè; alios libros « Isaac semel ordinariè, bis cursoriè, exceptis dictis particularibus quas sufficit audiuisse « cursoriè vel ordinariè. Antidotarium Nicolai semel. *Versus Ægidy* (Cor-

„ boliensis) *non sunt de forma.* Item debet vnum librum de Theorica legisse & „ alium de Practica. Et hoc debet iurare. Si quis autem de periurio vel de mendacio „ conuictus fuerit, qui licentiatus poterit repelli.

„ Sequitur hic titulus *Capitulum de Antiquis Consuetudinibus & Ordinationibus Ma-* „ *gistrorum in Medicina.* Nullus Magister debet legere Cursoriè de mane. Nullus „ debet legere in die quo generaliter festiuatur, nec Magister nec Bachelarius. Item „ nullus Magister debet suas lectiones ordinarias finire cursoriè.

„ Item nullus debet legere cursoriè à festo Omnium sanctorum vsque ad Qua- „ dragesimam die disputabili.

„ Item non disputatur in vigilia Festi solemnis. Item secundum quod Magistri incipiunt ita ordinatur. *Item nullus debet disputare prima die legibili.*

Hocce tempore florebat *Ioannes Semeca* cognomento *Teutonicus*, primus Glossator Decreti Gratiani. Fertur fuisse Canonicus Halberstatensis & ibidem tumulatus. Vt legitur in Indice Chronologico Bucholceri.

1173. Anno 1173. Clemente IV. defuncto, post biennium discordiæ inter Cardinales, Theobaldus Placentinus, Archidiaconus Leodiensis qui religionis causâ vltra mare cum Eduardo Henrici III. Anglorum Regis Primogenito transierat ad Ciuitatem Acconensem, in Papam absens eligitur Viterbii: suæque electionis decretum per Fratres Prædicatores & Minores accipiens, statim Viterbium reuertitur, vbi eum præstolabantur Cardinales, & Gregorius decimus appellari voluit. Hunc non concordia sed discordia Cardinalium fecit Pontificem: nam cum essent in Conclaui, & Ioannes Episcopus Portuensis iocosè dixisset, *Discooperiamus Domum, quia spiritus S. ad Nos transire nequit per tectum & tegulas*: statim venir omnibus in mentem Theobaldus ille. Vnde idem Ioannes de eo sic impræsentiarum cecinit.

Papatus munus tulit Archidiaconus vnus,
Quem Patrem Patrum fecit discordia Fratrum.

Hic statim post electionem M. Robertum de Kilevvarbi Anglicanæ Nationis virum doctissimum, qui post studiorum cursum Oxoniæ & Lutetiæ confectum rexerat in Artibus, deinde ad Prædicatorum familiam se contulerat, ad Archiepiscopatum Cantuariensem promouet. Qua de re sic habet Mathæi Parisiensis „ Continuator. *Hic* (Gregorius) *cassato Electo Cantuariensi Pontificatum eiusdem Eccle-* „ *siæ detulit Roberto de Kilevvardebi, qui eodem anno à Prioratu Prouinciali Fratrum suo-* „ *rum*. quem vndecim annis gesserat, absolutus fuerat, & etiam ad idem officium „ reelectus. Erat nempe de Ordine Fratrum Prædicatorum, qui non solum reli- „ giosæ vitæ sanctitate, sed scientiâ & doctrinâ clarissimus habebatur. Nempe an- „ te Ordinis ingressum Parisius rexit in Artibus; cuius in his peritiam præcipuè „ quoad Grammaticam & Logicam redacta in scriptis edocent monumenta. Post „ ingressum Ordinis studiosius in Diuinis scripturis Originalibusque SS. Patrum, li- „ bros Augustini fere omnes, aliorumque Doctorum plurimos per parua distinxit „ capitula, sententiam singulorum sub breuibus verbis annotando. Extant Tracta- „ tus eius de Tempore, de Vniuersali, de ortu scientiarum curiosus vtilisque libellus. Addit idem author hoc ei Gregorium indulsisse, vt à quocunque vellet Episcopo Catholico munus consecrationis acciperet, accepisse autem à Willelmo Bathoniensi viro sanctitatis laude conspicuo.

Eodem anno obiit Henricus III. Anglorum Rex, qui annus erat Regni quinquagesimus sextus, eique successit Eduardus filius primogenitus, quem ex Eleonora Comitis Sabaudiæ filia susceperat. Cui Eduardo Kilevvarbius prædictus plurimum addictus fuit. Scribit Balæus eum hæreses quasdam in Grammatica & Logica reperisse & stultitiâ inauditâ damnasse, quales sunt hæ. *Ego currit, animal est omnis homo*, pœnarum legibus in earum vsurpatores etiam editis. *Istas quoque*, inquit ille, *postea nihilo insolentiores eff. Eti Magistri nostri Parisienses communi sua Sorbona Decreto tanquam pretiosos Papist.ca Theologia Thesauros suis addiderunt Sententiis.* Subdit hanc causam fuisse, cur Nicolaus III. Robertum Cardinalem fecerit. Ita nebulo nugatur.

Cæterum Gregorius indixit Concilium Generale Lugduni duplicem præsertim ob causam. Nimirum ad reducendos in sinum Ecclesiæ Romanæ Græcos schis-

maticos, stabiliendamque Spiritus S. à Patre & Filio processionem, & ad procurandum Terræ sanctæ subsidium. Quoad Græcos, iam diu erat quod modi quærebantur reunionis. Hinc & inde editi fuerunt multi libelli, multaque opuscula: sed nouissimis temporibus Vrbanus IV. Pontifex ea de re Tractatum ad fidei Catholicæ assertionem conglaneraت, eumque Thomæ Aquinati examinandum miserat. Sed quia in eo multa continebantur non satis dilucidè explicata, Thomas opusculum edidit contra Græcorum errores eidemque Vrbano dedicauit. In primo verò sic habet. *Libellum ab excellentia vestra mihi exhibitum, sanctissime Pater Vrbane Papa, diligenter perlegi: in quo inueni quamplurima ad nostra fidei assertionem vtilia & expressa.* Consideraui autem quod eius fructus posset plurimum impediri propter quædam in authoritatibus SS. Patrum contenta, quæ dubia esse videntur, & vnde possent materiam ministrare errorum & contentionis dare occasionem & calumniæ. Et ideo, vt remota omni ambiguitate ex authoritatibus prædicto in libello contentis, veræ fidei fructus purissimus capiatur, proposui primò ea quæ dubia esse videntur in authoritatibus prædictis, exponere, & postmodum ostendere quomodo ex eis veritas Catholicæ fidei doceatur & defendatur. Legitur iste tractatus inter Opuscula. Hinc ergo factum vt Gregorius Thomam inter cæteros ad Concilium Lugdunense euocaret, vt pote in illa disputatione versatissimum.

Verum cum ad Concilium proficisceretur, in itinere obiit Nonis Martiis anno ætatis 50. magnumque sui dolorem & desiderium Gregorio & omnibus bonis, nostræ verò præsertim Academiæ luctum exciтauit, vt ad annum sequentem referemus. Ille Neapoli Ortanum in Campania Italica seu Neapolitana veniens ægrotauit, & in Monasterio Fossæ-nouæ Cisterciensis Ordinis in Domino obdormiuit.

Porro Gregorius anno primo sui Pontificatus duos Doctores Parisienses ad Cardinalatum euexit, Petrum de Tarentasia & Bonauenturam. De quibus sic habet Ptolomæus Lucensis lib. 23. histor. Ecclesiast. *Hic fecit ordinationem Cardinalium* proborum virorum, inter quos duo fuerunt Magistri in Theologia: quorum vnus fuit de Ordine Fratrum Prædicatorum, quem ipse fecerat Archiepiscopum Lugdunensem & vocatus est Ostiensis, vocatusque est F. Petrus de Tarentasia vir magnæ religionis & doctrinæ, qui multo tempore Parisiis rexit in Theologica Facultate. Scripta fecit super Sententias, & multos libros Bibliæ postillauit, specialiter Epistolas Pauli.

2. Fuit F. Bonauentura de Ordine Fratrum Minorum, qui similiter fuit Magister in Theologia, & Minister Generalis dictorum Fratrum, natione Tuscus, vita & doctrina admodum gratiosus, sed præcipuè sermone. Fecit scripta super Sententias, & postillauit aliquos libros Bibliæ, sicut Libros Salomonis & Iob & Epistolas Pauli: quem Gregorius assumpsit in Episcopum Albanensem. His addit Ioannes de S. Victore M. Simonem de Mompincieu Thesaurarium Turonensem de Bria dictum, quem supra diximus fuisse factum ab Vrbano IV. Cardinalem (an. 1262.) *Gregorius X.* Papa, inquit, fecit ordinationem 5. Cardinalium valde laudabilem, honestas & valentes personas assumpsit, *scilicet Fr. Petrum de Tarentasia prius Archiepiscopum Lugd. de Ord. FF. Prædicatorũ; Fr. Bonauenturam de Ordine* FF. *Minorum; Simonem de Monpincieu Thesaurarium Turonensem, & alios.* Contra Nangius sic scribens ad an. 1264. *Vrbanus Papa nequitiam Manfredi tyranni terminare desiderans tanquam ad sua defensionis dexteram recurrit ad* Franciam, *& per Simonem S. Cecilia Presbyterum Cardinalem Carolo Comiti Andegauensi Fratri Regis Francia Ludouici Regnum Sicilia, Ducatum Apulia & Capua Principatum misit.* Ioannes Frasquetus Monachus Antissiodorensis qui Chronicon scripsit ab origine mundi, enumerans viros illustres quos Vrbanus Cardinales fecit, sic scribit, *Praditus Vrbanus 14. Cardinales eligit, inter quos fuerunt Annibal Ordinis Pradicatorum, & Guido Cisterciensis Magistri in Theologia, & Guido* Fulcodii *Narbonensis, & Henricus Ebredunensis Archiepiscopi & Magistri in Iure. Item duo Consiliarii Regis Francia scilicet Ebroicensis Episcopus, & Thesaurarius Turonensis.*

Spondanus ad an. 1261. vocat eundem *Simonem de Bria ex Thesaurario Ecclesia S. Martini Turonensis creatum non ita pridem tit. S. Cecilia Presbyterum Cardinalem.*

Ad hunc quoqne anoum ſcribit Henricus Knygthon ſcriptot Anglus Oxoniæ magnam extitiſſe inter Aquilooares & Hibérnicos Scholares diſcordiam, fuiſſeque multos occiſos ex Hibernicis. *Eodem anno diſcordia extitit magna Oxonia inter Clericos Aquilonares & Hibernicos; & aliqui occidebantur Hibernici:* quemadmodum aliquanto poſt Pariſüs inter Picardos & Anglos cruenta ſeditio exorta eſt; vt ad an. 1281. referemus.

Scribit pariter ad hunc annum Bucholcerus in Indice Chronologico, Rudolphum Comitem Habſpurgenſem abſentem electum fuiſſe Imperatorem 29. Septemb. dum Baſileam obſideret; fuiſſeque Principem prudentem, armis ſtrenuum & qualem turbata Reſp. depoſcebat. Teſtis quoque Siffridus eum præcepiſſe ſuis Satellitibus, ne quenquam pauperum acceſſu & colloquio ſuo arcerent. *Date obſecro, inquiebat, hominibus me accedendi locum & facultatem. Non enim ideo ad Imperium enectus ſum, vt hominibus in arca precludar.* Ab hoc anno incipit Chronicon Auſtriacum M. Alberti Argentinenſis quod complectitur 77. anoos à principio Rodolphi ad an. 1350. Huius Imperatoris poſteri adhuc tenent Imperium.

Hniuſce promotioois meminit M. Iordanus Teutonicus in libello de Tranſlatione Imperij, ſeu de Commendatione Imperij Rom. poſtremo enim cap. ſic ſcribit. *Nouiſſimè autem diebus iſtis poſtquam Imperium per annos 35. vacauerat, viſitauit Dominus plebem ſuam & ſuſcitauit ei Principem Sereniſſimum D. Rodolphum Hauskenburg Comitem, electione concordi & coronatione ſolenniſſima, ſicut Dei gratia cunctis manifeſtiſſimè apparuit: ſicut etiam in ipſius promotione diuinum auxilium nunquam ſe ſubſtraxit. Sed ego ad ſcribendum huius victorioſi Regis Magnalia manum retraho, quoniam od hoc me inſufficientem penitus recognoſco.*

Ex his verbis facile ſoluitur dubium de Authore prædicti libelli quem aliqui malè adſcribunt M. Iordano Dominicanorum quondam Generali qui obiit ante an. 1240. habet autem iſte multa præclara de Francia deque Vniuerſitate Pariſienſi. Et hæc inter cætera de Francia. *Porro quia ipſe Karolus M. Rex Francorum extitit, & illud Regnum ad eum ex ſucceſſione fuerat deuolutum, impium fuiſſet & indecens quod ipſe ſuos heredes dignitate Regia penitus denudaſſet. Statuit igitur vt Francigena cum quadam Regni portione* Francorum *Regem haberent de Regali ſemine iure hæreditario ſucceſſurum, qui in temporalibus ſuperiorem non recognoſceret. Cui videlicet tanquam Imperatoris poſteritas ad homagium vel aliquod obſequium teneretur.* De Academia verò Pariſienſi ſic ſcribit. *Hinc Regi ſuo hæredi in recompenſationem Regni defalcati adiecit Studium Philoſophiæ & Liberalium Artium, quod ipſe de vrbe Romana in Ciuitatem Pariſienſem tranſplantauit. Et eſt notâ dignum quod hic neceſſarius Ordo requirebatur: vt ſicut Romani tanquam ſeniores Sacerdotio: ſic Germani vel Franci tanquam iuniores Imperio dicti haberentur. Et ita Francigeni vel Gallici tanquam perſpicaciores Sanctorum ſtudio ditarentur. Et vt fidem Catholicam, quam Romanorum conſtantia firmiter tenet, Germanorum magnanimitas imperialiter tenere præciperet. Et fidem eandem Gallicorum argutia & facundia ab omnibus eſſe tenendam firmiſſimis approbaret argumentis & demonſtraret.* His ſiquidem tribus, Sacerdotio, Imperio & Studio tanquam 3. Virtutibus, videlicet ſpiritali, naturali & animali, ſancta Eccleſia Catholica ſpiritualiter augmentatur & regitur. His itaque tribus tanquam fundamento, pariete & tecto eadem Eccleſia tanquam materialiter perficitur. *Et notandum quod ſicut Eccleſia materialiter vnum fundamentum & vnum tectum ſufficiunt, ſed vnus paries non ſufficit: ſic Sacerdotio vna ſedes principalis videlicet Romana,* & Studio *vnus principalis locus ſicut* Pariſius *ſufficit; ſed Imperio 4. loca principalia S. Spiritus ordinatione nouimus attributa, quæ ſunt Aquiſgrani, Arelatum, Mediolanum & vrbs Romana.*

Denique in poſtremo cap. probat plurimum Eccleſiæ intereſſe, vt Romanus Pontifex Studij Pariſienſis incolumitati conſulat: huncque præmittit titulum, *Quod Rom. Pontifex diligentiam debet habere de* Studio Pariſienſi, *& de Imperio & Sacerdotio.* Deinde ſic habet. Inſuper vt ego vtar opinione ſingulari, cum verecundia audeo ſic ſentire, quod ad Regnum Vniuerſalis Eccleſiæ nihil competentius expediat, quàm vt ſanctiſſimus Pater Rom. Pontifex qui pro tempore fuerit, diligentiam adhibeat *vt Studium Gallicorum in ſuo vigore floreat & fructificet ad confutandum hæreticorum verſutias & errores.* Et vt Germanorum Impe-

rium in suo honore dilatetur ad supprimendas gentes & omnes barbaras Nationes. Et vt sacerdotium Romanorum in suo robore consistat & firmetur ad congregandos filios Ecclesiæ ad amorem & obedientiam per gratias competentes & iustitiam expeditam. *Nec est attendenda studentium Clericorum indiscreta dissolutio, cum adolescentiores & delicatiores de cunctis mundi partibus in vnum locum congregati singuli secum mores ferant.*

Anno 1274 celebratum est à Gregorio X. Concilium Generale Lugduni 7. Maii cui ipse præsedit, Interfuerunt 500. Episcopi, Abbates 60. Minores Prælati & Sacerdotes fere 1000. Interfuerunt quoque è Doctoribus Academicis & Oxoniensibus plurimi, & ipse Rex Franciæ Philippus, cum multis Nobilibus. Item Tartarorum & Græcorum Legati; imò si nonnullis credimus, ipse *Michael Palæologus* Græcorum Imperator: quanquam verius est non interfuisse: vt vel ex ipsis Gregorii ad Imperatorem Constantinopolitanum litteris Lugduni in Concilio datis patet, quæ tales sunt. 1274.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Imperatori Constantinopolitano Illustri salutem & Apostolicam benedictionem. Tanquam rem ex temporis breuitate recentem, Imperialem adhuc non dubitamus temere memoriam quod ad Palæologum Nuncios destinauimus, eum super vnionis Latinorum & Græcorum iamdudum initiato Tractatu cum debita instantia requirentes. Ipse verò prout ostendit litterarum suarum series, satis efficaciter & deuotè respondens promittit solemnes Nuncios plenè ad huiusmodi negotii prosecutionem instructos, ad Generale quod imminet, Concilium destinare. Quibus per Nos de securitate petiit prouideri. Quocirca Imperialem excellentiam rogamus & hortamur in Domino, quatenus prædictis eiusdem Palæologi Nunciis ad idem Concilium destinandis Parentes litteras de plena & pro personis, familiis, bonis suis in eundo, morando & redeundo assecuratione concedas, & à tuis si ad eos quomodocunque peruenerint, mandes & facias decenter & benignè tractari. Datum Lugduni 12. Kal. Decemb. Pontif. nostri an. 2.

Scripsit quoque ad Magnificum Virum Michaëlem Palæologum Imperatorem Græcorum, hoc modo. *Litterarum series quas nobis nouissimè Tua Magnificentia destinauit, cunctis qui spiritu Dei aguntur, ipsis audientibus gaudii & exultationis in Domino materiam subministrat.* Nempe Michael toto animo Doctrinæ concordiam cupiebat esse in vtraque Ecclesia, & Græcos nolentes Romanæ & Catholicæ fidem ac ritus recipere, variis modis multauit, bonorum publicationibus, relegationibus, carceribus, excæcationibus, flagris, mutilationibus aliisque pœnis eiusmodi. Idemque Beccum Patriarcham Constantinopolitanum virum excellentis quidem ingenii & Doctrinæ, sed in errore Græcorum obstinatum Edicto suo aduersantem cum omnibus fere consanguineis coniecit in teterrimos carceres, vt ex Nicephoro & Gregora refert Genebrardus. At Beccus ipse paulo post agnitâ veritate ex libro quem ad eum Imperator miserat, à Nicephoro Blemmyde conscriptum, mutans sententiam suæ dignitati restiturus est, & Imperatori tam intimus fuit, vt sine eo nihil in Imperio ageretur. Conclusa est ergo & confirmata in Concilio concordia, sed diuturna non fuit.

Eodem anno die Dominica 15. Iulii decessit Seraphicus Doctor Bonanentura Cardinalis & Episcopus Albanensis tumulatusque est in Ecclesiâ Minorum, ipsomet Pontifice exequias tanti viri celebrante. Prius autem de Tarentasia Cardinalis Archiepiscopus Lugdunensis concionem seu sermonem funebrem habuit ad Patres Concilii, assumpto hoc Themate; *Doleo super te Frater mi Ionatha.*

Ita eodem tempore Ecclesia duos insignes Theologos & Defensores veritatis amisit Thomam Aquinatem & Bonauenturam in Scholis Parisiensibus condiscipulos, & eodem anno Doctorali laureâ donatos, vt supra dictum est.

In eodem Concilio vnanimi omnium suffraganrium consensu conclusum est propositum de expeditione Hierosolymitana & subsidio Terræ Sanctæ afferendo: ad cuius promotionem & accelerationem misit Pontifex Legatos ad omnes Reges Christianos. In Franciam destinauit M. Simonem de Bria Cardinalem S. Ceciliæ Presbyterum: Ecclesiasticorumque bonorum decimas

Philippo Regi attribuit, ad conflandum exercitum. Et ne pauperes Ecclesiastici grauarentur, idem Pontifex Bullâ datâ Lugduni 10. Kal. Nouemb. declarauit, quosnam à persoluendis Decimis immunes esse vellet.

In eodem Concilio plures Ordines Mendicantes sunt suppressi, teste Ioanne de S. Victore: & Decretalis edita de eligendo summo Pontifice statim post decessum Prædecessoris: ad quam electionem vocari deberent Prælati etiam non Cardinales: quod ex parte constituerat olim Alexander III. eodem authore.

Eodem anno FF. Prædicatores Capitulum, vt vocant Generale Lugduni habuerunt: ad quod Vniuersitas Parisiensis piam Thomæ Aquinatis memoriam in animo gerens, vt suum de eius obitu dolorem luctumque testificaretur, scripsit significans quam ægrè tulisset, vt audiuerat tantum virum interîsse. Sed & ad tantæ iacturæ leuandum tædium petiit sibi Corpus eius concedi, & quædam opuscula quæ fecisse dicebatur, nec eunlgasse. Extat Epistola in veteri MS. quod seruatur in Bibliotheca San-Victorina, eique hic titulus præfigitur.

LITTERA QVAM MISIT VNIVERSITAS Parisiensis Capitulo Generali FF. Prædicatorum de obitu B. Thomæ de Aquino, vbi petit Corpus suum & aliquos libros eiusdem.

Venerabilibus in Christo Patribus, Magistris & Prouincialibus Ordinis Fratrum Prædicatorum ac Vniuersis Fratribus congregatis in Capitulo Generali Lugduni Rector Vniuersitatis Parisiensis & Procuratores cæterique Magistri Parisius actu Regentes in Artibus Salutem in eo qui salubriter Vniuersa disponit & sapienter toti prouidet Vniuerso. Singultuoso clamore totius Ecclesiæ Vniuersale dispendium, nec non & Parisiensis studii manifestam desolationem lachrymabiliter deplangimus, & his diebus prælegimus in communi non immeritò deplorare. Heu heu quis det Nobis, vt repræsentare possimus Hieremiæ lamentum, qui supra solitum modum in mentes deinceps singulorum inauditam Ectasim causans & inæstimabilem stuporem adducens, demum viscerum nostrorum viscera transfodit, & quasi letaliter cordium intima penetrauit! Fatemur, vix valemus exprimere. Amor enim trahit, sed dolor & vehemens angustia nos compellit ex communi relatu multorum & certo rumore Nos scire Doctorem Venerabilem F. Thomam de Aquino ab hoc seculo fuisse vocatum. Quis posset æstimare id Diuinam Prouidentiam permisisse, & stellam matutinam præeminentem in mundo, Iubar in luce seculi, imò, vt verius dicamus, Luminare maius, quod præerat diei, suos radios retraxisse? Planè non irrationabiliter iudicamus solem istum reuocasse fulgorem & passum fuisse tenebrosam Eclypsim, dum toti Ecclesiæ tanti splendoris radius est substitutus. Et licet non ignoremus Conditorem omnium ipsum toti mundo ad tempus speciali priuilegio concessisse, nihilominus si antiquorum Philosophorum authoritatibus vellemus inniti, eum videbatur simpliciter posuisse. Nam ad ipsius occulta elucidanda & cor scrutandum ne verbis talibus immoremur. Cum eum à nostro Collegio Generali Capitulo vestro Florentiæ celebrato licet requisissemus instanter, proh dolor? non potuimus obtinere, tum ad tanti Clerici, tanti Patris, tanti Doctoris, non existentes ingrati, deuotum habentes affectum, quem viuum non potuimus rehabere, ipsius defuncti Ossa à vobis humiliter pro maximo munere postulamus, *Quoniam omnino est indecens & indignum, vt altera Natio aut locus, quàm omnium studiorum nobilissima Parisiensis Ciuitas, quæ ipsum prius educauit, nutriuit & fouit, & postmodum ab eodem doctrinæ documenta & ineffabilia fomenta suscepit, Ossa inhumata habeat & sepulta.* Si enim Ecclesia meritò Ossa & Reliquias sanctorum honorat, Nobis non sine causa videtur honestum & sanctum tanti Doctoris Corpus in perpetuum penes nos haberi in honore, vt cuius famam apud Nos scripta perpetuant, eiusdem perseuerans memoria sepulturæ ipsorum in cordibus successorum nostrorum stabiliat sine fine. Cæterum sperantes, quod obtemperetis Nobis cum effectu, in hac petitione deuota humiliter supplicamus, vt cum quædam scripta ad Philoso-

phiam

phiam pertinentia & ſpectantia Pariſius inchoata ab eo, in ſuo receſſu reliquerit imperfecta, & ipſum credamus, vbi tranſlatus fuerat, compleuiſſe, Nobis beneuolentiâ veſtrâ citò communicari procuretis, & ſpecialiter ſuper Librum Simplicij, ſuper Libros de Cœlo & Mundo; & expoſitionem Timæi Platonis. Ac de Aquarum-conductibus & Ingeniis erigendis: de quibus Nobis mittendis ſpeciali promiſſione fecerat mentionem. Si qua ſimiliter ad Logicam pertinentia compoſuit, ſicut quando receſſit à Nobis, humiliter petiuimus ab eodem, veſtra benignitas noſtro communicare Collegio dignetur; & ſicut melius veſtra diſcretio nouit, in hoc nequam ſeculo periculis multis ſumus expoſiti, fraternaliter precibus deuotis expoſcimus, vt in hoc veſtro Capitulo ſpeciali affectu nos orationum veſtrarum ſuffragio ſupportetis. Hanc autem litteram Sigillis Rectoris & quatuor Procuratorum voluimus ſigillari. Datum Pariſius anno Dom. 1274. die Mercurij ante Inuentionem S. Crucis.

Hinc intelligimus quanti nominis quantæque exiſtimationis eſſet Thomas in Academia Pariſienſi, licet olim eam propter M. Willelmum de S. Amore grauiter opprimi curaſſet. Sed in Scholis Theologicis magna tum erat, & deinde etiam maior altercatio & contentio de Doctrina illius viri, quam nonnulli Magiſtri ad inſtar oraculi ſuſcipiendam & venerandam eſſe dicebant: alij verò nonnullas eius Theſes & opiniones erroris maculâ notabant. Pro Thoma ſtabat generoſus Athleta M. Robertus Oxfordius Anglus Dominicanus, proque hæreticis habebat, qui pro & ab eodem non ſtarent. Contrariam aciem inſtruxerunt Henricus Gandauenſis, Ægidius Romanus & alij percelebres Theologi. Diſſidium tandem illud compoſitum eſt à Stephano Temperio Epiſcopo Pariſienſi, qui conuocato Doctorum Conſeſſu frequentiſſimo, ex eorum ſententia pronunciauit vnicuique licere diſputare & opinari pro voluntate ſuper certis articulis aduerſus eundem Thomam ex ipſius libris collectis, vt habet Ioannes Baconthorpius in lib. 3. Sentent. Diſtinct. 29. Quod quidem Decretum Roberti Oxfordij adeo vehementer exacerbauit animum & ſtomachum, vt libellum confeſtim emiſerit contra quoſdam Theologos Sorboniſtas qui hoc conſilium Epiſcopo Pariſienſi ſuggeſſiſſe dicebantur: item alterum cui pro titulo erat, *Protectorium Thomæ Aquinatis*.

Eodem anno Walterius Merton Epiſcopus Roffenſis laudabile Noſtratium & præſertim M. Roberti de Sorbona inſtitutum æmulatus Collegium Mertonenſe in Academia Oxonienſi fundauit & pauperibus Scholaribus legauit. De quo ſic Harpsfeldius poſt Triuetum ad an 1275. *In Laurentij demortui locum Walterus Mertonus ſuffectus eſt*, qui prius fuerat Eduardi Regis Cancellarius. Qui vt bonas litteras magis promoueret, Collegium, quod nomen ab ipſo hodie mutuatur virisque in omni Diſciplinâ accuratè doctis abundat, Oxonii inſtituit præſidiiſque quibus ſumptus diſcentibus ſuppeditarentur, liberaliter ornauit. Qui ad annum 1278. obiiſſe traditur.

Eodem anno obiit M. Petrus de Charniaco Gall. de Charny Archiepiſcopus Senonenſis ex Decano eiuſdem Eccleſiæ, fortunæ quidem tenuis, ſed præclaris animi dotibus inſignis, ab Henrico Cornuto quondam Archiepiſcopo Senonenſi Præbenda & Officialis dignitate donatus in præmium & mercedem laboris impenſi in erudienda Fratrum pueritia quorum Præceptor & Pædagogus fuerat. Ab Vrbano IV. Camerarii honore inſignitus, à Clemente IV. in Archiepiſcopum inauguratus & commendatus S. Ludouico hiſce litteris.

Clemens.....Celſitudi Regis, ſicut credimus, non ignorat, quod Venerabilis Frater noſter Petrus Archiepiſcopus Senonenſis ab olim felicis recordationis Vrbani Papæ Prædeceſſoris noſtri & poſtmodum Camerarius noſter exiſtens adeo fideliter nobis & Eccleſiæ Romanæ ſeruiuit, quod quamplurimum circa ipſum afficimur, & eum in Charitatis viſceribus per dilectionem portamus. Dignè igitur ipſum plenâ beneuolentiâ proſequentes Regalem magnificentiam paterno rogamus & hortamur affectu, quatenus eundem Archiepiſcop. pro quo mentem noſtram fiducialiter aperimus & Eccleſiam ſuam habeas fauorabiliter commendatos, ſic eos ſub Regii fauotis gratiâ confouendo, quod noſtro tuum in hoc ſpecialiter conformare beneplacitum dignoſcatis, quidquid ſibi feceris gratiæ vel honoris, nobis reputabitur eſſe factum....&c. Cum rediret à Concilio Lugdu-

nensi, obiit 17. Kal. Septemb. sepultusque est in ingressu Chori Metropolitani cum hoc Epitaphio.

Petrus Præsul Senonis, flos Cleri, fons rationis
Charniaci natus hic subiacet intumulatus:
Dum vixit, pauit inopes, lapsos releuauit,
Ædes quas strauit Turris Senonis reparauit.
Anno milleno bis centum Septuageno
Cum quarto, moritur. Deus illi propitietur.

Ei statim sufficitur Petrus Danisi Thesaurarius Senonensis, & paulo post, nempe 8. id. Decemb. obiit. Cui successit Gilo Cornutus, Galteri & Gilonis Archiepiscoporum quondam Senonensium nepos, Decretorum Doctor insignis, prudentiaque & probitate conspicuus.

Ad hunc annum legitur in libro Rectoris Statutum factum à Facultate Medicinæ: quo inter cætera voluit sigillum suum non amplius apud sequestrum esse, sed conseruare & habere donec aliter Papa ordinaret. Tunc enim recentes adhuc Facultates quæ dicuntur Superiores, vix adhuc sigillum proprium habebant. Prima autem Decretorum Facultas sibi vnum arrogauit, quemadmodum Nationes proprio sigillo vti consueuerant; sed M. Ioannes de Allodio Cancellarius Baccalariis ipsius licentias impertiri recusauit, quandiu sigillo illo vterentur: quod dicebat fieri non posse absque licentia summi Pontificis. Deinde cæteræ Facultates sua etiam sibi sigilla habere cœperunt. Tale est ergo illud statutum fol. 69. verso.

Statvtvm Facvltat. Med. de Sigillo.

Anno Domini 1274. M. Ioanne de Roseto tunc Decano Magistri ordinauerunt in hunc modum, Quod si forte accideret Magistrum recedere in Medicina Regentem à Ciuitate Parisiensi habentem propositum resumendi in Medicina lectiones ipsum mori, Magistri Regentes tenentur ad suum seruitium, ac si esset præsens. Et hoc statutum est de communi omnium voluntate.

" *Item* prædicto anno prædicto Ioanne Decano existente ordinatũ fuit in præsen-
" tia Magistrorum & Venerabilium virorum H. de Parma I. Parui, F. Britonis,
" P. de Aluernia, P. de Nouo Castello, V. Bouret, Io. de Cachalago, R. Meden-
" si, Io. de Nigella, Io. Normani, quod de cætero sigillum eorum in manu seque-
" stra non deponetur, nisi super hoc D. Papa ordinauerit. *Item* eodem anno *M.*
" *Ioanne de Roseto Decano existente ordinauerunt, quod sigillum eorum fiet de argento ad*
" *maiorem confirmationem.* Item ordinauerunt de consensu omnium prædictorum
" pro vtilitate & honestate communi, quod nullus Magister legat cursoriè per
" quindenam ante & post festum S. Crucis.

Eodem anno M. Ranulphus Normanus Canonicus Parisiensis Tractatus duos edidit de Rebus Theologicis, quorum vnus inscribitur, Quodlibet M. Ranul-
" phi Normani Can. Paris. de Natali an. D. 1274. & sic incipit. *Quærebantur*
" *quædam de Deo. Quædam de Angelo. Quædam de Christo. Quædam de homine puro.*
" De Deo quærebantur tria Tractatus 2. longior sic incipit. *Quædam quæruntur*
" *de Deo. Quædam de Christo. Quædam de Angelo. Quædam de homine puro.* De Deo
" quæruntur duo. 1. Vtrum Deus ab æterno potuerit intelligere vel intellexerit
" aliud à se. Quod non videtur. Quod non erat nec in re nec in intellectu non po-
" tuit intelligi. Sed ab æterno nec in re nec in intellectu erat aliud à Deo: ergo, &c.
" Hi duo Tractatus leguntur in MS. Victorino cum Tract. Gualteri de S. Victore.

In hoc autem Tractatu meminit *M. Henrici Archidiaconi* Tornacensis vulgò
" dicti *Gandauensis* his verbis. *Quæstio est M. Henrici Archid. Tornacensis, vtrum in*
" *Deo sit compositio ex actu & potentia.* Quantum ad hoc est, dicit quod non. Quia
" omne Compositum ex actu & potentia ab aliquo alio à se informabile, vel alte-
" rius rei à se informatiuum. Sed Deus à nullo à se est informabile, cum sit actus
" simplicissimus, perfectissimus & à nullo dependet, cum non sit ipso aliquid di-
" gnius nec maius. Item nullius est forma, quia ipse Deus alicui rei à se non potest
" inhærere.

Agitat etiam hanc Quæstionem, an Magistro in Theologia liceat in Philosophia quoque & in aliis litteris liberalibus studere: eaque de re sic habet. *Si Magi-*

gister sacra scriptura studeat in scientia Philosophica vt eam ordinet ad scientiam pietatis, non peccat. Est autem scientia pietatis secundum Hieronymum dist. 37. c. si quis. Grammaticam nosse, legere Scripturas & intelligere prophetias, Euangelia credere, Apostolos non ignorare ad quas scientia Philosophica multum valent... Si autem legat ad voluptatem vel ornatum verborum: vel vt per hoc ab vtilioribus retrahatur, peccat. Et hoc est quod habetur 37. dist. c. cur ergo. vbi dicitur *Quod quidam Seculares litteras legunt ad voluptatem, Poëtarum figmentis & ornatu verborum delectantur. Quidam verò eas ad eruditionem addiscunt, vt errores Gentilium legendo detestentur & vtilia quæ in eis inueniuntur, ad vsum sacræ eruditionis conuertant. Et tales laudabiliter seculares litteras addiscunt, sicut dicitur ibidem. Ex hoc patet quod studere in scientia Philosophica non est per se malum Magistris sacræ Scripturæ, quamuis ratione alicuius circumstantiæ possit esse malum.*

Anno 1275. 6. Non. Iulii decessit M. *Odo Rigaudus*, Doctor in Theologia, qui Ordinem Seraphicum ingressus anno 1241. deinde ab Innocentio IV. Lugduni consecratus est in Archiepiscopum Rothomagensem an. 1247. Egregius fuit ille Concionator Diuinorum oraculorum magnæque imprimis prudentiæ, adeo vt à Philippo Rege delectus fuerit anno 1270. cum quibusdam aliis viris insignibus, Stephano Parisiensi, Odone Baiocensi, M. Ioanne de Vezeliaco & Ioanne de Treceis Archidiacono Ecclesiæ Baiocensis, rebus Gallicanis tractandis & administrandis. Dedit Ecclesiæ Rothomagensi magnam quandam Campanam, quæ ab eo dicta est *Rigauds*, locumque fecit Prouerbio Gallico *Boire à tire la Rigaud*, id. bibere egregiè, quomodo solebant bibere qui Campanam illam pulsabant, pulsatu valde difficilem. Sunt & aliæ duæ in eadem Ecclesia dictæ *Ambosia* & *Tntauillaa*, à duobus Cardinalibus qui eas dederunt, sic nuncupatæ. 1275.

In Rigaudi locum electus est M. Guillelmus eiusdem Ecclesiæ Thesaurarius: sed quia Thesaurariam & plures alias dignitates occupauerat & detinuerat absque dispensatione, consuluit ei D. Papa, vt electioni de se factæ renunciaret. Electionem Nicolaus Papa remisit Capitulo Rothomagensi, qui post tres annos à morte Odonis duobus mensibus minus elegerunt *M. Guillelmum de Flauacuria*, cuius electionem Nicolaus Papa confirmauit an. 1278 7. id. Maii, eumque consecrauit xi. Kal. Iulii die Dominica ante Ascensionem.

Eodem anno Simon Cardinalis S. Ceciliæ, de quo ante diximus, quique à Gregorio anno præterito in Franciam Legatus fuerat missus, grauissimam dissensionem discordiamque quæ inter Nationes intercedebat propter electionem Rectoris, refusionem pecuniarum, iniurias mutuas, dissidia, diuortia & separationes à seinuicem quibus Vniuersitas studia in contraria diuisa dilacerabatur & gemebat, sua prudentiâ & authoritate compescuit, sedauit & composuit auditis partibus apud S. Genouefam vbi morabatur. Quæ mala ne deinceps accciderent, nouâ Constitutione præcauit. Habetur autem instrumentum huiusce reformationis in libro antiquo Rectoris, & in libris Procuratorum singularum Nationum, estque eiusmodi.

Simon miseratione Diuina titulo S. Ceciliæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus ad perpetuam rei memoriam. Humanæ Naturæ conditio per immoderantiam sauciata habens in malum ab adolescentia pronitatem, de facili labitur instigante eo qui tanquam Leo rugiens paratus ad prædam circundans Ouile Dominicum rimas quærit atque foramina, per quæ possit immittere nequitiæ suæ virus & vbi locum aptiorem inuenit ad ruinam, varios vt Leo frequentat insultus & astutè molitur vt Draco consolidata infringere, congregata dispergere, dissipare & perdere restaurata. Recens quidem facti memoria à nostro pectore non recessit, quemadmodum aliàs (an. 1266.) dum in partibus Gallicanis Legationis officio fungeremur, seductor ille malignus faces suas grauis discordiæ grandisque seditionis ignitas sulphure accenderat in *Facultate Artium Parisius inter quatuor Nationes.* Sed Nos huiusmodi flammis iam vehementer accensis, tum ex sinceritatis affectu, quem ad studiū Parisiense gerimus ex cuius vberibus primaria scientiæ duximus elementa, tum ex iniuncto Nobis Legationis officio, maximè cū in dissidio ipsius studii cerneremus Philosophiæ fontem arescere, eiusq; riuulos quod ad cuncta Orbis climata fœcundus deriuabat, non absq; maximo detrimento Vniuersalis Ecclesiæ desiccari, cum quâ potuimus sollicitudine Nos opposuimus

Reformatio Electionis Rectoris.

„ pacem in ipso studio per nostram prouidentiam cum Dei adiutorio reformantes.
„ Verum ille Draco antiquus pacis æmulus, & posteritatis Adæ continuus persecutor, qui in adeundo circunvolat, vt latendo corrumpat, in ipso Studio lapidem Offensionis & Petram scandali suscitauit *inter nonnullos Magistros Facultatis Artium* prædictæ, tres scilicet Nationes, Gallicorum, Anglicorum, Picardorum, quamlibet pro maiori parte ipsorum, & quosdam de Normanorum Natione, illos videlicet de Ciuitate & Diœcesi Rorhomagensi ex vna parte. Et alios Normanorum de sex Episcopatibus Rothomagensis Prouinciæ, ac tres Magistros de tribus aliis Nationibus & adhærentes eisdem ex altera, discordiæ zizania seminando occasione electionis factæ de M. Alberico de Remis in Rectorem Vniuersitatis ipsius: cuius etsi non electioni, institutioni faciendæ tamen & factæ se dicti Magistri de sex Episcopatibus vnà cum dictis tribus Magistris & aliis suis sequacibus opponendos duxerunt, ipsis tribus Magistris plura proponentibus crimina contra ipsum quæ se offerebant legitimè probaturos. Et propter hoc dicebat pars ipsa dictum M. Albericum inhabilem & indignum ad prædictæ officium Rectoriæ, & ideo ipsum non debere institui in eadem. Et quia non cognito de prædictis præfatus Albericus in Rectoriam ipsam extitit institutus, dicebat Pars ipsa eius institutionem in Rectorem Vniuersitatis prædictæ minus legitimè aptatam fuisse & contra statuta & consuetudines Facultatis. Propter quod Pars ipsa cum suis sequacibus eidem tanquam Rectori noluit, prout sicut dicit, nec debuit obedire.

ELECTIO RECTORIS ET INSTITUTIS.

„ Sanè Pars altera quæ institutioni præfati consenserat Alberici asserens Partem alteram se contra Ordinationis nostræ quam circa hoc olim edidimus seriem, separasse, fecit ipsam coram tribus Magistris in Theologica Facultate & quatuor in Decretis Antiquioribus Parisius tunc actu regentibus iuxta tenorem Ordinationis eiusdem, vt asserit, conueniri. Qui cognito de separatione prædicta infra tempus in eadem ordinatione expressum, cum eis, vt dicebant constaret dictam partem Normanorum & sibi in hoc casu adhærentium separationem fecisse, & se ab aliis minus legitimè separâsse, pronunciasse dicuntur, causam separationis Partis ipsius minus Canonicam & minus sufficienter fuisse probatam: à quorum processu à parte aduersâ dicitur fuisse ante pronunciationem eandem ex certis causis & grauaminibus, & post etiam ab ipsâ pronunciatione ad sedem Apostolicam appellatum.

„ Porro tempore Regiminis ipsius Alberici decurso, Pars illa quæ in ipsum consenserat, adueniente termino iuxta Facultatis ipsius consuetudinem in hoc, vt dicit, antiquitus obseruatam, adhærens pronunciationi Magistrorum prædictorum & expressorum superius Rectorem Vniuersitatis elegit parte alterâ non vocatâ, vt pote sententiâ Excommunicationis latæ per Nos in prædicta ordinatione in Transgressores eiusdem vt dicebat astrictâ, quoniam se separauerat absque causa quæ debeat iusta, rationabilis & euidens reputari, & aliàs constitutionis ipsius tenore nullatenus obseruato.

„ Pars verò altera vocatâ, vt dicit, parte contraria, nec cum ea ad eligendum Rectorem venire volente, reputans ius eligendi Rectorem ob contemptum huiusmodi à se fuisse totaliter deuolutum, sibi Rectorem Vniuersitatis elegit. Et sic duobus Rectoribus tunc in ipsa Vniuersitate electis Pars quælibet modo consimili sibi Rectorem, Procuratorem atque Bedellos creauit proprios suis temporibus successiuè vni Corpori plura præficiendo Capita, quasi Monstrum. Demum ipso negotio per appellationem, sicut prædicitur, ad sedem Apostolicam deuoluto, partes ipsæ saniori consilio ductæ dubiis litium anfractibus pacis remedia cogitantes, Ordinationi ac dispositioni nostræ se sub certâ formâ submittere curauerunt, litteras confectas super huiusmodi submissione sigillatas sigillo Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium Parisiensium nobis ad Curiam destinantes, triennio à tempore pronunciationis dictorum Iudicum & amplius iam elapso.

„ Nos igitur considerantes hoc ex eius prouidentia qui in suì dispositione non fallitur, processisse qui in pacis multitudine delectatur, in cuius cõspectu reuocatio dissidentium inter se inuicem animorum ad tranquillitatis & concordiæ fœtus &

sacrificium vespertinum, in Nos suscepimus submissionem huiusmodi, sperantes cum eius adiutorio *Statutum Facultatis* ipsius iam pro magnâ sui parte diuulsæ, proh dolor, & collapsæ per rationabilis semitas ordinationis reformare, vt fomite discordiæ à Facultate prædicta radicitus extirpato, motus quos iuuenilis feruor consueuit aliquotiens effrenare, mansuetudo benigna mitiget, euitentur scandala, iniuriæ, rancores, odia, rerum dispendia, pericula personarum, & animarum exitia relegentur, suberescat Charitas studii tranquillitatis indicata virgulto, & moderna curiositas quæ plus solito innumeras multiplicat quæstiones labyrinthum declinans litium, quibus pro minimo, dum affectus imperat rationi, se aliquotiens insolenter immergit ad persequendum debitæ operationis officium vacet penitus & intendat. Procuratoribus igitur Partium, postquam ad partes Gallicanas accessimus, in nostra præsentia constitutis diligenter audiuimus, quæ coram Nobis super ipso negotio proponere voluerunt. Et vt magis in negotio ipso essemus instructi, Narrationes, propositiones ac petitiones Partium Nobis in scriptis fecimus exhiberi. Proposuit siquidem coram Nobis Procurator partis, quæ Pars Alberici vulgariter appellatur, contra partem aduersam.

1. Quod Normani de parte ipsâ contrariâ, qui tunc maiorem partem Nationis Normanorum faciebant, vnà cum Procuratore Nationis ipsius, & Quidam de tribus aliis Nationibus tunc prædictis adhærentes Normani & alii postmodum succedentes & eisdem opponentes se institutioni factæ de M. Alberico de Remis in Rectorem Vniuersitatis Parisiensis contra Ordinationem per Nos dudum factam, in pluribus venientes, & se ab aliis Nationibus tribus pro maiori parte cuiuslibet & Magistris Rotomagensis Ciuitatis & Diœcesis eisdem adhærentibus contra Ordinationem ipsam illicitè separantes, latam per nos quoadhoc in Transgressores Ordinationis ipsius excommunicationis sententiam incurrerunt.

2. Quod Cognitores seu Iudices per ordinationem huiusmodi deputati cognoscentes de præfata separatione & causa separationis ipsius, detinuerunt partem Normanorum de sex Episcopatibus & sibi adhærentium, se ab aliis tribus Nationibus per maiorem partem cuiuslibet minus legitimè separasse, & causam separationis ipsorum non fuisse legitimam, sed iniustam & minus sufficienter probatam.

Ex quibus Procurator ipse petebat, ex *10.* scilicet per Nos annunciari Partem aduersam contra dictam Ordinationem nostram separationem fecisse, & per hoc latam per Nos contra tales in prædicta Ordinatione excommunicationis sententiam incurrisse. Ex *20.* pronunciationem dictorum Iudicum decerni legitimam & omnes actus partis aduersæ post separationem & pronunciationem prædictas reuocari in irritum, atque singulos suæ partis comprobari, & ius totius Facultatis post dictas separationem & pronunciationem in Magistros suæ partis totaliter remansisse. Petebat etiam parti aduersæ debitas pœnas infligi.

Procurator verò Partis aduersæ, quæ pars Sigeri communiter nominatur, contra Partem alteram proposuit ex aduerso (in libro Gall. Nat. legitur in plurali Procuratores & proposuerunt) 1. Quod dudum Magistro aliquo electo ad officium Rectoriæ ante eius iuramentum & institutionem, sine quibus Rector executionem Officii sui habere non debet, diuersis sibi obiectis criminibus & pendentibus ac opponentibus obiecta probare paratis, paucis ibi præsentibus & aliquibus reclamantibus iurauit, & contra statuta & consuetudines Facultatis absente Rectore prædecessore suo seipsum instituit in officium Rectoriæ. 2. Proposuit, quod toto tempore Rectoriæ dicti Alberici omnes illos qui suæ Institutioni se opposuerant, paratos pecuniam refundere, & omnia quæcunque ad Facultatem pertinent, communiter exercere per Procuratores, sicut fieri debet Rectoria vacante, Pars aduersa iniustè admittere recusauit. 3. verò & 4. Proposuit quod super prædicta Institutione Alberici cognitio non spectabat ad Iudices in nostra Ordinatione contentos, cum nulla Natio se vellet ab aliis separare, nec ipsius Institutioni se opponeret Natio, sed certi Magistri singularum Nationum; & sicnon erat hæc separatio, de quâ nostra Ordinatio loquebatur. 5. Proposuit quædam ad excusationem partis suæ super inceptione cuiusdam Baccalarii de Normanica Natione.

6. proposuit Processus prædictorum Iudicum fuisse ante pronunciationem & post legitimã prouocationem suspensos. 7. Proposuit, quod elapso tempore Rectoriæ prædicti Alberici Personæ singulares de singulis Nationibus, quia se opposuerunt institutioni huiusmodi in Rectorem, vocatis singulis Magistris Facultatis ter, cum debitis interuallis, hora sexta & loco ad talia consueto elegerunt Rectorem: & sic facientes de Procuratoribus, de Bedellis quando imminebat electio talium personarum; Aduersarij verò ipsis contemptis & contra prohibitionem ipsorum publicè factam personas communes sibi tunc & postea successiuis temporibus creauerunt. 8. Proposuit, quod Examinatores partis aduersæ 12. Bachalarios licentiauerunt & communes tenuerunt præter consensum, conscientiam & voluntatem Cancellarij S. Genouefæ, & quod Cancellarius prædictorum licentias in irritum reuocauit.

Ex quibus omnibus petiit infra scripta. Ex primo videlicet pronunciari prædictum Albericum non ritè institutum fuisse: & quod eidem tanquam Rectori obediendum non fuit, eiusque actus tanquam à Rectore factos in irritum reuocari. Ex 2. petiit pronunciati Magistros partis alterius contra prædictam ordinationem venisse, & propter hoc latam in ea per Nos excommunicationis sententiam incurrisse. Ex 3. 4. 5. & 6. propositis petiit pronunciari ad statutum nostrum dissensionem quæ nunc est Parisius, non spectare ad Iudices ipsos, non in hoc sed Vniuersitatem Parisiensem cognoscere debuisse, & sententiam dictorum Iudicum nullam fuisse, ac partem suam nequaquam separationem fecisse. Ex 7. verò petiit Rectorias & omnes actus suæ partis in Bedellis & aliis confirmari, & actus singulos partis aduersæ circa Bedellos & alia in irritum reuocari. Ex 8. petiit 12. licentias prædictas adnullari, & Examinatores eorum à Facultatis consortio separari. Petiit etiam generaliter ex præmissis Principales qui impediuerunt, quominus cognosceretur de criminibus Alberico obiectis, quique supra nostram ordinationem venerunt, iuxta condignum puniri. Protestans quod non intendebat quidquam petere aut aliquid respondere nomine Nationis (Normanicæ) vel maioris partis Nationis alicuius, sed solum nomine singularum personarum. Finaliter verò petebat pars qualibet sibi partem aduersam in mille libras Parisienses expensi nomine condemnari. Quibusdam Petitionibus additis, quæ in superioribus expresse vel ex consequentia includuntur. Facta autem hinc inde copia de omnibus ab ipsis Partibus exhibitis coram Nobis, Responsiones ad ipsa & rationes quas vtralibet partium dare voluit, tam pro se quàm contra partem alteram in scriptis recepimus & examinauimus diligenter, & Procuratores ipsos iurare fecimus in prædicto negotio de veritate dicenda ad interrogationes quasdam quas ex Officio nostro fecimus, & ad eas per iuramentum præstitum respondere.

Cæterum quia per ea quæ coram Nobis attestata fuêre, constitit euidenter plures ac diuersos Magistros Facultatis prædictæ negotium huiusmodi prosequi coram nobis, quàm fuissent tempore submissionis super discordia huiusmodi in Nos factæ, quodque in submissione prædicta tangebatur inter alia de Bedellis, de quorum assensu siue nominibus, nec non illorum qui se submiserant, nulla in ipsa submissione mentio habebatur, visum fuit expediens, quod licet res totius Facultatis quæ consurgit ex singularibus, in huiusmodi negotio ageretur, quia tamen, quoad partem alteram prosequebantur idem negotium singulariter singulares, vt pars eadem asserebat, de prædictorum consilio extitit ordinatum, quod Bedelli & maxima multitudo Magistrorum qui post dictam submissionem inceperant, aut forsitan tunc legentes, ei nequaquam consenserant, ab vtraque parte prosequentium huiusmodi negotium coram nobis, siue singulariter, siue etiam in communi pro se & sibi adhærentibus in quantum poterant de alto & basso in Nos compromitterent & se nobis submitterent super ipso Principali dicti negotij, accessoriis & sequelis, quod ipsi & aliàs etiam ad maiorem securitatem negotii, prout in instrumento publico super huiusmodi compromisso & submissione confecto plenius continetur, facere curauerunt. Acceptantes & approbantes omnes & singuli specialiter Magistri & Bedelli priorem submissionem prædictam, & omnia quæ coram Nobis facta vel actitata fuerant, aut in posterum fierent vel agerentur per dictos Procuratores in negotio supradicto, & ipsis Magi-

stris ac Bedellis præsentibus, consentientibus & expresè mandantibus dicti Procuratores in suis & aliorum omnium animabus iurauerunt se ac omnes Magistros atque Bedellos præmissa omnia seruare perpetuò & inuiolabiliter, & quidquid Nos semel & pluries dixerimus, ordinauerimus, sententiauerimus, decreuerimus, in præmissis omnibus & singulis & contra, aliquatenus per se vel per alios aliquibus arte vel ingenio non venire tacitè vel expresè.

Nos autem tum ex virtute ipsius submissionis, tum etiam ex viribus compromissi, approbationis & acceptationis huius pro acceleratione negotij ordine Iudiciario prætermisso, ex potestate nobis à partibus traditâ procedentes petitionibus partium & rationibus eorundem, ac quibusdam actis, litteris & instrumentis hinc & inde exhibitis coram Nobis frequenti diligentiâ & frequentiâ diligenti, primò per nos & postea per discretos viros aliàs plenè discussis & sæpius recensitis Procuratores Partium frequenter interrogauerimus, si in dicto negotio vellent aliqua alia proponere, qui renunciantes expresè probationibus & rationibus vniuersis vlterius in ipso negotio producendis vel proponendis concluserunt in eodem negotio petendo & cum instantia supplicando negotium huiusmodi per sententiam, dispositionem seu ordinationem nostram iuxta beneplacitum nostrum & potestatem Nobis ab ipsis traditam terminari. Adhuc verò vt vberius & in maiori animorum tranquillitate ordinario seu dispositio nostra procederet, Rectores, Procuratores, & Bedelli partis vtriusque Officia sua & iura si qua in dictis officiis, vel ratione ipsorum habebant, liberè in nostris manibus resignarunt. Quæ Officia ipsis eisdem vsquoad nostrum beneplacitum commendauimus exercenda.

Desiderantes itaque affectione multiplici & desiderio plurimo affectantes à futuris præcauere periculis, ad quod discrimina præteriti temporis nos oculatos instituerunt, & nouorum efficiunt cautiores, rogamus quæ ad pacem sunt Parisiensis Studij propter domum Domini Dei nostri, cuius cultus & decor continuè multiplicantur, exinde structuram concordiæ stabilis & pacis perpetuæ in dicto studio cupientes erigere, posito fundamento in ipso summo angulari lapide Christo Iesu. In eius itaque nomine, qui fecit vtraque vnum, qui vnus in vno nouo homine faciens pacem reconciliauit duos in corpore, vno Deo, imprimis pronunciamus, arbitramur, disponimus & etiam ordinamus, *vt Facultas Artium Magistrorum Parisiensium per callidi hostis astutiam propter dissensiones huiusmodi olim diuisa ad consultam & debitam redeat vnionem, ne remanens sic diuisa in posterum, quod absit, se lugeat desolatam, vnius tantùm Rectoris sit contenta regimine, vt vnum fiat Oule & Pastor, vnum Corpus vnius capitis regimine gubernandum, quatuor Procuratores & quatuor Bedellos habeat & non plures iuxta consuetudinem Facultatis ipsius in talibus approbatam.* Et super vnione huiusmodi conseruanda & separatione in ipsa certo modo tantùm vel minimè facienda, Ordinationem nostram aliàs super dissensione dudum in Facultate ipsa suborta editam cum aliis in ea contentis, nec non cum suppletionibus & declarationibus infra scriptis, volumus & præcipimus inuiolabiliter obseruari.

VNVS RECTOR 4. PROCVRATORES 4. BEDELLI.

Ne autem præsentis Reformationis teneritas instigante pacis æmulo ex electione Rectoris, Procuratorum & etiam Bedellorum aliquod sopitæ discordiæ sentiat recidiuum, recommendationem dictorum Officialium quam prædictis fecimus, reuocantes, creationem ipsorum Nobis hac vice duximus reseruandam. Volumus tamen quod decursus iuxta Ordinationem prædictam nostram illorum temporibus quos ad dicta Officia hac vice duximus assumendos, alij suis temporibus liberè subrogentur eisdem secundum statuta in eadem Ordinatione nostra contenta, & consuetudinem laudabilem in Parisiensi Studio super his hactenus obseruatam. Quia verò præteritas intendimus sic sedare discordias, vt futuris de quibus magis timendum est, obuiemus periculis; & ne ignorantiæ prætextu vel obscuritatis quam nimia generalitas interdum inducit, colore similia præsumi valeant in futurum, omnia in luce cupientes clarescere, petitiones singulas vtriusque partis decreuimus seriosè ac singulariter & dilucidè terminare æquitatē videndo, non à iustitia discrepando, vt obuiet misericordia veritati, Iustitia & pax se inuicem osculentur, & vbi expedire viderimus, rigore iuris misericordiæ oleo mitigato Domino dante benignitatem terra Parisiensis Studii producat liberè fructum suum.

Et idcirco super primo propositis & petitis à parte, quæ dicitur Alberici contra partem aduersam, quæ dicitur pars Sigeri, visis & diligenter inspectis omnibus actis habitis coram nobis ac tenore Ordinationis nostræ prædictæ, omnibusque appositis hinc & inde, primò per Nos & postmodum per plures discretos & peritos viros sæpe & sæpius ruminatis, communicato consilio sapientum *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* pronunciamus & dicimus Nationem Normanorum quam per illos de sex Episcopatibus Rothomagensis Prouinciæ qui non solum maiorem, sed tres fere Nationis totius partes cum Procuratore ipsius tunc ipsis faciebant repræsentari & intelligi iuris ambiguum non extitit separationem contra nostræ Constitutionis tenorem fecisse in diuersis publicis, communibus & manifestis actibus, qui de consuetudine siue iure per singulares personas consideratas singulariter nequeunt exerceri, ac illis de Nationibus aliis, qui ipsis taliter separatis in huiusmodi actibus adhæserunt, & alios in vicinum succedentes eisdem participasse in crimine Criminosis. Processus autem atque sententiam Cognitorum seu Iudicum prædictorum non duximus confirmandos, quin potius ipsos non propter obiecta à parte contraria, sed propter eorum defectus multiplices, tum ex parte prosequentium personarum, tum ex modo & ineptitudine procedendi ac pronunciandi forma, cogente Nos ad hoc Iustitiâ reprobandos. Et ideo actus Partis, quæ dicitur Alberici, occasione dictæ sententiæ, quæ sicut prædicitur, nulla extitit ipso iure, robur aut vires assumere nequiuerunt; nec per ipsam vis siue authoritas Facultatis in eandem partem transferri potuit, nec debet occasione huiusmodi in ea remansisse decerni: nec actus partis alterius ob hanc causam in irritum reuocari. Planè separatio facta minus legitimè pœnis nostræ Constitutionis implicat & inuoluit taliter separatos, sed statim in partem aliam nihil transfert. Sed tunc demum postquam iuxta formam Constitutionis eiusdem rite cognitum & pronunciatum fuerit, Partem quæ se iniustè separat, causam separationis iustam, rationabilem & etiam manifestam Parti alteri præstitisse, & in præstatione emendæ iuxta formam eiusdem Constitutionis raxatæ se contumacem exhibuerit aut rebellem, maximè in communibus negotiis Facultatis, in quibus secundum præfatæ Constitutionis seriem Natio seu Nationes authoritatem separatim sibi vindicare nequeunt specialem. Ex quibus euidenter apparet, ex separatione, præsenti Parti quæ dicitur Alberici, nihil penitus accreuisse, Propter quod & alia dicta superius Petitiones eiusdem Partis super Confirmationibus ac aliis circa hoc prout superius sunt expressæ, duximus reprobandas. Super irritatione verò Actuum Partis Sigeri, quam occasione separationis prædictæ fieri Pars petiit Alberici, illud seruari volumus & teneri, quod circa id inferius hæc nostra Ordinatio, dispositio, sententia, seu pronunciatio comprehendit.

Cæterum quod ad illa quæ ex parte, quæ Sigeri dicitur, coram Nobis fuere proposita & petita, arbitramur, pronunciamus & dicimus nihil rationabile ab ipsa fuisse probatum, propter quod prædicti Alberici institutio in Rectorem iniusta debeat reputari, aut ea quæ vt Rector exercuit, irritari, seu Rectoria pro tempore sui Regiminis pro vacante haberi, præsertim cum ab ipsa parte contra Electionem prædictam nihil propositum fuerit vel obiectum. Et ideo petitiones omnes & singulas partis eiusdem super iniustâ Institutione ipsius Alberici & vacatione Rectoriæ regimine ipsius durante fundatas duximus reprobandas. Per hoc tamen Institutionem eandem, maximè cum à nobis petitum non fuerit, non intendimus approbare nec dicere quod contra Rectorem etiam legitimè institutum non possint opponi crimina & probari, seu quod criminum obiectorum cognitio ad illos pertineat, quos in nostra constitutione dedimus Cognitores, nisi forte occasione huiusmodi oppositionis contra ipsius Constitutionis tenorem, Nationis seu Nationum saltem pro maiori parte ipsarum (quod non solum in Contractibus, sed etiam in delictis & commissione pœnarum, quod ad actus publicos seu communes iuris interpretatio reputat pro eodem) diceretur separatio subsecuta. Nam tunc de separatione & eius causa ad ipsos Iudices cognitio & definitio pertineret. vnde Processum & sententiam Iudicum non propter rationes partis ipsius, sed propter alia, sicut pridem duximus reprobandos. Nec illa appellatio, quæ ante pronunciationem Iudicum dicitur propter hoc interiecta, quod ad probandam Excommunicationem

Excommunicationem contra testes obiectam octo dierum dilatio non dabatur, debet legitima reputari, cum probatio Excommunicationis obiecta peremptoriè contra testes non fit octo dierum spatio limitata, cum breuiari possit à Iudice, cuius potissimè cognitio, sicut erat in casu præsenti, certâ metâ temporis coartatur, nec ipsa appellatio, nec illa etiam quæ à Pronunciatione Iudicum interposita dicitur, adiuuat seu releuat appellantes, etiamsi legitima extitisset, cum nulla ipsarum pars appellans fuerit legitimè prosecuta, & ideo non appellans meritò reputatur. Adhuc Baccalariorum vtriusque Partis Licentias petitas durante discordia ab illis qui ipsas conferre poterant, & obtentas valuisse pronunciamus & dicimus valere, cum contra eas ab alterutra Partium nihil probatum fuerit, propter quod debeant irritari, & Nostra Constitutio Cancellariorum authoritatem à qua ipsæ licentiæ vires recipiant quoad hoc minuat vel infringat. Verum circa Principia ad prædictas licentias dissensione durante in vtralibet Partium subsecuta quæ forsitan suggillare posset rigoris seueritas & prima facie deprauare, Attendentes quod Censuræ rigor & seueritas vltionis non posset in eis absque graui scandalo & animarum periculo manifesto propter multitudinem exerceri, benigniorem viam duximus eligendam.

Cupientes itaque vitare scandala & animarum prouidere saluti, Volentes & vt æquitas stricto iuri, seueritati misericordia & benignitas & potestati charitas præferantur inter Partes fauorabiliter disponentes, pro Pace, vtilitate ac tranquillitate Parisiensis Studij decernimus, ordinamus, & dicimus ipsa Principia firma perpetuaque remanere, & Magistros qui tunc ipsis inceperunt, pro rite promotis & veris Magistris reputari ab hominibus & censeri. Vtrique parti super refricatione hactenus obiectorum contra ipsa Principia sub interminatione Anathematis silentium perpetuum imponentes. Cæteros verò Actus Facultatis legitimos & communes ad ipsam Facultatem seu Nationes aut Nationem spectantes vel spectantem per Partem post prædictam separationem habitos *Sigeri* tanquam illicitos reprobantes ipsos actus siue consimiles pro parte quæ dicitur *Alber ci* finito regimine subsecutos propter illa quæ ex superioribus colliguntur, non duximus approbandos.

Super expensarum autem articulo, cum vtramque partem sicut prædiximus, in multis inuenerimus excessisse, earum vtrique silentium perpetuum duximus imponendum. Sanè articulum de 12. Licentiis, quas pars *Sigeri* nominat abusiuas, cum adhuc de ipso nobis plenè non liqueat, nostro reseruamus examini, iustè, donante Domino, prout expediens fore viderimus, decidendas. Illorum etiam qui contra Ordinationem nostram notabiliter excesserunt, eorumque quos tanquam Diaboli satellites & Ministros in seminatione ac continuatione dissensionis prædictæ fuisse inuenerimus Principales, condemnationem ac impositionem pœnarum, prout delicti qualitas & culpæ modus exegerint, propter exempli perniciem nostro arbitrio, ordinationi, dispositioni ac beneplacito retinemus, vt mucrone Iustitiæ insolentia peruersorum taliter feriatur, quod pœnâ docente cognoscant, quàm graue, quàm periculosum, quàm præsumptuosum, quamque Actori Pacis odiosum existat in agro Parisiensis Studij virus discordiæ seminare, vt vltionis condignæ gladius videntibus transeat in exemplum, & aures audientium tinnire faciat præ timore. Reseruamus Nobis nihilominus declarandi, interpretandi, addendi & diminuendi circa præmissa & eorum quodlibet plenariam potestatem. Ne autem ab obseruatione prædictæ Ordinationis contra mentem ipsius se aliquis seu à prærogatiuâ verborum fraudulenter excuset, vel maliciosè confingat se propter ipsius ordinationis traditionem obscuram crassæ & supinæ ignorantiæ nubilo circumuentum, sed intellectu eius manifestius cognito vniuersi & singuli qui comprehenduntur in ipsa, inhibita per eam declinent & præmissa sectentur, ac ea quæ agenda fuerint, limpidius atque lucidius videant & cognoscant, & vt ratione procedat dubiorum moderatio ex Ordinatione prælibata nascentium, vnde Ordinatio ipsa dignoscitur processisse, & illam in quibusdam infra scriptis articulis authoritate legationis quâ fungimur, duximus cum aliquibus suppletionibus declarandam.

Decernimus itaque statuentes, vt quemadmodum Statuta & Interdicta, de quibus in ipsa Ordinatione nostra mentio fit, de communi ac expresso cuiuslibet

Nationis consensu iuxta formam Ordinationis eiusdem debeat procedere : & aliter quidem facta non valent, nec etiam sunt seruanda. Sic & simili consensu procedant cætera omnia negotia Facultatis, nec alio modo procedentia valeant vel seruentur. Adiicientes nihilominus vt sicut ex Ordinatione prædictâ nulli Nationi licet se à tribus vel duabus aliis separare, nisi iusta, rationabilis & manifesta causa suffuerit & secundum modum ibi traditum declarata : ita nec duabus à duabus, vel vni vel tribus ab vna se aliter liceat separare. Illud sanè quod in separatione, cognitione ac decisione causæ separationis & emendæ præstandæ incursione pœnarum aliisque moderatione præfata statutum legitur obseruandum, quando vna Natio à tribus, vel duæ à duabus se separauerint aut voluerint separare, locum habere dicimus & tenere, quando vna Natio à duabus, vel duæ seu tres ab vnâ se separare voluerint aut duxerint separandas. Adhuc quoque mentem verborum Ordinationis eiusdem ad Iuris intelligentiam referentes interpretando seu declarando subiungimus, vt quod à maiori parte Nationis in Actibus Communibus publicè contra Ordinationis prædictæ tenorem excedendo factum fuerit aut obmittendo commissum, illud à totâ Natione quantum ad illud omnes articulos in Ordinatione sæpe fata expressos, vbi de Natione, sine de Nationibus habetur mentio, actum & obmissum per omnia debeat intelligi ac censeri. Ad Officia quidem prædicta, ne dispendiosè vacet exercitium eorundem, personas quas secundum qualitatem temporis & conditionem negotii congruere vidimus, hac vice duximus eligendas. M. Petrum de Aluernia præfacimus Vniuersitatis Rectorem. Nationi autem Gallicanorum M. Stephanum Gebenensem. Nationi verò Picardorum M. Iacobum de Duaco. Nationi verò Anglicorum M. Mauricium de Hibernia. Et Nationi Normanorum M. Robertum dictum Rufum Procuratores specialiter deputamus.

Nationi Gallicorum de Ioanne de Caodede, Nationi Picard. de Radulfo Barbitonsore. Ac dictæ Nationi Anglicorum de *Simoneto Anglico* in Bedellis nihilominus prouidentes. Sed de Bedello Nationis Normanorum taliter ordinando disponimus & disponendo etiam ordinamus, quod Henricus de Haya sit Bedellus Nationis ipsius : ipso tamen cedente Officio Bedelliæ vel etiam decedente, per Magistros Nationis eiusdem ad dictum Officium aliquis qui sit de Ciuitate vel Diœcesi Rothomagensi illâ vice communiter eligatur. Volumus tamen, quod si scriptura quæ inter Magistros Ciuitatis & Diœcesis Rothomagensis ex parte vnâ, & Magistros de sex Episcopatibus Prouinciæ Rothomagensis ex alia confecta dicitur super creatione Bedelli, in Natione eadem quæ fidem legitimè faciat, valeat reperiri, illud quod per ipsam Scripturam circa creationem Bedelli in Natione ipsâ apparuerit esse seruandum, inuiolabiliter obseruetur. Actum Parisius apud S. Genouefam, vocatis adhoc & præsentibus Procuratoribus Partium prædictarum vtriusque partis Parisius actu regentium & non regentium, & plurium aliorum multitudine copiosâ die Martis ante Nonas Maii anno Domini 1275. Pontificatus D. Gregorij Papæ Decimi. an. 5.

Eodem anno die 25. Aug. obiit vir clarissimus *Yuo de Vergiaco* ex Priore Sancti Marcelli Cabillonensis factus Abbas Cluniacensis an. 1257. cuius regimini præfuit cum laude annis 18. structuram Collegii Cluniacensis Parisiis pro Scholaribus Ordinis fundati incepit an. 1269. Cuius Abbatis virtutes sic breuiter depingit Gerardus de Auernia in Chronico quod ei dicauit. *Præco Diuini verbi, tuba Euangelii, amicus Sponsi, Columna Dei, Sol terræ, Lumen Patriæ, Minister Altissimi. Tota Conuersatio huius est Schola honestatis, morum ædificatio & structura salutis. Est enim in iudiciis rectus, in carne Angelus, in misericordiis totus, in dando largissimus & in consiliis circumspectus.* Eidem ipso die sepulturæ successit Yuo de Chasant eius ex sorore nepos.

Eodem anno obiit Odo II. Abbas San Genonefianus, cui Clemens IV. anno 1266. Priuilegium contulit inferiorum Ordinum vsque ad sacros conferendi. Iacet autem in Claustro.

Statvm de Librariis. Eodem anno statutum factum est ab Vniuersitate de Stationariis & Librariis qui libros venales exponentes, aut fraudem sæpe faciebant, aut longè pretium augebant. Quam in rem extat Instrumentum in Tabulario Vniuersitatis apud Nauarram munitum magno sigillo pendente è filis sericis & notatum hisce maiori-

bus Characteribus. D. 18. Q.Q. estque huiusmodi.

Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisius ad perpetuam Rei memoriam. Quoniam ager ille fructus vberes afferre noscitur, cui curâ coloni cautius vndique prouidetur, ne Nos Dominico laborantes in agro ad fructum centenum virtutibus & scientiis Domino disponente quærendum vteunque molestari vel impediri contingat, ab illis maximè qui circa Parisiense studium propter Quæstum in operibus mercenariis & Ministerio quod impendunt, malo more versantur, Ordinamus statuendo & statuimus ordinando vt Stationarii qui vulgò Librarii appellantur, annis singulis vel de biennio in biennium, aut aliàs quando ab Vniuersitate fuerint requisiti, Corporale præbeant iuramentum, quod libros recipiendo vænales, custodiendo, exponendo, vendendo eosdem, & aliàs suum Ministerium circa studium exhibendo, fideliter & legitimè se habebunt. Item quia nonnulli de Librariis supradictis insatiabili cupiditati studentes, ipsi studio ingrati quodammodo sunt & graues, dũ in libris habendis, quorum vsus maximè necessarius est studiosis, difficultatem inducunt, & emendo vilius, vendendo carius & aliis excogitatis fraudibus libros ipsos cariores efficiunt, licet ad instar eorum qui ex officio administrant, in his debeant se habere palam & bona fide, quam vtique melius obseruarent, si simul Emptoris & Venditoris officio nullatenus vterentur, Statuimus vt ipsi Librarii iurent, sicut superius est expressum, quod infra mensem à die quo libros vænales recipient numerando, de libris illis vt sibi habeant, nullum celebrabunt aut simulabunt contractum nec ipsos libros suppriment aut celabunt, vt postmodum sibi emant seu retineant, sed bonâ fide statim libris receptis, vel aliàs quocunque loco & tempore opportuno ipsos ad vendendum exponent. Et si requisiti fuerint à venditoribus, æstimabunt & dicent bona fide quantum credent in veritate libros ad vendendum oblatos iusto & legitimo pretio posse vendi: libri etiam vænalis pretium & nomen illius cuius liber est, ponent in aliqua parte, vt pateat intuenti. Iurabunt etiam quod cum libros vendiderint, eos assignabunt ex toto, nec transferent in Emptores, nec pretium recipient pro eisdem, donec denuncient venditori, vel mandato suo, quod pretium veniat accepturus: & quod de pretio pro libris oblato puram & simplicem sine fraude dicent & sine mendacio veritatem, nec aliàs quoquomodo cupiditate vel dolo circa suum officium aliquid attentabunt, vnde posset studio vel studentibus irrogari aliquod detrimentum. Item licet dignus operarius sit mercede quam & lege Ciuili petit licitè, quia tamen à Librariis frequenter modus exceditur, qui in talibus est habendus, statuimus vt Stationarii iurent quod vltra 4. denarios de libra & de minori quantitate pro rata de salario pro libris venditis non exigent, & illos non à venditore exigent, sed ab Emptore. Item quoniam ex corruptis Exemplaribus & mendosis dispendia multa proueniunt, statuimus quod dicti Librarii iurent se præstaturos curam & operam efficacem cum omni diligentia & labore, quod Exemplaria vera habeant & correcta: & quod pro Exemplaribus aliquid vltra iustum & moderatum salarium vel mercedem, seu vltra id quod ab Vniuersitate vel Deputatis ab ea taxatum fuerit, non exigent à quocunque. *Item statuimus* quod si forte Librarii supradicti præmissa vel aliqua de præmissis iurare noluerint, aut circa prædicta postquam iurauerint, fraudem commiserint, aut ipsa omnia & singula diligenter non obseruauerint, non solum Vniuersitatis gratia & fauore sint penitus alieni, sed & Officium quod prius ratione studii exercebant, exercendi liberam non habeant de cætero facultatem. Ita quod nullus Magister aut Scholaris cum Librariis supradictis vllum prorsus commercium aut contractum habere præsumat, postquam dictos Librarios circa præmissa vel aliqua de præmissis constiterit commisisse. Si vero Magister aliquis aut Scholaris contrauenire præsumpserit, beneficio societatis Magistrorum & Scholarium sit eo ipso priuatus, donec per ipsam Vniuersitatem fuerit restitutus. Acta ex deliberatione & statuta sunt hæc in Congregatione Generali Parisius in Capitulo FF. Prædicatorum & sigillo Vniuersitatis sigillata 6. Idus Decemb. an. Dom. 1275.

STATVTVM CONTRA LIBRARIOS

Eodem anno quatuor Nationes præclaræ Facultatis Artium congregatæ apud S. Iulianum Pauperem statuerunt circa Bachalarios Determinantes, qui sibi Duces præficiebant, festa quædam seu festiuos ludos in Determinationibus agebant,

& potationes seu conuiuia celebtabant. Item circa Magistros actu regentes, Comitia seu congregationes Regentium, & festa singularum Nationum.

STATVTVM FACVLTATIS ARTIVM DE DETERMINATIONIBVS ET LICENTIIS.

Nouerint Vniuersi quod Nos omnes & singuli Magistri Regentes Patisius in Artibus attendentes & considerantes nostram Facultatem multiplicitet esse lapsam, lapsum eius ex omni parte cupientes pro nostris vitibus reparare, vtilitati ptiuatæ publicam præferentes, longâ & prouidâ deliberatione præhabitâ circa statum quemlibet Facultatis prædictæ, quod magnum temporis spatium cogitando & quemlibet articulum diu versando & diutius tuminando velut in statera singula quæque ponderantes, communicato Bonorum, Antiquorum non Regentium & maximè in Artibus Expertorum consilio. De communi consensu nostrûm omnium nnllo penitus contradicente Quædam circa statum quemlibet Facultatis præfatæ otdinauimus, statuimus & iuramento vallamus deinceps obseruanda.

Inchoantes igitut à statu Determinantium formæ antiquæ ab eisdem iurandæ Quædam ad modetamen expensarum de nuo adiungentes, Quædam simpliciter in eadem contenta duximus tenouanda, vt si qua malè fuerint à Nostris Anteceſſoribus hactenus obsetuata, à Nobis succeſſoribus in posterum arctius obseruenrur.

1. Ergo statuimus, vt nullus de cætero nisi prius in Scholis publicè Magistro Regenti actu de Quæstione respondetit, ante Natale ad examen Determinantium admittatur.

2. Statuimus, vt Magistri non possint de cætero à Determinatotibus ex pacto tecipere vltra duas Bursas ptetii Scholarum, siue tantum vnicus Determinatot in Scholis alicuius, siue plures fuerint in Scholis eiusdem.

3. Statuimus, vt Determinatores non possint dare Potationes nisi primâ die & vltimâ suæ Detetminationis.

4. Statuimus, vt nullus de cæteto audeat illuminate Cereos in vico, nec in Domo in die clarâ, nec illuminare petmittat.

5. Statuimus, vt Determinatotes nullum sibi Capitaneum eligant, quocunque nomine censeatur, sed regimine Rectoris & Procuratorum penitus sint contenti.

6. Statuimus, vt Omnes determinare inchoent infra Octauas Cinerum & deinceps per totam determinent Quadtagesimam, nisi Subdeterminatotem habeant, quem qui habuerint, vsque ad mediam Quadragesimam determinent. Subdeterminatores verò determinare per residuum temporis teneantut. Istos autem articulos cum aliis omnibus in antiqua formâ contentis volumus vt iurent Bachelarii fide præstitâ cotpotali se firmitet & fideliter seruaturos, antequam ipsis determinandi licentia conferatur, potestate dispensandi cum aliquo super præmissis seu aliquo præmissotnm Rectori, Procuratoribus, nec non Examinatoribus penitus interdictâ.

Circa statum veto Bachelariorum 1. duximus otdinandum, vt nullus Bachelarius Licentiatus, vel non Licentiatus possit de cætero legete cursoriè, nisi prius fuerit nostræ Facultati iuratus, quod obediet Rectori & Procuratoribus in licitis & honestis. 2. Statuimus, vt nullus Bachelarius legat librum aliquem cursoriè, nisi audiuerit ipsum Parisius semel ad minus vel bis in alio studio Generali. In istis duobus articulis per Rectorem & Procuratores Bachelarii adstringentur antequam eisdem legendi cursoriè licentia concedatur.

Circa statutum vtique Magistrorum statutum est & iutatum.

1. Quod nullus Magister recipiatur ad Actus communes nostræ Facultatis, vel alicuius Nationis, nisi fuerit actu Regens. Per actu Regentem intelligimus eum qui legit qualibet die legibili in Scholis, in habitu & horâ debitâ, nisi legitimum habeat impedimentum, quique Rectori & Procuratoribus prætendat, & super hoc fidem faciat, si fuerit tequisitus, antequam ad præmissa fuerit admittendus.

2. Statuimus quod de cætero non fiat in vnâ septimanâ nisi vna Congregatio nostræ Facultatis, nisi casus emerserit, pro quo opporteat cessare, vt mutilationis vel interfectionis, sed alia negotia pet Rectorem & Procurarores expediantur, & si consilio indigeant, vocent antiquiores aliquos & discretos, vel vsque ad

Congregationem negotia reseruentur; & fiat Congregatio die disputabili: ita tamen quòd Disputationes non propter hoc impediantur, sed qui voluerint disputare de licentia Rectoris & sui Procuratoris, de congregatione recedant. Si verò in Septimana non fuerit dies Disputabilis, quod raro accidit, die Sabbati post Missas Nationum fiat Congregatio: & illâ die Cursoriè postea non legatur.

3. Statuimus vt nullus Magister cuiuscunque fuerit Nationis, Prouinciæ, vel Episcopatus intermittat se nisi de vnico Festo Principali in vna Natione & etiam speciali, exceptis festis B. Nicolai & B. Catharinæ quæ sunt communia & solennia toti Clero.

4. Statuimus, vt in eisdem festis vel aliis nullus Magister faciat nec quantum in se est, fieri permittat paramenta vel Choreas duci in vico de die nec de nocte cum torticiis vel sine. Cum talia Clericos non deceant, nec Magistros præcipuè, sed potius redundent in vituperium Clericorum. Hæc autem omnia statuimus & iurauimus inuiolabiliter obseruanda, Facultati prædictæ potestate addendi, mutandi, imminuendi, corrigendi & etiam exponendi, dispensandi similiter quotiescunque videbitur expedire: ita tamen quod de communi consensu omnium hoc procedat. Si quis vero Magister vel Bachelarius contra præmissa vel præmissorum aliquod quicquam attentare præsumpserit, à nostra societate se nouerit deponendum, donec satisfactione pręmissa tota Facultas ipsum duxerit reuocandum. In cuius rei testimonium statutis præsentibus Signum Rectoris & Sigilla 4. Nationum duximus apponenda. Datum anno Domini 1275. die Iouis ante Festum B. Nicolai hiemalis. Simon Cardinalis prædictum statutum authoritate Apostolica confirmauit sub Ioanne XI. vt ad annum 1276. referetur.

Licet autem initium huiusce statuti præ se ferat Magistros tantum actu Regentes, non est tamen ita credendum, vt soli Regentes absque Procuratore aut Rectore conuenirent; quinimo cum ei signum Rectoris & sigilla 4. Nationum apponi velint, certum est illud sub eorum authoritate factum fuisse: sed idcirco solos Regentes commemorat, quia illi soli Disciplinæ Scholasticæ curam habebant, vt ex pluribus Actis patet & Instrumentis, in quibus mentio fit duntaxat Regentium actu: & si quando non Regentes ad fuisse leguntur, ad consilium dandum fere aduocabantur.

Eodem anno Philippus Rex confirmauit Priuilegia Vniuersitatis, sed illud pręsertim quod Augustus an. 1200 contra Præpositum Parisiensem indulsit ad securitatem Magistrorum & Scholarium, pacemque studiorum à Ludouico IX. Philippi Patre an. 1229. confirmatum. Sic autem se habet.

Philippus D. G. Francorum Rex. Notum facimus Vniuersis tam præsentibus quàm futuris, quod Nos litteras inclytæ recordationis præcarissimi Domini & Genitoris nostri Ludouici Regis Francorum, vidimus in hæc verba. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. Ludouicus D. G. Francorum Rex. Nouerint Vniuersi præsentes pariter & futuri, Nos Chartam inclytæ recordationis Philippi Aui nostri quondam Francorum Regis Illustris inspexisse in hæc verba. In nomine sanctę & Indiuiduæ Trinitatis Amen. Philippus D. G. Francorum Rex. Nouerint Vniuersi præsentes pariter & futuri, quod propter illud enorme flagitium, quo Parisius Clerici & Laici quinque numero à Quibusdam maleficis interfecti sunt, talem Iustitiam faciemus, quod Thomam illum tunc Prępositum, de quo super alios Clerici sunt conquesti, quia factum negat, in perpetuis detinebimus vinculis, in arcta custodia & paupere victu, quandiu vixerit, nisi forte ipse elegerit subire iudicium aquæ Parisius publicè.... In cuius rei testimonium pręsentibus litteris nostrum apponi fecimus Sigillum. Actum Parisius anno Domini 1275. Mense Ianuar. Legitur integrum ad an. 1200. 1229. & ad an. 1301. adhuc referemus.

Eodem anno aiunt nonnulli Raimundum Lullium tam celebrem in Insula & Ciuitate Maioricarum Raimundi Lullii Filium & Matris ex generosa familia Herilium Nobilibus Catalanis, abiectis mundi nugis & illecebris Religiosum sumpsisse habitum, occasione cuiusdam Matronæ quam deperibat, quę cum illi se, vt erat Cancro exesa, exhibuisset, ostendisset, quid esset quo tantopere po-

potiri cuperet, statim ille iam quadragenarius ad Christum serio se conuertit. Paulo post Luteciam venit, & vsus est M. Thoma Anglico Praeceptore.

Eodem anno obiit Petrus de Mincy Carnotensis Episcopus, vir scientiarum laude conspicuus: sepultus autem est in aede Dominicanorum sub aerea lamina coram maiore altari cum hoc Epitaphio.

Corpus Pontificis quem Petrum nomine dicis,
Hic iacet, hic patruis iungitur ipse suis.
Prudens, mansuetus, humilis fuit atque pudicus,
Doctor discretus & pacis semper amicus,
Carnutum Pastor, dignus pietatis amator,
Felle carens, linguâ facundus, largus egenis,
Mille semel & bis centum triginta bis annis
Et cum quinque decem, percipiesque necem.
Huic sit propitia Pia Mater, Virgo Maria
Quae procuret ei sedem sanctae requiei.

1276 Anno 1276. Gregorius X. post Concilium Lugdunense Romam repetens obiit in itinere, fuitque Aretii sepultus. Vbi Petrus de Tarentasia Ostiensis nuper factus Episcopus & Cardinalis ex ordine Praedicatorum primus Pontifex concinentibus omnium votis successor ei suffectus est. Ille patria Burgundus, doctorali laurea in Academia Parisiensi donatus, Lutetiae diu publicè docuerat, & tádem meritis & doctrinae puritate conspicuus ad supremum illum honorem promotus est. Sed post sex menses Pontificatus obiit Romae sub Innocentii V. nomine. Succedit Ottobonus, Patria Genuensis, è Flisca Gente, Innocentii IV. quondam Nepos & Adriani V. nomen accepit. Hic Constitutionem à Gregorio editam in Concilio Lugdunensi de Conclaui & de restrictione libertatis Cardinalium ad Electionem Papae suspendit, proponens eam aliter ordinare, inquit Ioannes de S. Vict. sed morte praeuentus Constitutionem sic suspensam reliquit. Nam post 40. ab electione dies obiit Viterbii mense Augusto, & in Franciscanorum Coenobio sepulturam elegit, vacauitque sedes 25. aut 30. diebus.

Eodem anno orta est quaedam discordia & dissensio inter Facultates, quas vocant superiores & Facultatem Artium, praesertim vero inter Decretistas & Medicos, & D. Rectorem de modo denunciandarum Congregationum Generalium. Contendebant enim illi Rectorem debere per se adire Decanos suarum Facultatum, cumque illis conuenire de die Congregationis; aut saltem debere mittere Magistrum aliquem de Facultate Artium, qui faceret id nomine Rectoris. Contra Rector & Facultas Artium eos Nouitatis accusabant, nunquam id scilicet hactenus obseruatum aut factum ex lege aliquâ aut constitutione, imò nec ex consuetudine, sed solummodo si & cum Rectori placebat: nec debere iuri imputari, quod ex arbitrio & voluntate facientis procedit. Ab omni quippe aeuo solitum Rectorem mittere schedulam ad Procuratores, postea ad Decanos per Bedellum, vel edicere publicè quâ die & quâ de re Comitia habenda essent. Tandem vtraque pars se Iudicio & sententiae D. Simonis Cardinalis S. Ceciliae, viri in Academicis rebus versatissimi, in Academia enutriti & instituti, viri denique omnium Ordinum Academicorum peraequè amantissimi submiserunt qui auditis Partium rationibus secundum Rectorem pronunciauit an. 1278. vt ad annum illum referemus.

CONCILIVM BITVRICENSE.

EOdem anno sede adhuc vacante post mortem Adriani idem Simon Cardinalis Concilium habuit Ecclesiae Gallicanae Bituris, cuius Acta leguntur in veteri MS. Bibliothecae San-Victorinae: quae quanquam ab Historia nostra paululum abludunt, non videntur tamen omittenda, vel ob hoc quod in eo ipsius Ecclesiae nostrae Iura integra Libertatesque illibatae conseruantur. Sic autem se res habet.

Simon miseratione Diuina tituli S. Ceciliæ Presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus ad futuram rei memoriam. Inter curas quæ nostro cohærent officio illa præcipuè nos affligit visceribus nostri cordis infixa profundius atque solidius radicata nostrum incessanter perurgens animum suarum aculeis punctionum, vt nostræ legationis Ecclesiæ, sollicitæ prouisionis remedio, prout nobis desuper ministratur, contra malignorum defendantur incursus, cohibeantur iniuriæ & violentiis propulsatis in pacis pulchritudine delectentur, vt hostium sublatâ formidine in tranquillitate serena & serenitate tranquilla pacis actori cuius mancipamur obsequio, eò deuotius quò tranquillius, & quò deuotius eò accepriùs vel affectiùs valeant famulari. Libenter itaque assiduos labores complectimur, quanquam nostris impares humeris ad portandum, nocturnis insistentes vigiliis, nonnunquam etiam supra vires, vt personis Ecclesiasticis nostro commissi regimini, molestationibus, turbinibus relegatis, diuino fulti præsidio, sollicitudinibus nostris pacem & proprio labore quietem opportunæ prouisionis commercio præparemus. Sanè in Biruricensi Concilio quod ad quorundam Prælatorum nostræ Legationis instantiam nuper conuocandum duximus, & auctore Domino feliciter celebrandum, per quosdam Prælatos aliasque Ecclesiasticas nostræ Legationis personas nonnullis Ecclesiarum & personarum ipsarum oppressionibus, iniuriis & offensis ad nostram deductis notitiam, & per nos toti Concilio reseruatis, ac deliberatione super his in ipso Concilio habita pleniori, de totius Concilii prouidentia vnanimi & concordi iuxta negotiorum ingruentium & temporis qualitatem remedia super eisdem iniuriis pro defensione libertatis Ecclesiasticę adhibere curauimus opportuna: quæ quidem ex parte Concilii requisiti redigi fecimus in scriptura, & ipso Concilio solenniter promulgari. Authoritate quâ fungimur, sacro approbante Concilio statuentes, vt quæ pro defensione libertatis Ecclesiasticæ libertatis & ipsarum Ecclesiarum statu pacifico duximus ordinanda, à nostræ Legationis personis, prout continentur inferius, seruentur in perpetuum illibata.

DE ELECTIONE.

IN totius Concilii quod nuper duximus Bituris celebrandum & nostris clamor auribus horrendus insonuit, ad nos per diuersos Prælatos aliasque quamplures personas Ecclesiasticas non sine graui lamentatione delatus, & toti Concilio querulosis insinuationibus patefactus. Asserebant siquidem quod in Regno Franciæ in quo Ecclesiarum Libertas & honor eiusdem debitus seruari retroactis temporibus præ cæteris Regnis atque Prouinciis abundantius consueuit, his diebus in Electionibus celebrandis, in quibus potissimæ libertatis puritas est seruanda, pro libertate datur impressio, & quasi pro auro plumbum, pro argento scoria, honores in contumelias conuertuntur: adeo quod quando in certis locis Electiones Pastorum imminent celebrandæ, multitudine populi per iniquitatis filios concitatâ in Electores impetum faciente, Electiones ipsæ in nonnullis Ecclesiis aut ad tempus impediuntur totaliter, aut in locis hactenus consuetis nequeunt celebrari, prout in Lugdunensi, Burdegalensi & Carnotensi Ecclesiis nuper dinoscitur esse factum.

In qua siquidem Burdigalensi Ecclesia, occasione impressionis, dum immineret Electio celebranda, habita in eadem homicidium de Sacrista, nobili membro præfatæ Ecclesiæ inhumaniter extitit perpetratum. Quoniam igitur nouis morbis noua conuenit antidota præparari, ne morbus tam perniciosus obrepat, & sui contagione trahatur à Posteris in exemplum, sacri prouisione Concilii duximus statuendum: quod quicunque de cætero per seditiosam conspirationem vel conuentionem habitam simul cum aliis quacunque firmitate vallatam, impedimentum latens aut patens præstiterint, & quominus Ecclesiis Secularibus vel Regularibus, Dignitatibus, Personatibus aut Administrationibus quibuslibet per illos, ad Locorum ipsorum vel Dignitatum seu Administrationum per viam electionis seu postulationis spectat Prouisio eisdem locis, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, de personis idoneis vndecunque extiterint oriundæ, &

alias. libere per Electionem aut postulationem Canonicam valeat prouideri, incurrant excommunicationis sententiam, quam in ipsos proferimus ipso facto. Et si Clerici vel Regulares extiterint, Nos priuantes eosdem omnibus Ecclesiasticis Beneficiis, Dignitatibus, vel Administrationibus seu Personatibus, quos eos obtinere contigerit, decernimus fore inhabiles & indignos ad quæuis Beneficia, Administrationes, vel honores Ecclesiasticos vlterius assequendum. Si verò Laici, præter dictam Excommunicationis sententiam, ipsorum familiæ Interdicto Ecclesiastico subiectæ, nullaque eorum posteritas vsque ad quartam inclusiuè progeniem, si secularis fuerit, Prælaturam, Dignitatem, Personatum, Præbendam, seu aliud quodcunque Beneficium Ecclesiasticum: aut si Regularis extiterit, Administrationem quamlibet Regularem in Ciuitate illius Diœcesis in qua excessum huiusmodi committi contigerit, in perpetuum valeat obtinere. Illi autem qui prædicti facinoris terminis non contenti populum aut turbam petentes per quoslibet Concitarios, vt in prædicto facinore opem ferant, quorumue data opera, suggestione vel consilio populus turba vel cum armis vel sine armis ad hoc conuenerint, pœnis similibus sint subiecti.

Clerici præter hoc à Ciuitate vel loco in quo perpetrarunt talia, per triennium procul agant. Porro qui coactâ multitudine cum armis vel sine armis contumeliosâ acclamatione, concitatione, tumultu, in loco in quo iidem ad quos spectat electio, postulatio vel prouisio, conuenerint sex in ipsos Electores vel in aliquos si eodem tempore quo prædicta imminent facienda duxerint irruendum, eidem loco fracturam seu violentiam, vel in Personas Electorum notabilem iniuriam irrogarent: & postremo qui opere vel consilio, clam vel palam, per se vel per alium aliquid egerint, per quod conspirationis vel conuentionis initæ nequitia in aliquo sumat robur, & per hoc contingat Electionem, postulationem seu prouisionem impediri totaliter vel differri, excommunicationis sententia nouerint se astrictos, nec non & eorum familias si laici fuerint, Ecclesiastico suppositas interdicto. Quæ sententiæ relaxari nequeant, nisi authoritate sedis Apostolicæ speciali. Clerici verò qui talibus culpabiles affuerint, cum eorum offensa tantò grauior reputetur, quam in sortem Redemptoris assumpti ac gradu celsiori pollentes, libertatem ac immunitatem Ecclesiasticam seruare tenenrur præ cæteris illibatam, præter excommunicationis sententiam, eo ipso Beneficiis quæ obtinent, sint priuati ad obtinendum Dignitates, Personatus, Officia vel Beneficia quæcunque in Ecclesiis in quibus talia perpetrarunt, & in locorum ipsorum Diœcesibus nullo vnquam tempore spem aut fiduciam habituris: Si verò Regulares fuerint, ad administrationem aliquam Regularem nullatenus admittantur, cadantque nihilominus ab obtentis. Insuper & Laicorum prædictorum posteritas vsque ad quartum gradum ad Beneficia Ecclesiastica quælibet assequenda in Ecclesiis Ciuitatis & Diœcesis, in qua perpetrarunt talia, sit inhabilis & indigna.

DE OFFICIO ET POTESTATE IUDICIS Delegati.

CVm Iuris remedia per ora Pontificum summorum & Principum promulgata diuinitus ad tutelam bonorum & cohibendas malorum insolentias vtiliter introducta non deceat nec liceat per corruptelam Iudicum siue fraudem ad iniquitatis trahi dispendium, sic illos qui à nobis iudicandi recipiunt potestatem, commissum sibi volumus officium exercere, vt per viam Regiam ductrice Iustitia gradientes, ab æquitatis tramite, odio, gratia, vel fauore, seu cuiusquam alterius corruptelę vitio non recedant. Cupientes igitur vt in citationibus faciendis per Iudices siue Conseruatores authoritate quâ fungimur, deputatos nulla corruptelæ species vindicet sibi locum: sed forma per Rom. Curiam in talibus introducta ab eisdem Iudicibus vel Conseruatoribus firmiter obseruetur, Statuimus & mandamus expressius inhibentes, ne Iudices aut Conseruatores prædicti sub tali forma, quos Nobis lator præsentium nominabit, vel alia consimili citare præsumat huiusmodi aut citationis mandatum nullius exequi teneatur: sed ei pateatur impune, nec ad personas in nostris litteris non expressas prætextu testimo-

nii perhibendi, vbi vel quando status causæ vocationem testium non requirit. Sed vt ipse vel actor citatos fatiget laboribus & expensis, aut aliquid extorqueat ab eisdem litteràs ipsas aliquatenus prorogent vel extendant. Si quis verò secus præsumpserit attentare, in vtroque casu citatio talis non teneat, nec quemquam valeat coarctare; & si occasione citationis huiusmodi Iudex ille sententiam quamcunque duxerit proferendam, nullius penitus sit momenti. Iudex verò qui talia perpetrauit, officium iudicandi seu etiam procedendi authoritate nostra non solum in illa sed etiam in causis aliis de cætero non valeat exercere: quinimo excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, à qua nullatenus absoluatur, nisi læsis interesse & expensis quibuslibet ab ipso primitus restitutis.

Cæca cordis ambitio repleri gestiens, sed quantò plus recipit tantò fortius inardescit, sic quorundam interiores oculos æstuanti obtexit caligine, vt quid de iure liceat, non aduertant; quid ve de honestate deceat, non attendant: quod in illis qui iudiciali præminent dignitate eo constat periculosius tolerari, quo per authoritatis qua fungimur potentiam in concepto malignitatis proposito possint aduersus subditos liberius debacchari.

Eapropter ad inhiantem eorum auaritiam cohibendam prouidè duximus statuendum, vt nullus Iudex, Executor, siue Conseruator datus à nobis pro absolutionis vel relaxationis beneficio impendendo his quos Excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis duxerit innodandos, emendas pecuniarias seu res alias pro emendis quoquo exquisito colore præsumat petere, exigere aut oblata recipere, etiam ex post facto. Quisquis autem contra præsumpserit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, à qua non nisi per Legatum sedis Apostolicæ absoluatur, & tunc demum cùm læsis cum omni interesse restituerit integrè sic extorta; eiusdem sedis authoritate tamen in his & in aliis semper saluâ.

DE OFFICIO IVDICIS ORDINARII.

Sicut ille qui præminet iudiciaria potestate, iustis oppressorum querelis aures debet patulas inclinare, sic voces malignantium querulosas ipsum decet & conuenit obtundere. Debet igitur aduertere & penes se ponderare prudenter, quis contra quem & super quibus etiam superioris Officium interpellat, vt pensatis conditionibus & meritis personarum & incumbentis negotii qualitatem solertet intelligat, vnde veniat conquerentis spiritus aut quò vadat. Ob hanc autem causam Prælatis qui nimis facilè Clamfralium (Claustralium) vel forensium Monachorum contra ipsorum Abbates, maximè vbi de correctione agitur, querelas recipiunt, per quas plerunque eneruari contingit vigorem Ecclesiasticæ disciplinæ, frequenter etiam ministratur occasio euagandi, sub obrestatione diuini Iudicii duximus iniungendum, quod querelas huiusmodi facile de cætero non admittant, sed tunc demum quando circumstantias quæ circa hoc fuerint attendendæ, exaratis plenius & discussis, pro conquerentibus Monachis verisimiliter præsumetur, ipsos non causâ vitandi correctionem Ecclesiasticam seu Canonicam disciplinam secundum ipsorum regularia instituta, sed iustè ex causa probabili ad Prælatorum præsidium confugisse, vt Prælatorum Officium eò fructuosius quò liberius valeat exerceri, præsenti statuto laicis quibuscumque duximus inhibendum, ne Prælatos quoslibet impedire vel turbare præsumant quominus in locis Religiosis aut Regularibus vel aliis eisdem Prælatis subiectis Officii sui debitum exequantur, ipsis ad hoc per eosdem Prælatos authoritate præsentis Concilii competenti monitione præmissâ per Censuram Ecclesiasticam si res exegerit, compellendis.

Cum autem parum proficiat iura condi in Ciuitatibus, si non extiterint qui edita regere valeant & tueri. cum non solum Magistri militum consistat Officium in disciplina per ipsum Officium imponenda, sed in ea prout opportunum fuerit, obseruanda, præcipimus, vt quicunque Iudices Ecclesiasticos ad absolutionis vel relaxationis cuiuslibet, ab excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis beneficium impendendum, & vel metu compulerint per Diœcesanos locorum iuxta Lugdunensis Concilii statuta excommunicati publicè nuncientur.

DE FORO COMPETENTI.

CVm falcem propriam nulli in messem mittere liceat alienam, de Iusticiariis laicis seu aliis solam temporalem Iurisdictionem habentibus, qui in actionibus mere personalibus Ecclesiasticas coram se litigare personas compellunt contra Canonicas sanctiones, huiusmodi prouisione Concilii duximus statuendum, quod licet eædem personæ Ecclesiasticæ non solum coram eisdem Iusticiariis litigare, sed etiam ad eos venire in causis hujusmodi de iure minimè teneantur, si tamen venerint & allegato fori priuilegio coram ipsis, iidem Iusticiarii compulsioni nihilominus institerint supradictæ, eo ipso Excommunicationis quam in ipsos proferimus incurrant sententiam, quæ citra ipsos nullatenus relaxetur nisi læsis huiusmodi de damnis, expensis, interesse, aut aliis prius per ipsos Iusticiarios fuerit integrè satisfactum, eorum processibus atque sententiis habitis in huiusmodi quæstionibus & probatis nihil omnino roboris habituris. Adhæc si quis temporalem Iurisdictionem exercens, de excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis, videlicet an iustè latæ fuerint, an iniustè, aut aliis mere Ecclesiasticis seu spiritualibus causis decisionem seu cognitionem præsumpserit vsurpare, per Diœcesanos locorum authoritate præsentis Concilii desistere moneatur, & nisi competenter monitus duxerit desistendum, ad hoc per Censuram Ecclesiasticam compellatur.

De Decimis. Cum in illis in quibus periculum vertitur animarum, præscriptio quantumcunque longæua non vendicet sibi locum, sed tanto sint grauiora crimina, quanto miseram animam diutius detinent alligatam, Exceptionem præscriptionis super rerum illarum Decima, de quibus siue similibus in locis eisdem hactenus à similis conditionis personis consueuit exsolui, præcipimus non admitti statuentes quod illi qui eis ad quos spectat percepcio huiusmodi Decimarum quo minus eas percipiant, impedimentum præstare præsumpserint, si moniti competentet ab impedimentis huiusmodi non duxerint abstinendum, ex tunc authoritate præsentis Concilii per Locorum Ordinarios excommunicationis sententia percellantur.

De Testamentis. Ad præsumptionis quorundam conatus damnabiles reprimendos, qui testamenta seu alias vltimas voluntates quocunque nomine censeantur, licet sint rite facta iuxta Canonicas sanctiones, tanquam legitima non admittunt, sed pro eo reprobant & impugnant quod Scabini aut secularis Iudex præsentes non fuerint, aut authoritatem nequaquam præstiterint quando testator suum condidit testamentum aut aliam vltimam voluntatem, hoc duximus statuendum, quod ipsi cuiuscunque conditionis vel dignitatis extiterint, nisi infra octo dies postquam super hoc moniti fuerint competenter, ab impedimento huiusmodi duxerint desistendum, anathematis innodentur vinculo quo ipsos volumus adstringi ipso facto.

DE IMMVNITATE ECCLESIARVM.

SAnguisugæ sitibunda progenies ac radix omnium malorum cupiditas semper vociferans *affer*, *affer*, moliri non desinit, quemadmodum per exquisitas astutias & callidiora commenta ardori proprio licet inextinguibili lucri temporalis quanquam illiciti pocula subministret. Ex hac autem semper sitienti radice processisse cognouimus, quod cum sedes Apostolica excommunicationis sententiam in omnes noua constituentes pedagia olim duxerit promulgandam, ipsam annis singulis in certis festiuitatibus solenniter innouando, nonnulli Mammonæ filii propriæ cupiditatis vitium tolerare nitentes, non noua vt asserunt constituentes pedagia antiqua ad Clericos & ipsorum res quas non ratione mercaturæ per terram vel aquam deferri faciunt, prorogant & extendunt in elisionem memoratæ sententiæ & præiudicium libertatis Ecclesiasticæ manifestum. Nos itaque ipsorũ fraudibus obuiare volentes & tam præsũptæ calliditatis astutia pœnâ debitâ casti-

gate statuimus, vt nisi infra duos menses à tẽpore solennis publicationis Constitutionis huiusmodi factæ in Ciuitatibus & Diœcesibus, in quibus cõsistũt ipsa pedagia numerando ab his in torũ destiterint, excõmunicationis sententiæ quã ex nunc in ipsos proferimus, ex tunc subiaceant ipso factọ. Cum in iure Canonico caueatur, quod qui de cætero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesiæ statuta, Statutarii & scriptores statutorũ ipsorũ, necnon Potestates, Consules, Rectores & Consiliarii Locorum, vbi huiusmodi statuta & consuetudines de cætero edita fuerint vel seruata, necnon & illi qui secundum ea iudicare præsumpserint vel in formam publicam scribere iudicata, excommunicationis sententiæ subiacere, nonnulli propriæ salutis obliti & suæ verecundiæ non parcentes iuris scientiam verborum amplexu non sine fraude circunuenire nituntur, non statuta vt asserunt, banna tamen faciunt proclamari. Præcepta ac prohibitiones indicunt, quæ non est dubium in libertatis Ecclesiasticæ præiudicium redundare.

Nos itaque fraudibus malignorum quas circa hoc adhibitas fuisse cognouimus, obuiare volentes, statuimus, vt qui contra ipsius Ecclesiæ libertatem, banna, prohibitiones, siue præcepta scienter fecerint aut fieri procurauerint, seu facientibus consilium vel opem duxerint adhibendam, ipsi postquam per locorum Ordinarios super hoc fuerint requisiti, absque cuiuslibet difficultatis obstaculo indilatè reuocent seu faciant reuocari, ad consimilia nunquam de cętero processuri, alioquin censurâ simili sint adstricti.

Qui verò contra Ecclesiasticas consuetudines, antiquas, rationabiles approbatas & hactenus pacificè obseruatas, statuta, banna, prohibitiones aut præcepta scienter fecerint aut fieri procurauerint, siue iam facta seruauerint aut seruari fecerint, seu facientibus vel seruantibus in hoc consilium vel opem præstiterint, per Diœcesanos locorum pręsentis authoritate Concilii moneantur, ne infra mensem tempore monitionis huiusmodi numerandum statuta deleant, banna, prohibitiones & præcepta reuocent ad consimilia nunquam processuri, alioquin excommunicationis sententia quam ex nunc in ipsos proferimus, sint ligati. Quorundam insolentias peruersorum qui Dominum Iesum Christum verbis tantummodo profitentes nec Deum timere nec homines reuereri pro suorum æternitate factorum manifestè conuincuntur, in tantam accepimus temeritatis insaniam prorupisse, quod confugientes ad Ecclesiarum tutelam contra Iuris vtriusque statuta & Ecclesiasticam libertatem ibidem vulnerant, mutilant, interficiunt vel intendunt, aut indè extrahunt violenter, extractos vulnerare, seu mutilare præsumunt, nonnunquam vltimum ipsis supplicium inferentes, aut ista fieri præcipiunt aut procurant, seu consilium vel opem adhibent in tantis sceleribus perpetrandis. Nos itaque quos zelus comedit domus Dei sacrilegorum excessus detestabiles & horrendos quos non solum euidentia rei docet inhumaniter excreuisse, sed inoleuisse iam præsumptione damnabili recensita præteritorum memoria comprobat & declarat castigatione Canonica cohibere volentes, pręsentis approbatione Concilii duximus statuendum quod taliter delinquentes excommunicationis sententiæ quam in ipsos proferimus subiaceant ipso facto. Quam quidem sententiam Locorum Ordinarii ipsius authoritate Concilii solenniter in subiectis sibi Ecclesiis denunciari faciant, & vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Eisdem nihilominus mutilatoribus & interfectoribus, necnon & his qui huiusmodi mutilationes & homicidia fieri præcipiunt vel procurant, aut facientibus consilium vel opem impendunt, feoda & beneficia si quæ ab Ecclesiis taliter violatis obtinent, eo ipso protinus amissuris, quæ ad Ecclesiam à qua illa obtinere noscantur, liberè reuertantur, filii etiam eorundem non solum nihil obtineant de prædictis, sed ad beneficia Ecclesiastica assequenda de cętero eo ipso reddantur inhabiles & indigni, cum nonnulli temporale Dominium obtinentes seu secularis potestatis iudiciariæ gerentes Officium, Iurisdictionem S. Matris Ecclesię subuertere vel minuere exquisitis astutiis moliantur, Nos eorum malitias vltione canonica supprimentes, statuimus inhibentes ne quis in foro Ecclesiastico litigantes seu litigare volentes super causis mere Ecclesiasticis, siue quæ ad forum Ecclesiæ de antiqua & approbata consuetudine & hactenus pacificè obseruata pertinere noscuntur, ad desistendum compellat, per ipsorum vel Parentum

aut consanguineorum, siue rerum eorum vel personarum huiusmodi captionem modis vel aliis quibuscunque. Si quis verò contra præsumpserit, excommunicationis sententiæ præsentis authoritate Concilii se noverit subiacere.

De Iudæis De Iudæis quorum perfidia plerunque simplices Christianos fraudulenter decipit & maliciosè secum pertrahit in errorem, sacro approbante Concilio duximus ordinandum, vt non nisi in Ciuitatibus, castris, & aliis locis insignibus habitare præsumant, temporalibus locorum Dominis ac vices gerentibus seu locatenentibus eorundem districtius inhibentes, ne Iudæos ipsos permittant alibi quàm in locis expressis superius habitare, ipsis ad hoc si res exegerit, à Diœcesanis locorum eiusdem authoritate Concilii per censuram Ecclesiasticam compellendis.

DE PRIVILEGIIS ET DE EXCESSIBVS *Priuilegiatorum.*

Licet Regularis obseruantiæ Professores & alios quos sedes Apostolica exemptionis seu libertatis maioris decorauit titulis, insigniuit Priuilegiis, attollere condignis fauoribus intendimus ipsorumque priuilegia quantum ad nos attinet, obseruare penitus illibata, sic tamen eos manere viribus contentos affectamus, quod Priuilegiorum limites in aliorum iniuriam non excedant. Proinde sacro approbante Concilio duximus statuendum districtius inhibentes, ne deinceps Religiosi quicunque vel etiam Seculares exemptionis seu libertatis sedis Apostolicæ priuilegiis communiti excommunicatos publicè vel nominatim interdictos seu vsurarios manifestos ad Diuina seu ad Ecclesiastica sacramenta vel ad Ecclesiasticam sepulturam scienter admittant. Qui verò contra præsumpserint, præter pœnas à iure statutas, ingressum Ecclesiæ eo ipso sibi nouerint interdictum, donec pro latoribus sententiarum huius quorum authoritatem contempserint, & aliis quorum interesse contigerit, de prædictis excessibus & omni interesse & damnis satisfecerint competenter.

De Pœnis Cum iuris vtilitas tot & tantis excogitata vigiliis sufficienter nequeat prosperari, si processus Ministrorum Iustitiæ contingat iniquorum machinationibus impediri: vt illorum audaciam quos amor Diuinus à malo non reuocat, saltem rigor Ecclesiasticæ cohibeat disciplinæ, sacri prouisione Concilii duximus statuendum, quod si quiscuiuscunque dignitatis aut conditionis existat, Nuncios aut Executores Ecclesiasticorum Iudicū aut alios litteras eorundem vel acta Iudiciaria deferentes hac occasione verberare, detinere, capere, occultare, carceri mancipare, mutilare aut quod grauius est censendum, interficere, litteras vel acta prædicta personis memoratis, seu ea rumpere, cancellare aut alias destruere quoquomodo, vel si ablata celare præsūpserit, aut vt ista fiant, procurauerit, vel facientibus consilium vel opem duxerit adhibendam, excommunicationis sententiæ quam ex nunc proferimus, subiaceat ipso facto, à qua nisi prius tam Iudici cuius authoritatem contempsit quàm passo iniuriam & cæteris quorum interest, prout excessus postulabit atrocitas, satisfaciat, nullatenus absoluatur. Ad quorum memoriam in perpetuum obseruandam, ad præmissorum testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum in eodem Concilio idib. Sept. anno Domini 1277. Romana Curia vacante.

PRIVILEGIVM LEGATIONIS D. *Cardinalis.*

Simon miseratione Diuina tituli S. Ceciliæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus ad futuram rei memoriam, Nuper in generali nostræ legationis Concilio per nos Bituris congregato nonnulla pro defensione Ecclesiasticæ libertatis & tranquillo statu Ecclesiarū à sede Apostolicā nostro regimini commissarum, deliberatione prouida, de ipsius approbatione Concilii ordinanda duximus ac etiam statuenda: quæ quidem iuxta approbationem huiusmodi perpetuam obti-

here decernimus firmitatem. Ne igitur per aliquorum malitiam Priuilegiorum seu indulgentiarum Collegiis, Locis, Ordinibus, Communitatibus, seu personis quibuslibet sub quacunque forma vel conceptione verborum à sede Apostolica indultorum vel concessorum prætexta aduersus obseruationem ordinationum & statutorum huiusmodi quisquam immunitatem quouis exquisito colore sibi vendicare præsumat, aut ab ea se quomodolibet excusare, litterarum Apostolicarum tenorem per quas nobis expresse conceditur, quod præmissis seu aliis nequaquam obstantibus censuram Ecclesiasticam, officium nostrum & omnia ad ipsum spectantia, quæque nobis ipsius officii ratione competunt, exercere liberè valeamus, quas quidem in dicto Bituricensi Concilio solenniter fecimus publicari, litteris ipsis ordinationibus & statutis annexis iussimus annotari. Tenor autem litterarum ipsarum talis est.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ Presbytero Cardinali Apost. sedis Legato salutem & Apostolicam benedictionem. Cum tibi plenæ legationis Officium in Regno Franciæ, Ciuitate ac Diœcesi Lugdunensi nec non & in partibus transmarinis duximus committendum, ne circa executionem illius vel eorum quæ ad ipsum spectant Officium, vel tibi ratione ipsius competentem contingat aliquatenus impediri, discretioni tuæ non obstante aliqua indulgentia quibuscunque Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, cæterisque Prælatis Ecclesiarum, siue aliis personis Ecclesiasticis vel secularibus cuiuscunque sint præeminentiæ, conditionis aut status, seu Collegiis, seu Dignitatibus aut Ordinibus à sede Apostolica sub quacunque verborum forma vel expressione concessa, etiamsi contineatur in ea quod aliquæ litteræ quantumcunque qualibet obstantia seu obstare expressius possibilia remouentes, ipsi aliquatenus nò ubsistant, siue quod de ipsa indulgentia, dignitatibus, Ordinibus, seu nominibus propriis ipsorum Ordinum, Dignitatum seu personarum plenam & expressa seu de toto tenore ipsius indulgentiæ seriatim & de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem, siue quod personæ huiusmodi excommunicari, suspendi vel interdici non possint, per litteras Apostolicas vel Legatorum sedis Apostolicæ, in quibus de ipsis Dignitatibus, Ordinibus, nominibus seu indulgentia, vel eius tota serie plena & expressa, siue de verbo ad verbum in eisdem Apostolicis vel Legatorum ipsorum litteris mentio non habetur, & qualibet alia indulgentia cuiuscunque tenoris, formæ vel expressionis existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non incertam huius nostræ concessionis effectus impediri possit vel quomodolibet retardari, dictum officium & omnia ad ipsum pertinentia tibi ratione ipsius competentia, liberè sine cuiusuis contradictionis vel alterius impedimenti obice valeas exercere, plenam & liberam tibi authoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Viennæ 7. Kal. Octob. Pontif. nostri an. 4.

Gregorius Ep. S. S. D. Delicto filio S. tituli S. Ceciliæ Presbytero Gardinali Apostolicæ sedis Legato sal. & Ap. benedict. Vt eo efficacius commissum tibi Legationis Officium promouere valeas, quo maiori per nos fueris authoritate munitus, discretioni tuæ exercendi liberè Censuram Ecclesiasticam in omnes tam Cathedralium quàm aliarum Ecclesiarum Prælatos, Exemptos & non Exemptos, in vniuersa quoque Capitula & Conuentus, Duces Marchiones, Comites, nec non Barones & quoslibet alios Nobiles, in Rectores etiam, Balliuos, Potestates, Consiliarios, Vniuersitates, Populos & quascunque personas Ecclesiasticas, Regulares, Seculares, etiam si Militiæ Templi & Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani vel S. Mariæ Teutonicorum, seu Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, nec non Minorum aut Prædicatorum Ordinum fuerint, & in quaslibet alias publicas vel priuatas tuæ Legationis cum videris expedire; nonobstantibus si aliquibus à sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, aut aliquibus priuilegiis, indulgentiis vel litteris quibuscunque, Dignitatibus, Ordinibus vel Personis, generaliter vel specialiter sub quacunque forma vel conceptione verborum ab eadem sede concessis: de quibus quorum vel totis tenoribus de verbo ad verbum seu eorum ordinibus, locis aut propriis personarum nominibus certa, specialis, plena, determinata & expressa mentio sit habenda. Et per quæ etiam si contineantur in illis quod per quas suis Apostolicas litteras quælibet obstantia remouentes eis in alia

quo nequeat derogari, nullum in præmissis obstaculum volumus interponi, nec cuiquam contra ea præsidium quodlibet adhiberi, plenam & liberam concedimus authoritate præsentium potestatem. Datum Lugduni 14. Cal. Sept. Pontif. nostri an. 2. In cuius rei testimonium & munimen perpetuum, Sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. *Actum in eodem Concilio idib. Sept. an. Domini 1276. Romana Curia vacante.* Secundum hasce litteras Apostolicas Simon Cardinalis Vniuersitatem Parisiensem reformauit, statutis muniuit, discordias & iurgia composuit, quandiu legatione quæ diuturna fuit, in Gallia functus est.

Interim cum à morte Adriani V. vacauisset sedes 25. aut 28. diebus, circa idus Septembris ad eam promotus est Petrus Hispanus seu Portugallus, Cardinalis & Episcopus Tusculanus, natione Lusitanus, patria Vlyssiponensis, professione olim Medicus & Ioannis XXI. nomen assumpsit. Vir quidem litteratus, sed in rebus agendis parum prudens: *ignoratione enim rerum gerendarum & morum inæqualitate*, inquit Platina, plus detrimenti quàm honoris & emolumenti Pontificatui attulit: at in hoc commendatione dignus, quod *Adolescentes litterarum studiosos, sed pauperes beneficiis Ecclesiasticis & Pecunia iuuabat.* De eo sic Ioannes Victorinus. *Defuncto Adriano successit Petrus Hispanus in omnibus fere scientiis famosissimus, qui vocatus est Ioannes 21. seditque solum mensibus 8. & die vno. Hic litteraturam suam & scientiæ famam Pontificalemque dignitatem mox quadam stolliditate deformabat, adeo vt pro parte carere videretur industria naturali. In hoc tamen laudabilis erat; quod se communem tam Pauperibus quam diuitibus exhibebat, Clericosque egentes & litterarum studium amplectentes fouebat & in Ecclesiasticis Beneficiis promouebat.* Hic con- » stitutionem Gregorii X. de Electione Papæ non in scriptis suspensam, de Con- » silio Cardinalium in scriptis suspendit, & suspensionem sui prædecessoris ratifica- » uit. Sub eo ait Genebrardus damnatos fuisse errores M. Ioannis de Poliaco Doctoris Parisiensis, vt habetur in Extrauagante Communi, *Vas electionis.* Item sub eo damnatos eos, qui asserebant Christum & eius Discipulos nihil possedisse, nihil habuisse, ac in iis quæ habebant, nullum ius obtinuisse: quam Quæstionem mouerunt Franciscani Quidam Paupertatis amatores. Tandem Pontificem illum Cameræ Palatinæ ruinâ periisse octauo mense sui Pontificatus. Verum malè Genebrardus Ioannis de Poliaco damnatos errores sub hoc Pontifice scribit, cum in eius vita nihil tale legatur. Ea de re dicemus ad an. 1321.

Hisce temporibus, quia in Academia Parisiensi nonnulli Magistri in locis priuatis Theologiam docentes varios scriptis suis errores inserebant in occulto, statutum ab Vniuersitate conditum est, cautumque ne quis deinceps Theologicas Philosophicasque Disciplinas aliasque etiam præter Grammaticam in locis priuatis doceret, sed in publicis duntaxat, quo possent omnes libere accedere. Legitur hoc statutum in libro Rectoris, item & in libris Procuratorum sub hoc titulo. *Ordinatio Vniuersitatis, qui libri debent legi in locis priuatis.*

STATVTVM VNIVERSITATIS CONTRA DOCENTES THEOLOG. IN LOCIS PRIVATIS.

» Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisius. Ad perpetuam Rei memoriam.
» Verus Sammaritanus noster in Mundum veniens naturam humanam misera-
» biliter sauciatã sanitati restituit, vinum & oleum sauciati vulneribus infundendo.
» Quia verò patitur recidiuum, adhiberi debuit Medicina, quæ foret vtilis ad salu-
» tem iuxta qualitatem morbi, nunc fomenta nũc acriora remedia salubriter appo-
» nendo, propter quod sacro sancta Eccl. diuersos Canones edidit secundũ culparũ
» exigentiam [illegible] futuris periculis cautelam adhibens, nos suo
» Magisterio edocet, quod [illegible] facere debeamus. Hinc est quod Nos
» attendentes occulta Conuenticula [illegible] dotendum sacris Canonibus interdicta &
» inimica sapientiæ cuius Professores existimus, quæ mentes hominum illuminans
» tenebras detestatur, communi vtilitate pensatã præsumptioni quorundam mali-
» gnantium obuiare volentes, de communi consensu statuimus, ac etiam ordi-
» namus, quod nullus Magister vel Bachelarius cuiuscunque Facultatis fuerit, le-
» gere de cætero attentet in Locis priuatis libros aliquos propter multa pericula quæ
» inde emergere possent. Sed in locis communibus, vbi omnes possunt confluere,
» qui ea quæ ibi docentur, valeant reportare fideliter, exceptis duntaxat libris Grammaticalibus & Logicalibus, in quibus nulla præsumptio potest esse. Hoc autem statuimus & ordinamus inuiolabiliter secundum tenorem Priuilegiorum á sede Apostolica indultorum Magistris & Scholaribus obseruanda. Si quis autem con-

tta hoc ſtatutum ſeu ordinationem venire præſumpſerit, Priuationem Societatis Magiſtrorum & Scholarium ſe nouerit incurſurum. Actum & Ordinatum apud S. Bernardum in Cardineto in Congregatione Generali anno Domini 1276. *die Mercurii ante Natiuitatem B. Mariæ retentâ Nobis addendi, ſubtrahendi, immutandi & reuocandi, cum nobis videbitur, Poteſtate.* Non laruit ea res ſummum Pontificem Ioannem, qui vt erat vir litteratus, cum audiuiſſet multos errores priuatim doceri, & ab Academia Pariſienſi plurimos emerſiſſe, de qua præteritis temporibus limpidiſſimi ſcientiarum riui profluere, & promanare ſolebant, hoc anno dedit ad Stephanum Epiſcopum Pariſienſem litteras mandauitque vti in eos inquireret, atque ad ſedem Apoſtolicam perſcriberet. Sic ergo ille.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo Pariſienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Relatio nimis implacida noſtrum nuper turbauit auditum & amaricauit animum, quod Pariſius, vbi fons viuus ſapientiæ ſalutaris abundanter huc vſque ſcaturiit, ſuos riuos limpidiſſimos, fidem patefacientes Catholicam vſque ad terminos orbis terræ diffundens, quidam errores in præiudicium eiuſdem fidei de nouo pullulaſſe dicuntur. Volumus itaque tibique authoritate præſentium diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus diligenter facias inſpici vel inquiri à quibus perſonis & in quibus locis errores huiuſmodi dicti ſunt ſiue ſcripti: & quæ didiceris, ſiue inueneris conſcripta fideliter Nobis per tuum Nuncium tranſmittere quàm citius non omittas. Datum Viterbii 5. Kal. Feb. Pontif. noſtri an. 1.

Contra turbatores feſtorum Nationalium.

Sub hoc Pontifice Simon Cardinalis paulo ante ſententiam excommunicationis tulerat in Turbatores ſolennium feſtorum quæ à ſingulis Nationibus celebrabantur: inoleuerat enim mos prauus apud Scholares illis diebus choræas ducendi, comeſſationes & ludos agendi, multaque inhoneſta & indecora perpetrandi connitentibus incaſſum Magiſtris petulantiam eiuſmodi coercere. Eam tandem refrenauit Simon his litteris quæ ſeruantur in Tabulario publico Vniuerſitatis & notantur hiſce characteribus A. 16. A. quarum in dorſo leguntur hæc verba. *Excommunicatio Simonis Legati lata in illos qui in feſto alicuius Nationis ducunt publicè choræas in vico, portant arma, faciunt Comeſſationes, ludos taxillos, aut alias ſimiles inhoneſtates in Eccleſia, aut qui talia fieri procurant & qui talia perpetrantibus præbent auxilium, conſilium & fauorem.* Tales autem ſunt.

Simon miſeratione Diuina tituli S. Ceciliæ Preſbyter Cardinalis Apoſtol. ſedis Legatus ad futuram rei memoriam. Omnipotens Dominus in Sanctis ſuis mirabilis ipſos Sanctos & Electos ſuos hic certantes in carne ac propter ipſum afflictos, irremuneratos nequaquam præteriens in terris decorauit miraculis, & in cœleſti patria vitæ perennis gloria ſublimauit: quos & in terris ab inuocantibus nomen eius condignâ voluit honorificentiâ revereri. Horum autem memoriam Chriſtiana Religio in Valle miſeriæ præſentis ſeculi conſtituta feſtiuis ſolenniis congruis ad hoc temporibus repræſentat; quâ laus Sanctorum exaltetur in populis ac debitis attollatur honoribus, & charitas repræſentantium ipſorum patrocinio in amorem Chriſti feruentius accendatur. *Sanè ex piâ Deuotioni Scholarium qui olim Pariſius ſtuduerunt, credimus proceſſiſſe & annis plurimis ab eorum ſequacibus obſeruatum, quod vnuſquæque Natio Scholarium eorumdem aliqua Sanctorum feſta cum veneratione ſolenni ſpecialiter celebrabat Diuinis exequendis Officiis inſiſtentes, orationibus, eleemoſynis aliiſque pietatis operibus cum [illegible] abundantius inſiſtendo.* Nunc verò ſicut multiplicatis clamoribus audiuimus ammirantes & dolentes referimus, bene ſonantis citharæ dulcis ſonus in vocem lamentationis lugubrem miſerabiliter eſt conuerſus, & odor deuotionis [illegible] conſuetus fœtorem diffundit laſciuiæ & in virorum cordibus honeſtorum amaritudinis materiam ſubminiſtrat. Fertur enim quod modernis temporibus cùm occurrunt feſtiuitates huiuſmodi celebrandæ, prædicti Scholares deuotione cultus diuini poſtpoſitâ ſpretiſque charitatis operibus conſuetis, comeſſationibus, potationibus aliiſq; reprobãdis actibus intendentes choræaſq; & alia nefanda exercere ludibria nihilominus præſumẽtes, honeſtatem militiæ Clericalis à ſe prorſus abiiciũt, arma ſumũt & armati incedunt nocturno tempore cateruatim perturbantes tumultuoſis ac inhoneſtis vocibus Ciuitatem, aliaque varia committentes, per quæ non ſolum incurrunt rerum diſpendia, ſed etiam non ſine graui Laicorum ſcandalo ſubſequuntur frequentius pericula perſonarum. Et quod grauius eſt ferendum, in contemptum illius qui

" vendentes & ementes deiecit de templo, ad abominabilia manus suas de-
" testabiliter extendentes, quod est dictu horribile, factoque nefandius, in ipsis
" Ecclesiis dum diuina celebrare deberent Officia, etiam super sacris altaribus, vbi
" corpus & sanguis Redemptoris nostri per sacerdotum ministerium consecratur,
" non sine nota hæreticæ prauitatis ad taxillos ludere non verentur, nomen Creato-
" ris ipsius & Virginis gloriosæ & aliorum Sanctorum Domini, prout in ludis huius-
" modi, qui non ludi sed crimina sunt censendi, ab ipsis lusoribus vsitatum est fie-
" ri, blasphemantes, & sic quod ad salutis commodum Antiquorum introduxit
" deuotio, ad lugendum pertrahitur exitium animarum. *Nos itaque qui statum Pari-*
" *siensis studii fore prosperum & honestum ab annis teneris affectamus*, tam perniciosum
" abusum à non paucis annis inolitum in vituperium Ordinis Clericalis ex quo præ-
" dicti studii deformatur honestas, profectus Scholarium spiritualiter & tempo-
" raliter impeditur, diuina maiestas offenditur & scandalum populo genera-
" tur, cupientes ab ipso studio penitus aboleri, verentes etiam ne talis lapsus Scho-
" larium prædictorum, si illum sub dissimulatione transeundum duxerimus, nobis
" ad culpam à districto Indice debeat computari, insolentias, enormitates, ludi-
" bria & excessus prædictos qua fungimur authoritate de cætero fieri prohibentes,
" eos qui contra nostram prohibitionem huiusmodi venire præsumpserint, siue
" talia fieri procurauerint, vel vt fiant, opem & operam, consilium vel fauorem
" præbuerint, aut consensum, excommunicationis sententiæ quam in ipsos profe-
" rimus, ipso facto volumus subiacere. Incuius rei testimonium sigillum nostrum
" præsentibus litteris duximus apponendum. Datum Parisius 8 id. Decemb. Pon-
" tificatus D. Ioannis Papæ an. 1.

Ex hisce litteris facile est confirmare id quod ad annum 1165. & alibi scripsi-
mus de antiquitate Festorum Nationalium: ab omni enim æuo videntur Natio-
nes celebrasse festa quædam communia, putà D. Virginis & DD. Nicolai & Ca-
tharinæ; & processu temporis priuata quoque singulæ & propria assumpserunt,
Gallicana Guillelmalia, Picardica Firminalia, Normanica Romanalia, Anglica-
na denique Carlomagnalia: de quibus alibi recurret dicendi locus.

1277. Anno 1277. Vniuersitas congregata statutum solenne fecit de Domibus &
Scholis liberis & conductitiis in hunc modum. *Vniuersis præsentem paginam*
audituris, visuris, vel intellecturis, Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Pa-
„ risius studentium, in eo qui est salus animarum salutem. Nouerint pro pace &
„ tranquillitate studii Parisiensis in Ordinationem quæ sequuntur, Nos Magistros
„ & Scholares prædictos formâ infra scriptâ vnanimiter incessisse, & ea quæ se-
„ quuntur, vtiliter ordinasse.

„ Anno Domini 1277. die Lunæ post Natiuitatem Beati Ioannis Baptistæ ad
„ honorem & vtilitatem totius Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium Parisius
„ studentium ad perpetuam rei memoriam, & ad fraudes quæ fieri consueuerunt,
„ penitus excludendas, in Christi nomine ordinatum est per totam Vniuersitatem
„ quatuor Facultatibus hoc volentibus, & statuentibus ordinari atque scriptis specia-
„ liter redigi postulantibus. Quod nullus studens Parisius, qui membrum se Vniuer-
„ sitatis reputare velit, & Vniuersitatis priuilegiis gaudere intendat, litteras dare
„ præsumat de tenendis domo vel Scholis liberis quocunque termino anni seu
„ iuramentum super hoc interponere audeat si est iuratus in aliqua Facultate, sub
„ iuramento quo tenetur Facultati, ex nunc hoc sibi nouerit prohibitum, siue est
„ iuratus, sub pœnâ quam Vniuersitas potest iniungere, hoc similiter noueritis in-
„ troductum. Iuratus contra faciens pro periuro habeatur, & nihilominus Magi-
„ strorum & Scholarium per annum societate totaliter priuetur. Non iuratus verò
„ tandiu si contra fecerit, societate Magistrorum & Scholarium priuetur, donec
„ gratiam Vniuersitatis per beneficium reconciliationis emendâ nihilominus Vni-
„ uersitati præstitâ competenti duxerit promerendam. Exactor autem dictæ promis-
„ sionis seu iuramenti si pertinax fuerit, in exigendo hanc pœnam sustineat quod
„ hospitium super quo exactionem faciebat à Scholaribus vel Magistris proximo
„ anno post exactionem nullatenus habitetur, sed quod interdictum quo ad illum
„ annum penitus euitetur. Anno & die prædictis ab eadem Vniuersitate est Ordi-
„ natum ne super domibus & scholis ad firmam seu censum recipiendis aliquis au-
„ diatur nisi iurauerit quod in perpetuum aut ad vitâ suam aut etiâ ad decenniû ad

minus

minus huiusmodi scholas vel domum recepit & sine fraude : & si contingeret ipsum vel non legere quo ad Scholas, vel non habitare quoad modũ alteri in cuius præiudicium præsumeretur recepisse ius suum dimitteret, nisi prædictas scholas aut domum sine fraude non animo præiudicandi alteri in cuius precario duceret concedendas. Et hæc sunt ordinata vt Priuilegia Vniuersitatis super domibus & Scholis taxandis impetrata plenius custodiantur , & fraudes penitus excludantur. In prædictorum firmitatem sigillum Vniuersitatis Parisiensis præsentibus duximus apponendum præcipientes , vt in Ecclesiis, sermonibus & Scholis prædicta statuta bis vel ter in anno publicè in posterum diuulgentur, ne quis circa hoc ignorantiam valeat prætendere in futurum. Datum anno & die prædictis. Rasuram his verbis, *non lustus verò*, approbamus. Datum vt supra.

Eodem ergo anno Stephanus Episcopus Parisiensis, cognomento Tempier aduocato Vniuersitatis Consilio damnauit iterum quosdam errores qui à nonnullis Magistris docebantur tam in publicis vt ab Ægidio Romano Augustinensi, qui eos postea reuocauit, quàm in priuatis Scholis. Tale autem est eius Rescriptum prout legitur in Bibliotheca Patrum. PROPOSITIONES HAERETICAE DAMNATAE.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis Stephanus permissione Diuina Parisiensis Ecclesiæ Minister indignus Salutem in Filio Virginis gloriosæ. Magnarum & grauium Personarum crebra zeloque fidei accensa insinuauit relatio, quod nonnulli Parisius studentes in Artibus propriæ Facultatis limites transcendentes quosdam manifestos & execrabiles errores, imò potius vanitates & insanias in Rotulo seu scedulis bis annexo seu annexis contentos quasi dubitabiles in scholis tractare & disputare præsumunt, non attendentes illud Gregorii, Qui sapienter loqui nititur magnopere metuat, ne eius eloquio audientium vanitas confundatur. Præsertim cum errores prædictos Gentilium scripturis inueniunt, quos, proh pudor ! ad suam imperitiam asserunt, sic eogentes vt eis nesciant respondere. Non autem quod sic asserere innuunt, videantur Responsiones esse, & ita palliant, quod dum cupiunt vitare Scyllam, incidunt in Charybdim. Dicunt enim ea esse nota & vera secundum Philosophum, sed non secundum fidem Catholicam, quasi sint duæ veritates contrariæ, & quasi contra veritatem Sacræ Scripturæ sit veritas in dictis Gentilium damnatorum, de quibus scriptum est, *perdam sapienoiam sapientum*, quia vera sapientia perdet falsam sapientiam. Vtinam tales attenderent dictum Sapientis seu consilium dicentis : *Si tibi est intellectus , responde proximo tuo* : sin autem , sit manus tua super os tuum ne capiaris in verbo indisciplinato & confundaris. Ne igitur in tantum locutio trahat simplices in errorem, *Nos tam Doctorum sacræ Theologiæ quàm aliorum communicato Consilio districtè talia fieri & consilia prohibemus , & ea totaliter condemnamus excommunicantes omnes illos qui dictos errores dogmatizauerint, vel aliquem de iisdem dogmatizare aut defendere vel sustinere præsumpserint quoquomodo, & audientes eorum, nisi infra 7. dies nobis vel Cancellario Parisiensi duxerint reuelandum.* Nihilominus processuri ad pœnas contra eos pro qualitate culpæ prout ius dictauerit, infligendas. Librum etiam *de amore , siue de Deo amoris* qui sic incipit. *Cogit me multum &c.* & sic terminatur , *Caue igitur Galtere amoris exercere mandata &c.* Item etiam librum Geomantiæ, qui sic incipit, *Æstimauerunt in &c.* & sic terminatur , *Rationare igitur super eum, & sic inuenies &c.* Item libros & rotulos & quaternos Nigromanticos aut continentes experimenta sortilegiorum , Inuocationes Dæmonum seu Coniurationes in periculum animarum: seu in quibus de talibus & similibus fidei Orthodoxæ & bonis moribus aut operibus euidenter aduersantibus tractant, per eandem sententiam nostram condemnamus. Et omnes qui dictos Rotulos , libros, quaternos dogmatizauerint, nisi infra 7. dies nobis vel Cancellario Paris. reuelauerint eo modo quo superius est expressum. In his scriptis sententiam ferentes ad alias pœnas prout grauitas culpæ exiget, nihilominus processuri. Datum an. D. 1277. die Dominica qua cantatur *Lætare Ierusalem* in Curia Parisiensi.

Sequuntur Propositiones ab eodem Episcopo de Consilio Magistrorum Theologiæ condemnati, & primum illæ quæ pertinent ad Deum.

ERRORES CONDEMNATI DE DEO.

1. QVod Deus non est Trinus & vnus: quoniam Trinitas non stat cum summa simplicitate. Vbi enim est pluralitas realis, ibi necessariò additio & compositio. Exemplum de aceruo lapidum.

2. Quod Deus non potest generare sibi similem: quod enim generatur ab aliquo habet principium aliquod à quo dependet, & quod in Deo generare non est signum perfectionis.

3. Item quod Deus non cognoscit alia à se.

4. Item quod Deus non potest dare perpetuitatem rei transmutabili & corruptibili, vt est corpus humanum.

5. Item quod Deus siue prima Causa non posset producere effectum sibi æqualem, nisi temperaret suam potentiam.

6. Item quod Deus non posset facere plures animas in numero.

7. Item quod Deus nunquam plures creauit Intelligentias, quàm modò creat.

8. Item quod Deus est infinitæ virtutis in duratione, non in actione. Talis enim infirmitas non est nisi in corpore infinito, si esset. Et quod prima Causa non posset plures mundos facere.

9. Item quod sine agente proprio vt patre & homine, & à Deo non posset fieri homo.

10. Item quod Deum in hac vita mortali possumus intelligere per essentiam.

11. Item quod Deus non potuit fecisse primam materiam nisi mediante corpore cœlesti.

12. Item quod à Voluntate antiquâ non potest nouum procedere absque transmutatione præcedente.

13. Item quod prima Causa non habet cognitionem aut scientiam futurorum contingentium.

1. Quia futura sunt contingentia, non entia. 2. Quia futura contingentia sunt particularia, Deus autem cognoscit virtute intellectiuâ quæ non potest cognoscere particulare. Vnde si non esset sensus, forte intellectus non distingueret inter Socratem & Platonem, licet distingueret inter hominem & asinum. 3. Propter ordinem causæ ad causatum: præscientia enim Diuina est necessaria causa præscitorum. 4. Ratio est Ordo scientiæ ad scitum. Quamuis enim scientia non sit causa fati (fortè facti) ex quo tamen scitur, determinatur ad alteram partem contradictionis. Et hoc multo magis in scientia Diuina quàm in scientiâ nostrâ.

14. Quod primum Principium non potest esse sine diuersorum factorum respectu hic inferius, nisi mediantibus aliis causis: eo quod nullum transmutans diuersimodè transmutat nisi transmutatum.

15. Item quod ab vno primo agente non potest esse multitudo effectuum.

16. Item quod primum Principium non est propria causa æternorum nisi metaphoricè, idest quia conferunt ea, quia nisi esset, ea non essent.

17. Item quod sicut ex materia non potest aliquid fieri sine agente, ita nec ex agente potest aliquid fieri sine materia. Et quod Deus non est causa efficiens nisi respectu eius quod habet esse in potentia materiæ.

18. Item quod Entia declinant ab ordine causæ primæ in se consideratæ: licet non in ordine ad reliquas causas agentes in vniuersos. Hoc est error. Essentialior est ordo entium ad causam primam quàm ad causas inferiores.

19. Item quod Deus non potest esse causa noui facti, nec potest aliquid de nouo producere.

20. Item quod Deus non posset mouere cœlum motu recto. Et est ratio, quia tunc relinqueret vacuum.

21. Item quod Deus non potest irregulariter, idest alio modo quàm mouet, mouere aliquid, quia in eo non est diuersitas voluntatum.

22. Item quod Deus est æternus in agendo & mouendo sicut in essendo: alio-

quin ab alio determinaretur, quod esset prius illo. Item illud, quod de se determinatur vt Deus, aut semper agit, aut nunquam. Et quod multa sunt æterna.

23. Item quod Deum necesse est facere quidquid immediatè fit ab ipso. *Error.* siue de necessitate coactionis quod tollit libertatem arbitrij, siue de necessitate immutabilitatis, quia ponit impossibilitatem aliter faciendi.

24. Item quod primum Principium non potest immediatè producere generabilia, quia sunt effectus noui. Effectus autem nouus exigit causam immediatam quæ potest aliter se habere.

25. Item quod primum Principium non potest aliud à se producere, quia omnis differentia quæ est inter agens & factum, est per naturam.

26. Item quod Deus non potest immediatè cognoscere contingentia, nisi per aliam causam particularem & proximam.

27. Item quod si omnes causæ fuerint aliquando in quiete, necesse est Deum ponere mobilem.

28 Item quod Deus est prima & necessaria causa primæ Intelligentiæ, quâ positâ ponitur effectus, & sunt simul duratione.

29. Item quod Deus non est necessaria causa motus Corporum Superiorum, & coniunctionis & diuisionis contingentis in stellis.

30. Item quod ad hoc quod effectus omnes sint necessarii respectu causæ primæ, non sufficit quod ipsa causa prima sit impedibilis; sed exigitur quod causæ mediæ non sint impedibiles. *Error.* quia tunc Deus non posset facere aliquem effectum nouum sine causis posterioribus.

31. Item quod Deus possit agere contraria: hoc mediante corpore cœlesti, quod est diuersum in vbi.

32. Item quod Deus est infinitus virtute, non quia faciat aliquid de nihilo, sed quia communicat motum infinitum.

33. Item quod Deus non potest in effectum causæ secundariæ sine ipsa causa secundaria. *Error.*

34. Item quod effectus immediatus à primo, debet esse vnus tantum & simillimus primo.

35. Item quod Deus vel Intelligentia non infundit scientiam animæ humanæ in somno mediante corpore cœlesti.

36. Item quod plurimi sunt motores primi cœli. *Error.*

37. Item quod primum immobile simpliciter, non mouet, nisi mediante aliquo motu: & quod tale mouens immobile est pars moti ex se.

38. Item quod potentia actiua quæ potest esse sine operatione, est permixta potentiæ passiuæ. *Error*, si intelligatur de quacunque operatione.

39. Item quod Deus non potest indiuidua multiplicare sub vna specie sine materia.

40. Item quod forma quam oportet fieri & esse in materia, non potest agi ab illo quod non agit ex materia.

41. Item quod Deus non potest facere accidens esse sine subiecto: nec plures demonstrationes simul esse.

42. Item quod impossibile simpliciter non potest fieri à Deo vel ab agente alio *Error*, si intelligatur de impossibili secundum numerum vel naturam.

43 Item quod alius est intellectus in ratione secundum quod Deus intelligit se & alia. *Error*, quia licet sit alia ratio intelligendi, non tamen est alius intellectus secundum rationem.

44. Item quod primaCausa est causa omnium entium remotissima. *Error*, si intelligatur cum præcisione, ita scilicet quod non propinquissima est.

45. Item quod aliqua possunt casualiter euenire respectu primæ causæ. Et quod falsum est omnia esse præordinata à primâ causâ, quia tunc euenirent de necessitate.

46. Item quod in causis efficientibus causa 2ª. habet actionem quam non accipit à causa prima.

47. Item quod in causis efficientibus cessante causa 1ª non cessat 2ª ab operatione suâ, dum tamen 2ª operetur secundum naturam suam.

48. Item quod de Deo non potest cognosci nisi quia est, siue ipsum esse.

49. Item quod Deum esse Ens per se positiuè, non est intelligibile, sed priuatiuè est ens aut per se intelligibile.

ERRORES DE DEO VEL INTELLIGENTIA. Cap. 1.

1. ITem quod omnia separata æterna sunt primo principio.

2. Item quod intelligentiæ superiores creant animas rationales sine motu cœli. Intelligentiæ autem inferiores, creant vegetatiuam, sensitiuam motu Cæli mediante.

3. Item quod Intelligentia, Angelus vel anima separata nusquam est.

4. Item quod Intelligentiæ separatæ, eo quod habent vnum appetitum, non mutantur in opere aut operatione.

5. Item quod Intelligentiæ sicut substantiæ separatæ quas dicunt esse æternas, non habent propriè causam efficientem, sed metaphoricè, quia hanc causam conseruant in esse; sed non sunt factæ de nouo, quia sic essent transmutabiles.

6. Item quod in substantiis separatis nulla est possibilis transmutatio, nec sunt in potentia ad aliquam, aut aliud, quia æternæ sunt aut immunes à materia.

7. Item quod substantiæ separatæ per suum intellectum causant res ad extra.

8. Item quod substantiæ quæ non habent materiam per quam plus sint in potentia quàm in actu, & sunt causæ semper eodem modo se habentes, ideo sunt æternæ.

9. Item quod Intelligentia motrix Cœli fluit in animam rationalem, sicut Corpus Cœli influit in corpus humanum.

10. Item quod Angelus non potest in actus oppositos immediatè, sed in actus mediatos, & hoc mediante alio, vt orbe, sole vel Cœlo.

11. Item quod Angelus intelligit de nouo.

12. Item quod si esset aliqua substantia separata quæ non moueret aliquod corpus in hoc mundo sensibili, non clauderetur in vniuerso.

13. Item quod substantiæ sempiternæ separatæ à materia habent bonum quod est eis possibile cum produeuntur, nec desiderant aliquid quo carent.

14. Quod substantiæ separatæ sunt sua essentia, quia in eis idem est quod est, & hoc per quod est.

15. Quod omne quod non habet materiam, est æternum, quia quod non est factum per transmutationem materiæ prius non fuit. Ergo æternum.

16. Item quia Intelligentiæ non habent materiam, Deus non posset plures eiusdem speciei facere, & quod materia non est in Angelis, contra F. Thomam.

17. Item quod Intelligentiæ superiores non sunt causa alicuius nouitatis in inferioribus. Et quod superiores inferioribus sunt causa æternæ cognitionis.

18. Quod Intelligentia perficitur à Deo in æternitate, quia secundum se totum immutabilis est, anima autem Cœli, non.

19. Item quod Intelligentia inferior recipit esse à Deo per Intelligentias medias.

20. Item quod scientia Intelligentiæ non differt à substantia Intelligentiæ. Ibi enim non est diuersitas Intellecti ab Intelligibilitate, nec diuersitas Intellectorum.

21. Item quod substantiæ separatæ sunt actu infinitæ. Infinitas enim non est impossibilis, nisi in rebus materialibus.

22. Item quod Intelligentiæ superiores imprimunt in inferioribus, sicut anima vna intellectiua imprimit in aliam & in animam sensitiuam. Et per talem impressionem Incantator aliquis proiicit Camelum in foueam solo visu.

23. Item quod Intelligentia cum sit plena formis, imprimit alias formas in materia per corpora cœlestia tanquam per Instrumenta.

24. Item quod substantiæ separatæ sunt alicubi per operationem, & non possunt moueri ab extremo in extremum, nec in medium, nisi quia possunt velle operari aut in medio, aut extremis.

Error, si intelligatur sine operatione substantiam non esse in loco, nec transire de loco ad locum.

25. Item quod Intelligentia solâ voluntate mouet Cœlum.

26. Item quod substantiæ separatæ nusquam sunt secundum substantiam. *Error*, si intelligatur, ita quod substantia sit ratio essendi in loco. Verum est quod nusquam sunt secundum substantiam.

ERRORES DE ANIMA VEL INTELLECTV. Cap. 2.

1. Item quod Intellectus non est forma corporis, nisi sicut Nauta nauis, nec est perfectio essentialis hominis.

2. Item quod ex Sensitiuo & Intellectiuo non fit vnum per essentiam, nisi sicut ex Intelligentia & orbe, hoc est vnum per oppositionem.

4. Item quod Intellectus humanus est æternus quia est à causa semper eodem modo se habente. Et quoniam non habet materiam per quam prius est in potentia quàm in actu.

5. Item quod anima separata nullo modo patitur ab igne.

6. Item quod Intellectus est vnus numero omnium, licet omnino separetur à corpore hoc, non tamen ab omni.

7. Item quod Intellectus Sortis corrupti non habet scientiam eorum quæ habuit.

8. Item quod anima humana nullo modo est mobilis secundum locum nec per se, nec per accidens. Et si ponatur alicubi secundum substantiam suam, nunquam mouebitur de vbi ad vbi.

9. Item quod scientia animæ est æterna, & quod intellectus agens & passibilis sunt æterni.

10 Item quod motus cœli sunt propter animam Intellectiuam. Et quod anima Intellectiua sui Intellectus non potest educi nisi mediante corpore.

11. Item quod nulla forma ab extrinseco veniens potest facere vnum cum materia. Quod enim separabile cum eo quod est corruptibile, vnum non facit.

12. Item anima separata non est alterabilis secundum Philosophiam, licet secundum fidem alteretur.

13. Item quod anima rationalis quando recedit ab animali, adhuc remanet animal vnum.

14. Item quod anima Intellectiua cognoscendo se cognoscit omnia alia, species enim omnium rerum sibi sunt concreatæ, sed hoc cognoscere non debetur Intellectui nostro vt noster est, sed secundum Intellectum quod est Intellectus agens. *Error*.

15. Item quod anima est inseparabilis à corpore, & ad corruptionem harmoniæ corporalis corrumpitur anima.

16. Item quod scientia Magistri & Discipuli est vna numero. Et ratio, aut quod Intellectus vnus est, quia forma non multiplicatur, nisi quia educitur de potentiâ animæ.

17. Item quod Intellectus agens non copulatur nostro passibili. Et quod Intellectus passibilis non vnitur nobis secundum substantiam. Et si vniretur vt forma nobiscum, esset inseparabilis.

18. Item quod operatio Intellectus non vniti copulatur Corpori: ita quod operatio est rei non habentis formam quâ operetur, *Error* est quia ponit quod Intellectus non sit forma hominis.

19. Item quod nihil potest sciri ab Intellectu post eius separationem.

20. Item quod Intellectus qui est postrema operatio hominis est penitus abstractus, vel quod Intellectus, vel vltima est postrema operatio hominis, & est totaliter abstractus.

21. Item quod Intellectus passibilis est inseparabilis à corpore simpliciter quantum adhunc actum qui est specierum receptio. Et quantum ad iudicium quod fit per simplicem specierum acceptionem vel Intelligibilium compositionem. *Error*, si intelligatur de receptione omnimoda.

22. Item quod Intellectus agens est quædam substantia separata superior ad Intellectum passibilem. Et quod secundum substantiam, potentiam & operationem est separatus à corpore, nec est forma corporis humani.

23. Item quod inconueniens est ponere aliquos intellectus nobiliores aliis: quia cum illa diuersitas non possit esse à parte corporum, oportet quod sit à parte Intelligentiarum. Et sic animæ nobiles & Ignobiles essent necessariò diuersarum speciarum sicut Intelligentiæ. *Error*, quia sic anima Christi non esset nobilior animâ Iudæ.

24. Item quod Intellectus speculatiuus simpliciter est æternus & incorruptibilis; respectu verò huius hominis corrumpitur corruptis phantasmatibus in eo.

25. Item quod Intellectus possibilis nihil est in actu antequam intelligat: quia in natura Intelligibili esse aliquid actu, est esse actu intelligens.

26. Item quod ex intelligente & Intellecto fit vna substantia, eo quod Intellectus sit ipsa Intellectio formaliter.

27. Item quod nos peius vel melius intelligimus, hoc prouenit ex Intellectu passiuo quem dicunt esse potentiam sensitiuam. *Error*, quia hoc ponit vnum Intellectum in omnibus, aut æqualitatem in omnibus animalibus.

28. Item quod Intellectus non potest transire de corpore in corpus, ita quod successiuè sit motor diuersorum corporum.

29. Item quod Intellectus noster per sua naturalia potest pertingere ad cognoscendum essentiam primæ causæ. Hoc malè sonat & est *Error*, si intelligatur de cognitione immediata.

30. Item quod anima nunquam moueretur nisi corpus moueretur, sicut grauе vel leue nunquam moueretur nisi aer moueretur.

ERRORES DE VOLVNTATE SIVE LIBERO ARBITRIO. Cap. 3.

1. ITem quod de sua natura non est determinatum ad esse vel non esse, non determinatur nisi per aliquid quod est necessarium respectu sui. *Error*.

2. Item quod voluntas manente passione & scientia periclitari actu non potest agere contra eam.

3. Item si ratio recta, voluntas recta. *Error*, quia est contra Glossam Augustini super illud Psalmi, *Concupiuit anima mea desiderare*, &c. Et quia secundum hoc ad rectitudinem voluntatis gratia non esset necessaria, sed solum scientia.

4. Item quod fuit error Pelagii.

5. Item quod voluntate existente in tali dispositione in qua nata est moueri, & mouente sic disposito, quod natum sit mouere, impossibile voluntatem non velle.

6. Item quod morbus est causa voluntatis Medici vt sanet.

7. Item quod voluntas & intellectus non mouentur in actu per se, sed per causam sempiternam, scilicet per corpora Cælestia.

8. Item quod appetitus cessantibus impedimentis necessariò mouetur ab appetibili. *Error* est de Intellectiuo.

9. Item quod voluntas secundum se est indeterminata ad opposita, sicut materia. Determinatur autem ab appetibili, sicut materia ab agente.

10. Item quod homo agens ex passione, coactè agit.

11. Item quod post conclusionem factam de aliquo faciendo, voluntas non manet libera: & quod pœnæ non adhibentur à lege nisi ad correctionem ignorantiæ. Et vt correctio sit aliis principium cognitionis vel generationis.

12. Item quod voluntas hominis necessitatur per suam cognitionem, sicut appetitus Bruti.

13. Item quod nullum agens est ad vtrumlibet, imò determinatur.

14. Item quod effectus stellarum super liberum arbitrium sunt occulti.

15. Item quod voluntas nostra subiacet potestati corporum Cælestium.

16. Item quod voluntas necessariò prosequitur quod firmiter creditum est à ratione, & quod potest abstinere ab eo quod ratio dictat. Hæc autem necessitatio non est coactio, sed natura voluntatis.

17. Item quod homo in omnibus suis actionibus sequitur appetitum & semper maiorem. *Error*, est, nisi intelligatur de maiore in mouendo.

18. Item quod non est possibile esse peccatum inpotentiis animæ superioribus, & ita peccatur passione voluntate.

19. Item quod scientia Contrariorum solum est causa quare anima rationabiliter potest in opposita; & quod potentia simpliciter vna non potest & in opposita, nisi per accidens & ratione alterius.

20. Item quod anima nihil vult nisi mota ab alio quàm à se, vnde istud falsum est, anima seipsa vult. *Error*, si intelligatur mota ab alio, scilicet ab appetibili vel obiecto; ita quod appetibile vel obiectum sit tota ratio motus voluntaris ipsius.

21. Item quod duobus bonis propositis quod fortiùs est, fortius mouet. *Error* est nisi quantum est ex parte boni mouentis.

22. Item quod omnes motus voluntarii reducuntur ad motorem primum. *Error*, nisi intelligatur in motorem primum simpliciter non creatum. Et intelligendo de motu secundum substantiam & non secundum deformitatem.

23. Item quod lex naturalis prohibet interfectionem animalium irrationabilium sicut rationabilium licet non tantum. *Error*.

ERROR DE CONIVNCTO ID. TOTO COMPOSITO NATVRALI PERFECTO *scilicet homine*.

1. Item quod homo pro tanto dicitur intelligere pro quanto cælum dicitur ex se mouere vel intelligere vel viuere, idest quia agens istas actiones est ei vnitum, vt motor, mobili & non substantialiter.

2. Item quod humanitas non est forma rei, sed rationis.

3. Item quod forma hominis non est ab extrinseco, sed educitur de potentia materiæ: quia aliter non esset generatio vniuoca.

4. Item quod homo per nutritionem potest fieri alius numeraliter & indiuidualiter.

5. Item quod homo est homo præter animam rationalem.

ERRORES DE MVNDO ET MVNDI ÆTERNITATE. Cap. 5.

1. Item quod nihil est æternum à parte finis, quod non sit æternum à parte principii, quia est contra fidem & *Error*.

2. Item quod redeuntibus Corporibus Cœlestibus omnibus in idem punctum quod fit in 36000. annorum, redibunt iidem effectus qui & modo.

3. Item quod non fuit primus homo nec vltimus erit: imo semper fuit & erit hominis ex homine generatio.

4. Item quod generatio hominis circularis, eo quod forma hominis redit pluries super eandem partem materiæ.

5. Item quod quia Sortes factus est non receptibilis æternitatis, & si debet esse æternus, necesse est vt transmutetur naturâ & specie.

6. Item quod mundus est æternus quantum ad omnes species in eo contentas. Et quod tempus æternum & motus & materia agens & suscipiens, quia est à potentia Dei infinita, & impossibile est innouationem esse in effectu sine innouatione in causa.

7. Item quod nihil esset nouum nisi Cœlum esset variatum respectu materiæ Generabilium.

8. Item quod impossibile est soluere rationes Philosophi de æternitate mundi, nisi dicamus quod voluntas primi implicat impossibilia.

9. Item quod duo sunt principia æterna, scilicet corpus Cœli & anima eius.

10. Item quod tria sunt principia æterna in cælestibus, subiectum motus æterni, anima corporis Cælestis, & primum mouens desideratum. *Error* est quo ad duo priora.

11. Item quod mundus est æternus: quia omne quod habet naturam per quam possit esse in futuro toto, habet naturam per quam potuit esse in toto præterito.

12. Item quod mundus licet sit factus ex nihilo, non est tamen factus de nouo. Et quamuis de non esse exierit ad esse, non præcessit esse duratione sed naturâ tantum.

13. Item quod Theologi dicentes quod Cœlum quandocunque quiescit, arguunt ex falsa suppositione. Et quod dicere Cælum esse & non moueri, est dicere contradictoria.

14. tem quod Infinitæ præcesserunt Cœli resolutiones, quas non sit impossibile comprehendi à primâ causâ, sed ab Intellectu creato.

15. Item quod Elementa sunt æterna. Sunt tamen facta de nouo in dispositione quam modò habent.

16. Item quod quamuis Generatio hominum possit deficere voluntate primi, tamen non deficiet, quia Orbis primus non tantum mouet ad generationem elementorum, sed etiam hominum.

17. Item quod si cælum staret, ignis in stuppa non ageret, quia nec Deus esset.

18. Item quod Cælum nunquam quiescet, quia generatio inferiorum quæ est finis motus cæli, cessare non debet. Alia ratio, quia cælum suum esse, & suam virtutem habet à Motore suo. Et hoc conseruat cælum per suum motum. Vnde si cessaret à motu, cessaret ab esse.

19. Irem quod Deus & tempus nihil sunt in te, sed solum in apprehensione.

20. Item quod qui generat Mundum secundum totum ponit vacuum: quia locus necessariò præcedit generatum in loco, & tunc ante mundi generationem fuisset locus sine locato, quod est vacuum.

21. Item quod Elementa prima generatione non sunt facta ex illo Chaos, sed sunt æterna.

22. Item quod Vniuersum non pôtest deficere, quia primum agens habet transmutare materiam æternaliter vicissim, nunc ad istam formam, nunc ad illam. Et similiter materia nata est transmutari.

23. Item quod tempus est infinitum quantum ad vtrumque extremum. Licet enim impossibile sit infinita esse pertransita, quorum aliquid fuit pertranseundum, non tamen impossibile est infinita esse pertransita quorum nullum fuit pertranseundum. *Error.*

24. Item quod Naturalis Philosophus simpliciter debet negarē Mundi nouitatem, quia nititur causis & rationibus naturalibus: fidelis autem potest negare Mundi æternitatem, quia nititur causis supernaturalibus.

25. Item quod ratio Philosophi demonstrans motum cœli æternum, non est sophistica, & mirum est quod homines profundi hoc non vident.

26. Item quod creatio non est possibilis quamuis contrarium sit tenendum secundum fidem.

27. Item quod non est verum quod aliquid fiat ex nihilo, vel neque factum sit in primâ Creatione.

28. Item quod creatio non debet dici mutatio ad esse. *Error.* Si intelligatur de omni modo mutationis.

ERRORES DE COELO ET STELLIS. Cap. 6.

1. Item quod Corpora cælestia mouentur à principio intrinseco quod est anima, & quod mouentur per animam & per virtutem appetitiuam sicut animal, sicut enim anima appetens mouetur, ita & cælum.

2. Item quod corpora cælestia ex se habent æternitatem sui esse, sed non æternitatem sui motus.

3. Item quod anima cæli est intelligentia, & Orbes Cælestes verè sunt instrumenta Intelligentiarum sicut Organa, sicut auris & oculus est organum virtutis sensitiuæ.

4. Item quod si in aliquo humore virtute Stellarum deuenirent Elementa ad talem proportionem, cuiusmodi proportio est in seminibus primorum parentum, ex illo humore posset generari homo. Et quod sufficienter posset generari ex putrefactione vel ex putredine.

5. Item

5. Item omnium formarum cauſa eſt orbis.

6. Item quod natura quæ eſt principium motus in Corporibus Cæleſtibus, eſt Intelligentia mouens. *Error*, ſi intelligatur de natura quæ eſt actus vel forma.

ERRORES DE NATVRA GENERABILIVM ET corruptibilium Cap. 7.

1. ITem quod formæ non recipiunt diuiſionem niſi ſecundum diuiſionem materiæ. *Error*, niſi intelligatur de formis eductis de potentia materiæ.

2. Item quod forma materialis non poteſt creari.

3. Item quod nihil debet credi niſi per ſe notum, vel quod ex per ſe notis poteſt determinari vel declarari.

4. Item quod materia exterior obedit ſubſtantiæ ſpirituali. *Error*, ſi intelligatur ſimpliciter, & ſecundum omnem modum tranſmutationis.

5. Item quod indiuidua eiuſdem ſpeciei vt Socrates & Plato differunt ſolâ ratione materiæ: & quod formâ humanâ eâdem exiſtente numero in vtroque, non eſt mirum ſi idem numero eſt in diuerſis locis.

6. Item quod poſſibile eſt, quod materialiter fiat ignis, diluuium vniuerſale.

ERRORES DE NECESSITATE EVENTVS RERVM. Cap. 8.

1. ITem quod nihil fit à caſu, ſed omnia ex neceſſitate eueniunt. Et quod omnia futura quæ erunt, neceſſitate erunt. Et quę non erunt, impoſſibile eſt eſſe. Et quod nihil euenit contingenter conſiderando omnes caſus. *Error*, quia concurſus Cauſarum eſt de definitione lib. 5. de Conſol. Philoſ.

2. Item quod ex diuerſitate locorum acquiruntur neceſſitates euentuum.

3. Item quod ex diuerſis ſignis Cœli ſignificantur diuerſæ conditiones in hominibus tam bonorum aut donorum ſpiritualium, quàm rerum temporalium.

4. Item quod quibuſdam ſignis aut figuris ſciuntur hominum intentiones & mutationes intentionum. Et an intentiones illæ perficiendæ ſint. Et quod per tales figuras ſciuntur euentus peregrinorum. Et an futuri ſint ſcientes & Latrones. Et an ſit Capitulatio hominum aut ſolutio Captiuorum. Et an futuri ſint nati vel Latrones.

5. Item quod ferunt quod diſpoſitio Vniuerſi procedit ex Prouidentia Diuina non immediatè ſed mediante motu ſuperiorum. Et quod iſtud facit, non imponit neceſſitatem inferioribus, quia habent contrarietatem, ſed ſuperioribus.

6. Item quod ſanitatem & infirmitatem, vitam & mortem attribuunt poſitioni Siderum & aſpectui Fortunæ dicentes, quod ſi eum aſpexerit Fortuna, viuet, ſi non aſpexerit, morietur. *Error*.

7. Item quod in hora generationis hominis in corpore ſuo & per conſequens in anima quæ ſequitur ex ordine cauſarum ſuperiorum & inferiorum, ineſt homini diſpoſitio inclinans in tales actiones & euentus. *Error*. Niſi intelligatur de euentibus naturalibus & per viam diſpoſitionis.

ERRORES DE ACCIDENTE. Cap. 9.

1. ITem quod cum Deus non comparatur ad entia in ratione cauſæ materialis vel formalis, non facit accidens eſſe ſine ſubiecto, de cuius ratione eſt in actu ineſſe ſubiecto ſuo.

2. Item accidens exiſtens ſine ſubiecto ſuo non eſt accidens niſi æquiuocè. Et quod impoſſibile eſt quantitatem ſiue dimenſionem eſſe per ſe, hoc enim eſſet eſſe ipſam ſubſtantiam.

3. Item quod facere eſſe accidens ſine ſubiecto, habet rationem impoſſibilis implicantis contradictionem, vt credimus in Euchariſtia.

4 Item quod Deus non poſſet facere accidens ſine ſubiecto, nec plures dimenſiones ſimul eſſe.

ERRORES DE ACCIDENTE. Cap. 10.

1. ITem quod omnes scientiæ sunt necessariæ præter Physicas disciplinas, & quod non sunt necessariæ nisi propter consuetudinem hominum.

2. Item quod nulla quæstio disputabilis est per rationem quam Philosophusnon deberet disputare & determinare: quia rationes accipiuntur à rebus: Philosophia autem omnes res habet considerare secundum diuersas partes sui.

3. Item quod possibile vel impossibile simpliciter, id est inomnibus modis est possibile, vel impossibile secundum Philosophiam.

4. Item quod Sapientes Mundi sunt Philosophi tantum.

5. Item quod non est excellentior status quàm vacare Phisosophiæ.

ERRORES DE SACRA SCRIPTVRA. Cap. 11.

1. ITem quod homo non debet esse contentus authoritate ad habendam certitudinem alicuius Quæstionis.

2. Item quod adhoc quod homo habeat certitudinem Conclusionis, oportet quod sit fundatus super principia per se nota. *Error.* si generaliter tam de certitudine apprehensionis quàm adhæsionis loquitur.

3. Item quod sermones Theologi sunt fundati in fabulis.

4. Item quod nihil plus scitur propter scire Theologiam.

5. Item quod fabulæ & falsa sunt in lege Christiana, sicut & in aliis.

6. Item quod lex Christiana impedit addiscere.

7. Item quod lex naturalis prohibet interfectionem animalium irrationabilium sicut rationabilium, licet non tantum.

ERRORES DE FIDE ET SACRAMENTIS. Cap. 12.

1. ITem quod non est curandum de fide, si dicatur esse aliquid hæreticum, quia est contra fidem.

2. Item quod non est credendum nisi per se notum, vel quod ex per se notis possit declarari.

3. Item quod non est curandum de sepultura.

4. Item quod non est curandum nisi ad apparentiam.

5. Item quod non est orandum.

6. Item quod non est confitendum nisi ad apparentiam.

ERRORES DE VITIIS ET VIRTVTIBVS. Cap. 13.

1. ITem quod raptus & visiones non habent fieri nisi per naturam. Item quod peccata contra Naturam vt pote abusus in coitu, licet sint contra naturam speciei, non tamen contra naturam indiuidui.

2. Item quod simplex fornicatio, vt pote solutus cum soluta, non est peccatum.

3. Item quod dignitatis esset in causis superioribus posse facere peccata & monstra præter intentionem, cum natura hæc posset.

2. Item quod delectatio in actibus venereis non impedit actum siue viam intellectus.

5. Item quod continentia non est essentialiter virtus.

6. Item quod perfecta abstinentia ab actu carnis corrumpit virtutem & speciem.

7. Item quod pauper in bonis fortunæ non potest agere in Moralibus.

8. Item quod humilitas, prout quis non ostentat ea quæ habet, sed vilipendit & humiliat se, non est virtus. *Error.* Si intelligatur quod nec virtus, nec actus virtuosos.

9. Item quod non sunt possibiles aliæ virtutes nisi acquisitæ vel innatæ.

10. Item quod castitas non est maius bonum, quàm perfecta abstinentia.

11. Item quod finis terribilium est mors. *Error.* Si excludat terrorem Inferni, qui est extremus.

ERRORES DE RESVRRECTIONE.

1. Item quod non contingit Corpus corruptum redire idem numero, nec idem numero resurget. *Error.*

2 Item quod resurrectio futura non debet credi, neque concedi à Philosopho quia impossibilis est inuestigari per rationem. Error. Quia etiam Philosophus debet captiuare Intellectum in obsequium fidei Christi.

ERRORES DE FELICITATE SIVE BEATITVDINE.

1. Item quod Felicitas non potest à Deo immitti immediatè.

2. Item dicere dare Deum felicitatem vni vel non alii, est sine ratione & figmentum.

3. Item quod homo ordinatus quantum ad Intellectum & effectum, sicut potest esse sufficienter per virtutes Intellectuales & Morales de quibus loquitur Philosophus in Ethicis, est sufficienter dispositus ad felicitatem æternam.

4. Item quod felicitas habetur in hac vita & non in alia.

5. Item quod homo post mortem amittit omne bonum.

6. Item quod bonum, quod homini possibile est, consistit in virtutibus Intellectualibus.

Supradicti errores leguntur in Bibliotheca Patrum: sed malè dicuntur damnati à Stephano Episcopo Parisiensi anno 1227. Tunc enim nullus erat huius nominis Episcopus Parisiensis: quippe eo anno obiit Bartholomæus ex Decano Carnotensi factus Episcopus, cui successit Guillelmus Aruernus & vsque ad an. 1248. Sedem tenuit Episcopalem. Ad hunc ergo annum & adhunc Stephanum referenda est eorum condemnatio, prout à Ioanne Papa mandatum illi fuerat. Nam hisce temporibus multi errores passim docebantur præsertim in scholis priuatis. Cui malo vt occurreret Vniuersitas, statutum quod ad annum superiorem retulimus, edidit: & Ioannes XXI. Stephano Episcopo dedit in mandatis, vt in eos inquireret, damnarique curaret, cuius ad eum Bullam supra retulimus.

Eodem anno pridie idus Maij, die Veneris ante Pentecosten vt legitur in Chronico Rothomagensi, corruit Camera D. Papæ, de qua ruina D. Papa grauiter vulneratus 7. post dictam ruinam die mortuus est & vacauit sedes per sex menses & amplius. Tandem die S. Catharinæ ipsi successit Nicolaus dictus III. Patria Romanus, ex Illustri Vrsinorum familia natus, *Gaietanus* ante promotionem dictus & ob vitæ integritatem vulgò *Compositus* appellatus. Quem aiunt, nunquam sacrificasse quin lachrymas funderet; nec nisi idoneis sacerdotia contulisse. Non omnino tres annos sedit in Cathedra Pontificali. Cardinales creauit quosdam viros illustres scientiarumque laude percelebres, *Bentiuengam* de Bentiuengis de Aqua sparta. Vmbrum Ord. Minorum ex Episcopo Tudertino, Thomæ Aquinatis assiduum auditorem. *Latinum Malabrancam*, seu *Frangi-Panem* Romanum ex Sorore nepotem & Doctorem Parisiensem, qui obiit an. 1294. *Robertum Kilwarbium* Archiepiscopum Cantuariensem, virum Doctissimum & Philosophum acutissimum, & quosdam alios.

Anno *1278.* Nicolaus Papa confirmauit tandem Guillelmi de Flauacuria Canonici Parisiensis deinde Rothomagensis electionem in Archiepiscopum Rothomagensem 7. id Maii. quam ab an. 1275. (quo à duabus fere Capituli partibus electus fuerat) obtinere non potuerat; eumque ipse consecrauit 11. Kal. Iunii quæ erat Dominica ante Ascensionem, & Pallio Archiepiscopali donauit 8. Kal. eiusdem mensis, & in eius gratiam, ad Philippum Regem scripsit. 1278.

Eodem anno examinata est Doctrina Petri Ioannis Oliui ex Baccalaureo Sorbonico Minoritæ seu Franciscani, ob nouas quasdam de Virginis Deiparæ conceptione opiniones. Quo anno 15. Kal. Aug. obiit Romæ Erardus de Lisigny Episcopus Antissiodorensis, Doctor in Decretis, paulo ante à Nicolao III. Cardinalis factus Prenestinus. De quo sic legitur in appendice romi. 1. Italiæ sacræ. *Tanta famositatis Antistiti viro famosissimo D. Guidoni de Mellote Antissiodorensi Episcopo successit Erardus Nepos eius Dominus Castri de Lisiguiis Diæcesis Lingonensis, cuius me-*

moria digna est recitatione solemni. Comitem Antissiodorensem, vxorem eius & ditionem mucrone feriit anathematis: à qua sententia cum appellasset Comes, Romam proficisci coactus est Erardus: sed cum immodicos æstus homo Gallus ferre non posset, in morbum incidit. *In regione tamen illa,* vt ibidem legitur, *tam laudabiliter se habuit, quod apud Nicolaum Papam* III. *successorem præfati Ioannis & apud Cardinales eius merita tam dilucide claruerunt, quod ad Dignitatem Cardinalatus assumptus factus fuit Pranestinus Episcopus Cardinalis. Et licet in numero Antissiodorensium Episcoporum 64us extiterit, primus tamen fuit inter ipsos qui ad tanta dignitatis fuerit culmen prouectus.*

Eodem anno Simon S. Ceciliæ Cardinalis, de quo iam ante sæpe diximus, Statutum nouum edidit de Electione Rectoris, præsertim verò de modo Electionis, addens quod si contingeret forsan Procuratorem in aliqua Natione deficere, iunior Magister in Theologia assumeretur in Electorem. Sic ergo edixit.

STATVTVM NOVVM DE ELECTIONE RECTORIS. Simon miseratione Diuina titulo S. Ceciliæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus Vniuersis præsentes litteras inspecturis Salutem in Domino. Cum diligentius attendentes quàm vsus ille, quinimo abusus reprobabilis & damnosus à longis retro temporibus introductus, videlicet quod *Rector Vniuersitatis Parisiensis* singulis mensibus, vel sex eligatur hebdomadis, turbationem Studij ac incentiuum inuidiæ ministrabat, illum duximus abolendum, statuentes & ordinantes quod Rector quater in anno, videlicet prima die legibili post festum B. Dionysii: vltima die legibili ante vacationes Natiuitatem Domini præcedentes: vltima die legibili ante Annunciationem B. Mariæ Virginis, & vltima die legibili ante festum B. Ioannis Baptistæ & non pluries eligeretur, qui Rectoriæ Officium liberè exercere valeret pro tempore suo regimini deputato, nisi forte infra tempus ipsum iustè appareret suis culpis exigentibus amouendus: Quo casu, vel si forte decederet, seu legendi actum dimitteret, tempus quod suo regimini superesse contingeret, voluimus accrescere successori: Adiecimus etiam huic Ordinationi nostræ quod eligeretur Rector vnicus à 4. Procuratoribus Nationum Vniuersitatis prædictæ, vel aliis 4. earum Magistris iuratis secundum tenorem Statuti dudum super hoc editi; sicut ante nonnullis annis extitit obseruatum. Quodque eligeretur Rector in posterum sub hac forma, quod 4. Procuratores 4. Nationum prædictarum iurati solenniter super sacrosancta, coram ipsis Nationibus eligerent bona fide alium à prædecessore illo in Rectorem Vniuersitatis eiusdem, quem secundum suam conscientiam crederent vtiliorem Officio Rectoriæ, non moti ratione discordiæ præcedentis, nec moti amore vel timore, odio vel honore vel pudore alicuius ex Nationibus supradictis, nec moti amore vel odio, honore vel vtilitate alicuius personæ, sed moti propter bonum commune totius Studij memorati; & ille in quem consentirent quatuor sic iurati, vel tres illorum, staret Rector Vniuersitatis prædictæ vsque ad tempus præfixum. Si verò neque illi quatuor, neque illi tres in vnum consentire valerent, tunc vocaretur Rector prædecessor, vel duo Rectores si essent iurati super sacrosancta secundum formam prædictam ad eligendum; & ille in quem maior pars consentiret, staret Rector vsque ad tempus terminatum. Quod si forte adhuc maior pars in aliquem vnum nō consentiret, tunc irritarentur huius Electores & vocarentur alij quatuor à singulis Nationibus supradictis iurati sub eadem forma, donec maior pars in aliquem consentiret; & ille vsque ad determinati temporis exitum staret Rector. Intendentes autem ad Vniuersitatis prædictæ statum pacificum & tranquillum, & ad turbationem omnimodam submouendam, adhuc ordinandum duximus & etiam statuendum, quod si contigerit tempore quo Rectoris præfatæ Vniuersitatis instat electio facienda, Procuratorem in aliqua de Nationibus deficere supradictis, iunior Magister in Theologica Facultate Parisius actu Regens ad eundem eligendum Rectorem loco Procuratoris huius admittatur. Et si Procuratores duarum ex eisdem Nationibus tempore prædicto defuerint, loco ipsorum duo Iuniores in eadem Theologica Facultate Magistri Regentes actu Parisius ibidem præsentes recipiantur ad electionem huiusmodi faciendam. Datum apud Nogentum super Sequanam Kalend. Octob. Pontificatus D. Nicolai Papæ III. an. 2.

Hoc ergo tantùm adiecit Simon huic nouo statuto, vt si contingeret aliquam Nationem carere Procuratore, assumeretur Iunior Magister in Theologia Regens actu. Nam an. 1266. ipse statutum de eadem re condiderat, cuius hic meminit: & quatuor Nationes an. 1249. conuenerant etiam inter se de modo eligendi Rectoris, & Statutum confecerant iisdem omnibus verbis, quibus concepta sunt ea quæ à Simone condita sunt.

Quod verò ad Iuniorem Magistrum in Theologia Rectoris Electorem attinet, memorabile & forsan vnicum in tot seculis quæ decurrit Vniuersitas Parisiensis exemplum legitur an. 1438. eiusmodi. Nam cum in Natione Germanica nulla essent supposita, propterea quod restituto in Regnum suum Carolo VII. omnes Angli expulsi fuerant, Natio Franciæ censuit Iuniorem Doctorem in Theologia in Quatuor-virum esse assumendum. Sic enim scribit M. Ioannes de Conssy Procurator eiusdem Nationis. *10. die Octob. an. 1438. fecit D. Rector M. Philippus de Longolio Facultatem Artium conuocari apud S. Iulianum super 3. Artic. 1us fuit ad eligendum nouum Rectorem. 2us fuit ad prouidendum vni Intranti Nationis Almaniæ... Quantum ad 2um Ordinauit præfata Natio, quod vocaretur iunior Doctor in Theologia actu Regens Parisius, qui esset secularis loco & defectu suppositorum Nationis Almaniæ: propter quem defectum carebat Facultas Artium vno intrante.* Dubium an cæteræ Nationes huicce sententiæ assenserint.

Cæterum ex Statutis supra memoratis patet veterem esse Iuramenti formulam, quod præstare tenentur Quatuor-viri Electores futuri Rectoris. Sic enim antequam Conclaue subeant, Rector eos adigit iurare. VOS IVRABITIS QVOD ELIGETIS BONA FIDE ALIVM A PRÆDECESSORE IN RECTOREM VNIVERSTATIS, ILLVM QVEM SECVNDVM VESTRAM CONSCIENTIAM CREDETIS VTILIOREM OFFICIO RECTORIÆ, NON MOTI RATIONE PRÆCEDENTIS DISCORDIÆ, NEC MOTI AMORE VEL ODIO VEL PVDORE ALICVIVS NATIONIS, NEC-NON AMORE VEL ODIO, HONORE VEL VTILITATE ALICVIVS PERSONÆ, SED MOTI DVNTAXAT PROPTER BONVM COMMVNE VNIVERSITATIS.

Eodem anno mense quoque Octobri idem Cardinalis cum esset Diuioni litem & discordiam sopiuit, quæ occasione denunciationis congregationum Vniuersitatis acciderat inter Decanos Facultatum Iuris Canonici ac Medicinæ & Rectorem: iniunxitque vt fieret ista denunciatio vel à Rectore, vel per alium ipso mandante, aut per schedam, aut alio quouis modo, dum pateret publicè indictam fuisse Congregationem. Tale igitur est Statutum.

Simon miseratione Diuina Tituli S. Ceciliæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus Vniuersis præsentes litteras inspecturis, Salutem in Domino. Mentem nostram propensior cura solicitat, vt circa Statum Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium Parisiensium quam sincera affectione prosequimur, intentæ considerationis aciem dirigentes ad ea solerti studio & studiosâ solertiâ intendamus, per quæ sibi Diuinâ propiciante clementiâ tranquillæ pacis & stabilis bonum proueniat, & nociuæ prosperitatis commoda duratura succedant. *Olim siquidem inter Magistros Facultatis Artium ex vnâ parte & Magistros in Decretis & Medicina Vniuersitatis eiusdem ex altera, super modo denunciandi Decanis Magistrorum ipsorum in Decretis & Medicina Congregationes generales in eadem Regentium Vniuersitate, quæ certis modis & conditionibus præcedentibus consueuerunt pro tempore fieri, materia extitit dissensionis exorta*, quæ tandem fuisse dicitur in quadam Congregatione Generali apud Ecclesiam S. Bernardi Parisiensis facta certo modo interueniente sedata. Sed pacis æmulo amatore litium procurante huiusmodi extitit resuscitata dissensio, parte Decretistarum & Medicorum huiusmodi asserente, quod Congregationis denunciatio & articulorum expressio, super quibus eadem noscitur Congregatio facienda, debent per Rectorem vel alium Magistrum in Artibus Vniuersitatis prædictæ actu Regentem fieri. Rectore suo & Facultatis Artistarum nomine ex aduerso dicente, quod sufficiens existebat, quod per aliquem de Bedellis Vniuersitatis Iuratis, licet non per Rectorem vel per alium Magistrum fieret huiusmodi Congregationis denunciatio & Articulorum expressio prædictorum. Demum verò vtraque pars huiusmodi negotium Ordinationi & dispositioni seu beneplacito nostris altè & bassè duxit totaliter supponendum, vt per

STATVTVM DE DENVNCIATIONE CONGREGATIONVM GENERALIVM.

„ Nos summariè ac de plano absque strepitu & figura Iudicij possemus in negotio „ procedere supradicto, & super eo disponere, ordinare ac totaliter facere de alto „ & basso, prout nobis placeret & videremus etiam faciendum. *Nos autem Vniversitatis prædicta statum pacificum & prosperum, sicut præmittitur, diligentes, ac intendentes præcauere periculis, quæ huiusmodi possint discordiam generare*, præfatum negotium „ in forma supradicta, quanquam tunc arduis quibusdã essemus occupati negotiis, „ duximus assumendum. Vnde super eodem negotio volentes plenius informari, „ discretis viris Decano Ecclesiæ Parisiensis (Gaufrido de Barro) & M. Geruasio „ de Clino-campo Archidiacono Cenomanensi per litteras nostras sub certa forma „ dedimus in mandatis, vt super dicto negotio per testes idoneos ab eis ad perhibendum testimonium super hoc veritati per Censuram Ecclesiasticam si opus existeret, compellendos, quos Pars prædictæ Facultatis Artium produceret coram „ ipsis, Ita quod duodenario producendorum testium esset contenta numero, inquirerent diligentius veritatem, Depositiones ipsorum testium fideliter in scriptis „ sub sigillis ipsorum inclusas quàm citius transmissuri. Præfati verò Decanus & „ Archidiaconus de huiusmodi Mandato nostro recepto in Inquisitionis ipsius negotio eiusdem Mandati formâ seruatâ procedere curauerunt, prout eorum nobis „ missæ Responsales litteræ continebant, & tandem illis Nobis inquisitionem remittentibus supradictam, ipsam attentâ inspectione discussimus & diligenter intelleximus. Cumque sollicitis studiis in negotio procederemus eodem ad ipsius „ expeditionem celerem intendentes, Sanctissimus Pater ac Dominus noster D. „ Nicolaus Diuina prouidentia summus Pontifex nos ad suam præsentiam euocauit. Nos itaque sedulà meditatione pensantes, quod si iuris rigorem in hac parte „ seruare contingeret, non posset ante recessum nostrum huiusmodi negotium terminari. Considerantes etiam & diligenter attendentes quod ex dissensionibus pridem in Vniuersitate prædicta inimico homine zizaniam superseminante subortis „ non solum amissio studii & alia mala quamplurima grauiaque damna, verum „ etiam vulnera, mutilationes membrorum, cædes & homicidia nonnunquam „ etiam frequentius contigerunt. Volentes quoque in posterum huiusmodi periculis & dispendiis per salubris prouisionis obuiare remedium, ac de Vniuersitate præfata turbationis & discordiæ cuiusquam materiam amputare, tam ex suppositionibus huiusmodi potestate quàm etiã ex officio nostro pro bono pacis pro „ negotio huiusmodi ordinandum duximus & etiam statuendum, vt quando generalis imminebit congregatio facienda, Rector per seipsum vel per alium Magistrum actu Regentem Parisius in Artibus denunciet si voluerit & viderit expedire: alioquin per scedulam vel per scripturam aliquo signo de nouo facto ad hoc „ specialiter deputatam, signatam & clausam per aliquem de Bedellis Vniuersitatis „ prædictæ iuratis transmissam, dictam Congregationem, horam & locum & articulos super quibus erit ipsa congregatio facienda Decretistarum & Medicorum „ prædictorum faciet denunciari Decanis. Datum apud Diuionem 14. Kal. Nou. „ Pontificatus D. Nicolai Papæ III. an. 2.

Similis Controuersia orta quoque olim fuerat inter Decanum Theologiæ & eandem Facultatem Artium quasi propugnatricem Iurium & Dignitatis Rectoriæ: sed tandem sic decisã & terminata est, vt vel Rector ipse viuã voce denunciaret locum & diem Congregationis simulque materiam futuræ deliberationis, vel alius Magister vice Rectoris, vel per schedulam continentem articulos deliberationis. Vnde inter iuramenta quæ præstare tenebantur olim Candidati Artium examinandi apud S. Genouefam, vnum legitur ad hanc rem pertinens, estque eiusmodi.

Item iurabitis quod pro habendo Congregationem Generalem Vniuersitatis Rector *non tenetur petere consensum à Decano Theologorum: sed solum ei denunciare exponendo articulos voce tenus. Et hoc potest facere Rector per seipsum, vel alium Magistrum Regentem in Artibus,*

Item *quod sufficit secundum statutum & Ordinationem nuper factam & instrumenta* per consensum duarum Facultatum, videlicet Theologiæ & Artium, Rectorem vel Magistrum in Artibus, qui adiret domum Decani dictæ Facultatis Theologicæ pro Rectore dimittere *scedulam in Domo continentem articulos, locum & horam, super quibus debet fieri Congregatio Generalis, in casu quo non inueniretur in Domo sua.*

Eodem anno Facultas Artium considerans aditum ad consortium Vniuersitatis patere per examen & licentias primordiales, quarum ipsa erat dispensatrix, conuocatis ad San-Iulianensem ædem Nationibus sic sanciuit.

Vniuersis Christi Fidelibus Rector & Procuratores 4. Nationum cæterique Magistri Regentes Parisius (in Artibus) Salutem in omnium Saluatore. Noueritis quod Nos omnes & singuli considerantes, nostram Facultatem multipliciter esse lapsam, lapsum verò eius cupientes pro totis viribus recuperare, & ad hoc apud S. Iulianum vocati & specialiter congregati de consensu vnanimi nullo contradicente, longo tractatu & diligenti super hoc habito Statuimus & ordinamus, quod nulli Bachelario, *vbicunque licentiatus fuerit inferius vel superius*, (hoc est apud Aulam D. Episcopi Parisiensis, vel apud S. Genouefam) *dies ad incipiendum de cætero assignetur, nisi prius omni fraude remota Rectori iurauerit se determinasse Parisius, vel alibi in alio Studio Generali, vbi sint ad minus 12. Magistri Regentes.* Hinc intelligitur iam tum intercessisse societatem inter alias Vniuersitates & Parisiensem. De Examine et Licentiis.

2. *Statuimus, quod nullus cuiuscunque conditionis fuerit, donec se ita determinasse Examinatoribus iurauerit, ad examen superius admittatur.* Nimirum quia superius Examen quod scilicet habetur apud S. Genouefam, institutum fuit licentiarum causâ, Determinationes verò actus erant, quibus tentabantur & probabantur Candidati ad Baccalariatum in Artibus consequendum.

3. *Statuimus quod* Examinatores *in sua Institutione*, (hoc est cum à Nationibus ad id muneris deliguntur) *iurabunt quod nullum Bachelarium ad examen superius recipient, donec prius iurauerit se determinasse sicut superius est expressum.*

4. *Statuimus, quod si Bachelarius Licentiatus in istis periurus inuentus fuerit, eius licentia, si eius inceperit Magisterium, quoad hoc sibi prorsus denegatâ gratiâ per Scholas & sermones publicè reuocetur.*

5. *Statuimus quod iurent Magistri Bachelarios præsentantes, antequam Bachelarij eorum audiantur, quod si contingeret eos scire, siue ante licentiam siue post, suos Bachelarios, vel quoscunque alios non determinasse, sicut prius est expressum, Rectori quàm citius poterunt, reuelabunt. Hæc autem omnia statuimus, concessimus, volumus inuiolabiliter obseruari super hoc datâ fide cuiuslibet corporali, retentâ tamen potestate diminuendi, addendi, corrigendi, si necesse, & immutandi. In cuius rei testimonium Sigilla 4. Nationum inssimus apponenda. Datum an. 1278. die Veneris post Purificationem B. Mariæ Virginis.*

Anno 1279. 13. Septemb. obiit Stephanus de Aurelianis seu Tempetius dictus 1279.
ex Cancellario Ecclesiæ Maioris & Vniuersitatis factus Episcopus Parisiensis an. 1268. Successorem habuerat in Cancellaria M. Nicolaum, & hic M. Ioannem de Allodio vulgò de Aurelianis dictum, qui cum Vniuersitate liticulas multas exercuit. Ratum tamen & memorabile exemplum præbuit hoc anno simplicitatis & innocentiæ. Nam cum post mortem Stephani de successore ageretur, nec M. Odonis de S. Dionysio Canonici Parisiensis Electio in quem Canonicorum vota consenserant, Nicolao Papæ probata fuisset, seque in Episcopum postulari animaduerteret, tanti oneris metu correptus ad Dominicanos confugit, teste Stephano Stampayo & Chronographo S. Victoris, sumptoque habitu apud eos decessit. Idipsum testatur Guillelmus Nangiacus in lib. de Gestis Philippi III. *M. Ioannes de Aurelianensis*, inquit, *Cancellarius Parisiensis per Papam Nicolaum ad Episcopatum Parisiensem promotus, seculo vale faciens totum dimittit, & in Domo Fratrum Prædicatorum Parisius Religionis habitum assumens Pauper ibidem cum Pauperibus deuotè Domino famulando huius vitæ peregit incolatum.* Item testatur Ioannes à S. Victore sic scribens. *Hoc anno M. Ioannes Aurelianensis Cancellarius S. Mariæ Paris. intrauit* Ordinem *FF. Prædicatorum* Parisius, *cum post obitum Stephani Episcopi Paris. de mandato Papæ ei fuisset collata dignitas Episcopatus Parisiensis.*

Stephano Temperio successit in Episcopatu Ranulfus de Hombloneria, Natione Normanus: pro cuius electionis confirmatione Nicolaus III. commendatitias ad Regem dedit litteras. Ille tamen non successit immediatè Stephano, sed Odoni de S. Dionysio Electo, de quo sic Ioannes à S. Victore. *Eodem tempore M. Odo de S. Dionysio vir magnæ ætatis & profundæ scientiæ electus est in Episcopum Parisiensem Curiamque Rom. ob hoc petiit sed inefficax rediit propter senii debilitatem & manuum tre-*

morum refatatus à Papa. Et postea Ranulphus Natione Normanus Magister in Theologia factus est Paris. Episcopus.

Hocce verò tempore Ottobonus Fliscus qui postea Cardinalis & Papa Adria- V. factus est, erat, Canonicus Parisiensis. Florebant verò litterarum laude illustres inter cæteros *M. Guillelmus Durant* Decanus Carnotensis, postea Mimatensis Episcopus, *Speculator* dictus, multorum Operum author, quæ hodie Doctorum manibus teruntur. *Ægidius Romanus* Augustinensis. *M. Philippus de Ambleuilla* hoc anno factus Decanus Rothomagensis. *Ioannes Pecham* nationis Anglicanæ, ordinis Franciscani, hoc quoque anno creatus Archiepiscopus Cantuariensis à Nicolao III. & Roberto Kilvvarbio Cardinali facto suffectus. Qui Ioannes in Anglia & Parisiis diu Philosophiam & Theologiam professus fuerat: Romæ pariter sacræ Theologiæ Lector apud Franciscanos constitutus: ad quem audiendum conuolare solebant Cardinales & Episcopi, eique in suggestum ascendenti assurgere. Errores quosdam de formarum multiplicitate scriptis suis inseruisse accusatus est. At respondit se olim Thomæ Aquinatis Doctrinam mordicus sectatum fuisse: damnatâ vero à Theologis Parisiensibus eius opinione, quia vnicam formam tuebatur, illis se potius quàm Thomæ adhæsisse: cum & ipse Thomas cuius auditor fuerat, Parisiensis Episcopi & Theologorum Parisiensium iudicio & censuræ suum dogma subiecisset. Qua de re sic scribit Nicolaus Harpsfeld.

Fuit Ioannes Catholicæ Doctrinæ & totius Disciplinæ Ecclesiasticæ acerrimus assertor. Cumque Richardus Knapvvellus Dominicanus quædam è suggesto assereret non satis Catholicæ fidei congrua, euocauit eum ad suum Ioannes Tribunal. Cumque ille se non sisteret, octo illius errores re cum Doctis communicatâ damnauit. Sed Hugo Mancestriæ Dominicanorum Prouincialis interposuit se & Iurisdictionem Ioannis declinare cupiens, asseruit cognitionem contra Dominicanos soli Rom. Pontif. reseruatam. Fuêre tamen, præsertim Dominicanorum Quidam Oxoniæ præses, qoi errorem Ioanni de formarum moltiplicitate impingerent, quodque ea de re mortuum (D. Thomam Aquinatem intelligentes, qui vnicam formam tuebatur) minus candidè perstringeret & roderet. Quorum iniustam ille accusationem iustis rationibus retundit. Nec diffitetur inter Dominicanos & Minores multa & grauia opinionum esse dissidia, ob quæ ægro & dolenti erat animo: quæque summi Pontificis authoritate interpositâ componi primo quoque tempore cupiebat: sed tamen ea cum nulla fidei iacturâ coniuncta, neque in his hærere quæ illam læderent; & fuisse etiam magnam, saluâ tamen & integrâ amicitiâ, inter Philosophos sententiarum varietatem & dissonantiam. Neque se quidem inuidiâ aut contentione huc productum, aut cum Thomæ aut cuiusquam mortui cineribus pugnare, imò mordicus aliquandiu Thomæ, eiusque hac in re sententiam tueri solitum, donec vidisset eam à Theologis Parisiensibus impugnatam, præsentemque Thomam audisset, quâ erat ille animi demissione, Parisiensis Episcopi & Theologorum Lutetiæ iudicio & censuræ se & totum illud suum dogma subiecisse. Quam & decessorem suum Robertum, licet Instituti esset Dominicani, Oxoniæ tamen damnasse ait. Neque recens se, vt aduersarius criminabatur, eam de varietate formarum sententiam secutum, sed ante multos annos eandem constanter Lutetiæ, in Anglia, atque adeo Romæ palam post Alexandrum & Bonanenturam suæ Disciplinæ homines defendisse.

Circa hæc eadem tempora non leuis cum Henrico Episcopo Lincolniensi contentio intercessit Academicis Oxoniensibus, quia ille veteres Academiæ prærogatiuas & Priuilegia labefactare conabatur, præsertim ea quæ pertinent ad Iudices quos sibi è Magistris constituerant Academici. Quæ quidem discordia aliquo pacto sedata & composita, paulo post reuocata est per Oliuarium Episcopum, *ad quem*, inquit Harpsfeldius, *Ioannes Pechamus Cantuariensis scripsit rogauitque, ne Academia negotium facesseret, nève ægrè ferret Scholasticos etsi sua Diœcesis, habere tamen suos Domi* (id. Oxoniæ) *Iudices: cuiusmodi priuilegia & consuetudines in Parisiensi & aliis celeberrimis Academiis vsurparentur, & huiusmodi etiam Priuilegia etiam Iura Ciuilia Academiis indulsisse.* Nempe Fridericus I. cognomento Barbarossa an. 1158. in Conuentu Roncaliensi Authenticam *Habita*, edidit, quâ Scholaribus Bononiensibus Iudices de suo Corpore indulsit.

Eodem

Eodem anno Facultas Artium huiusce Parisiensis Vniuersitatis videns multos è suis Scholasticis vagari, discursare & aliud agere, quàm quod agere deberent, statuit ad coercendam multorum insolentiam qui prætextu Scholaritatis Priuilegiis Academiæ gaudebant & gaudere gloriabantur, vt omnes & singuli Magistri Catalogum haberent & conscriberent suorum Discipulorum scholas suas assiduè frequentantium, vt illi soli deinceps gauderent priuilegiis, eosque pro suis agnosceret & vendicaret Academia, cæteri verò qui scholas minimè aut rarò frequentarent, ex consortio bonorum & ex Academia prorsus excluderentur. Statutum est eiusmodi.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis Rector Vniuersitatis Parisiensis & omnes & singuli Magistri Facultatis Artium Salutem in Filio Virginis Gloriosæ. Attendentes quod propter multitudinem Scholarium nostræ Facultatis, multorum nomina ignoramus, ac etiam qui sunt boni ac legitimi aut fictitii Scholares, discernere non possumus, & aliqui fingunt se esse Scholares nostræ Facultatis, vt & priuilegiis & libertatibus ac etiam Vniuersitatis gaudere valeant & frui, qui tanquam membra putrida à tali corpore seu consortio debent separari. Nam & propter tales multoties Facultas diffamatur & à plurimis vilipenditur, & Magistri dictæ Facultatis modis variis à studio & contemplatione impediuntur, & boni ex talium consortio & persuasionibus se retrahunt in tantum quod non possunt sanè pretiosam acquirere margaritam. Nos volentes super hoc salubre remedium opponere, statuimus ac etiam ordinamus, quod omnes & singuli Magistri dictæ Facultatis & etiam qui in dictâ Facultate sunt incepturi, per eorum iuramenta omni fraude amota nomina propriorum Scholarium scribere teneantur & bonorum cognitionem habeant, vt loco & tempore in omni necessitatis articulo de ipsis legitimum testimonium deferre valeant, vt soli studium insequentes, & erga Magistros tam pro lectionibus Ordinariis quàm Cursoriis, vt moris est, & secundum statum suum debitè se habentes, & eisdem condignam recompensationem facientes, si super hoc à suis propriis Magistris fuerint requisiti, & si Magistri fuerint de his contenti, Priuilegiis & Libertatibus Facultatis & Vniuersitatis gaudere valeant & ad singulos actus in dicta Facultate promoueri. Fictitii autem Scholares & studii persecutores cum bonis non scribantur, sed tanquam inutiles à gremio & consortio Facultatis amoueantur, ita quod absque dispensatione Facultatis ad aliquem actum in Facultate non valeant promoueri, nec priuilegiis & Libertatibus Vniuersitatis gaudeant, sed pro non Scholaribus à quolibet Magistrorum per eorum iuramenta habeantur. Volumus autem & ordinamus quod quilibet Rector in sui Institutione per suum Iuramentum adstringatur, quod præsentem ordinationem per Seruientem Iuratum per Scholas Magistrorum in singulis annis faciat propalari. Volumus tamen quod his non obstantibus omnia statuta & priuilegia vniuersa in omnibus & per omnia inuiolabiliter obseruentur. Et vt hæc habeant roboris firmitatem, Sigilla 4. Nationum præsenti scedulæ sunt appensa. Actum an. Domini 1279. apud S. Iulianum Pauperem die Veneris post festum S. Dionysii.

Hoc idem Statutum legitur in libro antiquo Rectoris ad annum 1289. fol. 74. verso.

Eodem anno Nicolaus Pontifex Romæ apud S. Mariam Maiorem Pontificatus sui anno 3. singulare Priuilegium concessit Magistris Parisiensibus legendi regendique vbique terrarum nullo præuio examine. Iuxta quod cum Cancellarius inaugurat aliquem Magistrum, seu cum docendi licentiam impertitur, sic ait. *Authoritate Apostolica hac in parte mihi concessa Do tibi potestatem legendi, docendi, regendi omnesque actus* Magistrales *exercendi hic & vbique terrarum.* Tale igitur legitur in Chartario Academico priuilegium.

Nicolaus Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Vniuersitati Magistrorum & Scholarium Parisiensium Salutem & Apostolicam benedictionem. Dum attentæ considerationis indagine perscrutamur quod litterarum studia cooperante illo à quo omne datum optimum omneque donum confluit & perfectum; viri efficiuntur scientiis eruditi, per quos litterarum veritas explicatur,

PRIVILEGIVM PONTIFICVM REGENDI VBIQVE TERRARVM SINE EXAMINE.

» erudiuntur rudes, pronecti ad altiora crescunt & fides Catholica inualescit, libenter loco; vbi solent huiusmodi studia & studentes in eis munimus immunitatibus & libertatibus honoramus. Cupientes itaque vt studentes in agro Lutetiæ apud Ciuitatem Parisiensem ad Magisterii brauium animentur & in Facultatibus in quibus cathedrâ decorari, meruerint Magistrali, cunctos valeant erudire, præsentium tenore litterarum decernimus, vt quicunque in Vniuersitate vestra apud Ciuitatem prædictam ab illis per quos consueuit Licentiandis in dictis Facultatibus authoritate Apostolica regendi licentiam elargiri, prout est ibi hactenus obseruatum, examinatus & approbatus fuerit, ab eis licentiam huiusmodi obtinuerit in Theologiæ vel Iuris Canonici aut Medicinæ seu Liberalium Artium Facultatibus, ex tunc absque examinatione & approbatione publicâ vel priuatâ vel aliquo alio nouo principio regendi atque docendi vbique locorum extra Ciuitatem prædictam, liberam habeat Facultatem, nec à quoquam valeat prohiberi, non obstantibus aliquibus contrariis consuetudinibus vel statutis, & siue velit regere siue non in Facultatibus prælibatis, pro Doctore nihilominus habeatur. Nulli ergo hominũ liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire Si quis autem attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem 10. Kal. April. Pontificatus nostri anno 3.

Est & alterum eiusdem Pontificis Priuilegium, quod nondum mihi venit in manus, quo Vniuersitati Parisiensi concessum est, vt quicunqi Doctor in ea fuerit, possit in omnibus aliis Orbis Christiani Vniuersitatibus præcedere quoscunque Doctores eiusdem Facultatis, in qua ipse Doctor fuerit. Iuxta quod Priuilegium non ita pridem D. Hallierius Doctor & Professor Sorbonicus cum Romæ esset Iansenisticæ litis causâ, solemnique Thesi & Disputationi interesset, petiit facultatem aperiendæ huiusmodi disputationis & obtinuit, primusque disputauit.

1280. COLLEGIVM HARCVRIANVM. Anno 1280. M. Radulphus de Harcuria Doctor in Decretis tum Canonicus Eccles. Parisiens. ante verò Archidiaconus Constantiensis, Cancellarius Baiocensis, Cantor Ecclesiæ Ebroicensis, & Rotomagensis Magnus Archidiaconus, eo motus desiderio pioque voto quo tunc plurimi mouebantur, fundare cœpit Collegium quod ab eo Harcurianum nuncupatum est, in gratiam Pauperum Scholarium Normanorum è 4. Diœcesibus istis oriundorum, Constantiensi, Ebroicensi Baiocẽsi & Rotomagẽsi, in quibus primas ipse dignitates Ecclesiasticas obtinuerat. Atq; in eam rem emit quasdam Domos ruinam minitantes, quas ad studentium cõmoditatem ædificauit cum area: sed morte præuentus inceptum tam laudabile non potuit ad exitum perducere. Robertus vero de Harcuria frater eius Constantiensis Episcop. Executor Testamenti longè domos fraternas amplificauit emptis aliis ædibus, commodioresque fecit ad habitandum: vt dicetur specialius in volumine de Fundationibus Collegiorum Academiæ Parisiensis.

Eodem anno 11. Kalend. Septemb. die Iouis in Octauis Assumptionis obiit Nicolaus III. vacauitque sedes menses quinque, dies viginti, donec tandem M. Simon de Bria, S. Cæciliæ Cardinalis, Natione Gallus, Patria Briensis ad Pontificatum promotus est, vt dicetur ad an. sequentem. Sub Nicolao secundæ *Vesperæ Siciliæ* acciderunt. Nam Siculi libidinis & insolentiæ militaris Gallorum nostrorũ impatientes, communicato cum Pontifice consilio, qui Carolo Siciliæ Regi infensus erat, & cum Palæologo Bizantino Imper. qui Gallos nuper ex vrbe eiecerat, & Petro Aragonio coniuratione factâ hoc anno (aliqui scribunt an. 1281.) die Paschæ ad pulsum Campanarum conuocantium ad Vesperas omnes Gallos nihil tale cogitantes supra octo millia cum vxoribus etiam grauidis intra duarum horarum spatium contrucidarunt. Vnde *Vesperæ Siculæ* dictæ. Protinus vero Siculi ad Petrum Arogonium Regem deficiunt, cui Sicilia deberi videbatur iure dotis Constantiæ vxoris filiæ Manfredi, quem Carolus vita & regno spoliauerat. Vt narrat Paulus Æmil. l. 7.

Eodem anno communi fato functus est Albertus Magnus Episcopus Ratisbonensis, insignis ille Theologiæ Magister, ad miraculũ doctus, anno ætatis octoge-

simo (aliis 87.) sepultusque in medio Chori Conuentus sui Coloniensis. *Post quem non surrexit vir similis ei*, inquit Trithemius, *qui in omnibus litteris, scientiis & rebus tam doctus, eruditus, expertusque fuerit.*

Eodem anno iuxta Reformationem in Electione Rectoris seruandam, à Simone S. Cęciliæ Cardinale factam vt supra memorauimus, quatuor Nationes Facultatis Artium apud S. Mathurinum conuenerunt 8. Iannarii, & Conclauis vsum, quemadmodum non ita pridem Romæ ex instituto Gregorii X. in Concilio Lugdun. in Electione Pontificis Maximi obseruari cœperat, instituerunt, scilicet vt 4. *Electores* seu *Quatuor-viri*, quos vulgò *Intrantes* vocamus, singuli à singulis Nationibus delecti præstito iuramento subirent Conclaue, ibique habita inter se inuicem deliberatione, & consultatione nominarent in Rectorem, quem suo iudicio & ex animi sententia iudicarent esse eâ dignitate digniorem. Ne vero Electores illi in sua deliberatione turbarentur, multiplici modo cautum est, vt patet ex hoc Instrumento, quod legitur in antiquis Codicibus Procuratorum.

Statutum Concilium.

Vniuersis litteras præsentes visuris & audituris *Nos omnes & singuli Magistri in Artium Facultate actu Regentes* Salutem in Filio Virginis Gloriosæ. Facta præterita euidenter nos edocent ex dissensione & discordia circa Rectorem habitis nostram Facultatem, nec non totam Vniuersitatem periculis & detrimentis quampluribus subiacere. Nos igitur volentes talibus periculis obuiare & fraudes prout possumus in posterum excludere, ad obseruandam formam eligendi Rectorem Nobis à D. Simone quondam Legato traditam, de communi consensu & assensu omnium Magistrorum specialiter ad hoc vocatorum in Capitulo S. Mathurini an. Domini 1280. 8. mensis Ianuarii duximus statuenda quæ sequuntur & inuiolabiliter à nostris successoribus obseruanda.

Imprimis videlicet, quod *Electores* post iuramentum in præsentia Facultatis factum in vnum locum includantur, à quo recedere non præsumant, nisi Electio fuerit celebrata, excepto duntaxat necessitatis articulo, qui per maiorem partem Facultatis tunc præsentis fuerit iudicandus. Si autem Electores in vnam determinatam personam concordauerint, liceat eis ad immediatum ostium venire, vt Rectorem conuocent, solum loquelâ ad alios & de aliis penitus interdictâ.

Item quod solum per spatium durationis vnius Candelæ, quæ vnius totius Candelæ vulgariter sine fraude de vna libra ceræ supra Ellychnium ponderis octo sterlingorum nouorum de quatuor filis confectum, vt communiter sine dolo eis operatores Candelarum vtuntur factæ. Portio vigesima sexta erit, quæ portio in longitudinem habebit octauam partem vlnæ Parisiensis. Si autem minus pondus ceræ accipiatur, iuxta præcedens consimilis propotrio obseruetur. Quæ Candela in introitu ipsorum ad locum electionis accendetur, & continuè ardebit vsque ad consumptionem eiusdem Candelæ potestatem habebunt elegendi Rectorem ac infra idem spatium eligere teneantur. Si autem in aliquo istorum defecerint, vel aliquis (in Cod. Gall. Nat. legitur, *si aliquis defecerit*) per totum tempus sequentis Rectoriæ ad hoc quod ad quæcunque officia Facultatis vel Nationis eligantur vel eligatur, inhabiles aut inhabilis reddantur, seu reddatur.

Item si aliquis actu Regens siue Rector non missus à tota Facultate vel à maiori parte ad Electores accedat, eâdem pœnâ puniatur.

Item Bedelli Electorum, ne Regens vel non Regens ad dictos Electores accedat, per iuramentum adstringantur. Et si aliquos prædictos Electores accedere contingat, hoc Facultati reuelabunt, eis locutione seu informatione ipsorum prædictorum penitus Electorum interdictis. Si autem aliqui Bedellorum secus fecerint, in aliquorum prædictorum refusione sua Rectoriâ sequenti priuentur.

Item statuimus quod in loco electionis non comedant nec bibant, nec attentius electionem perficiant sub pœnâ interdictâ.

Item statuimus Ordinantes quod prope finem temporis præfatorum Electorum si concordare nequiuerint, singuli Magistri singularum Nationum ibidem existentium iuxta formas suas eligendi in Nationibus obseruatas, alios ad eligendum mittant Electores, continuatione prædictorum Electorum penitus interdictâ. Qui noui Electores omnibus præmissis articulis & pœnâ sicut primi adstringantur.

Si autem prædicti aut maior pars eorundem, quod absit, conuenire non po-

„ fuerint secundum formam & modum prænotatos alii quatnor ad Electionem mittantur celebrandam, qui pensatis commodo & honore punitiones antecedentium „ præ oculis habentes sine temporis dispendio in vnam personam conueniant : si „ conuenire neglexerint, Facultatem in maiori periculo quàm prædicti Electores „ suâ pertinaciâ relinquentes, ex tunc pœnâ prædictâ ad dimidium annum fiat ligari.

„ Item statuimus quod si occasione pœnæ inflictæ aliquis actum legendi dimiserit, inhabilis ad reddendum Principia & Communes Actus tanto tempore reddatur. Si autem aliquem Ciuitatem huiusmodi occasione pœnæ dimittere contingeret, in reditu ipsius prædictum tempus aliquis eâdem pœnâ perficiat, fraude „ qualibet amotâ.

„ Volumus insuper omnes Magistros actu Regentes personaliter interesse vbi Electio erit celebranda, nisi ex legitimo absentauerint se impedimento : & tunc „ Electiones & Prouisiones aliorum remanentium non poterunt absentes impedire.

„ Item statuimus, si cum vltimis Electoribus Rector ad concordandum vocatus fuerit, duobus in vnam personam determinatam, non sub disiunctione, concordantibus eis non velit Rector consentire, eâdem pœnâ cum vltimis puniatur. Et in huius rei testimonium statutis præsentibus sigillum Rectoriæ & sigilla 4. Nationum duximus apponenda. Rasuram etiam approbantes. Datum anno & mense prædictis.

Hic autem obiter notandum Facultatem Artium in Comitiis istis Mathurinensibus explicando statutum Simonis Cardinalis de Electione Rectoris, deque Electoribus, qui debent è Nationibus assumi, nihil quidquam statuere aut dicere de Iunioribus Magistris in Theologia, ad quorum Consilium volebat recurri Cardinalis statuto edito an. 1278. quod supra retulimus, si deficerent in aliqua Natione supposita, nec Procurator in ea vllus esset, aut si Electi non possent in vnum Rectorem conuenire : nihil inquam de illis statuere, quasi id reputauerit suis legibus & auitis consuetudinibus contrarium, forèque aliquando damnosum & nociturum, si toleraretur. Itaque ne quis olim statuto illo Cardinalitio aduersus Nationes vti posset, consultò hoc nouum statutum de Electione Rectoris condidit vnanimi consensu, futurisque temporibus obseruandum tradidit. Neque legimus vsquam fuisse admissum aliquando vllum Doctorem ad eligendum Rectorem. Vnde manifestè liquet, Rectorium munus fuisse semper & ab omni æuo Iuris Nationum, easque semper illud retinuisse penes se, etiam si alia priuilegia commuoia fecerint etiam aliis Facultatibus. Quod quidem ius cum probè teneret prædictus Simon, Electionis officium concedi posse Doctoribus in Theologia voluit, in casu solum necessitatis, scilicet si nullus esset in aliqua Natione Procurator, aut nullum suppositum, vt accidit Nationi Germanicæ an. 1451. vt ad an. 1278. retulimus.

Eodem anno obiit Guido de Soliaco Archiepiscopus Bituricensis factus ex Priore Conuentus Prædicatorum Parisiensi ab Innocentio Pontifice an. circiter 1276. sepultusque est apud Domioicanos, & ante maius altare tumulo lapideo insculptum est tale eius Epitaphium. *Hic iacet Frater Guido Nobilitatis speculum. Cunctis exemplum fuit.* In seculo puer purus, in Claustro morum grauitate maturus, " Lector vtilis, Prior amabilis, in Dignitate Præsul humilis, benignus omnibus, " largus muneribus, sibi parcus. Obiit an. 1280. 3. Non. Martii 9. eiusdem mensis " sepelitur.

CAPELLANIAE VNIVERSITATIS. Circa hæc tempora fundatæ sunt Vniuersitati duæ Capellaniæ ab Abbate & Monachis San-Germano-Pratensibus quadraginta librarum annui & certi reditus ob interfectos ab hominibus seu famulis Monachorum duos Scholares, M. Gerardum de Dola, & filium Petri Sigillarij. Nam cum Scholares de more in Prato luderent, exorta est inter eos & Monachos aut Monachorum Clientes rixa, mense Maio die Veneris post Translationem S. Nicolai, grauisque vtriuque conflictus commissus : in quo illi duo prædicti fuerunt interfecti. Itaque ad duplicem supremam Potestatem confugit Vniuersitas, Pontificiam & Regiam. Simoni Cardinali S. Ceciliæ Legato Apostolico libellum supplicem porrexit & exposuit iniuriam sibi suisque illatam, eamque reparari postulauit, secus se à lectionibus

quod vnicum habebat contra violentas & attoces iniurias, remedium, cessaturam. Legitur in hanc rem Charta hisce Characteribus notata B. 5. A quæ seruatur in Tabulario Vniuersitatis, & est eiusmodi.

Hi sunt enormes excessus, atroces iniuriæ ac scelerata delicta ab Abbate & Monachis S. Germani de Pratis ac eorum Complicibus seruientibus ac hominibus prædictæ Communitatis S. Germani ac aliarum quarumcumque prædictis Abbati & Monachis subiectarum Magistris & Scholaribus Parisiensibus nequiter irrogata, quæ tanquam notoria ac manifesta in foro & nundinis & locis publicis multis astantibus turbis commissa, & cum maxima armatorum multitudine illata, Petunt per Reuerendissimum Patrem D. Simonem Apostolicæ sedis Legatum secundum Deum & Iustitiam emendari, ac in exemplum puniri, vt à similibus alij arceantur, præsertim cum in nullo penitus iniuriatum fuisset prius ipsis Abbati & Monachis ab ipsis Magistris & Scholaribus quando prædicta maleficia ipsis Magistris & Scholaribus fuerunt à prædictis Abbate & Monachis & aliis irrogata. Imprimis dicunt quod cum pridie aliqui de prædictis Scholaribus & Magistris causâ recreationis iuissent ad Campos & præcipuè versus S. Germanum, iidem Abbas & Monachi pulsatâ campanâ pro suis hominibus conuocandis, ac ipsis cornu, tubâ seu buccinis congregatis & in multitudinem maximam coadunatis cum armis, bannis publicis & edictis vociferando præmissis fecerunt generaliter & publicè proclamari ex parte sua ad mortem Clericorum verbis crudelibus, *ad mortem, ad mortem*, inhumaniter pluries repetitis. Præceperunt etiam publicè vt ad tres portas Ciuitatis Parisiensis quæ sunt versus S. Germanum, sui homines & seruientes currerent & cauerent seu seruarent ne ad Ciuitatem pro præsidio seu refugio reintrarent Magistri & Scholares.

Item dicunt præfati Magistri & Scholares, quod post prædicta in instanti quàm plurimi de hominibus & Complicibus supradictis in ipsos Magistros & Scholares strictis gladiis irruerunt.

Item dicunt quod dicti malefactores multos de ipsis Scholaribus & Magistris tractantes nequiter & nequissimè verberantes, post ictus & verbera plura & pluries repetita deiecerunt in terram, ac deinde ad carcerem trahentes, eosdem in horrendis Latronum carceribus detruserunt.

Item inter cæteros *Gerardus de Dola* famosus Bachelarius in Artibus fuit à dictis malefactoribus in capite lethaliter vulneratus: quem fracto Capitis craneo ipsum incîdi oportuit & secari; itaquod de eius vita etiam desperaretur. Fuitque ad carcerem vilissimè ductus ac aliàs multipliciter malè tractatus.

Item *Iordanus filius M. Petri Sigillatoris* fuit sagittis & fustibus & armis aliis ita grauiter vulneratus, quod de eius conualescentia simpliciter desperatur.

Item *Adam de Pontisara* fuit clauâ ferreâ & armis aliis ita grauiter in oculo & facie percussus, quod Medici dicunt ipsum vnum oculum totaliter amisisse.

Item Quidam pauper Scholaris Beneficiarius fuit grauiter fuste percussus & ei bursa cum pecunia amputata.

Item Præpositus S. Germani & alij Monachi armati cum suis Complicibus *in Gaufridum de Troccio, L. de Pruleyo, & R. de Fagiaco* manus intulerunt temere violentas, ac eos euaginatis gladiis grauiter percusserunt, ac vestes eorum laniauerunt, ita quod cappa dicti Gaufridi in terram rupta cadente ei tunica sola remanserit, ac tandem ipsum & alios verberatos durissimè attractos per medias Nundinas & ad maiorem confusionem nudatis maximè capitibus, in quibus nec Capucia ponere permittebant, ad carcerem vilissimum deduxerunt & per diem, & noctem eos ibi tenuerunt. Et istas omnes iniurias ipsi Monachi armati cum suis Complicibus prædictis Clericis intulerunt. Postquam ipsis pacificè se reddiderant, & ipsos in potestate sua tenebant.

Item D. *Stephanus de Lago Presbyter* fuit à prædictis malefactoribus vilissimè incarceratus.

Item cum Malefactores prædicti plures portas Ciuitatis prædictæ custodirent nec Scholares intrare permiterent, sed eos ibi nequissimè tractarent, alij ab aliis malefactoribus per campos & diuersa loca fugati cum armis ingredi sunt compulsi, ita quod de submersione quorundam probabiliter dubitatur.

Item *Magistri R. de Torculari* in Theologia, ac *Ioannes de Roseto* in Medicina actu Regentes, ac alii multi propter prædictos Malefactores omnes Clericos horribiliter persequentes fugere sunt coacti.

" Item *Firminus de Hetopa* Picardus cum redibat de campis in pace, fuit à prædictis Malefactoribus, grauiter fustibus & aliis armis percussus & ad terram prostratus, & postmodum ad Abbatiatum turpissimè ductus, & ad vltimum in vilissimum carcerem intrusus.

" Item cuidam Magistro in Artibus qui in nullo penitus eis iniuriatus fuerat, immò quam poterat, inhibuerat ne ipsis Monachis iniuriarentur, quod paratus est sufficienter probare, cum lancea cappam & vestes omnes perforarunt vsque ad carnem tangendo: & quendam alium Clericum Scholarem qui propter hoc quod ipsi malefactores volebant ipsum percutere in capite, manum ad tuitionem capitis leuauit, cum eadem lancea in brachio grauiter vulnerarunt, ita quod totum os brachii est confractum.

" Fuerunt etiam plures alii Magistri & Scholares à prædictis malefactoribus capti, detenti, dilacerati, mutilati, & de multorum morte timetur. Et de istis fiet aliàs expressius nobis sermo.

" Fuerunt etiam quinque vel sex Scholares seu Magistri de quibus constat quod fuerunt à prædictis malefactoribus fustigati, verberati, vulnerati, incarcerati & aliàs nequissimè tractati, cum quibus prædicti Monachi mediante eorum pecunia multitudine copiosa fecerunt pacem, propter quod sciri non potest adhuc plenissimè qui fuerunt.

" Præter hoc etiam multi de Monachis supradictis cum multis aliis desuper Muros Monasterii S. Germani lapides & sagittas in prædictos Scholares multipliciter immittebant & trahebant.

" Effecta omnia supradicta prædicti Abbas & Monachi fecerunt & temere attentarūt, in nullo penitus prius à Scholaribus seu Magistris eis iniuriato. Et pendentibus nihilominus quæstione & tractatu pacis de mediis finibus inter prædictos Abbatem & Monachos, & Magistros & Scholares qui reuerendissimæ Paternitati vestræ prædicti Magistri & Scholares ostendere noluerunt, quousque super ipsis inquisiuissent plenissimè veritatem. Quæ nisi reuerendissima vestra Paternitas infra tres dies fecerit emendari, tota Vniuersitas à lectionibus cessabit. Istud enim est vnicum eorum refugium, cum sint multitudo alienigenarum inermis, quibus ab indigenis atroces iniuriæ frequentius irrogantur. Et ista prædicta flagitia perpetrata fuerunt die Veneris post festum Translationis S. Nicolai. Si qua autem grauamina à Ribaldis vel aliis personis ipsis Abbati & Monachis fuerint illata, hoc fuit die Sabbati sequenti.

Quid in hanc rem statuerit Simon, non liquet. Sed & ipsa Vniuersitas Regem Philippum adit conqueritur de vi & impetu facto in suos. Audiuntur quoque Monachi: & re in deliberationem adductâ & communicatâ cum Consilio Regio, cuius tunc primas & præcipuas partes implebat Mathæus Abbas S. Dionysii, Rex solenniter edixit, vt ad expiationem tanti sceleris Abbas & Monachi San-Germano-Pratenses fundarent & dotarent duas Capellanias in perpetuum ab Vniuersitate possidendas: alteram in æde sacrâ D. Catharinæ de Valle-Sholarium 20. Librarum annui reditus: alteram in Capella S. Martini de Ordeis iuxta muros Abbatiæ, totidem librarum: in quâ ab omni æuo celebrabant missam ante ludum. Itaut Vniuersitas prædictarum Capellaniarum Patrona esset, & in perpetuum præsentatrix. Quæ sententia & multa adeò Monachorum affecit animos, vt ius quoddam quod percipiebant in Nundinis S. Germani Regi maluerint dimittere, vt 40. libras in se susciperet persoluendas, quàm perpetuâ solutione fatigari, quam prouidebant fore multarum aliarum rixarum causam. Hac de re dicitur ad an. 1287.

Et hæc sunt duo prima Beneficia, quantum ego arbitror, quæ possedit Vniuersitas, nisi forte existimemus Capellam S. Martini de Ordeis ad eam pertinuisse. Non statim verò, vbi constituendi fuerunt Capellani & nominandi, conuenerunt inter se Facultates & Nationes de modo conferendi prædictas Capellanias: vt ad an. 1289. dicemus.

1281. Anno 1281. M. Simon de Montpiencien in Bria oriundus vt scribit Ioan. San-Victorinus, post Nangium vel vt alii Patria Turonensis, Cardinalis S. Ciciliæ per multos annos legationis functus Officio in Gallia, Parisiensibus in scholis enutritus, eiusdem Academiæ Reformator, 8. Kal. Martii ad supre-

mum Pontificatum euectus est; Martinus IV. vocari voluit plaudentibus omnibus bonis, præsertim verò Vniuersitate Parente, tanto Alumno dignitatem tam excelsam gratulante. Nec immeritò: multa enim ab eo beneficia accepit, multique ex Academicis, ipsi dum in scholis esset & legatione fungeretur, noti ab eo ad Cardinalatus honorem aliasque Prelaturas promoti sunt. Inter cæteros verò *Gaufridus de Barro* Decanus Ecclesiæ Parisiensis titulo S. Susannæ donatus est. *Geruasius* eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus, seu vt aliqui scribunt Decanus, Patriâ Cenomanensis, *Giancoletus de Clinchamp* dictus, quos duos viros vocat Massonius *idoneos & rerum vsu præstantes*. *Ioannes Choletus* magnæ pietatis Theologus, cui Academia Parisiensis se obligatam fateatur necesse est, vel ob hoc solum quod Collegium Choletorum fundarit & ædificarit. *Simon de Bello-loco Briensis* seu de BriaCampaniæ Gallicanæ ex nobili Belli-locensium familia ortus, Archidiaconus Carnotensis primùm deinde Pictauiensis, tum Canonicus Bituricensis & S. Martini Turonensis, postea Archiepiscopus Bituricensis cedente Ioanne de Soliaco, postremò Cardinalis Prenestinus titulo S. Ceciliæ factus. Eum Martinus in quodam diplomate vocat *Magnis scientiarum dotibus præditum, conuersatione laudabilem, honestate decorum, morum elegantia redimitum, variisque gratiis ac virtutibus insignitum*.

Eodem anno plurima videmus fuisse in Vniuersitate dissensionum semina inter Nationes & Nationes, interque Nationes & Facultates. Nam primò, quoniam Nationes primigenias se reputabant & à Carolo M. institutas & fundatas, Facultates verò adiectitias tantummodo, & ab anno circiter 1260. in consortium & societatem admissas, nolebant priuilegia sua tam à Regibus quàm à Pontificibus obtenta Facultatibus communicare, neque Facultatum facta aut lites patiebantur Vniuersitatis nomine sustineri. Nihilominus pro bono pacis, quandoquidem illæ fuerant amicè in societatem admissæ, æquum tandem visum est extendere priuilegia eisque communicare, & facta Facultatum facta Vniuersitatis reputare, adeo vt si vna Facultas litem intentare aut sustinere cogeretur, nomine Vniuersitatis vti posset. Dissidia in Vniuersitate.

Occasio autem iniuriæ Medico cuidam illatæ causa fuit mouendæ huiusce Quæstionis. Nam questus primum apud suam Facultatem Medicus, & ipsa Facultas similiter apud Vniuersitatem, ipsam impulit ad cessandum à lectionibus multis licet reclamantibus, aientibusque concessa fuisse Priuilegia Vniuersitati seu 4. Nationibus olim totam Vniuersitatem componentibus, non verò Facultatibus, ac proinde irrogatam vni Facultati iniuriam non debere ad extrema illa remedia Vniuersitatem compellere. Cessauit tamen Vniuersitas. Rex eam rogatam voluit, vt Lectiones resumeret: resumpsit, sed vicissim obtestata est vt priuilegium anno 1200. à Philippo Augusto concessum, deinde à Ludouico IX. an. 1229. innouatum, immo & ab ipso Rege tunc regnante instauratum obseruaretur ad amussim, simulque vt Medico læso abunde satisfieret.

Extat in hanc rem Decretum Vniuersitatis factum apud S. Iulianum Pauperem, qui locus Comitialis erat 4. Nationum, & tale seruatur in Tabulario publico sub hisce Characteribus. A. 22. C.

Anno ab Incarnatione Dom M CCLXXXI. die Iouis post festum sancti Martini Æstiualis, apud sanctum Iulianum Pauperem Parisius congregati Magistri omnium Facult. nomine totius *Vniuersitatis*, & pro *Vniuersitat.* tam Magistr. quàm Scholarium in resumendis lectionibus, vnanimiter censuerunt sub forma quæ sequitur: videlicet vt *Dominus Rex* adeatur personaliter ex parte Vniuersitatis: & sibi dicatur: *Domine Rex* ad preces vestras, & ob reuerentiam vestram Magistri volunt resumere lectiones suas, sub spe tamen firma quod *Priuilegium* inclytæ recordationis Domini Philippi quondam Regis Francorum, innouatum per Patrem vestrum, & etiam per Vos, in perpetuum illibatum nobis obseruetur. Item, sub spe firma, vt si non est *emenda sufficienter præstita Medico læso*, vt æquum præstetur, siue fiat. Statutum Vniuersitatis.

Item sub spe vt prius, vt de articulo quem dicitis vobis de nouo propositum, fiat fidelis inquisitio, scilicet per illos qui sciunt veritatem, & secundum inquisitionem fiat iustitiæ complementum. Conuenerunt etiam præfati Magistri (Medici) pro se & Bachelariis suis qui secum antea conuenerant, vt si super præmissis non

„ fuerit iustitia facta infra octauas Natiuitatis B. Mariæ, quod ipsi erunt in eodem
„ statu cessandi in quo erant ante tempus dictarum Conuentionum.

„ Volentes iidem Magistri pro se & Bachelariis suis prædictis, quod si dictis con-
„ uentionibus aliqui inueniantur rebelles, nomine Vniuersitatis ii nuno priuentur &
„ priuati tunc denuncientur consortio totius Vniuersitatis. *In quorum testimonium & munimen sigillum Vniuersitatis duximus apponendum.* Factum fuit hoc Decretum die forte 5. aut 6. Iulii: nam Translatio S. Martini æstiualis incidit in 4. non. Iulias, seu in diem 4. mensis Iulii. At quia nonnulli reclamauerunt, vt dictum est supra, Priuilegia Vniuersitati concessa non esse extendenda ad Facultates, idcirco certè quia recentia erant corpora Vniuersitatique recens adiuncta, ipsa Vniuersitas post paucos dies (forte 8. 9. aut 10. Iulii) iterum conuenit apud San-Iulianum, & Beneficia Regum & Pontificum benignè interpretata decreuit ea esse ad Facultates etiam extendenda, & Facultatum facta censeri debere facta Vniuersitatis. Decretum est eiusmodi.

Omnibus in Christo fidelibus ad quos præsentes litteræ peruenerint, *Vniuersitas* Magistrorum Parisius in quacunque Facultate regentium, in eo qui salus est animarum, Salutem. Noueritis quod nos *Vniuersitas* prædictorum Magistrorum, pro Nobis, & Scholaribus nostris, vtilitate communi pensatâ, & ad ora malignorum claudenda, dicentium quod facta Facultatum non sunt facta Vniuersitatis, priuilegia eiusdem minuere siue potius annichilare cupientes, non attendentes quod Principum beneficia sunt latissimè interpretanda, Anno ab Incarnatione Dom. MCCLXXXI. die Sabbato, post octau. beatorum Apostol. Petri & Pauli, hora ad capitulum iam pulsatâ exspectatâ, à prima eiusdem diei, congregati apud Sanctum Iulianum Parisius prout moris est, vocatis omnibus qui debuerunt euocari, hac edictali constitutione ad perpetuam rei memoriam declaramus *Facta Facultatum Theologiæ, Decretorum, Medicinæ, & Artium*, in quantum illa facta respiciunt *Priuilegia* Vniuersitatis seu *negotia*, esse *facta Vniuersitatis*, & per *Vniuersitatem*, & nomine *Vniuersitatis* debere fieri prosecutionem canonicam, & debitum sortiri effectum: in cuius rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostræ Vniuersitatis iussimus apponendum. *Datum anno, die, & hora prædictis*, nempe die forte 8. 9. aut 10. Iulii; nam Octaua Apostolorum est pridie non. Iulias, quæ est dies 6. Iulii.

Non erit forsan extra rem notare hocce Decretum & Statutum ad perpetuam rei memoriam conditum fuisse in æde San-Iulianensi: quò Nationes ab antiquo conuenire solebant ad deliberandum. Cum enim illæ quæ antiquam Vniuersitatem solæ componebant, sua Priuilegia Facultatibus communicare vellent, id in loco proprio & loco Maiorum præsentibus omnium Facultatum Magistris sanxerunt & constituerunt.

DISCORDIA INTER NATIONES ANGLICAM ET PICARDICAM.

Eodem quoque anno ortaest grauis seditio animorumque dissensio inter Scholasticos Anglicanæ & Picardicæ Nationis, hac vt fertur de causa. Angli contendebant sibi deberi secundum in Vniuersitate Parisiensi inter Nationes locum & ordinem: propterea quod ab ipsis Vniuersitatis incunabulis instituti fuissent, vnique se debere Nationi Gallicanæ cedere, eo quod in ipsius fundo essent. Contra Picardi locum suum iam à multis annis sibi attributum tueri volebant, quem Anglicana Natio contra possessionem nec vi nec clam nec precario per plura secula habitam à paucis tantum annis sibi arrogare præsumpserat. Vt patet ex quibusdam statutis Cardinalis S. Ceciliæ, in quibus post Gallicanam Nationem constat connumerari Picardicam, deinde Normanicam, postremò Anglicanam. Itaque petitionem Anglorum nouitatis notabant.

Replicabant Angli nihil hac in re se innouasse, vsurpatumà Picardis locum resumere voluisse. Nec forte illud omittebant, quod à Primordiis Vniuersitatis duæ Nationes eam totam composuissent, Gallicana & Anglicana; Anglisque potissimum eiusdem deberi institutionem, qui conuenientes Carolum M. ab eo locum ad docendum opportunum obtinuerant, & quæ ad victum vestitumque necessaria erant. Cæteras duas Nationes non nisi longo post tempore adiectas: neque proinde tam latè patere quàm Gallicanam & Anglicanam, quæ primigeniæ erant & primitus institutæ. Quamobrem inferebant saltem sibi secundum

cundum locum deberi, si non primum. Adhæc Picardi: De antiquitate rem non esse neque quæstionem, & vtcumque se res habeat de prima Academiæ Parisiensis fundatione & compositione ex Nationibus, certè cum Picardica & Normanica de Gallia sint, Gallicanæ accenseri, & veluti membra capiti suo adiungi debere: Normanicam ipsam ad tertium locum recessisse, eo quod Principi extraneo nimirum Rolloni Normanorum Duci & successoribus, deinde Anglorum Regibus data fuisset ad possidendum & tegendum. Atque ideirco iniquum esse videri, vt Extranei primas partes in Gallia tenerent, & Parisiis; sicut nec æquum esset, vt Rex Anglorum in Consilio Gallicani Regis & in Regni administratione Ministros haberet qui primas partes gererent.

De verbis tandem ventum ad verbera. Inceptam à Scholasticis rixam fouebant ipsimet Magistri, & vbicunque alii aliis occurrebant, vesano impetu & rabie succensi in se inuicem procurrebant: adeoque turba seditioque inualuit, vt Picardi cedere & patriis se finibus continere coacti fuerint, tanta tum erat Anglorum vis, tantus numerus. Huius discordiæ meminit Guill. Nangius in vita Philippi Regis, his verbis. *Parisius inter Clericos Picardicæ Nationis & Anglicanos ibidem Scholares tanta fuit discordia, quod Studium omnino Parisius deficere crederetur. Nam domos Picardorum confringentes tantâ debacchatione in ipsos irruerunt quod nonnullos occidentes, cæteros de Ciuitate Parisiensi ad suas partes fugere compulerint.* Similiter Ioannes de S. Victore. *Circa eademtempora in Parisiensi Vniuersitate maxima fuit discordia & post pugna, Clericis namque Anglicis & Picardis pro quibusdam causis temere inter se diffidentibus fere ibi studium deficere credebatur. Insultus nempe facti sunt & congressus inter eos, Anglicique cum armis & viribus tunc præpotentes Picardos fugauerunt fractis quoque eorum domibus & ipsorum aliquibus interfectis & pluribus vulneratis extra Parisius fugere coegerunt Picardorum Nationem, donec postea pax inter eas facta fuit. Dicebatur autem vulgariter Picardos hanc pugnam primo & originaliter incepisse.* Hæc ille breuiter de discordia, de causa verò discordiæ nihil quidquam. At Scriptor quidam Anglus, cuius nomen incompertum hactenus est, sed certè antiquus, & fortassis horumce temporum, aut non longè ab hisce temporibus, causam refert quam supra retulimus. Sic igitur ille.

Successit Nicolao Papæ an. 1281. Martinus vir Natione Turonensis. Hic autem " dictus fuit Simon, solennis Legatus in Franciam, sed specialiter pro sedanda dis- " cordia inter Scholares. Nam Sathanas seminauerat inter eos quasi schisma, vt " quæque Natio contenderet Primatum Vniuersitatis ad se pertinere. Veniens au- " tem Legatus & controuersiam audiens *pro lege promulgauit esse Anglos Pri-* " *mariam illius Study Nationem.* Nam Beda, ait, Romam petens, primus omnium " Scholas Parisius veniens tenuit, sacramque Theologiam ab Euangelio S. Ioannis " inchoans dum primus ordinariè legit, omnibus aliis scientiis post se aditum pan- " dit.

Hic author multa veris falsa immiscet, tum hic, tum in suo de Cantabrigiensis Academiæ fundatione libello, quare ab Harpsfeldio infirmæ fidei Historicus appellatur. Hoc vero loco vt homo suæ Nationi nimis addictus duo fingit. 1. Quod Simon Cardinalis, homo Gallus & huius Academiæ alumnus primum locum tribuerit Nationi Anglicanæ. Quod si statuisset, extarent certè alicubi huiusce statuti vestigia, quæ nulla extant. Alterum, quod Beda Lutetiam venerit, quem omnes fere Anglicani scriptores negant vnquam è patria exiuisse. Et, si Romam profectus fuisset, Parisiisque moratus aliquandiu docuisset, non id profectò Cuthbertus eius Discipulus, qui Magistri vitam accuratissimè scripsit, hanc partem, quæ præclarissima fuisset, omisisset. Cæterum quanquam fabulosa ista misceat, veram tamen discordiæ causam retulisse videtur. Et hinc est sine dubio, quod Simon Cardinalis in statuto an. 1278. cauit speciali articulo, quod si contingeret aliquando Nationem aliquam carere Procuratore, ac proinde suppositis, vt Picardicæ tunc contigit, quæ omnino expulsa est, assumendus esset pro eligendo Rectore nouus Doctor in Theologia. Neque enim discordia nata tantum est hoc anno, sed eam adhunc annum refert hic author occasione Pontificatus Martini IV. qui cum Cardinalis esset & Legatus, illam composuerat, non quidem eo quo dicit modo, sed ita vt Anglicana postremum quem nunc habet, locum occuparet. Porro cum sæpe duæ illæ Nationes inter se contenderent tum de pri-

matu, tum de amplitudine suæ ditionis, anno tandem 1358. latum est de finibus vtriusque Decretum: & lites conticuerunt.

Similes discordiæ inter Scholares diuersarum Nationum in Oxoniensi Academia sæpe contigerunt, teste Henrico Knygtone, qui ad an. 1273. vnam refert. Item alias ad annos 1334. 1388. & 1389. quam postremam sic describit. *In Quadragesima orta est dolorosa discordia in Oxonia, discordia anni præcedentis ad plenum nondum sopita, sed semper partes adhuc irritante. Nam Wallani Scholares semper inquieti adhærentibus sibi Australibus Scholaribus insurrexerunt contra Boriales Scholares: & hinc inde multæ mortes inter eos euenerunt. Et in tantum increuit istud dissidium, quod dies Campestris prælij in Campo præfixus est inter partes. Sed Deo mediante & Thoma Wdestoke Duce Glocestriæ se intermittente cum minori damno conquieuit, & multi de Wallanis baneriti sunt ab Vniuersitate Oxoniæ: & in recedendo per alios Scholares Boreales ad hoc paratos ad portas villæ in recedendo oscula afferre compulsi sunt.*

Erat & alia discordia tunc temporis in Vniuersitate inter Academicos & Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, qui postea dissidiorum suorum disceptationem ad Martinum, quem in rebus Academicis instructissimum esse nouerant, remiserunt. Interim verò Academico Decreto interdictum est ne vllus adiret *inferius* examen, sic enim vocabant Examen illud quod fit in aula D. Episcopi Parisiensis. *Superius* verò, quod in Monte San-Genouefiano apud Cancellarium Abbatiæ exercetur. Et tum existimant aliqui institutum fuisse à Scholaribus propria authoritate Cancellarium nouum, qui licentias impertiretur: idque probant è Manuscripto quodam Chronico Ecclesiæ Rothomagensis è Bibliotheca Sorbonæ ad hunc annum 1281. vbi sic legitur. *Scholares Parisienses instituerunt quendam Cancellarium propria authoritate contra libertatem Ecclesiæ Parisiensis.* Cuius Chronici historiam ita breuiter enarratam Claudius Hemeræus collatis inter se vetustis chartis sic putat esse contexendam in libello de Academia Parisiensi cap. 8.

Discordia cum Cancellario Par.

Erat, inquit, *tunc Cancellarius Ecclesiæ M. Ioannes de Aurelianis. Hunc autem cum alias ob causas, tum vel maximè quod Fernandum Regis Aragoniæ filium nullo examine ante tentatum legendi licentia Diuinitatisque Magisterio coronasset, & Pontificias Gregorij IX. Innocentij IV. Alexandri IV. Bullas hac indulgentiori concessione suggilasset, retulit ad Romani fori Cancellos Academia inter Reos, Cancellariumque suffecit alium propria authoritate, vt Chronici author scribit, sed antiqui ritus formulæque post longam litis contestationem tandem redierunt.* Itaque verba Chronici sic intelligenda sunt, vt Academici expulso Ioanne Aurelianensi de Cancellariatu, alium ipsi propriâ authoritate substituerint, & creauerint, ab eoque licentias impetrauerint. Quod cum videretur factum in contemptum Episcopalis & Papalis authoritatis & dignitatis, quoniam summi Pontificis & Episcoporum est benedictionem Magistralem impertiri, aut certè aliis suam authoritatem committere, qui impertirentur, lis ista ab Episcopo & Capitulo Parisiensi ad Curiam Romanam delata est, quò profectus est Gaufridus de Barro eiusdem Ecclesiæ Decanus: vt ex sequentibus patebit. Nam diu causa disceptata est, & decem annos & amplius forum Romanum tenuit tam propter momenta rationum, quàm propter Partium contendentium authoritatem & dignitatem: nec facile inueniebatur apud exacerbatos animos amicæ conciliationis modus; illinc Capitulo Ecclesiæ Parisiensis, hinc Illustrissimâ orbis Christiani Academiâ decertantibus. Quis autem fuerit ille Cancellarius ab Academicis substitutus in locum Ioannis de Aurelianis, non memini me legere. Sed certum est Ioanni legitimè successisse M. Philippum de Thoriaco Camerarium olim Ecclesiæ Parisiensis, vt notat Hemeræus, qui Romam profectus ad prosequendam litem contra Academicos, ibidem obiit an. 1285.

Eodem anno post celebrem Prælatorum Gallicanorum Conuentum, vbi actum est de miraculis Ludouici IX. Francorum Regis eiusdémque apotheosi, eorum nomine missi sunt ad Curiam Romanam insignes duo Episcopi Guillelmus de Perruchio Carnotensis, Martini Pontificis nepos, & Guillelmus de Mascon Ambianensis, in Artibus excellens, Decretorum Doctor, eloquentiâ conspicuus, ipsius Ludouici olim Clericus seu Capellanus, vt à Martino tanti Regis multis miraculis in dies magis & magis coruscantis apotheosim, seu, vt vulgò dicitur, ca-

nonizationem impetraret. At ille licet Gallicano splendori impensissimè studens prius tamen in veritatem miraculorum inquiri iussit, ne quis acciperet inde de sede Pontificia detrahendi occasionem, si non præmisso examine eum Cœlitibus adscriberet, licet omnium confessione sanctissimum. Ergo 10 Kal. Ian. binas dedit ad Prælatos Gallicanos litteras. Quarum tenor est eiusmodi.

Martinus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Remensi, Rotomagensi, Senonensi & Turonensi Archiepiscopis, & Beluacensi, Lingonensi, Catalaunensi, Laudunensi, Nouiomensi, Siluanectensi, Ebroicensi, Parisiensi, Trecensi & Meldensi Episcopis Sal. & Apostol. Bened. Cordi vobis esse perpendimus pium claræ memoriæ Ludouici Francorum Regis negotium vestris patentibus litteris Nobis per venerabiles fratres nostros Simonem Carnotensem & Guillelmum Ambianensem Episcopos, quos nuper ad Apostolicam sedem pro eiusdem promotione negotii destinastis, exhibitis & diligentius intellectis. Reuera tam piæ sollicitudinis studium, quod nobis de huiusmodi promouendo negotio indidistis, & zelum dignissimæ Charitatis, quâ super hoc mens vestra feruere dignoscitur, plenis in Domino laudibus commendamus. Porro in nostra constituti præsentia Episcopi memorati nobis ex parte vestra inter cætera quæ illorum Discretio circunspecta proposuit, cum instantia supplicarunt, vt cum Omnipotens Deus iam multis magnis miraculis prædictum Ludouicum Regem cœlestibus associatum Principibus reuelauit, eundem Ludouicum tanquam emeritum sanctorum adscribi Catalogo mandaremus. Nos autem gerentes cordi negotium & eius promotionem celerem & felicem cupientes, prædictos Episcopos benignè audiuimus, & quæ proponere voluerunt, intellleximus diligenter. Sanè vestram nolumus latere notitiam, quod etsi sedis Apostolicæ Prouidentia circunspecta in agendis quibuslibet quæ mundi qualitas ingerit diligenter, solicitè ac maturè procedat, cum ab ipsa vt pote Vniuersorum Magistra fidelium nihil reprehensibile, nihil ambiguum, nihil obscurum sed cuncta potius recta, certa & lucida debeant emanare, in huiusmodi tamen negotiis in quibus de Canonizationibus agitur aliquorum, exactissimam deliberationem, summamque grauitatem ac maturitatem omnimodam noscitur obseruare. Vnde Nos huiusmodi laudabilem obseruantiam prosequentes ac studiis attendentes sollicitis, quod quantò solennius, quantò grauius, quantoque maturius & curiosius in hac parte proceditur, tanto id proculdubio ad ipsius Ludouici Regis laudis cumulum potioris, ac etiam Charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum Illustris, & Domus Regnique suorum honoris & exaltationis accedit augmentum, tibi Frater Archiepiscope Rothomagensis & venerabilibus fratribus nostris Antissiodorensi & Spoletano Episcopis inquisitionem super vita, conuersatione ac miraculis ipsius Ludouici Regis solemniter faciendam per nos committimus litteras speciales, sicut in eis plenius continetur. Non intendentes in iis quæ authoritatem litterarum felicis recordationis Nicolai Papæ Prædecessoris nostri per Nos super eodem sunt acta negotio per inquisitionem huiusmodi in aliquo derogare: quinimo illa rata esse volumus atque firma. Fraternitatem itaque vestram rogandam attentè duximus atque hortandam, quatenus huiusmodi Apostolicæ sedis processus licet ad tempus effectum negotii differre videatur, vestris molestus aut grauis affectibus non accedat. Nam authore illo qui potest omnia sicut speramus & credimus, cooperabuntur ad bonum: & exinde id ad quod tam vestra quàm nostra super hoc tendit intentio, facilius & efficacius producetur ad Dei dictique Ludouici Regis laudis & gloriæ, ac præfati Philippi Regis & Domus Regnique suorum honoris multiplicis incrementum. Datum apud vrbem Veterem 10. Kal. Ian. Pontif. nostri an. 1.

Idem Pontifex aliis suis litteris eadem die datis specialius mandat Guillelmo de Flauacuria Archiepiscopo Rotomagensi & Guillelmo de Gres Episcopo Spoletano vt inquirant, seu potius vt inquirere pergant in eiusdem Sancti Regis vitam. Quam inquisitionem ipse, cum sub Nicolao Papa Legationis munere fungeretur in Gallia, inchoarat.

Martinus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus... Intellecto dudum felicis recordationis Gregorius Papa Prædecessor noster, quod om-

„ nipotens Dominus qui facit mirabilia magna solus, grandia & aperta miracula „ pro claræ memoriæ Ludouico Rege Franciæ faciebat, voluit præsupponens vi„ tæ ipsius Ludouici notam tibi existere sanctitatem, vt de huiusmodi miraculis „ per cuiusdam secretæ iudagatiois modum, Nos tunc in minori Officio constituti „ & Legationis fungentes officio in partibus Gallicanis nostrum informauimus „ animum sibi postmodum informationem huiusmodi transmissuri. Quare Nos de „ prædictis miraculis indagantes ac de ipsis plenius informati præfato Prædecesso„ ri nostram super hoc Informationem duximus destinandam, quæ ad ipsum cum „ fuisset morte præuentus non potuit peruenire. Succedente autem piæ memoriæ „ Innocentio Papa Prædecessore nostro, Gregorio prælibato Nos eidem Innocen„ tio prædictam Informationem curauimus intimare. Quo sicut Domino placuit „ rebus humanis exempto huiusmodi negotii processus extitit retardatus, piæ quo„ que memoriæ Ioanni Papæ Prædecessori nostro Informationem direximus su„ pradictam, qui priusquam super hoc aliquid ordinaret, diem clausit extremum. „ Cumque postmodum felicis recordationis Nicolao Papæ Prædecessori nostro in„ formationem misissemus eandem, & Charissimus in Christo filius noster Philip„ pus Rex Francorum Illustris ab ipso Nicolao Prædecessore solennibus propter „ hoc ad eum Nunciis destinatis cum instantia postulasset, vt faceret ad miraculo„ rum & meritorum ipsius Ludouici Regis publicam inquisitionem procedi, præ„ fatus Nicolaus Prædecessor scire volens super hoc plenius veritatem, Nobis ad„ huc in partibus existentibus supradictis per suas sub certa forma dedit litteras in „ mandatis, vt quid de præmissis & circunstantiis eorundem ac aliis quæ pro iam „ dicto Ludouico Rege virtutum Dominus miraculosè fuerat operatus, Nos in „ plena contingeret veritate percipere, clarè & distinctè ei per omnia seriosius scri„ bere curaremus, vt relationibus nostris euidenter ac seriosè perceptis lucidius ap„ pareret, quid in eis prouidendum existeret, ac in posterum respondendum. Vn„ de Nos huiusmodi receptis litteris, diligenter processimus super iis, & quæ inue„ nimus, eidem Nicolao Prædecessori plenius & apertius duximus intimanda. Qui „ huiusmodi Processu nostro recepto illum Venerabili fratri G. Episcopo Sabinensi „ tunc XII. Apostolorum Presbytero & Dilecto filio nostris I. S. Eustachii Diaco„ no Cardinalibus discutiendum commisit. Sed eodem Nicolao Prædecessore na„ turæ debitum persoluente vlterius processum non extitit in negotio supradicto. „ Porro Venerabiles fratres nostri Simon Carnotensis & Guillelmus Ambianensis „ Episcopi nuper ad nostram præsentiam accedentes, ex venerabilium fratrum no„ strorum Remensis, Senon. Turonens. Archiepiscoporum ac quamplurium Suffra„ ganeorum suorum, & etiam aliorum quorundam Regni Franciæ Prælatorum par„ te Nobis humiliter supplicarunt, vt præfatum Ludouicum Regem, quem prout „ eorundem Archiepiscoporum, Suffraganeorum ac Prælatorum missæ nobis litte„ ræ continebant, iam inter cœlestis aulæ Principes collocatum, pro ipso facta mi„ racula profitentur, Sanctorum adscribi Catalogo mandaremus. Nos autem, etsi ge„ ramus specialiter cordi negotium, ac eius votiuum & celebrem exitum propen„ sius cupiamus, attendentes tamen quod quanto solennius quantoque maturius „ & solicitius in hac parte proceditur, tanto id proculdubio ad ipsum Ludouici Re„ gis accedet laudis cumulum potioris ac de vestra multiplici probitate in multis „ & arduis probata multotiens specialem in Domino fiduciam obtinentes, fraterni„ tati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus ad Monasterium S. Dio„ nysii in Francia Parisiensis Diœcesis, vbi ossa eiusdem Ludouici Regis requiesce„ re dignoscuntur, & vbi Dominus pro ipso miracula specialius proponitur fuisse „ operatus, aut alium seu alia loca, de quibus expedire putabitis, vos personaliter „ conferentes de iam dictis & aliis quibuscunque etiam nouis miraculis, ac vita & „ conuersatione ipsius Ludouici Regis secundum articulos, quos vobis sub Bulla „ nostra transmittimus, interclusos cum omni diligentia & sollicitudine inquiratis „ & quæ super iis inueniri contigerit, in scriptis redacta fideliter ad sedem Aposto„ licam sub sigillis vestris inclusa quantocius transmissuri. Si verò testes aliqui reci„ piendi super præmissis occurrerint, qui propter loci distantiam & infirmitatis im„ pedimentum vos commodè adire nequiuerint, vel vos accedere absque incom„ modo non poteritis ad eosdem committendi discretis aliquibus in casu huiusmo„ di vices vestras præsentium vobis authoritate concedimus potestatem. Per com-

missionem autem inquisitionis huiusmodi vobis factam nequaquam intendimus" iis quæ authoritate prædictarum litterarum ipsius Nicolai Prædecessoris per nos" super huiusmodi negotio acta sunt in aliquo derogare: quinimo illa rata esse vo-" lumus atque firma. Quod si non omnes his exequendis potueritis vel volueritis" interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum ad Vrbem veterem 10." Kal. Ian. an. 1."

Idem Pontifex Martinus eodem anno qui fuit Pontificatus eius primus, Ecclesiam S. Martini in qua Canonicus & Thesaurarius fuerat, nobili priuilegio decorauit. Cui quàm multa deberet, his litteris significat.

Martinus Episcopus S. Seruorum Dei Dilectis filiis Decano & Capitulo Ecclesiæ Beatissimi Martini Turonensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis salutem & Apostolicam benedictionem. Specialis illa dilectio, quam ab olim apud venerabilē S. Martini Turonensis Ecclesiam ex sinceræ deuotionis integritate concepimus, sollicita nos pulsat instantia, vt eius vtiliter obuiando dispendiis & ipsius quieti prouidendo salubriter, ipsam priuilegiis decoremus insignibus, & condignis fauoribus foueamus; hæc enim gloriosi Præsidis soffulta præsidiis præter illa deuotionis & honoris obsequia, quæ ob reuerentiam eius, cuius sacratissimū Corpus in ea celebri memoria requiescit, toto orbe terrarū generaliter promeretur ab omnibus, eo specialibus est à nobis amplioris honoris excolenda, quo peculiaris quodammodo reuerentiæ debito, ratione multiplici ex cordis intimis eidem adstringimur, & dudum ante susceptum Apostolatus officium ab ipsa nos beneficia potiora meminimus percepisse. In hac siquidem veneranda Dei Ecclesia magnificis laudum attollenda præconiis, quæ velut Mater benefica non sine suauitatis maternæ dulcedine suis nos diutius lactauit vberibus. Canonicatum Præbendamque ac Personatum nobilem Thesaurariæ suscepimus, ac ipsos cum multis honoribus magnisque profectibus per curricula temporum non parua tenuimus: sic susceptos, donec excelsi dexteræ mutatione mirifica in Patrem vocati de filio, licet immeriti ad apicem fuimus Apostolicæ dignitatis assumpti. Dignè igitur ad ipsam Ecclesiam speciali prærogatiuā Dilectionis afficimur, dignè beneficia grata ab ipsa Nobis exhibita, debitā gratitudine contemplantes Nos ei gratiosos gratanter offerimus & eius non immemores vberum ipsius, vbertate Apostolicæ gratiæ fœcundamus. Volentes itaque præfatam Ecclesiam quam prædicti Sancti nec immerito clarè clarificantnec tam ob memoriam munerum ab ea perceptorum vt diximus, quàm ob eiusdem Sancti reuerentiam qui ibidem præcipuè veneratur & colitur, nobili priuilegio decorare. Legitur in Bullario Ecclesiæ Turon.

MARTINVS OLIM CANONICVS ET THESAVRARIVS TVRON.

Anno 1282. exorta est magna Bononiæ inter Academicos & Ciues Bononienses dissensio & seditio dum Academici sua Priuilegia tueri volunt, Ciues infringere. Itaque illi minati sunt se Academiam aliò translaturos nisi suis petitionibus satisfieret. Et quia flagrante bello Gibellinorum & Guelphorum, quo Italia ardebat, periculum erat, vt si seditio ingrauesceret, Bononia graue dispendium pateretur, Martinus Pontifex scripsit ad Priorem Dominicanorum & Guardianum Minorum, vt quanta possent sagacitate & prudentia discordias illas sedarent. Bulla est eiusmodi ex Regist. Vatic. Ep. 96. 1282.

Martinus Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Priori Prædicatorum & Guardiano Minorū FF. Ordinum Bononiens. salutem & Apostolicam benedictionem. Nuper ad nostrum peruenit auditum, quod olim Scholares in Ciuitate Bononiæ morantes Potestati, Capitaneo, Antianis, Consulibus, Consilio & Communi Bononiensi quasdam petitiones respicientes fauorem dictorum Scholarium porrexerunt, & præstito iuramento firmarunt, quod nisi infra certum temporis spatium à prędicto Communi petitiones admitterentur præfatæ, Scholares ipsi vsque ad festum B. Michaelis proximè venturum de Ciuitate ipsa recederent, & ad eam ex tunc infra quinquennium causâ studii minimè redituri. Et inter alia petitiones huiusmodi continebant, *vt Priuilegia Vniuersitati prædictorum Scholarium concessa & in posterum concedenda integrè ipsis Scholaribus conseruentur: ita* quod si contingat dicta priuilegia in totum vel in aliqua sui parte infringi, promittat & teneatur dictum Commune mille libras Imperialium nomine pœnæ soluere Romanæ Ecclesiæ applicandas. Quod que Potestas vel Capitaneus seu"

„ aliquis vices eorum gerens non possint Bononiense studium impedire prohibendo Doctoribus ne legant contra voluntatem Scholarium prædictorum vel alio quoquo modo. Verum quia sicut accepimus, præfati Potestas, Capitaneus & Commune se ad prædictam pœnam teneri nolle, ac Doctores, ipsos Ciues Bononienses pro negotiis dicti Communis velle distinere quoties expedit, responderunt: quanquam in cæteris eædem petitiones ab eis admissæ fuisse dicantur, prædictis Scholaribus formidantibus se huiusmodi iuramento teneri, fuit Nobis humiliter supplicatum vt prouidere super hoc de benignitate sedis Apostolicæ curaremus. Nos autem tanto incommodo prædictorum Scholarium deformationi sic famosi studii efficientis propagatione fertili viros industrios, & scientiæ elatos tadios diffuodentes, ac præfatæ Ciuitatis discrimini quo inde posset affici, prædictorum quoque omnium dispendiis obuiare solicitius intendentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si id ad commune commodum *Scholarium* eorundem, ad euidentem vtilitatem studii prædicti, ad quietem quoque Ciuitatis prædictæ, ac plenum profectum omnium prædictorum, ac aliàs etiam secundum Deum expedire videritis, eos de præfata Vniuersitate quos super hoc contigerit, absolutionis vel prouisionis beneficium implorare, nostra auctoritate à vinculo seu obseruatione huiusmodi iuramenti absoluatis, & nihilominus eisdem prout expedire videritis, prouidere salubriter studeatis, ne huiusmodi Iuramenti prætextu, vel transgressionis seu violationis excessu, ipsorum status integritas alicuius inuentionis astutiâ in posterum feriatur. Non obstante indulgentia qua vos........ Datum apud Montem Flasc. 3. id. Sept. Pontif. nostri an. 2.

Eodem anno Petrus Aragonum Rex, expulso Carolo Siciliæ Rege, Regnum eius occupauit, Regnique coronam assumpsit: quamobrem à Martino Papa excommunicatus est, priuatus declaratus & depositus ab Aragoniæ Regno & ab omnibus aliis terris quas ab Ecclesia tenebat; quæ omnia Pontifex Regi Franciæ Philippo concessit occupanda, Caroloque filio Regnum Aragoniæ contulit. Carolum verò Siciliæ Regem in pristinum statum restituit. Quod vt vidit Petrus, quia ius aliquod sibi vindicabat in Siciliæ Regnum, cũ Carolo pepigit, vt lis decideretur singulari certamine: & delecta est Burdegala, vbi tantum dissidium spectante omni populo finiretur. Verum cum vndique ad tantum spectaculum plurimi conuenissent, & Carolus die constitutâ ad seram vsque noctem in armis stetisset, Petrus nusquam comparuit, & ita, inquit Carolus Lutbæus in Chronico Burdegal. re infecta discessum cum maxima Petri infamia; etiamsi Hispani scripserint Petrum simulato habitu Burdigalam venisse & post discessum Caroli à Ioanne Greslio Seneschallo Burdigalensi præsentiæ suæ authoritatem consignatam postulasse.

Ad hunc annum legitur in Chronico Rothomagensi indultum fuisse Minoritis à D. Papa audire Confessiones, Prælatorum irrequisito consensu, eamque rem magnas turbas in Francia excitasse. *Fratres minores impetrauerunt à D. Papa vt possent audire confessiones & absoluere, Prælatis Minimè requisitis, propter quod orta fuit magna contentio inter Prælatos Regni Franciæ & Fratres prædictos.*

Guillelmus de Matiscone Episcopus Ambianensis, vir hisce temporibus magnæ famæ & litteraturæ, tum Romæ commorans apud Papam egisse dicitur, vt Priuilegium eiusmodi, quod futurum erat turbarum plurimarum causa, reuocaret: eiusdemque promiserat Pontifex reuocationem; verum eam promulgare cunctante, Ecclesia Gallicana Parisiis congregata anno proximo contra Minoritas sententiam tulit, auditâ prius in hanc rem Vniuersitate: vt infra dicetur.

1283. Anno 1283. Martinus IV. Summus Pontifex nihil omittens, quo pacem Vniuersitati, cuius olim fuerat alumnus, conciliaret, omnemque contentionis & iurgiorum materiam amoueret, speciali Bullâ constituit, vt omnes & singuli Magistri contribuerent de suo impensas, quæ in negotia Vniuersitatis factæ & sæpe faciendæ erant Tunc enim forte nullum erat adhuc ærarium publicum & commune: sed si ad prosecutionem alicuius litis & negotii impensis opus esset, singuli de Bursa sua contribuebant, quantum in Comitiis decretum fuisset: idque vocabant corruptè *facere currere bursam*. Quia verò forte tunc nonnulli offensi, quod priuilegia Vniuersitatis communicata fuissent Facultatibus adiectitiis, ea-

vtrique lites & facta pro litibus & factis Vniuerſitatis reputata, nolebant contribuere ad proſecutionem negotiorũ communium in quibus de conſeruatione priuilegiorum agebatur, Pontifex vtilitati communi ſtudens & tranquillitati Studij tam frugiferi, contribui voluit impenſas ſolito more, illiſque colligendis præfecit Abbatem & Cancellarium S. Genoueſæ, permittens inſuper vt contumaces cenſuris Eccleſiaſticis ſubiiceret. Sic ergo edidit.

Martinus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Magiſtris Vniuerſis & Scholaribus Pariſienſibus Sal. & Apoſtol. Bened. Ad ſtatum Vniuerſitatis veſtræ pacificum conſeruandum opem debetis & operam vigilantibus Studiis impertiri. Tunc enim laudabiliter ſtudendo proficitis & proficiendo ſtudetis, cum inter vos inuicem voluntatum viget identitas, regnat pax ſtabilis, perfecta charitas perſeuerat. Sanè didicimus quod in expenſis neceſſariis quas pro Vniuerſitatis veſtræ commodis ex iuſtâ & rationabili cauſâ fieri contingit interdum, nonnulli ex vobis contribuere pro ſua voluntate recuſant; propter quod inter vos materia diſſenſionis & ſcandali crebrius ſuſcitatur. Quia igitur in expenſis huiuſmodi ſinguli veſtrûm contribuere Iuſtitia exigente tenentur, & ad veſtram ſpectare dignoſcitur honeſtatem, vt ſuper hoc non ingeratur à vobis aliqua difficultas, Vniuerſitatem veſtram rogamus & hortamur attentè per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatinus ſinguli veſtrûm qui duos ſolidos Pariſienſes in communi Burſa cum ſociis in hebdomada ponitis, ſuper contributione huiuſmodi faciendâ ſic promptè ac liberaliter vos geratis, vt diſſenſionis prædictæ materia, quæ poſſet non leuia generare pericula, tollatur omnino, voſque proinde poſſitis non immeritò commendari. Nos autem qui paternæ ſolicitudinis ſtudio ad ipſius Vniuerſitatis ſtatum pacificum intendimus & tranquillum, volentes huiuſmodi diſpendiis obuiare, Dilectis filiis Abbati & Cancellario Monaſterij S. Genoueſæ Pariſienſis ad Romanam Eccleſiam nullò medio pertinentis Ordinis S. Auguſtini per alias noſtras iniungimus litteras, vt omnes tales ex vobis ad id monitione præmiſſâ, authoritate noſtrâ per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remotâ compellant. Non obſtante ſi aliquibus à ſede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras dictæ ſedis, non facientes plenam & expreſſam de indulto huiuſmodi mentionem. Cæterum illud quod ex huiuſmodi contributione proueniet, per Abbatem & Cancellarium ſupradictos colligi volumus, & Collectam Rectori Vniuerſitatis, Decanis Facultatum & Procuratoribus 4. Nationum integrè reſtitui per eoſdem in Vniuerſitatis arca, per Rectorem, Decanos & Procuratores prædictos fideliter deponendum & conuertendum per ipſos in ſolutionem huiuſmodi expenſarum. Datum apud Vrbem Veterem Nonis Martij, Pontificatus noſtri an. 3. Idem Pontifex hoc anno Cardinales creauit M. M. Gaufridum Decanum Pariſienſem, Geruaſium Archidiaconum & Ioannem Cholet.

Eodem anno die S. Benedicti 5. Id. Iulij M. Ioannes de Noëntel aliàs de Cholet, titulo S. Ceciliæ Preſbyter Cardinalis, Legatus in Francia à Martino Papa ad certa negotia peragenda cum magna ſolennitate receptus eſt, vt legitur in Chronico Rothomagenſi. Idem Legatus Concilium Pariſiis habuit anno proximè ſequenti contra Petrum Aragoniæ Regem. Hoſpitatus eſt autem apud S Germanum de Pratis, vt ſcribit Ioannes à S. Victore: vbi propoſuit 7. Kal. Mart. Indulgentiam plenariam Cruce-ſignatis euntibus in Aragoniam.

Eodem anno die 27. Septemb. M. Reginaldus de Nantüeil ex Decano Bellouacenſi factus eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus an. 1267. obiit, & humatus eſt in Choro S. Petri ſub hoc Epitaphio.

Hic decus Eccleſiæ Reginaldus, gemma ſophiæ,
Lux Beluacenſis, iacet ortu Nantolienſis.
Diris effrenus, ſauus ſibi, largus egenis
Anno milleno centum bis & octuageno
Cum tribus, humani generis Coſma Damiani
Debita pro feſto ſoluens. Deus huic pius eſto
Et ſibi propitia genitrix pia Virgo Maria.

Ei ſucceſſit in Epiſcopatu Theobaldus de Nantüeil ex fratre Philippo nepos;

Archidiaconus Beluacensis & per Petrum Metropolitanum Remensem consecratus est.

LIS UNIVERSITATIS IN FORO ROM.

Hocce tempore Romæ magno animorum æstu in foro Romano disceptabatur lis Academica vrgente maximè Philippo de Thoriaco Cancellario, qui Ioanni de Aurelianis Dominicano facto successerat. Nam cum, vt supra retulimus, Academici Ioannem de Cancellariatu deiecissent, quia Ferdinandum Regis Aragoniæ filium nullo præuio tentatum examine laureâ Doctorali donauerat, resque sæpius Parisiis agitata, dirimi non potuisset, imò vetuissent Academici ne vllus *inferius examen* subire auderet, sibique proprium Cancellarium constituissent, seu à San-Genouefiano licentias in omni Facultate petiissent & accepissent, res tandem ad forum Romanum delata est, & à Philippo prædicto apud Martinum fortiter agitata: sed ipsius Philippi morte paulum refriguit iste ardor, nec Martinus quandiu vixit, litem diremit.

Dicebat autem Cancellarius Vniuersitatem infregisse iura Ecclesiæ Parisiensis, quæ Cancellarium solebat dare & creare Scholaribus examinandis, dandisque licentiis: ipsam verò vetuisse ne vllus adiret *examen inferius*: quod erat omnino Cancellatium abrogare, authoritati Episcopali illudere, Apostolicam contemnere, quæ Cancellarios Licentiatum ad docendum Præfectos constituisset.

Contra contendebat Vniuersitas licere hominem suo Munere abutentem plectere, eoque, si prænaticator fuerit, spoliare. Interesse totius Reipub. Christianæ ne indigni dignique nullâ capacitatis aut incapacitaris habitâ ratione admittantur ad regimen Scholarum & animarum. Corruptelæ occurrendum & obsistendum. Si ratio habeatur dignitatis, nobilitatis aut diuitiarum, studia bonarum Artium breui interitura. Non obsistere verò Academicos, quominus ab Episcopo & ab Ecclesia Parisiensi creetur Cancellarius, sed ne licentiam suis alumnis impertiatur, intercedere: ac proinde suum sibi velle Cancellarium seruare, ne ab aliena authoritate & potestate pendeant.

His rationibus ab vtraque parte auditis Martinus quanquam aliàs Academicis addictissimus cœperat tamen nonnihil aduersus eos statuere: sed interueniente Philippi Cancellarii morte qui ob id. Romam profectus fuerat, statuere destitit: vt intelligimus ex litteris Gaufridi de Barro Cardinalis ad Capitulum Parisiense scriptis. Ille Gaufridus Decanus paulo ante fuerat Ecclesiæ Parisiensis Martino Papæ notus & familiaris. Nescio an non ille sit Gaufridus Officialis qui ab eodem Martino cum adhuc Cardinalis esset, instantibus Academicis condemnatus fuerat an. 1267. atque ille tantum effecerat patrocinio suo, vt qui fuerunt in illa dissensione decreti Laureæ Magistralis honores ab alio Cancellario, nulli prorsus haberentur, aut botesque dissidij plecterentur. Sic ergo ad Capitulum scripsit, vt refert Hemeræus ex M.S. Codice.

„ *Viris Venerabilibus & discretis in Christo* Charissimis Decano & Capitulo Pari-
„ siensi Gaufridus miseratione Diuina titulo S. Susannæ Presbyter Cardinalis &
„ cum dilectione sincera paratam ad eorum beneplacita voluntatem. Statum ne-
„ gotii quondam Venerabilis Viri Cancellarii Parisiensis vobis aperire volentes,
„ discretioni vestræ tenore præsentium intimamus: quod à sanctissimo Patre ac
„ Domino nostro Martino Diuina Prouidentia summo Pontifice de consilio Car-
„ dinalium ordinatum erat, quod omnes licentiæ ab Vniuersitate Parisiensi qui-
„ buscunque personis de facto concessæ, in ipsa Curia reuocarentur, & tam reci-
„ pientes huiusmodi licentias quàm etiam concedentes easdem, canonicè & graui-
„ ter punirentur. Item quod quidquid contra Iurisdictionem dicti Cancellarii ex-
„ titit attentatum, prout prius, in Curia reuocaretur. *Item quod Doctores Vniuer-*
„ *sitatis non possint Cancellarium eundem ad Congregationes suas compellere*: sed
„ eum debebunt rogare & si ire voluerit, bene quidem, si verò ire noluerit, ip-
„ sum coercere non poterunt in aliquo vel punire. Alii verò articuli, de quibus in-
„ ter ipsum Cancellarium & Vniuersitatem contenditur qui non sunt ita certi, qui
„ ex parte Cancellarii & à Procuratore Vniuersitatis dati fuerunt, & commirti de-
„ bebunt Venerabilibus Patribus Dominis G. & R. Ambianensi & Petragorensi
„ Episcopis & discreto viro M. Henrico de Gaudauo Archidiacono Tornacensi
„ & super iis omnibus præcepit Dominus noster Papa notum fieri. Sed dicto Can-
„ cellario Philippo Thoriacensi nuper in Curia, secundum quod Deo placuit,

viam

viam vniuersæ carnis ingressio, super ipso negotio vlterius non procedet, quo-vsque nouus Cancellarius per seipsum vel Procuratorem idoneum in Curia dictum negotium prosequatur. Et cum negotium ipsum sit ipsius Ecclesiæ & D. Episcopi negotium speciale, expediens videtur quod vos vnà cum dicto Episcopo in Curia aliquem Procuratorem idoneum constituere curaretis ad pium negotium persequendum. Melius tamen esset quod nouus Cancellarius ad Curiam veniret personaliter; & damus pro certo quod negotium citò expediretur. Si verò non venerit, negotium ipsum poterit in Curia diu stare. Valete viri discreti per tempora longiora, & oretis pro Nobis & orari faciatis. Datum apud Veterem Vrbem die Martis ante festum Apostolorum Simonis & Iudæ. Hæ Litteræ exceptæ sunt in Capitulo die Sabbati ante Festum S. Andreæ.

Tunc erat Rector Vniuersitatis M. Ioannes Mechliniensis vulgò de Malines, qui tam fortiter rem Academicam defendebat, quàm pertinaciter Philippus oppugnabat: quo mortuo, suffectus est M. Nicolaus de Nonaneuria hoc anno. Vnde fallitur Hemeræus scribens Philippum de Thoriaco obiisse Romæ an. 1285. cum certum sit ante obiisse, quàm litteras prææallatas scriberet Gaufridus, qui an. 1284. mense Septembri defunctus est.

Eodem anno circa festum omnium Sanctorum habita est Parisiis Synodus Ecclesiæ Gallicanæ, cui M. Guillelmus de Matiscone Episcopus Ambianensis Româ reuersus interfuit: testatur enim Tillius ipsum adfuisse, cum eo anno Philippus III. Rex sententiam tulit in Carolum patruum suum Siciliæ Regem ob Comitatum Pictauiensem & Aruerniæ dominia. Ei autem Synodo præsedit M. Simon de Bello-loco Archiepiscopus Bituricensis, teste eodem Tillio; & in aula Episcopi Parisiensis ad plurimos Academiæ Proceres, quos synodus prædicta conuocari fecerat, sermonem habuit contra Minoritas & alios Mendicantes qui Ecclesiæ iura priuilegiis, aut emendicatis, aut extortis opprimebant, Academicorumque contra eos Decreta postulauit. Rem prout acta est, habemus ex M. Godefrido de Fontanis, scriptore coæuo & præsente, qui ob id maximè Mendicantes obiurgat, quod cum solitariam vitam se ducere profiterentur, Ecclesiarum Gubernatores esse affectarent, & seculares opprimerent. Initio autem scripti multa habet quæ ad hanc historiam pertinent scitu dignissima. Sic ergo ille.

Noueritis Vniuersi, quod Prælati Regni Franciæ conuenientes Parisius longâ ibidem præhabitâ deliberatione vocari fecerunt per præcones in singulis Scholis & rogari omnes Magistros cuiuslibet Facultatis, Bacalarios & omnes studentes vt dignarentur venire, ea quæ eis proponerentur, audituri. Conuenerunt igitur die sequenti Nicolai Magistri omnes & Scholares, & Fratres de quolibet Ordine potiores in Salam Episcopi Parisiensis, vbi erant 4. Archiepiscopi & 20. Episcopi congregati. Surgens autem Archiepiscopus Bituricensis, Magnus per omnia Clericus primò fecit Sermonem de Charitate, & fuit hoc eius Thema. *Fratres, vt sciatis, quæ sit longitudo, latitudo, altitudo & profundum Charitatis, &c.* Et conclusit postea, quod vera Charitas ipsos compelleret prouidere saluti Gregis sibi commissi. 2. Conclusit, quod fortitudo charitatis ipsos armaret ad errantibus obuiandum. 3. Conclusit, quod ex debito charitatis & officij sui, si necesse esset, animas pro ouibus ponere tenerentur. 4. Conclusit quod ex charitate quilibet deberet esse contentus suis, non Officium alterius sibi vsurpare, quia Ecclesiasticus Ordo confunditur, nisi vnicuique ius suum obseruetur. *Sed heus! hodie ista charitas refriguit, & Ecclesiasticus Ordo penitus est confusus, quia multi falcem mittunt in messem alienam, ita vt iam Ecclesia monstrum dici possit. Sicut enim in corpore naturali contingit, quod monstrum dicitur, cum membrum vnum alterius officium habet, sic & in corpore spirituali, scilicet Ecclesia, cum vtique literati & prudentes Fratres, videlicet, Maiores & Minores Officium specialiter nobis commissum occupant, sed iniustè, cum nemo debeat sibi honorem assumere nisi qui vocatur à Domino tanquam Aaron. Quia ergo super istò sæpè rogari fecimus Monachos personaliter per D. Regem, & quoque per alios Magnates rogari fecimus vt à nostro officio cessarent, nec tamen fecerunt; & quoniam Nobis inuitis prædicauerant per singulas Diœceses & Confessiones audiuerunt, dicentes super hoc se priuilegiis Papalibus munitos. Venimus ad vos qui præsentes sumus & habemus litteras de ratihabitione omnium Episcoporum Regni Franciæ ad conquerendum vobis de tanta Fratrum insolentia, quia* QVOD NOS SVMVS VOS ERITIS; CREDO

CONTRA MENDICANTES.

VERBA ARCHIEPISCOPI BITVRICENSIS AD MAGISTROS VNIVERSITATIS.

ENIM QVOD NON SIT HODIE PRÆLATVS INTER NOS QVI DE HAC VNIVERSITATE NON SIT ASSVMPTVS. *Rogamus præterea & rogari fecimus dictos Fratres vt dicta priuilegia mitterent ad sedem Apostolicam à D. Papa lucidius interpretanda, quod similiter facere renuerunt. Vt ergo discutiatis & videatis quid iuris illis concessum sit ex ipsis priuilegiis, decreuimus vobis publicè legi.* Et statim Quidam alter surgens in publico ambone legit Priuilegia; & postea legit Constitutionem Innocentii IV. quæ his contradicit, vt ibi ostensum fuit, & ad quam vtrumque priuilegium remittit, vt pote illi Constitutioni derogans. Hæc Constitutio habetur in 5. Decretal. & incipit sic *Omnis vtriusque sexus*.

His lectis surrexit Episcopus Ambianensis Maximus Iurista (nempe Guillelmus de Mascon) & de articulo ad articulum currens ostendebat liquido per iura prædictæ Constitutioni in nullo per prædicta Priuilegia derogatum, nec licere Fratribus Confessiones audire & pœnitentias iniungere sine Episcoporum & Parochianorum siue Plebanorum licentia speciali, nullo Fratrum in vnico verbo contradicente. Rogauit ergo D. Episcopus *Vniuersitatem*, vt eis in hoc casu assistere dignaretur, quia ipsi similiter omnes & vnanimiter definiuissent vsque ad sanguinem tali iniuriæ obuiare. Hæc facta fuerunt die Sabbati.

Sequenti die, Dominica scilicet, vnus de Ordine Minorum apud Fratres Maiores fecit sermonem, quod prius vt credo visum non est, & paucis verbis finiens sermonem incepit loqui de materia supradicta, & replicans singulos articulos prout poterat, melius ordine exponebat adiiciens, quod si voluissent dictis priuilegiis vti latius, potuissent. Dicebant etiam quod cum dicta Priuilegia impetrarent, dictus Ambianensis Episcopus præsens existens, totis viribus resistebat: imo omnes Prælati ad Curiam miserunt & minimè processerunt. Quia dum Papa ipsi Fratres modum vtendi, quousque fuerant dictis priuilegiis vsi, exponerent, Papa respondit. Placet. Volunt autem, ait, & exigunt Prælati iterum à nobis vt mittamus Priuilegia nostra ad Curiam, vt ad impetrandum: quod fatuum nimis esset, quia sic daremus locum & occasionem reuocationi nobis datæ potestatis. Præterea Noster Magister nouiter obiit. Magistrum quoque Ordinis Maiorum præsentem non habemus. Vnde non immerito de tam arduo facto pro toto Ordine sine illis Nos intermittere non audemus. Rogamus igitur vos vt nos excusatos habeatis & tam leuiter aduersum nos non moueamini, quia nequaquam Vniuersitatis vllius membrum sumus.

Sequenti die agebatur festum Conceptionis B. Mariæ apud FF. Minores: & ecce vnus Maiorum faciens sermonem, ad eundem finem, vt dicam breuiter, perducebat. Et credo ibi impleta est Scriptura quæ dicit *facti sunt amici Herodes & Pilatus illa die.* Cæterum in vigilia B. Thomæ iterum Prælati præconizari fecerunt per Scholas, vt omnes Dominica 3. scilicet die, hurâ Sermonis ad S. Bernardum conuenirent. Quod factum est: Et surgens quidam Magister in Theologia fecit Sermonem de hoc Themate *Prope est Dominus*, & multis authoritatibus & verbis arguit generaliter illos, qui Dominis & Prælatis suis contemnerent obedire. Fine dato verbis, surrexit Episcopus Ambianensis, cum quo tantum erat ibi Archiepiscopus Remensis, & procedens in dicto Themate scilicet *Prope est Dominus inuocantibus omnibus eum in veritate*; diuisit triplicem veritatem iuxta illos versus, qui in Glossa Decretalium sæpe ponuntur.

Est verum vitæ, Doctrinæ, Iustitiæque
Primum semper habe, duo propter scandala linque.

Ostendens per multas authoritates Theologiæ, Canonum & Legum, & euidentibus factis Fratres non habere veritatem vitæ, quia de hypocrisi ipsi arguuntur manifestè: *nec veritatem Doctrinæ*, quia corde fel gererent & ore dulcia prædicarent: *nec veritatem Iustitiæ*, quia aliorũ sibi officia vsurparent. Et his finem imponens legi fecit iterum ibi dicta priuilegia cum dicta Constitutione. *Omnis vtriusque sexus* & applicans singula singulis lucidius ostendebat per Priuilegia sæpe dicta in nullo dictæ Constitutioni *Omnis vtriusque sexus*, penitus derogari. Hoc facto ait: Audiui quod Fratres dicebant me præsentem fuisse quando Priuilegia impetrabant. Et verum est. Imo cum ad me perueniret fama huiusmodi, iui ad Papam reclamans & petens dicta Priuilegia reuocari, sed sequenti die à Domino Papa ad remotas partes super arduis negotiis missus fui, ita quod tunc de hoc finem habere

non valebam. Miſimus & poſtea nuncios noſtros pro eadem cauſa ad Curiam, quos Fratres dicunt nihil profeciſſe: ſed falſum dicunt, quia litteras nobis retulerunt Potiorum in Curia ſigillis ſigillatas, quas Domino Regi ſæpe oſtendimus & vobis omnibus oſtendere breuiter volumus, quibus D. Papa nobis promiſit dicta Priuilegia vel penitus reuocare, vel interpretatione lucidius explanare, quas ſperamus ſub Bulla publica breui habituros. Ad vltimum petiuit D. Epiſcopus omnes *cuiuſcunque Nationis*, vt hæc priuilegia tranſcriberent & ad partes ſuas mitterent, vt omnibus appareat, quid per prædicta Priuilegia Fratribus ſit conceſſum. Super his poſtea diſputarum fuerat à M. Ægidio de Ordine S. Auguſtini, qui modo melior de tota villa in omnibus reputatur, & determinatum fuit ab eodem, quod Epiſcopi eſſent in parte longius ſaniori. Quarum Determinationum copiam propter nouitatem habere ad præſens non potui. Si tamen habere potuero, mittere non tardabo.

Ex poſtremis hiſce verbis corrige Lector errorem, qui nobis incogitantibus & non ſatis aduertentibus irrepſit 1. vol. differtar. 2. pag. 243. vbi ſcripſimus verba præallata ad Vniuerſitatem habita fuiſſe per Ægidium *Romanum*, tunc Bituricenſem Archiepiſcopum: nam ille Archiepiſcopatum obtinuit anno ſolummodo 1294. huic verò Synodo præſedit M. Simon de Bello-loco Primas Bituricenſis, vt ante dictum eſt.

Ex his quoque liquet Magiſtros Vniuerſitatis ſcripſiſſe de materia propoſita, & inter alios, ipſummet Ægidium tunc Auguſtinenſem adhuc Monachum.

Anno 1284. celebratum eſt Concilium Eccleſiæ Gallicanæ Pariſiis 16. Kal. Septemb. à D. Ioan. Cardinale, qui vt ſupra dictum eſt, Legatus venerat in Franciam. Ibique ad prædicationem eius & monitionem Philippus Rex Francorum Illuſtris & duo filii eiuſdem aſſumpſerunt Crucem contra Petrum Aragoniæ Regem à Martino Papa condemnatum, ob inuaſum Siciliæ Regnum fraudulenter & crudeliter. Et ob hanc cauſam conceſſa eſt eidem Philippo reditum Eccleſiaſticorum Decima ad quadriennium. 1284.

Eodem anno M. Gaufridus de Barro olim Eccleſiæ Pariſienſis Decanus tunc S. Suſannæ Cardinalis diem extremum obiit, ſepultuſque eſt in Baſilica S. Praxedis cum hoc Elogio. *Ego Gaufridus de Barbo quondam tituli S. Suſannæ Presbyter Cardinalis, Credo quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum.* Eius obitus in Necrologio Pariſienſi notatur 12. Kal. Septemb. Hunc Cardinalem Ciaconius de Barbo cognominat, forſan, inquit, ob familiæ ſtemma, in quo Barbi ſeu Barbaruli piſces ſpectantur. Sed alia fuere Barri ad Sequanam Comitum inſignia: vnde ille ortus videtur.

Ioannes autem Cardinalis S. Ceciliæ prædictus cognomento *Choles* ex Profeſſore Pariſienſi Canonicus Beluacenſis, factus deinde Cardinalis Collegium Choletæum fundare meditatur, obtinetque à Martino Bullam, quâ liceet illi bona ſua teſtamento legare quibuſcunque aut cuicunque voluerit ad augmentum fidei & honorem Religionis. Fundatio tamen Collegii ab ipſo non videtur facta, ſed ab Executoribus Teſtamenti duobus ex quinque quos nominauerat, M. Eurardo de Noientel & Gerardo de S. Iuſt. conuerſis in emptionem Domorum ſex mille libris. Aiunt tamen Ioannem Monachum Cardinalem vnum ex Executoribus ſtatuta Collegii Cholетæi edidiſſe.

Hoc anno obiit quoque M. Ioannes de Montſoreau ex Decano Turonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus factus an. 1270. vir omni ſcientiarum genere cumulatus. Quo defuncto Canonici miſſis ad Philippum Regem Nunciis & hiſce litteris petierunt licentiam ſucceſſoris eligendi.

Excellentiſſimo Principi D. Philippo Dei gratia Regi Francorum Illuſtri, ſui humiles & Deuoti Reginaldus Decanus & Capitulum Turonenſe ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus, & ad debellandum rebelles accingi robore fortitudinis & virtutis. Alti doloris ſuffoſſi aculeo ſuper obitu præclaræ memoriæ pii Paſtoris ac reuerendi Patris D. Ioannis olim Archiepiſcopi Turonenſis ad Regiæ veſtræ Celſitudinis notitiam volumus peruenire, quod Nos venerabiles viros Dilectos Canonicos noſtros M. Gaufridum de Fontebraudi Archidiaconum Tranſ-

„ liget. & Ioannem Archipresbyterum in Ecclesia Turonensi Procuratores nostros „ facimus, constituimus ac etiam ordinamus, & quemlibet eorum in solidum, ita „ quod non sit melior conditio occupantis ad denunciandum vestræ Maiestati Re- „ giæ obitum memorati Domini Ioannis olim Archiepiscopi Turonensis, nec non „ & ad petendum à vobis licentiam eligendi: & hæc Regiæ Maiestati vestræ signi- „ ficamus per præsentes litteras nostro sigillo sigillatas. Datum die Mercurii ante „ festum Purificationis B. Mariæ Virg. an. Dom. 1284. Ioanni autem substituitur „ Oliuarius de Craon ex Chartis Regiis per viam compromissi.

Hocce quoque tempore vt scribunt aliqui aliquatenus quidem, minus tamen quàm decreuisset, compressit Martinus Pontifex Dominicanorum & Minoritarum excessus, magnos tumultus excitantium, propterea quod immiscebant se Pastorum Officiis, confessiones laicorum absque eorum licentia & consensu excipiebant, pœnitentias iniungebant, aliaque Pastorum munia exercebant. Hinc, vt scribit Meyerus, *adeo turpis nata est rixa, vt in apertas erumperet contumelias, non absque magno totius Ordinis Ecclesiastici dedecore.* Hinc tot inuectiuæ, apologiæ, rixosi famosique libelli. Martinus verò Constitutionem illam edidit quæ sic incipit, *Ad fructus vberes:* & in ea statuit hoc modo.

Volumus autem quod ij qui Fratribus confitebuntur eisdem, suis Presbyteris Parochialibus confiteri, saltem semel in anno prout Concilium Generale statuit, nihilominus teneantur: quodque iidem Fratres eos ad hoc diligenter & efficaciter secundum datam eis Domino gratiam exhortentur. Sed de hoc negotio dictum supra.

„ *Hocce tempore*, inquit Ioannes à S. Victore, cœpit fundari & ædificari apud „ S. Marcellum iuxta Parisius Monasterium Sororum Minorum à Rege Philippo „ & eius coniuge Regina apud Louurerienne, in domo quæ fuerat cuiusdam „ quondam diuitis Clerici nomine M. Gallieni.

Ad hunc annum leguntur in Chartulario Episcopi Parisiensis plurimæ Chartæ Exemptionis à re Caducaria (Amortizationem vocant) in gratiam Collegiorum Academicorum, præsertim, Sorbonici & S. Thomæ de Lupara: quas, ne pereant, operæ pretium esse duximus his Annalibus inserere. Atque eam quidem quæ ad Sorbonam pertinet, retulimus ad an. 1251. vbi de Sorbonæ fundatione fusè egimus. Illæ verò quæ ad Collegium Pauperum Scholarium S. Thomæ Luparæi, hoc & superiore anno datæ sunt, tales sunt.

Littera de 30. Solidis pro Amortizatione facta Decano & Capitulo S. Thomæ de Lupara.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis, Curiarum Parisiensis ac Reuerendi Patris D. Archeri Cardinalis Archidiaconi Paris. Officiales Sal. in Dom. Notum facimus quod coram Ioanne dicto Quesnel & Nicolao de Verberia Clericis nostris Iuratis adhoc à nobis specialiter destinatis, quibus quantum ad hæc fidem adhibemus, constituti Decanus & Capitulum Ecclesiæ S. Thomæ de Lupara Parisius asseruerunt coràm dictis Clericis nostris quod cum ipsi nomine suæ Ecclesiæ prædictæ plures census siue redditus infra scriptos haberent, tenerent & possiderent non admortizatos in terra, dominio ac Iurisdictione D. Parisiensis Episcopi super diuersis locis & domibus, prout inferius annotatur. Videlicet decem & octo solidos Paris. annui census siue reddirus super domo Hugonis fratris Guillelmi le Tainturier contiguâ domui defuncti Guillelmi Normani sitâ in vico S. Thomæ, & facit cuneum à parte Cœtorum. Item in vico Frigidi Mantelli 20. solidos Parisienses annui census siue redditus super domo Nicolai de Fossatis contiguâ ex vna parte domui Petri Roncelli & ex alia cuidam domui Ecclesiæ S. Thomæ. Item in dicto vico Frigidi Mantelli 28. solidos Paris. super domo Roberti de Almenis contiguâ ex vna parte domui Guillelmi Bufferetij, & ex alia domui Guillelmi dicti Esgremorte. Item in dicto vico 10. solidos Paris. super domo Auelinæ de Guernelles contiguâ domui Iacobi Ferri ex vna parte, & ex alia parte domui Almarici Tegularii. Item 14. solidos Paris. annui census siue redditus super domo Gualteri le Terrier quæ facit cuneum vici de Biauvoir à parte Frigidi-Mautelli sitâ inter domos Galteri de Torote. Item & 36. solidos Paris.

annui cenſus ſeu redditus ſuper domo M. Petri Laſbaleſtriet quæ fuit quondam Thomæ Buffeterii ſita in vico frigidi Mantelli contigua domui Guillel. de Surenis Lathomi ex vna parte, & ex alia parte domui Petri le Mazelinier. Quos cenſus ſiue redditus ceperat Reuerendus Pater Ranulphus Dei gratia Pariſ. Epiſc. ſeu arreſtauerat in manu ſua, quia nolebat dictos Decanum & Capitulum prædictos cenſus ſiue redditus tenere in manu mortua. Tandem ad ſupplicationem dictorum Decani & Capituli idem D. Epiſcopus ſuo & Eccleſiæ ſuæ Pariſ. nomine voluit & conceſſit, vt ipſi ex nunc in futurum ſine coactione vendendi aut extra manum ſuam ponendi dictos cenſus ſiue redditus habeant, teneant & poſſideant nomine ſuæ Eccleſiæ prædictæ, dicto tamen Epiſcopo ac ſucceſſoribus eius pro dicta conceſſione ſeu amortizatione terentis 30. ſolidis Pariſienſibus annui cenſus ſiue redditus de cenſibus & redditibus prædictis pro indiuiſo habendis & percipiendis à dicto D. Pariſ. Epiſc. eiuſque ſucceſſoribus ex nunc in futurum per manus dictorum Decani & Capituli duobus terminis quolibet anno, videlicet ad feſtum S. Remigij 15. ſolidos Pariſ. & ad Natiuitatem Domini ſubſequentem 15. ſolidos Pariſ. ſalua etiam & retenta eidem Epiſcopo eiuſque ſucceſſoribus in omnibus Cenſibus ſiue redditus & locis prædictis omnimoda Iuriſdictione, iuſtitia ac Domino, & ſaluo etiam omni alio iure ſuo, vt dicti Decanus & Capitulum coram Clericis antedictis promiſerunt ex cauſa prædicti ſpontanei ſe reddere & integraliter ſoluere dicto D. Epiſcopo eiuſque ſucceſſoribus inſtitia ac iuriſdictione in rebus & locis prædictis, & ſaluo omni alio iure ſuo, vt ſupra dictum eſt, excepta conceſſione ſiue amortizatione prædicta. Pro quibus omnibus præmiſſis fideliter tenendis ac adimplendis dicti Decanus & Capitulum obligauerunt eidem Epiſcopo eiuſque ſucceſſoribus coram dictis Clericis ſe & ſua ac cenſus ſiue redditus prædictos & pro indiuiſo renunciantes beneficio reſtitutionis in integrum, conſuetudini patriæ cuiuſlibet & ſtatuto, & omni alii Iuris auxilio Canonici & Ciuilis. In cuius rei teſtimonium ad relationem dictorum ſigilla Curiarum prædictarum præſentibus litteris duximus apponenda. Datum an. Dom. 1283. die Veneris poſt Quaſimodo.

Littera de 25. ſolidis redditus debiti à Prouiſore Domus Pauperum Scholarium S. Thomæ de Lupara pro amortizatione contentorum in littera.

Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis Curiarum Pariſienſ. ac Reuerendi Patris D. Ancheri Cardinalis Archidiaconi Pariſienſis Officiales Sal. in D. Notum facimus quod coram nobis perſonaliter conſtituti *D. Ioannes Presbyter Prouiſor Domus Pauperum Scholarium S. Thomæ de Lupara Pariſ. & prædicti Scholares videlicet Magiſtri Robertus de Hibernia, Stephanus dictus Caillot*, Petrus de Maloforamine, Petrus de Colubrio, Ioannes de Ambianis & Yuo Briro, Gilbertus Portelance, Guill. de Noyon, Ioan. de Lexouiis, Iacobus Burgundus, Stephanus de Luoye, Ioan. dictus Balle, Petrus Doyte, Adam de Sueſſione, Petrus de Boſco Rogeri, Ioan. de S. Lauduno, Radulphus Portelance, & Ioan. dictus Albus-panis *Clerici tam nomine ſuo quàm nomine aliorum pauperum Scholarium S. Thomæ de Lupara Pariſius* aſſeruerunt, quod cum ipſi nomine dictæ domus haberent, tenerent, poſſiderent ac perciperent in terra, iuriſdictione ac dominio Reuerendi in Chriſto Patris Ranulphi permiſſione diuina Pariſ. Epiſcopi cenſus augmentatos ſeu redditus infraſcriptos: videlicet ſuper quadam domo ſita in Sellaria Pariſienſi quæ fuit quondam defuncti Ioannis Neuellonis &, quam tenet ad præſens Gualterus de Broiſſellis Ciuis Pariſ. 60. Solidos Pariſ. annui Incrementi cenſus ſeu redditus. Item ſuper duabus domibus contiguis ſitis Pariſius in Frigido-Mantello inter domum Guillelmi dicti Boneſille ex vna parte, & domum Guill. le Hiaumier ex altera, quas tenet ad præſens Rogerus le Pelletier, ſex ſolidos & 9. denarios Pariſ. annui cenſus ſeu redditus. Item ſuper quadam domo ſita Pariſius in vico Frigidi-Mantelli contigua ex vna parte domui Godefridi Furnerii, & ex alia parte domui Aymonis de Grayo in cenſiua S. Honorati Pariſ. quam tenet Guillelmus dictus Aqua-mortua, 4. ſolidos Pariſ. Item ſuper quadam domo in Frigido Mantello, quæ domus quondam fuit Richardi Faguét quam tenet Guerinus de villa Cerens lathomus vndecim ſolidos & 4. denarios

Parisienses. Item super medietate cuiusdam domus sita Parisius in Frigido-Mantello contigua ex vna parte domui defuncti Martini Tegularii, & ex altera parte domui Rogerii Ruffi Anglici 4. solidos Paris. annui census seu redditus. Idemque Reuerendus Pater dictos census seu redditus in manu sua ceperat, quia nolebar prædictos scholares nomine domus suæ S. Thomæ de Lupara Paris. prædictæ eos tenere ac percipere in manu mortua. Tandem ad supplicationem dictorum Prouisoris & Scholarium idem Reuerendus Pater pensatis vtilitate & commodo Ecclesiæ suæ Parisiensis, super hoc habito bonorum consilio, dictos census seu redditus eidem Prouisori & pauperibus scholaribus S. Thomæ de Lupara ac domui eorundem duxit amortizandos in modum qui sequitur: videlicet quod voluit & concessit dictus Reuerendus Pater quod dicti Prouisor & pauperes scholares nomine dictæ domus suæ ex nunc in futurum habeant, teneant & percipiant annuatim census seu redditus prædictos sine aliqua coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, retentis tamen eidem Episcopo ac eius successoribus Paris. Ecclesiæ Episcopis 25. solidis Paris. pro amortizatione prædicta, de prædictis augmentatis censibus siue redditibus habendis, recipiendis ac percipiendis ex nunc in futurum ab eodem Episcopo eiusque successoribus Paris. Episc. quolibet anno ad Natiuitatem Domini super domo dicti Galteri de Broissellis sita in dicta Sellaria prout se comportat ante & retro. Hoc tamen saluo eidem Episcopo ac eius successoribus Paris. Episcopis, quod si dicta domus dicti Galteri processu temporis sufficiens non esset, vel aliàs nimis onerata siue obligata pro dictis 25. solidis habendis, reddendis & percipiendis super eadem, quod idem Episcopus ac eius successores Parisienses Episc. ad prædictos alios omnes & singulos census augmentatos recursum habeant pro suis 25. solidis annui census seu redditus prædictis habendis & percipiendis ab eodem Episcopo eiusque successoribus Ecclesiæ Paris. Episc. annuatim, vt supradictum est: salua etiam eidem D. Episcopo eiusque successoribus Paris. Ecclesiæ Episcopis in omnibus & singulis locis & censibus supradictis omnimoda Iurisdictione, Iustitia & dominio, & saluo etiam omni alio iure suo, vt dicebant iidem *Prouisor & Scholares* coram nobis. Propter quod dicti *Prouisor & Scholares* in nostra præsentia personaliter constituti voluerunt & concesserunt spontanei, nomine quo supra, quod dictus Reuerendus Pater Paris. Episcopus & successores sui Ecclesiæ Paris. Episcopi ex nunc in futurum dictos 25. solidos Paris. annui census seu redditus quolibet anno ad Natiuitatem Domini habeant, teneant & percipiant absque aliqua contradictione super domo prædicti Galteri de Broissellis prout se comportat ante & retro: Et si contingeret processu temporis vt dictum est; dictam domum esse minus sufficientem ad soluendum seu percipiendum super eadem dictos 25. solidos annui census, vel aliàs dictus Reuerendus Pater & eius successores Parisienses Episcopi impedirentur, quominus dictos 25. solidos habere & percipere possent super dicta domo. Voluerunt dicti Prouisor & Scholares ac spontanei concesserunt tam nomine suo quàm nomine dictæ domus, quod dictus Reuerendus Pater & sui successores, ad omnes & singulos prædictos census & redditus recursum habeant pro dictis 25. solidis annui census siue redditus habendis & percipiendis annis singulis termino prædicto super prædictis censibus siue redditibus in solidum & pro indiuiso. Salua nihilominus vt dictum est, & retenta eidem Episc. eiusque successoribus Ecclesiæ Paris. Episc. omnimoda iurisdictione, iustitia & dominio in omnibus locis & rebus prædictis, & saluo etiam omni alio iure suo. Quam siquidem domum ipsius Galteri prout se comportat ante & retro, ac omnes census siue redditus prædictos cum omnibus iuribus sibi & suæ domui competentibus eidem D. Episcopo eiusque successoribus Parisiens. Episc. quod pro præmissis omnibus adimplendis legitimè & tenendis dicti Prouisor & Scholares specialiter obligarunt & obligarunt, specialiter reliquerunt ad quoscumque deuenerint possessores. promittentes fide ab ipsis in manu nostra præstita corporali, quod contra præmissa vel aliquod præmissorum per se vel per alium seu alios non venient in futurum. Imo omnia & singula supradicta tenebunt inuiolabiliter & fideliter adimplebunt. Iurisdictioni Curiarum nostrarum se quoad hoc supponentes, ac renunciando per fidem prædictam in hoc facto omni exceptioni & deceptioni doli mali, actioni in factum beneficioque restitutionis in integrum, omni consuetudini patriæ

cuiuslibet & statuto, & omnibus & singulis exceptionibus, allegationibus & defensionibus iuris & facti Canonici & Ciuilis quæ contra præsens instrumentum vel factum possent in posterum obiici seu dici. In cuius rei testimonium ad petitionem dictorum Prouisoris & Scholarium sigilla Curiarum prædictarum præsentibus litteris duximus apponenda. Datum anno D. 1284. Mense Iunio.

Anno 1285. Scholaris quidam Theologus in atrio seu Parauiso Ecclesiæ Pari- 1285.
siensis ambulans percussus est à nonnullis Clericis eidem Ecclesiæ deseruientibus, qui ob id capitulari sententia damnati suis locis exciderunt. Tum enim in scholis Episcopalibus docebatur adhuc Theologia iuxta veterem consuetudinem, quanquam Scholæ Sorbonicæ scholarium multitudine abundarent. In area autem patenti seu propylæo Basilicæ Scholastici deambulare solebant, meditari, repetere, disputare: quibus si quis nocere ausus esset, continuò plectebatur. Adeo sacrum erat istis temporibus Scholastici nomen; conniuentibus & collaborantibus ad eorum securitatem summis Pontificibus & Franciæ Regibus. Vnde Philippus Rex hoc anno contra Aragonas profecturus edidit vt nouus Præpositus Parisiensis se etiam absente, nec expectato alio mandato solitum iuramentum in sui institutione Vniuersitati præstaret. Tale autem est diploma.

Philippus D.G. Francorum Rex Omnibus præpositis qui pro tempore Parisius fuerint constituti, Salutem. Mandamus vobis quatinus si nos absentes esse contigerit tempore Institutionis vestræ, Iuramentum quod tenemini facere Vniuersitati Scholarium Parisiensium Dominica scilicet prima vel secunda postquam exinde submoniti fueritis ab eisdem, in vna Ecclesiarum Parisiensium coram prædictis Scholaribus prout in ipsorum continetur privilegio, faciatis non exspectato mandato super hoc nostro speciali, & nostra absentia non obstante. In cuius rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius an. Dom. 1285. Mense February. PRÆPOSITVS PARISIENSIS IVRARE TENETVR VNIVERSITATI

Eodem anno ab expeditione Aragonensi reuertens Philippus cognomento Audax apud Perpinianum moritur. Cuius corpus cum Philippus Pulcher filius promisisset Dominicanis ad sepeliendum, & nihilominus delatum fuisset ad ædem San-Dionysianam, grauis contentio inter Monachos vtriusque Ordinis orta est, vtri cederet. Et in eam rem consulti Doctores Academici, vt narrat Nangius his verbis. *Antequam Ossa fuissent ibidem* (hoc est apud S. Dionysium) *sepultura tradita, magna dissensio inter Monachos dicti loci & Fratres Ordinis Prædicatorum Parisius fuit orta. Nam Rex Philippus defuncti Regis Philippi filius & Regni successor ad petitionem cuiusdam Fratris de Ordine prædicto concesserat improuisus Cor Patris sui Fratribus, vt ipsum Parisius in suo Monasterio sepelirent. Petentibus ergo ipsum Cor Monachis, & dicentibus quod ex quo elegerat Rex Philippus apud ipsos in suo Monasterio sepeliri, non debere alibi cor reponi; Rex flecti non potuit. Imò authoritate Regia prævalente sepultum est Parisius apud Fratres. De quo postea fuit determinatum Parisius per plures Magistros Theologos, quod neque Rex neque Monachi dare, nec Fratres prædicti possent illud Cor Regium absque dispensatione duntaxat summi Pontificis retinere.* Sic rem istam Nangius & historiam finit. Eandem post Nangium commemorat his verbis Ioannes San-Victorinus. *Igitur mortuo Philippo Rege Francorum viscera eius apud Narbonam sepulta sunt; Corpus autem eius apud S. Dionysium in Francia prout viuens petierat, delatum est cum suis tumulandum Patribus: sed antequam sepulturæ traderetur, ibidem magna dissensio inter Monachos S. Dionysij in Franciæ, & FF. Prædicatores Parisius commorantes propter Cor Regis est exorta.* Nam Rex iuuenis Philippus IV. ad petitionem Confessoris sui Nicolai de Gorrena de Ordine FF. Prædicatorum concesserat inconsultè Cor patris sui ipsis Fratribus Prædicatoribus ad ipsum Parisius in Ecclesia sua tumulandum. Sed tunc ipsi Philippo Regi nouo per Cardinalem Ioannem Cholet[illegible] & Barones Francorum fuit ostensum non licere. *De hacque dissensione determinatum fuit postea Parisius in Scholis à pluribus Magistris in Theologia, quod ipsum Cor neque Rex nec ipsi Monachi dare, nec prædicti Fratres sine dispensatione Papæ possent aliquatenus retinere. Regia tamen authoritate prævalente dictum Cor sepultum est Parisius apud Fratres Prædicatores; Corpus apud S. Dionysium humatum est.* MORS PHILIPPI REGIS.

Eodem anno obit Martinus Pontifex Perusiæ 4. Kal. April. & in maiori Basilica eiusdem Ciuitatis quiescit. Ei succedit Honorius IV. ante promotionem *Iacobus Sabellus* è Gente pernobili Sauella dictus, S. Mariæ in Cosmedin Dia- MORS MARTINI PAPÆ.

conius Cardinalis, qui pro symbolo accepit *Pars mea Deus in secula.* Hic Pontifex fidei Christianæ dilatationem summoperè cupiens, pro conuertendis Sarracenis & reducendis schismaticis Orientalibus, Arabicæ & aliarum peregrinarum linguarum studium à prædecessoribus suis præceptum vt Parisiensi in Academia institueretur, randem institui seriò voluit, datis in eam rem ad Ioannem Cholerum S. Ceciliæ Cardinalem litteris rune in Gallia Legatom; idque præcepisse feeerunt instantiâ Raimundi Lullii, qui Collegiis eiusmodi instituendis & conuertendis ad fidem Mathematicis summo studio incubuisse fertur. Itaque mortuo Hooorio ob eam rem Lutetiam venit vt inceptum vrgeret. Ibi à M. Bertoldo Cancellario Parisiensi licentiâ docendi obtentâ Artem suam mirabilem docens cœpit; at eum in ea parum proficerent studiosi, Montem-pessulum adiit ad Regem Maioricarum Iacobum, vbi aliquandiu quoque professus est, Artemque suam commendabiliorem & clariorem reddidit. Inde Genuam se confert, vbi librum edidit Arabicum; & postremò Romam ad Nicolaum IV. reuertitur, cum quo agit de instituendis vbique locorum Monasteriis aut Collegiis linguarum Orientalium. Hæc scribit Author innominatus ipsi coæuus, & totius vitæ eius conscius, vt refert Wadinghus in Annalibus Minoritarum.

Ad hunc annum refert Baronius M. Ægidium Romanum Doctorem Theologum Augustinianæ sectæ in suspicionem hæreseos venisse Voiuersitati Parisiensi: & cum non potuisset res definiri, ad Apostolicum forum tandem delatam, vbi post varias concertationes Pontificio Decreto se suaque scripta submisit. Quia verò Doctores Academicos habiturus erat offensus & infensos, iussus est quasdam propositiones iam ante ab Episcopo Stephano damnatas, palam & publicè in Comitiis Generalibus reuocare. Quam in rem Honorius ad Ranulphum Episcopum Parisiensem scripsit hoc modo.

„ *Honorius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Parisiensi Sal.*
„ *& Apostol. Bened.* Licet Dilectus filius Frater Ægidius Romanus de Ordine FF.
„ Eremitarum S. Augustini olim Parisius vacans studio, aliqua sicut intelleximus,
„ dixerit & redegerit in scripturam, quæ bonæ memoriæ Stephanus Parisiensis
„ Episcopus prædecessor tuus per seipsum examinans & per Cancellarium Pari-
„ siensem eius temporis, ac per alios Theologicæ Facultatis Magistros examinari
„ faciens censuit reuocanda, & ea minimè reuocauit, quio potius variis rationibus
„ nisus fuerit confirmare, nuper tamen apud sedem Apostolicam constitutus hu-
„ militer obtulit se paratum ad reuocanda quæ dixerat siue scripserat, reuocare pro
„ nostræ arbitrio voluntatis. Nos verò eiusmodi eius oblationem humilem acce-
„ ptantes & moti spiritu compassionis ad ipsum, quia decentius & vtilius reputa-
„ uimus, vt præmissa ibi consultiùs reuocentur, vbi dicta & scripta inconsultè di-
„ cuntur, ipsum ad te duximus remittendum, Fraternitati tuæ per Apostolica scri-
„ pta mandaores, quatenus Dilecto filio M. Nicolao (de Nonancuria) Parisiensi
„ Cancellario & omnibus aliis Magistris Theologicæ Facultatis Parisius commo-
„ rantibus, tam actu in eadem Facultate regentibus quàm etiam non regentibus ad
„ hoc specialiter conuocatis, procedens de ipsorum consilio in prædictis, dicto
„ Fratre coram omnibus eis reuocante, quæ de dictis contra ipsum vnà cum ma-
„ iori parte Magistrorum eorundem iudicaueris reuocanda; & specialiter quæ
„ dictus Prædecessor tuus mandauit, vt prædicitur, reuocari, circa licentiam &
„ & expeditionem ipsius authoritate nostra prouideas, prout secundùm Deum fi-
„ dei Catholicæ ac Parisiensis studii vtilitati de consensu maioris partis Magistro-
„ rum ipsorum videris expedire. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. Iunii, Ponti-
„ fic. nostri an. 1.

Explicuit Christianam submissionem Ægidius, Romanæque Ecclesiæ & Vniuersitatis Parisiensis determinationi piè adhæsit: quem quanti fecerit Academia, vel ex vno agnoscitur, quòd anno proximo Oratoris Academici ad Philippum Pulchrum è sacris Remensis Parisios reuersum, munus illi demandarit; Rex verò ad Bituricensem Archiepiscopatum promouit.

Neque omittendum referre singulare priuilegium Exemptionis, quod habebant homines Episcopi ab omni subuentione seu talliâ, quodque hoc anno confirmatum est: eum enim, vt supra diximus, Decima fuisset Philippo concessa bonorum Ecclesiasticorum ad conquæstum Aragoniæ, ob idque Parisienses

sienses iuberentur tributum aliquod pensitare, Episcopus Ranulphus intercessit quominus à suis subditis, seu vt dicebant, hominibus exigeretur. Et Mathæus S. Dionysij Abbas absenre Rege securiraris litteras illi concessit & immunitatis, quæ in Archiuii Parisiensis Regesto tales leguntur.

Mathæus misetatione Diuina Ecclesiæ B. Dionysii in Francia Abbas humilis & Simon Nigellæ Dominus locum-tenentes Domini Regis Francorum notum facimus; quod cum Dominus Rex Franciæ & successores ipsius inter alia habeant Talliam super homines rerræ Dilecti & fidelis ipsius D. Regis Episcopi Parisiensis, scilicet in Burgo S. Germani, in Cultura Episcopi, & in Clauso Brunelli, in certis casibus, videlicet quotiens filias suas maritabunt, & etiam si redimantur de captione proprii corporis factâ in Guerrâ, & insuper exercitum vel Equitationem vel Talliam propter hoc factam; propter alias autem causas à D. Rege vel eius successoribus dictorum locorum homines talliari non possunt sine assensu Episcopi supradicti, saluâ tamen eidem Domino Regi & eius successoribus Talliâ panis & vini in veteri Burgo S. Germani, in Cultura Episcopi & in Clauso Brunelli prædicto, sicut in compositione inter inclytæ recordationis Dominum Philippum proauum Domini Regis, & bonæ memoriæ Guillelmum Episcopum quondam & Capitulum Parisiense olim factâ plenius continetur. Ac idem D. Rex propter quædam ardua negotia ipsum ac Regnum suum tangentia à Ciuibus Parisiensibus subsidia petiuisset, ac pro concessis subsidiis impositæ fuissent Talliæ hominibus dictæ terræ, Dilectus & fidelis D. Regis Ranulphus Parisiensis Episcopus se opposuit dicens, quod pro prædictis non poterant dictorum locorum homines sine assensu ipsius Episcopi talliari, cum se non obtulisset, nec offerret aliquis de casibus expressis in compositione iam dictâ. Tandem licet secundum formam dictæ Compositionis ipsius Terræ homines non debuerint nec debeant pro præmissis sine assensu D. Episcopi talliari, idem tamen Episcopus obtentu D. Regis ac negotii Aragonensis, Valenciensisque Regnorum, quod ad præsens idem Rex prosequitur, ad preces nostras impositioni & exactioni dictarum talliarum suum assensum præbuit de gratia speciali. Nos autem ex authoritate & vice ipsius Domini Regis nobis commissâ, nomine ipsius Regis & pro ipso volumus & concedimus, vt pro hoc ipsi Episcopo rerræ prædictæ ac successoribus eius & compositioni prædictæ nullum in posterum præiudicium generetur. Et bona fide procurabimus, quod D. Rex præsentem concessionem dicto Episcopo suis patentibus litteris confirmabit. In cuius rei testimonium præsentes litteras sigillo Regio quo vtimur, fecimus sigillari. Actum Parisius mense Iulio an. Dom. 1285. Signum Philippi Dei gratia Francorum Regis & habentium regimen Regni.

Eodem anno M. Guillelmus Duranti ex Carnotensi Decano electus est per viam Compromissi Mimatensis Episcopus à Clericorum Cœtu, vltro cedente Guillelmo quodam Ecclesiæ Rhedonensis Archidiacono qui ab eodem Cœtu postulatus fuerat in Antistitem. Eius autem electionem probat Honorius an. 1. sui Pontificatus datis ad ipsum litteris. 2. Non. Feb. quæ leguntur in Regesto Vaticano. Eum enim Honorius in Scholis Parisiensibus norat, eiusque doctrinam eximiam & virtutem perspectam habebat. Vocarunt vulgo *Speculator*, propterea quod speculum Iuris & Rationale Diuinorum Officiorum in tria volumina digessit. Quod aliàs Discipulus M. Henrici de Segusia (Cardinalis postea Ostiensis) Ottobono Cardinali Flisco qui Adrianus V. dictus est, dedicauit: in eoque se vocat Decanum Carnotensem; & lib. 9. c. 8. ait se illud compleuisse an. 1286. cum tamen tunc esset Episcopus saltem Electus Mimatensis.

At ne quis erret in nomine, duo fuerunt Guillelmi Mimatenses, patruus scilicet & nepos. Ille de quo loquimur, *Speculatoris* nomen habuit propter causam quam retulimus, ante Episcopatum Nuncius Pontificius, & Romandiolæ Thesaurarius, vt refert Simon Maiolus; Martino familiarissimus fuit, à quo Romam euocatus & Vmbriæ præfectus fuit: obiitque in Italia, an. 1296. & iacet Romæ in S. Mariæ super Mineruam Templo, vbi sub tumulo in arte musiuâ ipsius imago cernitur cum stemmatis Gentilitiis. De cuius sepulchro sic legitur apud Vghellum in Episcopis Vrbaniensibus tom. 2. Italiæ sacræ. *Hoc est sepulchrum D*

Guillelmi Duranti Episcopi Mimatensis. Ioannes filius M. Cosmati fecit hoc opus. In tabula autem marmorea infra sepulchrum leguntur hæcce Carmina.

Hic iacet egregius Doctor Præsul Mimatensis
Nomine Duranti Guillelmus, Regula morum,
Splendor honestatis & casti candor amoris,
Altum consiliis, spatiosum mente serenum,
Hunc insignibus immotum turbine mentis.
Mente pius, sermone grauis, gressúque modestus.
Exstitit infestus super hostes more Leonis
Indomitos domuit populos, ferroque rebelles
Impulit, Ecclesiæ victos seruire coegit.
Comprobat officiis, paruit Romanica sceptro;
Belligeri Comitis Martini tempore Quarti.
Edidit in Iure librum: quo Ius reperitur,
Et Speculum Iuris & Patrum Pontificale,
Et Rationale Diuinorum patefecit.
Instruxit Clerum scriptis, monuitque statutis
Gregorij Deni, Nicolai scita perenni
Glossâ diffudit populis, sensúsque profundos.
Iure dedit mentes & corpus luce studentum,
Quem memori laude genuit Prouincia dignum,
Et dedit à Podio Missone Diœcesis illum:
Inde Biterrensis, præsignis Curia Papæ:
Dum foret Ecclesiæ Mimatensis sede quietus,
Hunc vocat Octauus Bonifacius, altius illum
Promouet, hic renuit Rauenna Præsul haberi.
Fit Comes inuictus simul hinc & Marchio tandem,
Et Romam rediit Domini sub mille trecentis,
Quatuor amotis annis tumulante Minerua:
Surripit hunc festiua dies & prima Nouembris.
Gaudia cum Sanctis tenet, Omnibus inde sacerdos:
Pro quo perpetuò datur hac celebrare capella.

Ei successit M. Guillelmus Duranti eiusdem Ecclesiæ Mimatensis Archidiaconus, prædicti Guillelmi ex fratre nepos, vir quoque doctissimus & celeberrimus, qui Concilio Viennensi adfuit: scripsit contra exemptos & alia multa opera edidit: vt suo loco docebimus. Obiit verò circa an. 1330. Vnde conuincuntur errores Bzouius & alii, qui Durantos istos confundunt cum Durando de S. Porciano Episcopo Anicienfi ac Meldensi, qui scripsit super Sententias.

1286. Anno 1286. regnare cœpit Philippus dictus Pulcher, Philippi III. filius, & ipse litterarum & litteratorum amantissimus ab ipsa pueritia. Nam vt refert Paulus Æmylius l. 3. Ægidium Romanum Doctorem Theologum (præceptorem suum) obseruauit, authorque illi fuit, vt de regimine principum monumenta quæ extant, conscriberet & in lucem ederet. Idem curauit sibi à M. Ioanne Meunio verti in linguam Gallicam libros quosdam veterum authorum; maximè verò Boërium de Consolatione Philosophiæ; Vegetium de re militari; nec non Epistolas Petri Abaëlardi & Heloïssæ. Meunius ille Poëta egregius Gallicum poëma, cui *Rosa* nomen, iam à S. Ludouici temporibus à Guillelmo Lorriano inchoatum, absoluit: quod opus inuenrione ac pondere sententiarum admodum excellere Doctis visum est, inquit Massonius.

Philippum è sacris Remensibus Lutetiam reuersum (ibi autem inunctus est à Petro Barberio Archiepiscopo ipso de Epiphaniæ) pulcherrimâ oratione excepit Ægidius ille Romanus nomine Vniuersitatis & pro more ipsius Tunc enim & longè post mos iste viguit in Academia, vt quemadmodum Rex Cancellario suo vtitur eum dicendum est ad Proceres aut ad Populum, ita Rector Vniuersitatis Oratorem deligeret, qui nomine ipsius & totius Academiæ ad Regem & ad Proceres, quoties opus foret, diceret. Vnde in Commentariis Academicis sæ-

pe legitur, aut Rectorem petiisse sibi dari Oratorem, seu vt vocabant, Proponentem; aut ab Academicis delectum, cum res publicè proponebatur. Idque muneris & honoris deferri vulgò solebat Doctoribus in Theologia, & nonnunquam Decretistis.

Extat autem Ægidii oratio Latinè conscripta apud Paulum Æmylium, qui hæc verba præmittit. *Philippus Pulcher iam inde à prima adolescentia Ægidium Romanum Theologum obseruauerat*, authorque fuerat vt de regimine Principum monumenta quæ extant, conscriberet ederetque. Eundem Lutetiam à Remensibus sacris regressum, quod sacræ Scholæ Vniuersique Musæi oratione nouos excipi Reges solenne sit, dicere iussit. Atque ita exorsus est.

ORATIO AEGIDII ROM. AD REGEM RECENS INAVGVRATVM.

E Templis & quasi è Colloquio Dei Optimi Maximi venientes, ac continuo abs te, Indulgentissime Rex, dicere iussi, non minore religione apud te verba faciemus, quàm quantâ modò pro te ante aras vota suscepimus. Te quoque eâdem animi pietate aditurum confidimus, quâ vt sacræ Scholæ orationem habeamus, hortaris: vt quæ vltro in mentem tibi veniunt, ea etiam à tuis accipias & tecum loqui persæpe solitus vocem etiam nostram non asperneris. Quid autem apud nouum Regem antiquius grauiusque quàm de Regno dici potest? Nomen enim Regium non in terris natum excogitatumque, sed è cælo demissum mihi videri solet. Parens enim rerum Deus cum genus humanum condidisset, summum quidem in illud imperium iusque penes se retinuit, sed vt mente in eum sublimiùs ferremur, vt illum cupidiùs quæreremus, vt spe, vt votis incenderemur, idcirco in terris palam ipse degere, oculisque interea nostris obseruari noluit, Reges instituit, qui eius vice munereque fungerentur: quorum vt quisque probitate quàm proximè ad Deum Optim. Max. accederet, ita verissimè Rex vocitaretur. Item omnes eodem consilio dati, alia tamē alii via ad laudem contenderunt. Permulti singulis singuli virtutibus inclaruêre, audeo prædicare, nullum omnibus anteiuisse. Non pauci certè compluribus præstitêre. Magnus enim campus Regibus patet ad gloriam: & ad eam cuncti mortales, sed maximè omnium Reges studio incitati feruntur. Dignissimum enim diademate censuerim, quidquid in cæteris pulchri passim aut legerit aut audierit, id omne sibi vniuersumque expetat, vt quod desideraret in aliis, id præterea ipse præstet. Non pigebit me dum te intueor, magnitudinem tuam considero, à Persis exempla repetere. Quorum Reges tot Gentibus imperitantes, cum liberos suos ipsarum virtutum voce erudiri institui que non posse cognoscerent, quod proximum erat, conquisitione summorum virorum facta Quatuor-viros ex omni numero deligebant. Vnum Iustitiâ clarissimum: alterum prudentiâ: alterum fortitudine animi: quartum continentiâ excellentem.

Horum præceptis institui iam inde à pueris Regum filii consueuerant. Quæ Disciplina quandiu incorrupta remansit, tandiu illud Imperium maximum Orbis terrarum extitit, & ror post seculis etiam apud Nos memorabile & imitatione dignissimum. Sed satis mirari nequeo id quod multis ante seculis admirationi summis sapientiæ Professoribus fuisse video, post hominum memoriam summos Reges maximosque Imperatores ex rebus gestis, vitæ vel instituto aut fortunâ aliquâ præclara sibi cognomina peperisse. Alios Expugnatores, alios Illustres, alios Magnos, alios Felices, alios Augustos, alios Pios dictos, alios alio decore nobilitatos: nullum dum Regum; nullum illorum Imperatorum qui rerum potiti sunt *Iusti* cognomen ad hanc diem promeruisse. Eam vnam *Iusti* Regis palmam, cognominisque dignitatem cæteris occupatis reliquam esse, quæ petatur quam primùm omnium summa contentione peti oportuisset: cum cætera priuatorum hominum & multò minus salutaria munera sint. Cuius rei causam quis aliam crediderit, quā quod sunt qui ferant iustum hominem maiori aliis quàm sibi vsui esse, quasi Reges loco cœlestium instituti datique idcirco sint, vt sibi non Reipub. saluti commodoque prospiciant cum contra res habeat, Regesque diuinitus humano generi dati sint, vt in commune consulant, iustitiaque sit ea animi dos, quæ vniuersâ vtilitate conseruarâ suam cuique tribuit dignitatem, à qua qui desciscunt, quamuis in Regio solio sedeant, Regesque in præsentia vocitentur, tamen adeo à Regio nomine Iudicio sapientum (quo quid ma-

ius, quid grauius?)absunt, vt ne Latino quidem nomine nuncupari possint, externo & peregrino & temporibus auribusque tuis ac voce pietateque nostra indigno nominantur. Eius igitur culpæ ratio eadem est, quæ de communis exitii maximorumque bellorum quod opibus præstare, id in rebus summum bonum arbitrantur. Cum ea demum ac vna magnitudo Regia sit, vt cum cupiditati animi modum semel imposueris, quàm cæteros mortales magnitudine nominis antecedis, tam beneficiis anteire contendas, & ea imprimis excellas virtute, à quâ vnâ reliquæ iura petant; eius nutum intueantur, ad eam omnia referant, ab eius ore pendeant. Cuius fidei aliæ rerum summam arbitriumque mandarint, seque eius administras comitesque profiteantur. Ea haud dubiè Iustitia est, pro qua fortitudo, constantia, grauitas nisi depugnet, suum ius nomenque ac decus amittat, feritas, immanitas, vecordia dicatur, cui sapientia nisi appareat præstoque sit, malitia, calliditas, fraus, captio necessariò vocitetur. Eiusdem est, cum hominum genus ex fera vita siluisque in vrbes mansuetudinemque exiuerit, legumque ac institutorum vinculis coniunxerit, consociaritque, dare operam vt probi mores vigeant, pietas, fides, pudor, modestia, continentia, temperantia colatur. Quin ipsa liberalitas quæ prodesse velle te ac augere multos gloriatur, nisi sine iniuria & maleficio alterius id faciat, nisi iustitiæ vestigiis insistat, cuius se germanam ac maximè geminam prædicat, omnis commendationis dignitatisque sit expers, priusque alios spoliet quàm aliis largiatur. Eadem & magnificentiæ & munificentiæ vis est, vt ab iniuria procul facessat, vt vnius Iustitiæ nomine omnes contineantur. Ea omnes sit, ea vim suam etiam sanctam mortalibus testetur: quodeum quænam Mortalium generi tuendo debeantur, præscripserit, Cœlum etiam suspiciens, illi in animis hominum venerationem cultumque reddat, pietatem & religionem, templa, sacra Superis impertiat, summumque mundi Artificem velut coram contemplata imitandum sibi proponat: vt quemadmodum ille signa, sidera, Cœli motus, temporum vicissitudines sempiternâ certaque lege deuinxit, à quâ deficere nequeant, ita ista terrestribus his apud nos Regnis, si perpetua futura sint, salutares leges iuraque præscribat. Hæc igitur iustitia terris insidens ac cœlum ceruice contingens, ita sibi nihil petens, nihil captans sua cuique tribuit, vt ei nihilo secius genus humanum resque omnes eius beneficio incolumes sceptra dent. Simul qui iusti legitimique Reges à parentibus, more, instituto & legibus consensuque Regna acceperint, nulli rei plusquam Iustitiæ debent. Maius enim certiusque patrimonium ac ampliores facultates ab ea acceperunt quàm à parentibus. Illi enim opes, gazam, arma, arces, præsidia tradere potuêre, vt veri iustique Reges sint, haberenturque ipsi, ac liberis deinceps per manus eadem relinquant, id munus eius Reginæ sit. Cur enim Iustitiam Reginam vocitare dubitemus? quæ Regna tradat, tueatur, sancta efficiat: adeo vt etiam si id verum credatur, quod & Proceres sapientiæ nonnulli dixêre, iustum plus aliis prodesse quàm sibi, dissimulari tamen non possit veros Reges, eosque imprimis qui Regibus orti, generaturi Reges sint, ei Reginæ accepta omnia ferre debere, quam & ipsos in se colere & cæteris præstare conueniat. Et vt omnia semel complectar, religionis, moderationis, prudentiæ, liberalitatis, fortitudinis, iustitiæ parens est, nec diuelli à Rege potest incolumi Regio nomine. Nec difficile factu est, eam præstare non æque cætera. Etenim sapientia Ingenii indoles est quam nullus efficere creareve sibi potest. Naturæ bonum ac Dei donum est. Fortitudo quoque vis quædam & magnitudo animi censetur, ac id mentis robur, vt cuique insitum est, specimen cernitur. Quid quod continentiam facilem aut difficilem corporis dos habitusque præstare videri possit? Iustitia autà sola voluntate proficiscitur, & vt quisque vult, Iustusve est, aut facillimè omnium Regis ingeniis se vltro discendam præbet. Forma corporis, oris dignitas, frontis grauitas, vultus Maiestas fulgor, vigor ac lumen oculorum, quando maximè inclyta Cœlestium munera repudianda dissimulandaque non sunt, spectantes mouet, tenetque ac admonet, quænam species primi à summo Artifice initio rerum creati hominis fuerit, qualesque quicunque iustè regnarint, futuri sint in illa felici immortalitate. Quod si corporis pulchritudo tanti est, vt quodam sui miraculo reliquos afficiat, quid sentiendum de illa pulchritudine, quæ est animi verè Regii, quæ simillimum superis facit: agemacte indole animi spe-

que mortalium hanc virtutum Reginam Rex in Consilium semper admitte, eius „ speciem animo concipias, ad eam te formes, eam intuens te componas. Quàm ea „ te delectabit ? quàm mirum sui amorem apud te excitabit ? quàm te cœlestibus „ charum acceptumque efficiet ? quantam Maiestatem tibi apud tuos, apud alienos „ conciliabit ? quàm te immortalitati nominis consecrabit ? Is demum optimus Rex „ erit, ac minimè rerum inclinationibus temporumque communium mutationibus „ & publicis casibus (qui summis Imperiis, vbi aliquid labat, fere accidere, vt „ humanis corporibus morbi consueuêre) obnoxius, qui eam semel pectore admi- „ serit, ac deinceps eius consuetudine tenebitur, nec ipse modo felix, sed & quod „ proprium Regum est, suos felices efficiet, prægustans quanta quamque solida fu- „ tura sit in illa inter superos summa æternaque felicitas, quam optimis Regibus „ Iustissimisque destinauit Diuinum Numen, cuius vt apud Nos partes in terra „ agetes, hoc solio velut in editissima terrarum specula sedes. „

Hæc Ægidius Theologus ad Regem pro & nomine Vniuersitatis. Sed quia credibile non est latinè dixisse (non enim aliâ quàm vernaculâ solemus Regem alloqui) ecce ipsam eius orationem Gallico idiomate conscriptam, quam verisimile est eum recitasse, quanquam forte ab iis qui eam deinde ad nos transmiserunt, paulo purgatior & barbararum vocum expertior tradita sit. Legitur autem apud Bernardum à Girardo, vulgo Haillanum Franciæ Historiographum, qui hoc quoque præmittit, reuersum scilicet Parisios Regem è sacris Remensibus oratione publicâ exceptum iuxta morem antiquum Vniuersitatis.

Venans du Temple, Roy tres Chrestien, & comme sortans de parler auec Dieu, ayans chargé de vostre Maiestè de dire, il fault que nous parlions auec non moins de reuerence deuant vous, que nagueres deuotieusement nous auons fait pour vous priere deuant les saints Autels. Aussi esperons nous que vous orrez auec tant de courtoisie & debonnaireté comme gracieusement vous auez commandé à vostre fille l'Vniuersité de haranguer en vostre presence, affin que vous entendiez des vostres ce que de vostre propre mouuement vous eussiez fait ne mesprisant point nos propos, dont nous auons accoustumé de souuent arraisonner vostre Maiestè tres Chrestienne. Mais de quoy peut on mieux à propos discourir deuant vn Roy nouuellement venant à la Couronne, que du gouuernement d'vn Royaume ? veu que le nom Royal n'est pas chose née ou trouuée en terre, ains comme il me semble il l'a esté du Ciel pour le profit des hommes. Entant que Dieu Pere & autheur de toutes choses ayant créé le genre humain se retint ce degré souuerain de commander tout ce qui est formé, neantmoins afin que nous le contemplassions spirituellement & vinsions à plus ardemment le chercher, & que par desir & esperance nous tendissions vers luy, il n'a voulu se tenir parmy nous & habiter en terre. Bien a-t'il instituez les Roys comme ses Lieutenans & Vicaires, de sorte que tant plus saintement vn Chef vit, & de tant plus il s'approche de Dieu par integrité de vie, & mieux à propos & plus iustement il porte le nom & titre de Roy. Tous donc ont esté donnez à vne mesme fin & conseil, mais les vns ont esté louez pour vne raison, les autres pour vne autre. Et ose dire que iamais n'y eut Roy qui surpassast tous les autres, chacun ayant excellé en quelque rareté & vertu signalée. Veu que les Roys ont vn grand & spacieux champ pour paruenir à la gloire, à laquelle tous les hommes aspirans deleur naturel, les Roys neantmoins sont ceux qui y sont poussez plus que le reste des humains. Ce qui me fait iuger celuy-là estre tres-digne de la Couronne Royale, lequel ayant leu, veu & entendu quelque beau trait de vertu ou de perfection en vn autre, il tasche de se le faire propre & d'en embellir, afin qu'il se voye excellent en ce qu'il souhaitte és autres pour leur accomplissement. Ie ne feray conscience, Roy Souuerain, vous voyant, & considerant la grandeur de V. M. de reprendre l'exemple des Perses, les Roys desquels ayant à commander sur vne infinité de peuples & de Prouinces, & cognoissans que leurs enfans ne pouuoient estre instruits par la voix mesme des vertus, ils s'efforçoient de trouuer 4. hommes des plus rares & signalez en vertu, L'vn estant renommé de grande Iustice. L'autre excellent en prudence, le tiersiesme plein d'vne admirable constance & force d'esprit, & le quatriesme continent & modeste au possible. Et ce-

stoient telles Gens ausquels on donnoit la charge de l'instruction & nourriture des Princes & des Enfans des Monarques des Perses.

Or tandis qu'inuiolablement on obserua cette façon de nourriture, cét Empire fut aussi le plus grand & puissant de toute la terre. Cette coustume merite bien que long-temps apres elle soit obseruée entre nous & qu'elle paruienne iusques à nostre memoire. Mais ie ne puis assez mesbahir de chose, qui a mis estonnement en l'esprit des plus sages de ce monde, que tant de Roys & grands Empereurs qui pour leurs hauts faits se sont acquis gloire & heureuse reputation, & lesquels soit fortuitement ou iustement s'estant acquis de beaux & honorables titres, bien que les vns ayent esté nommez Dompteurs de villes, les autres Illustres, ceux-cy Grands, les autres Heureux, Augustes ou Debonnaires, ou autres telles marques de grandeur & loüange, si n'en trouuez vous pas vn qui iusques à ce iour ait pû s'acquerir par son merite le surnom de Iuste, tous ayant laissé à part celle partie laquelle est la principale & la plus propre du nom & Office Royal, pour empoigner celles qui sont communes à tout genre d'hommes & beaucoup moins necessaires pour le public. A l'occasion de cecy procede d'autant que l'homme iuste est celuy qui a plus d'égard au profit de son prochain que de soy-mesme, comme si les Roys lesquels sont instituez & donnez de Dieu pour ses Lieutenans, n'estoient mis au monde pour plûtôt profiter à la chose publique qu'à leurs appetits & desir, & affin de prendre egard sur le commun & Vniuersel de ceux qui luy sont donnez en garde. Veu que la Iustice est ce Donaire & perfection de l'ame, laquelle conseruant l'vtilité du public rend à chacun ce qui luy appartient, de laquelle si les Princes s'esloignent, ils ont beau estre assis sur vn thrsône Royal & de porter le nom de Roys, car l'effet du nom est esloigné d'eux & meritent vn nom malplaisant & barbare, lequel est indigne d'estre nommé deuant V. M. Tres-Chrestienne. L'esgard d'vne telle faute est de telle consideration que celle d'vne commune ruine & la cause de quelques grandes & cruelles guerres, entant que les hõmes pensent que ce soit le souuerain bien en ce monde que d'abonder sur tous autres en richesses. Et neantmoins la plus grande magnificence & la plus remarquée grandeur Royalle est celle, que lorsque vous auez domprées vos affections & conuoitises, vous taschez de toutainsi surpasser les autres en bien faisant & eslargissant honestement le vostre, comme vous les surmontez en excellence & puissance. Et sur tout conuient s'efforcer de les auancer auec celle vertu de laquelle les autres prennent leur droit & fondement, afin que toutes les autres la regardent, dependent d'elle, soient à icelle, se reposent en ses iugemens, luy seruent de cõpagnie & luy facent perpetuel seruice. Cette-cy sans doute est la Iustice, pour laquelle si la force, constance & grauité ne bataillent, elles perdent sa vigueur, son nom & sa grandeur, & au lieu d'icelle prendront place la cruauté, le déreglement & la folie. Et si la sagesse n'y met empeschement, on verra soudain que cette apparence de sagesse sera vne pure malice, cautele, falace & trahison, & en portera à bon droit le titre. C'est à la Iustice, puis qu'elle a retiré le genre humain des bois & des solitudes pour les faire habiter les Citez, & leur enseigne la courtoisie, & qu'elle les a ciuilisez en leur enseignant les loix & les liens d'vn nœud & societé de pareille institution de vie. C'est à-elle, dis-je, de faire que les bonnes mœurs ayent vigueur, qu'en suiuent la pieté, la foy, honte, modestie, continence, attrempance & preudhomie. Voire si la liberalité laquelle se glorifie de vouloir profiter aux autres & de les aduancer, ne fait cecy sans faire tort ou iniure à personne, & si elle ne s'arreste aux traces de Iustice, de laquelle elle se dit estre la sœur germaine, & plus legitime, prendra le titre & cet auantage, si plûtost elle rauit & despouille les vns pour en reuestir & enrichir les autres. C'est vne mesme force que celle de la magnificence & largesse, laquelle faut qu'elle soit éloignée de toute iniure & iniquité, afin que toutes soient contenues sous le nom & tutelle de Iustice, & qu'elle soit en toutes & porte le nom de toutes ensemble. Aussi est-ce elle qui monstre quel est son effort en la conseruation du genre humain, en ayant elle seule prescrite & ordonnée la forme. D'elle procede que l'homme regardant le Ciel, sent en son ame vn eguillon de reuerence enuers les choses Diuines, luy enseigne la pieté & religion & les moyens de consacrer à Dieu des Temples, luy offrir prieres & sacrifices; & comme si la Diuinité luy estoit

proposée deuant les yeux, il se la propose pour l'imiter en bonté & iustice, afin que tout ainsi que ce Souuerain Createur a conioint & lié par vne certaine & éternelle loy, les signes, les astres, les mouuemens des Cieux, les reuolutions du temps, & autres choses, de laquelle elles ne peuuent s'égarer; Aussi la Iustice a ordonné & fait que si tous les Royaumes terrestres veulent estre fermes & durables, il faut aussi qu'ils suiuent sans cesse les droits salutaires par icelle mis en auant. Cette Iustice donc allant & cheminant par terre, & de la terre penetrant les nuës & touchant au Ciel ne souhaittant rien pour soy, n'vsurpār chose quelconque, rendant à chacun le sien, fait que les hommes en recompense luy soûmettent tout ce qu'ils ont, & comme à vne Dame Souueraine luy mettent le Sceptre Royal en main. C'est pourquoy les Roys iustes & legitimes, qui suiuans la Coustume, l'Ordonnance, la Loy, la Nature & le consentement public reçoiuent les Royaumes en la succession de leurs parens, doiuent sur toutes choses s'adonner à suiure les traces de Iustice entant que d'elle ils pourront receuoir vn plus grand, plus ample, & plus durable patrimoine, & des richesses plus asseurées que celles que leur auront laissées leurs parens. Lesquels leur mettent en main les terres, possessions, reuenus, armes, Villes, Chasteaux, forteresses & lieux de defense: mais qu'ils soient iustes, equitables & bons Roys, & qu'ils laissent cecy pour heritage à leurs enfans; c'est à cette Reyne & Souueraine Dame de l'Vniuers. Car pourquoy craindrons nous d'appeller la Iustice Reyne & Emperiere? puisque c'est elle qui donne les Royaumes, qui les defend & les rend Saints, Augustes & durables, de sorte que s'il est ainsi comme vrayement il est, que la Iustice profite plus aux autres qu'à soy mesme, on ne peut aussi dissimuler que ceux qui sont nez Roys, sortis de Roys, & qui doiuent engendrer des Roys, ne se sentent redeuables de tout à cette Reyne, & qu'ils ne l'ayment & honorent sur toutes choses. Et afin que ie comprenne tout en vn, la Iustice est la mere de la Religion, modestie, force, prudence & liberalité, & ne peut estre separée du Roy sans alteration & grand preiudice de la Royale dignité, & n'y a grande difficulté à la mettre en œuure non plus que le reste des Vertus: entant que la sagesse est vne perfection de l'ame qu'aucun ne peut former ne se donner, estant vn present de nature & vn bien & don du Tout-puissant. La force & constance est aussi vne certaine vigueur & effort de l'ame, laquelle se fait cognoistre és actions de chacun, voire que l'habitude du corps fait voir la facilité ou difficulté de la Continence en l'homme. Mais la Iustice procede de la seule volonté, & chacun est iuste, ou au contraire tout ainsi qu'il luy plaist, & sur tout elle s'offre & donne aux ames Royales afin qu'elles la mettent en euidence. La forme du corps, la beauté de la face, la grauité du front, la maiesté du visage, le rayonnement & clarté des yeux, puis qu'il ne faut pas taire ces rares dons du Ciel, sont de grand effet pour émouuoir les hommes & les admonester de penser quelle estoit la figure du premier homme, que Dieu créa dés le commencement, & qu'ils seront en l'immortalité bien-heureux, ceux qui regneront iustement en ce monde. Que si la beauté corporelle est de telle consequence que par vn sien miracle elle attire les autres hommes à l'auoir en admiration, qu'est-ce qu'on doit estimer de celle beauté Royale, laquelle consistant en l'ame rend vn Prince presque semblable à la Diuinité? Courage donc, Roy Bien-fortuné, embrassez moy cette Reyne des Vertus & faites qu'elle tienne les premiers rangs en vostre Conseil, peignez son vif image en vostre esprit, façonnez vous selon les loix d'icelle, & ne faites rien que par la contemplation de ce qu'elle vous instruira Ie suis asseuré que vous prendrez plaisir en sa frequentation, que l'aimerez, & qu'elle en recompense, vous rendra agreable & bien-aymé de Dieu, & reueré, craint & admiré des vostres & des Estrangers mesmes qui orront le bruit de cette perfection. Aussi en somme celuy sera vrayement Roy non suiet au changement des choses, ny aux communs renuersemens causez par l'iniure du temps & des causes qui aduiennent fortuitement, & ausquelles les Seigneurs sont redeuables, lequel aura tousiours la Iustice plantée au cœur, s'accoustumera à l'exercer & à ne faire rien que par son addresse. Et par ce moyen il felicitera non seulement le temps de son Regne, ains laissera les traces de son bon-heur à sa posterité, goustant en ce monde quelques traits de cette felicité que Dieu Souuerain Roy & Tres iuste Iuge a prepa-

" ré & promis aux bons Roys & Princes équitables, pour la Lieutenance duquel
" vous estes appellé en ce Royaume, asseant sur le Trosne des Rois de France vos
" Peres & Predecesseurs.

Eodem anno Abbas & Monachi San-Germano-Pratenses, qui à Philippo III. Pulchri patre iussi fuerant fundare duas Capellanias 40. Librarum annui & certi reditus ob interfectos scholares Vniuersitatis, ius quod habebant in nundinas S. Germani Pulchro in perpetuum dimiserunt ea lege, vt ipsorum nomine 40. illas libras Vniuersitati quotannis pensitaret. Commutatione itaque istâ factâ Rex statim edixit vt Præpositus Parisiensis præsens & futurus summam illam persolui curaret duabus æquis & paribus pensionibus. Edictum autem est eiusmodi.

CAPELLANIAE VNIVERSITATIS.

" Philippus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus Vniuersis tam præsentibus quam futuris, quod cum pro conflictu diu habito inter homines villæ S. Germani de Pratis iuxta Parisius & quosdam Scholares Vniuersitatis Parisiensis: in quo quidam conflictu M. Gerardus de Dola & filius Petri Sigillarii vulnerati fuerunt, & ex illa vulneratione postmodum obierunt, per definitionem seu ordinationem inclytæ recordationis Charissimi D. & Genitoris nostri Philippi Francorum Regis, quantum ad eum spectabat, pronunciatum fuerit, quod Abbas & Conuentus S. Germani de Pratis duas Capellanias perpetuas instituerent pro animarum dictorum duorum Clericorum interfectorum remedio: vnam videlicet in Ecclesia Vallis-Scholarium Parisius, in qua vnus ex Fratribus eiusdem loci pro remedio animæ defuncti Gerardi de Dola qui ibi sepultus est, perpetuò celebrabit: & aliam in Capella veteri S. Martini iuxta muros Abbatiæ in qua vnus Cappellanus pro Defunctis perpetuò celebrabit. Et quod vtramque Capellaniam dicti Abbas & Conuentus de 20. libris Parisiensibus annui & perpetui reditus dotarent. Nosque ratione Escambij à dictis Abbate & Conuentu nobiscum facti de suis Nundinis S. Germani: quas Nobis & Successoribus nostris in perpetuum dimiserunt pro 40. libris Parisiensibus annui & perpetui reditus, quas ad opus dictarum duarum Capellaniarum pro ipsis tenemur assignare, dictas 40. libras Parisienses assidemus & assignamus in Castelleto Parisiensi per manum Parisiensis Præpositi qui pro tempore fuerit in perpetuum annis singulis capiendis duobus terminis, videlicet in festo Omnium Sanctorum à Priore & Fratribus Ecclesiæ Vallis-Scholarium Parisiens. decem libras; & ab alio Capellano qui Capellæ S. Martini prædicti deseruiet, decem libras. Et in Ascensione Domini à dictis Priore & Fratribus decem libras. Et à Capellano S. Martini prædicti decem libras. Volumus igitur & præcipimus, vt quicumque Præpositus Parisiensis pro tempore fuerit, prædictas 40. libras annui & perpetui reditus, sicut prædictum est, persoluat, nullo alio nostro vel successorum nostrorum mandato super hoc expectato. Quæ vt perpetuæ stabilitatis robur obtineant, præsentes litteras sigillo nostro fecimus sigillari. Actum Parisius an. Dom. 1286. mense Iulio.

Eodem anno recruduit vulnus Academicum à Cancellario Parisiensi inflictum, propter excessus M. Bertholdi à S. Dionysio Cancellarij. Quamobrem M. Ioannes de Wasta Rector post solennem Vniuersitatis supplicationem seu processionem, Sacrumque peractum in æde S. Iacobi de Buceria contra eius abusus fortiter declamauit, legitque publicè acta quædam ipsius Cancellarij; ex quibus intellectum est quàm perversè iura omnia legesque Academiæ peruerteret. Itaque conclusum est ibidem omnium suffragante consensu mittendos esse Romam Legatos, qui apud summum Pontificem de huiusmodi excessibus conquererentur nomine Vniuersitatis. Actum publicum Procuratoriumque excepit & confecit Simon de Coquina Notarius Apostolicus. Tunc enim nondum forte Scribam proprium sibi habebat Vniuersitas, sed Notariis Apostolicis & Imperialibus ad conscribenda Acta publica vtebatur.

Missis igitur Romam Legatis & auditis Academiæ querelis rescripsit Honorius Pontifex ad Ioannem Cardinalem tunc Legatum Apostolicum in Francia, vt eâ de re cognosceret. Extat media pars illius Rescripti in libro Rectoris in hunc modum fol. 68. verso.

" Honorius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Ioanni S. Ceciliæ
" titulo Presbytero Cardinali Apostolicæ sedis Legato Salutem & Apostolicam
bene-

nedictionem. Cum hortus irriguus arboribus ſublimibus & fructiferis conſitus Pariſienſe ſtudium viros producens ſcientiâ fructuoſos, vitâ & moribus eminentes: & ſicut fons, cuius non deficiunt, ſed exuberanter emanant Doctrinæ ſalutaris vndique fluenta diffundens, quanto ab olim talium productione vtili & emanatione vberi Orthodoxorum fidem roborans ſcientiam Catholicam muniuit. Eccleſiam contra inſidias & inpetus latenter obrepentium vel pateuter aſcendentium ex aduerſo, tanto culturæ diligentioris eſt cura colendum, vt domeſticis ſeditionibusquo familiarioribus eo proculdubio efficacioribus ad nocendū purgetur intrinſecus & velut extrinſecus Apoſtolici fauoris muro circundatum, eiuſque directoriâ prouiſione munitum in ſtatu pacifico & tranquillo ipſius remedio perſeuerabiliter ſtatuatur. Ad quod illud etiam Nos ſpecialiter afficit, quod olim dum nos minor ſtatus haberet in eiuſdem ſtudii laboribus obſeruati de illius dulcedine libamina grata libauimus, per plures annos ſecus decurſus ſedentes ipſius. Sanè ſicut aſſeritur, dudum inter M. Philippum de Thoriaco Pariſienſem Cancellarium ex parte vnâ, & Pariſienſem Vniuerſitatem ex altera ſupet articulis grauis diſſenſionis lis ſuſcitata. Cum dictus Cancellarius & dilectus filius M. Ioannes de Malines (Rector) Reliqua deſiderantur.

Huiuſce litis inter M. Ioannem de Waſta Rectorem & M, Bertholdum Cancellarinm exortæ meminit Hemeræus in ſuo de Academia Pariſienſi libello c. 8. Sed errat cum ait Honotium ad Ioannem Choletæum Cardinalem ea de re ſcripſiſſe an. 1292. cum iamdiu Honorius obiiſſet. Rem ſic narrat. Hanc *litem plus annis decem in Conceptu fori Romani verſatam eſſe reuolutamque argumento eſt*, quod anno 1290, frequentiſſimo Academiæ Conuentu in æde ſacra D. Iacobi de Buceria ſacris peractis, cum pulpitum conſcendiſſet Ioannes de Vaſta Rector, affatus coronam circunfuſam, ſignificauit ſe ad Romanam ſedem eos abuſus referre nomine Vniuerſitatis quibus Cancellariam M. Bertaudus de S. Dionyſio turpiter infamabat, diſcutiendos ab eadem ſede, diiudicandoſque, qni in licentiis dandis cum alia innouaret, tum poſthaberet Gregorianam *Parens ſcientiarum*, qua ſancitum, vt priuſquam Cancellarius licentiaret, noui Magiſtri iurarent, ſolennibus Academiæ Comitiis, ſe, priuilegia, iura, conſuetudineſque Academiæ integra & optima fide ſeruaturos. Actumque publicum Simon de Coquina Notarius Apoſtolicus excepit. Idemque declarat Bulla Honorii IV. ad Ioannem Choletæum Cardinalem Legatum in Gallias de diſcordia Vniuerſitatem inter & Cancellarium pacifico tandem exitu terminanda an. 1292. Et ſtatutum Facultatis Artium eiuſdem anni, quo Suppoſita & Magiſtri eius Ordinis quos ætatis feruor in præcipites animorum motus faciebat forte procliuiores, cum ægrè ſuſtinerent Academiæ Priuilegia ab vno Cancellario deſpici, fœdeque lacerari, decreuere *Ne quis durante diſcordia quæ vertitur inter nos & Cancellarium Pariſienſem, Bachelarius in Facultate noſtra audeat vel præſumat inferius intrare examen* (ad diſcrimen ſuperioris in Monte) ſe ſupponendo audiendum & examinandum à Cancellario ſupradicto &c.

Errat inquam Hemeræus, & turpiter hallucinatur, cum ſcribit Honorium de terminanda lite ſcripſiſſe an. 1292. ad Ioannem Legatum. Quippe ex omnium Hiſtoricorum fide conſtat Honorium obiiſſe 3. non April. an. 1287. Imo aliqui ſcribunt obiiſſe hoc anno pridie non. April. Vnde liquet prædictam Bullam ad Ioannem S. Ceciliæ Cardinalem aut hoc anno aut ſuperiore datam fuiſſe. Ex qua intelligimus Honorium olim in Scholis Pariſienſibus militaſſe.

Eodem anno die SS. Coſmæ & Damiani obiit Mathæus Abbas S. Dionyſiii ab an. 1260. S. Ludouico impensè charus, ac proinde Cuſtos Regni ſeu Regens ab eo conſtitutus. Item Teſtamenti Executor an. 1269, declaratus ſub Philippo Ludouici filio eandem dignitatem diu laudabiliterque geſſit, vt Nangius memorat. *Super ſedem Paternam*, inquit, *Philippus Rex collocatus Patris ſui non immemor præceptorum maximè tunc vſus eſt conſilio & diſciplina Mathæi Abbatis S. Dionyſii in Francia viri Religioſi & ſapientiæ floribus adornati, cui ſuper omnes aſſeſſores Regii Palatii cauſas & vniuerſa negotia Regni ſui, ſicut & Pater ſuus fecerat Ludouicus, expedienda tradidit*. Fuit ille Poetices peritus, hiſtoriamque ſacram Tobiæ verſibus Elegiacis elucubrauit: quod opus Bartholomæo Turonenſi Archiepiſcopo dedicauit, libellum verè aureum, inquit Ioannes Heroldus Germanus in Ep. dedi-

cacoria, qui hoc opus luci publicæ dedit an. 1567. *Cuius non solum versus singuli, verum etiam unum quodque verbum sententia selectum & existimationem aliquod singulare affirmandum est.*

Errat tamen Heroldus cum ait opus istud ab eo dedicatum Bartholomæo Turonensi Archiepiscopo, aut fatendum Matthæum centenarium obiisse. Nam Bartholomæus de Vendosme Archiepiscopus obiit an. 1206. testibus Alberico & Guillelmo Britone in Gestis Philippi Augusti. Sepultus est autem apud S. Dionysium sub cuprea tumba ad ingressum Chori, vbi legitur hoc Epitaphium.

Hic iacet Abbatum speculum speciale probatum,
Cui dedit eiusdem * *magnum virtute Mathæe,* (* Turonensique.)
Archiepiscopii tenuit Turonensis honorem.
Regum Francorum per tempora longa dierum,
Regni gessit onus celeberrimus iste Patronus.
Qui transis, Christum rogita, pie lector, vt istum
Saluificet, Patrem Christique requirito Matrem,
Impetret vt clarum iubar illi cælicolarum. *Amen.*
Si sexcentenus quadragenusque duplatur
Ac annus senus Domini simul annumeretur,
Septem bisque dies vicesima quinta notetur,
Firmiter inde scies quando sua mors recitetur.

Adhunc annum notat Henricus Knyghtonius Canonicus Leycestrensis lib. 3. de Euentibus Angliæ c. 2. damnatos fuisse ab Archiepiscopo Cantuariensi (M. Ioanne Pechamo) præsentibus Cancellario & quibusdam aliis Magistris Oxoniensis Academiæ quosdam articulos hæresim sapientes. Rem sic narrat.

(Errores damnantur Londini.) Anno gratiæ 1286 Reuerendus in Christo Pater D. Ioannes Dei gratia Cantuariensis Archiepiscopus vltima die mensis Aprilis Indictione 14. pro tribunali sedens in Ecclesia B. Mariæ de Arcubus Londoniæ, assidentibus sibi venerabilibus Patribus DD Oliuerio Lincolniensi, Godefrido Wigorniensi & Richardo Herfordensi Episcopis, præsentibus etiam Officiali Curiæ Cantuariensis & Cancellario Vniuersitatis Oxoniensis, cum quinque Archidiaconis, Doctoribus in vtroque Iure & aliis pluribus venerabilibus personis & multitudine copiosa, infra scriptos errores quos de nouo eudictat in sua prouincia suscitatos tanquam hæreses declarauit & pronunciauit esse damnatos in scriptis proferens sub hac forma. Istos infra scriptos inter hæreses damnatas in se & suis similibus numerandas esse credimus, & hæreticos censemus pertinaces eorum & omnium & cuiuslibet defensores.

Artic. 1. Quod Corpus Christi mortuum nullam habuit formam substantialem eandem quam habuit viuum.

2. Quod in morte fuit introducta noua forma substantialis & noua species vel natura quamuis non noua assumptione vel vnione verborum copulata: ex quo sequitur quod filius Dei non fuerit homo, sed alterius speciei innominatæ.

3. Quod per nullam formam vel naturam de nouo introductam per mortem facta fuisset transubstantiatio panis virtute verborum sacramentalium, scilicet. *Hoc est Corpus meum.* si in triduo mortis facta fuisset consecratio.

4. Quod modo scilicet post resurrectionem Christi in virtute verborum sacramentalium conuertitur totus panis in totum Corpus Christi viuum. Ita quod materia panis conuertitur in materiam Corporis Christi, & forma panis conuertitur in formam Corporis, scilicet in id quod est anima intellectiua secundum quod Corporis est dare esse corporeum, & hoc virtute verborum sacramentalium.

5. Est identitatem fuisse numeralem Corporis Christi mortui cum eius corpore viuo tantummodo propter identitatem materiæ diuisionum interuenitarum & habitudinis ipsarum ad animam Intellectiuam quæ immortalis est. Insuper esse identitatem numeralem corporis viui & mortui ratione existentiæ vtriusque in eadem hypostasi Verbi.

6. Quod Corpus cuiuscunque Sancti vel hominis mortuum antequam sit per

putredinem mutatum in auras vel elementa non esse idem numero cum corpore eius viuo, nisi secundum quid, scilicet ratione materiæ communis, sicut sunt vnum quæ inuicem transmutantur vt caro & vermis, & ratione accidentis communis, scilicet Quantitatis, simpliciter autem esse diuisum Corpus mortuum à viuo specie & numero.

7. Est, quod qui vult ita docere, non tenetur in talibus fidem adhibere authoritati Papæ Gregorii, vel Augustini & similium, aut cuiuscunque Magistri, sed tantum Bibliæ & necessariæ rationi.

8. Est quod in homine, est tantum vna forma scilicet anima rationalis, & nulla alia forma substantialis: ex qua opinione sequi videntur omnes hæreses supradictæ.

Hos errores scribit Harpsfeldius ex Thomæ Wich. Chronico fuisse è suggesto assertos à Richardo Knapwello Dominicano, proindeque ipsum à Ioanne Archiepiscopo damnatum fuisse: quam iniuriam cum putaret suo Ordini irrogatam fuisse Hugo Mancestriæ Dominicanorum Prouincialis, Ioannis Iurisdictionem declinare cupiens asseruit cognitionem contra Dominicanos soli Rom. Pontifici deberi & reseruatam fuisse, litteris ad Episcopum Lincolniensem & ad Cancellarium & Scholares Oxonienses datis.

In ipsum verò Archiepiscopum Dominicani conuerterunt accusationem, errorem ei de formarum multiplicitate impingentes, quodque ea de re Thomam Aquinatem mortuum Dominicanum, qui vnicam formam tuebatur, ipse ex Minorita factus Archiepiscopus minus candidè perstringeret & roderet. At ille non negauit inter Minoritas & Dominicanos esse opinionum dissidia, neque tamen lædi Charitatem debere, aut ea cum periculo fidei sustineri: se neque cum Thomæ aut cuiusquam mortui cineribus pugnare: immò mordicus olim eius sententiam propugnasse, donec eam vidit à Theologis Parisiensibus impugnatam: ipsumque Thomam præsentem audiuit Episcopi Parisiensis, Theologorumque Parisiensium Iudicio atque censuræ se totumque illud suum dogma subiicientem: quod & ipse Robertus Kilvvarbius decessor suus licet instituti Dominicani Oxoniæ palam damnauerat. Neque se repente aut animo criminandi sententiam illam de vnica formâ perstringere, sed contrariam multos ante annos Lutetiæ constanter, in Anglia & Romæ post Alexandrum de Hales & Bonauenturam sui Ordinis homines defendisse.

Anno 1287. pridie vel 3. non. April. obiit Romæ Honorius IV. quem ait Ciaconius anno 2. sui Pontificatus Parisiis Collegium instituisse, in quo Arabicas & alias linguas peregrinas quæ propagandæ fide in Oriente vsui essent, voluit doceri. Alii ad an. 1285. hoc referunt, vt supra docuimus. Sepultus est autem in sancta Maria de Ara cæli. Successoris creatio dilata est fere ad annum, propter aduersam plurimorum Cardinalium valetudinem. 1287.

Eodem anno cum Rex Anglorum Eduardus Lutetiæ homagium, vt vocant terrarum suarum in Gallia sitarum Philippo faceret, FF. Prædicatores Capitulum suum Generale circa dies festos Pentecostes habuerunt. Quod vterque Rex & vtraque Regina diuersis diebus suâ præsentiâ cohonestarunt.

Eodem anno quatuor Nationes Praclaræ Facultatis Artium statutum solemne condiderunt super iuramentis Examinatorum S. Genouefæ: & aliis ad eorum munus & officium pertinentibus. Quod statutum legitur in vetusto libro Procuratorum Gallicanæ Nationis fol. 98. & tale est.

Nouerint Vniuersi quod Nos omnes & singuli Magistri Parisius Regentes in Artium Facultate pro bono communi & honore dictæ Facultatis anno Dom. 1287. die Sabbati proxima post festum B. Mauri Abbatis, propter correctionem Examinatorum qui de cætero ad examinandum in examine S. Genouefæ electi fuerint, statuimus quæ sequuntur. STATVTVM DE EXAMINATORIBVS

Imprimis quod dicti Examinatores non audient in vno mense vltra quadraginta octo Baccalarios, proportione, quæ consueuit in Nationibus obseruari seruatâ, quantum ad numerum eorundem.

2. Statuimus quod singuli Examinatores in posterum electi nomina omnium Baccalariorum quos suo tempore expedient, tradent Rectori in fine cuiusmensis. Qui Rector illam scedulam Facultate adhoc vocatâ de cætero per iuramentum

suum in eiusdem Facultatis præsentia legere teneatur.

3. Statuimus quod omnes & singuli Magistri in nostra Facultate Regentes de cætero incepturi per iuramenta sua adstringantur, quod si audierint aliquem nominari ibi expeditum per aliquos examinatores, quem sciuerint esse indignum vel aliquem dignum impeditum fuisse, per eosdem illud reuelabunt Rectori in secreto, qui de hoc per iuramentum suum fideliter & diligenter inquiret, Et si nunc inuenire poterit per iuramentum fide dignorum & non suspectorum per eosdem Examinatores expeditum fuisse indignum, vel dignum impeditum, ex tunc dictos Examinatores ab omni officio Facultatis in perpetuum priuamus, nisi sufficienter prout debuerint quantum ad hoc suam Innocentiam instruere poterint & docere. Et quoad hæc exequenda Rector prout meliori modo poterit, per iuramentum suum adstringatur. Quod si Rector negligens fuerit in præmissis, ad arbitrium Facultatis puniatur.

4. Statuimus quod gratia quæ quandoque à Facultate consueuit concedi Examinatoribus de habendo in Examine prædicto Baccalarios subse tempore suo, ex nunc Facultati interdicatur.

5. Statuimus quod singuli Examinatores de cætero omnes quos audient suo tempore expedient vel impedient simpliciter in communibus & in propriis, prout exigent eorum merita: citius vel tardius communis lectio assignetur eisdem.

6. Statuimus quod si aliquis vel aliqui Examinatores receperint vel receperit pecuniam siue aliquod aliud emolumentum ratione licentiæ obtinendæ, pœnâ prædictâ puniantur, vel puniatur.

7. Volumus quod omnes articuli in forma Iuramenti dictorum Examinatorum contenti, ab eisdem sub eadem pœnâ inuiolabiliter obseruentur.

Vltimo statuimus quod si Cancellarius S. Genouefæ istâ ordinatione saluâ ad examinandum infra festum Paschæ proximo venturum nequaquam induci poterit, quod ista ordinatio sit irrita & inanis, & quod ipsa Facultas seu Magistri Facultatis quo ad apertionem examinis supradicti sit & sit in eodem nullatenus mutato in quo erat & fuerit die confectionis præsentis ordinationis, videlicet die Sabbati supradicta, retenta Nobis & successoribus nostris plenariâ potestate super omnibus & singulis dispensandi prout nobis & successoribus nostris videbitur expedire. In quorum omnium testimonum & munimen sigilla quatuor Nationum duximus apponenda.

Nihil hic statuunt Nationes de Examine B. Mariæ: tum quia istis temporibus, quibus cum Cancellario Parisiensi lis erat & Parisiis & Romæ, istud examen non agnoscebat Vniuersitas, illudque aditi vetuerat: tum quia statuere contra Examen B. Mariæ quod maius dicitur & ad omnes Facultates se extendit, non erat Iuris Nationum inconsultis cæteris Facultatibus.

Cæterum confecti quoque sunt articuli quos Examinatores S. Genouefæ iurare iussi sunt; item & alii quos iurarunt Scholares examinandi, leguntur que in eodem lib. Procuratorum Nat. Gall. Fol. 101.

Ivramenta examinatorvm

Priores sub hac epigraphe continentur. *Isti sunt articuli quos tenentur iurare Examinatores S. Genouefæ.*

Vos iurabitis quod expedietis expediendos & dignos, & impedietis impediendos & indignos.

Item iurabitis quod nullum ponetis in manu Cancellarii, sed expedietis vel impedietis simpliciter vel ad tempus.

Item iurabitis quod vos nec in communibus nec in propriis exminabitis extra tempus vestrum.

Item iurabitis quod nullum admittetis in examinatione pro Cancellario, nisi prius fuerit Facultati iuratus & ipsemet Cancellarius non iuratus examinare non posset secundum examinis libertatem.

Item iurabitis quod si tempore vestro contingat Cancellarium aliquem loco sui in examinatione sustinere, non sustinebitis ipsum cum Cancellario examinare, nec Cancellarium cum eodem.

Item iurabitis, quod si sciueritis aliquem impeditum per Magistros, per Cancellarium expeditum, quod vos reuelabitis Facultati.

Item iurabitis quod nullum audietis niſi prius iurauerit ſe determinaſſe Pariſius vel alibi, vbi eſt ſtudium generale.

Item iurabitis quod tempore veſtro nullum habebitis Baccalarium directè vel indirectè.

Item quod nullum qui intrauerit per rigorem, tranſibitis per gratiam, ſed expedietis vel impedietis ſimpliciter eum, niſi infra 3. menſes ſuis meritis exigentibus poſſit & debeat expediri.

Item quod durante auditione quæ eſt per rigorem, nullam auditionem ſecretariam facietis.

Item quod ratione officii Examinis nullam gratiam à Cancellario requiretis.

Item quod qui intrauerit in tantum quod iurauerit ſi poſtea ſe abſentet, non permittetis quod per totum illum annum poſſit recipi ad aliquam auditionem gratioſam.

Item quod à Licentiandis vel aliquo nomine ipſorum & pro ipſis nihil petetis vel recipietis, petiiſtis vel recepiſtis, peti ſeu recipi feciſtis vel facietis per alium directè vel indirectè. Videlicet pro prandio, pœna, labore vel examine aut quocunque alio modo dictum examen tangente, fraude ſeu gloſſâ quacunque remota.

Item quod in vno menſe non examinabitis niſi ſexdecim Scholares tantùm, videlicet in qualibet auditione octo, ſcilicet tres Gallicos aut Gallicatos, duos Picardos aut Picardatos, duos Normanos aut Normanizatos, & vnum Anglicum aut Anglicatum.

Ex poſtremo hoc articulo intelligimus 1. iuramenta prædicta eſſe antiquiſſima & longè ante hæc tempora. Nam hic vetatur ne plures quàm ſexdecim ſcholares ſingulis quibuſque menſibus examinentur. At in art. 1. Statuti ſuperioris permittitur vt 48. examinentur. Vnde patet triplicatum iam tum fuiſſe examinandorum numerum.

2. His & antiquioribus temporibus Examen B. Genouefæ bis tantum in menſe exerceri ſolitum, ſcilicet proxima die Sabbati poſt Kalendas, & proximâ poſt Idus. Binaque *auditio* vocabatur. At hodie ſingulis diebus Sabbati exercetur.

3. Non tantum ad examen fuiſſe admiſſos Nationarios qui in hac Vniuerſitate ſtuduiſſent: ſed & alios qui ex aliis ſtudiis venientes admiſſi fuiſſent à Facultate Artium & à Nationibus inter ſuos recepti. Quos hodie *Adoptatos* vocamus. At antiquitus *Gallicatos*, *Picardatos*, *Normanizatos & Anglicatos* appellabant.

Sequuntur in eodem libro Articuli quos iurare tenebantur apud Facultatem Artium Scholares examinandi apud S. Genouefam antequam examen ſubirent, & tales ſunt. IVRAMENTA SCHOLARIVM.

Primò vos iurabitis quod nihil dediſtis, promiſiſtis, dari ſeu promitti feciſtis, nec dabitis in futurum quæcunque Cancellario S. Genouefæ vel eius Sub-Cancellario, Examinatoribus dicti Cancellarii, Clerico ſeu alteri ſuo familiari pro auditione, licentia, examine, prandio, pœna, labore, lectione, aſſignanda, vel etiam recipienda, ſeu quacunque alia cauſa veſtram licentiam tangente, niſi duntaxat duos ſolidos pro ſtraminibus vel herba, quos dare vobis duntaxat permittimus ſola vice.

Item quod Magiſtrum veſtræ Nationis Regentem vel alterius Nationis ſi fueritis poſiti ſub altera, eligetis ſecundum libitum veſtræ voluntatis. & quod propter metum, preces, exhortationem, ſeu quamuis aliam inductionem Cancellarii, Sub Cancellarii, Examinatorum, ſeu cuiuſcunque alterius illum Magiſtrum quem eligere propoſuiſtis, non mutabitis.

Item ſi à vobis vel aliquo veſtrum, vel ab altero pro vobis, vobis ſcientibus peteretur pecunia ab aliquo, vel per aliquem ſuperius prohibitum. videlicet Cancellarium, Sub-Cancellarium, Examinatores, eorundem familiares, ſeu alterius familiarem, ſeu alterum pro ipſis, aut altero ipſorum, hoc Rectori & Procuratori veſtræ Nationis dicetis infra quindecim dies, poſtquam fuerit petita.

Eodem anno Remis celebratum eſt Concilium Prouinciale à M. Petro Barbet Archiepiſcopo cum ſuis Suffraganeis, aduocatis plurimis in Theologia Magiſtris Pariſienſibus ad deliberandum ſuper quadam Bulla Martini IV. in gratiam Men-

dicantium emissa, quâ illis porestas concedebatur confessiones populi excipiendi, & pœnitencias iniungendi. Quod illi ita interpretabantur, vt id sibi facere liceret citra licentiam & permissionem Ordinariorum. Hic igitur noua cum Mendicantibus concertatio & disputatio exurgit. Nihil aliud tamen decretum est in illo Concilio, quàm litem istam in Romano foro esse prosequendam. Verum Monachi à Nicolao IV. & à Bonifacio VIII. longè ampliora priuilegia consecuti Gallicanam præsertim Ecclesiam, quæ iura sua libertatesque tuetur impensissimè, valde turbarunt, vt suo loco referemus.

Huicce synodo Prouinciali interfuit inter alios Suffraganeos, M. Guillelmus de Mascon Episcopus Ambianensis, insignis olim Magister Artium & Decretorum Doctor: interfuerunt & Guido de Pratis Episcopus Nouiomensis, Robertus de Torota Laudunensis, Milo de Basoches Suessionensis, Michael de Warenghen Insulanus ex Scholastico Tornacensi factus an. 1283. eiusdem Ecclesiæ Episcopus; Theobaldus de Nantolio Beluacensis.

1288. Anno 1288. Nicolaus IV. Ascalanus Papatum obtinet 8. Kal. Martias, ante promotionem Hieronymus dictus, Minister Generalis FF. Minorum, & Cardinalis S. Sabinæ. Et hic est primus Pontifex ex Ordine Franciscanorum electus. Fuit autem vir doctus, & sacrarum litterarum studiis addictissimus. Scripsit commentaria in aliquot Bibliorum libros. In 4. lib. Sententiarum, Sermones plures, Summas varias.

Statvtvm de Exeqviis. Hoc anno Vniuersitas Parisiensis in Æde San-Iulianensi congregata statutum condidit circa Exequias Magistrorum omnium Facultatum, Medicorum, Artistarum, Decretistarum & Theologorum: seu potius illud quod à Roberto Curthonensi Cardinale S. Ceciliæ factum fuerat an. 1215. renouauit, & quasi desuetudine abrogatum, restituit. Tale autem est.

Nouerint Vniuersi Magistros Vniuersitatis Parisiensis in Ecclesia S. Iuliani Pauperis de communi consensu ipsorum ordinasse statuendo, & instituisse seu statuisse ordinando, quod si quis Magister actu Regens cuiuscunque fuerit Facultatis, obierit, omnes Magistri in singulis Facultatibus actu Regentes intersint obsequiis, videlicet in Vesperis & in Missa. Et nullus die quo tumulatur Magister, recedat donec completa fuerit sepultura, nisi rationabilem causam habuerit. Et eadem die nullus Magister vel Bachelarius cuiuscunque fuerit Facultatis, legere, disputare, seu determinare præsumat. In cuius rei testimonium sigillum Vniuersitatis nostræ præsentibus litteris duximus apponendum. Actum & datum in plena congregatione Generali adhoc specialiter Magistris vocatis. Anno Dom. 1288. die Veneris ante Ascensionem Domini.

Notandum in hanc rem venit, quòd more adhuc antiquo tota Vniuersitas conuenit apud S. Iulianum. Nam antequam Facultates quæ dicuntur Superiores, segreges essent distinctaque & separata corpora constituerent, & cum adhuc cum Nationibus confunderentur, certum est tum apud San-Iulianum conuenisse. Imo & postquam segreges factæ sunt, nihilominus hisce initiis in eundem locum nonnunquam conuenisse videntur, donec tandem ædes capaciores ad Comitia selectæ, Mathurinensium, Bernardinorum, Prædicatorum & Minoritarum.

Eodem anno Facultas Artium statutum aliquod edidit circa electiones Procuratorum, quod sub hoc titulo legitur in lib. antiquo Procuratorum Nationis Gallicanæ. *Statutum Facultatis super refusione Officialium, & quod Electiones Procuratorum Rectori denuncientur, & quod Rector nomina Procuratorum in suo Registro inscribat. Et quod Rector Recepta suo successori in exitu sui officii integrè refundat.* Sic autem in corpore articuli habetur.

Anno Domini 1288. in crastino S. Firmini Nos omnes & singuli Magistri Artium apud S. Mathurinum conuocati de consensu nostro nullo contradicente pro communi omnium nostræ Facultatis vtilitate ordinanda seu statuenda duximus quæ sequuntur. Imprimis statuimus, quod si aliquis Procurator seu Officialis Communis sui officii tempore expirato à Rectore vocatus fuerit sufficienter, quod intelligimus tribus diebus per seruientem iuratum ad refundendum recepta Officii sui tempore, refundere neglexerit seu recusauerit, ex tunc ab omni actu Scholarium nostræ Facultatis sit priuatus, quousque dictæ Facultati fecerit satisfactionem condignam & de hoc maiori & sanior parti sit creden-

dum. Item statuimus quod die electionis cuiuslibet Procuratoris, Persona eiusdem Rectori nominetur vel denuncietur antequam prædictus Procurator ad proferendum deliberationem suæ Nationis in Facultate admittatur. Volumus insuper Rectorem adhoc adstringi, vt Procuratores singularum Nationum, aut vices ipsarum gerentes; nec non diem electionis eorundem suo Registro inscribat, ne ex hoc defectus aliquis, vt alias visum est, in compoto generali Rectoris *eligatur*, corruptè. reponendum forte, *oriatur*.

Item ordinamus, quod Rector Rectoriæ tempore peracto cum vocatus fuerit modo dicto omnia recepta sua successori in præsentia Facultatis aut Deputatorum ab eadem integre refundat sub pœnâ superius annotatâ. Et vt hæc inuiolabiliter obseruentur, præsentem Chartulam sigillis 4. Nationum duximus roborandam.

Eodem anno Radulphus Episcopus Parisiensis fundationem quandam à Stephano Tempher seu Tempier Prædecessore suo in Ecclesia Parisiensi factam auxit vt legitur in Magno Pastorali his verbis.

Ranulphus permissione Diuina Parisiensis Ecclesiæ Minister indignus Vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem in Filio Virginis. Cum nuper emerimus decem libras Parisienses reditus annualis à Domina Sedilia, Domina de Caprosia percipiendas annuatim super Præpositura de Caprosia & super obuentionibus, fructibus & exitibus Præposituræ prædictæ duobus terminis, prout in litteris venditionis super hoc confectis & sigillatis sigillis Parisiensibus, Auberti, Guillermi & Philippi Archidiaconorum.... an. 1288. die Iouis post festum B. Dionysii plenius continetur, ac bonæ memoriæ Stephanus quondam Parisiensis Episcopus noster immediatus prædecessor 7 libras ad Parentum suorum & suum anniuersarium in Ecclesia Paris. celebrandum annuatim, quæ ad hoc non sufficiunt solummodo deputauerit, Nos saluti animæ ipsius prodesse volentes Dilectis in Christo filiis Venerabilibus viris Decano & Capitulo Parisiensi ad augmentum dicti anniuersarii centum solidos Parisienses de prædictis decem libris annui redditus damus & concedimus ab eisdem Decano & Capitulo in manu-mortua absque coactione extra manum suam ponendi perpetuò habendis & percipiendis annis singulis ad opus dicti anniuersarii terminis in litteris venditionis prædictæ contentis, videlicet 50. solidos in quindenâ festi Andreæ Apostoli, & totidem in quindenâ festi Natiuitatis B. Ioannis Bapt, cedentes in eis & in Episcopos transferentes totum ius quod habebamus & habere poteramus in dictis centum solidis & eorum perceptione, ratione emptionis prædictæ, retentis tamen nobis & nostris successoribus omnimoda Iurisdictione & Iustitia & omni alio Iure nostro. Datum an. D. 1288. die Veneris post festum B. Dionysii. Paulo post vitâ functus est, nimirum pridie id. Nouemb. cui suffectus Adenolfus de Anagnia ex Canonico Parisiensi, & Regulari San-Victorino, qui paulopost obiit nempe an. 1289.

Eodem anno obiit Raimundus Abbas San-Germano-Pratensis, cui successit Ioannes de Cumenis vir magnæ famæ & litteraturæ, postmodum, hoc est circa an. 1296. factus à Bonifacio VIII. Aniciensis seu Podiensis Episcopus. Cum eo Abbate statim litem exercuit Vniuersitas, propter plateam quandam sitam ad Capellam S. Martini & Abbatiam. Sed eam tandem amicè composuerunt an. 1292. vt ad illum annum referemus.

Statutum de refusion. [illegible] Determinantibus.

Ad hunc annum legitur in libro Procuratorum Nationis Gallicanæ quoddam illius Nationis statutum circa refusiones, pretium Scholarum, Determinantes & Subdeterminantes. Titulus totam statuti materiam continet, qui talis est. *Statutum super coactione refundendi quando fuit aliquis Procurator: & de pœna aliquorum renuentium refundere illa quæ pro Natione receperunt: in quo etiam statuto continetur modus Determinantium & Subdeterminantium.*

Anno Domini 1288. die Sabbati in festo B. Vincentii, Nos omnes & singuli Magistri Nationis Gallicanæ actu Regentes Parisius in Artibus in Ecclesia S. Nicolai de Carduneto, & adhoc specialiter conuocati de communi assensu nostro, nullo contradicente pro communi omnium nostræ Nationis vtilitate ordinanda seu statuenda duximus quæ sequuntur. Imprimis statuimus quod quandocunque Procurator tempore sui Officii expirato à Procuratore successore vocatus fuerit sufficienter, quod intelligimus tribus diebus per Seruientem Iuratum & per delibera-

„ tionem Nationis nostra ad refundendum recepta sui officii tempore refundere „ neglexerit aut recusauerit, ex tunc ab omni consortio & beneficio nostræ „ Nationis sit priuatus, quousque nostræ Nationi fecerit satis-factionem con- „ dignam, & de hoc maiori parti Nationis & saniori sit credendum. 2. Statuimus „ quod quicunque Magister vel quicunque Magistri deputati fuerint ad re- „ cipiendas obuentiones nostræ Nationis nisi refundant nostræ Nationi moni- „ tione sufficienter eis facta, sicut superius de Procuratore est expressum, quod „ eis pœna prædicta de Procuratoribus refundere negligentibus infligatur. 3. Sta- „ tuimus circa statum Determinantium, quod eligatur vnus Magister actu Re- „ gens qui primò in Natione iuratus Scholarium pretium sciat per iuramenta „ Magistrorum, à quo Determinatores signum primò capiant antequam ab Exa- „ minatoribus ad examinationem sint recepti. Et ad hoc obseruandum Examina- „ tores in Nationis præsentia sint Iurati. Iterum statuimus quod nullus Subdeter- „ minator recipiatur ad examen priusquam in septimana quæ est ante diem Do- „ minicam quâ cantatur *Lætare Ierusalem*, exceptis *Bonis pueris* & *illis de Lupara* qui- „ bus consueuimus facere gratiam specialem. Et vt hæc inuiolabiliter obseruentur, „ præsentem Chartulam sigillo nostræ Nationis duximus roborandam retentâ no- bis potestate augendi, diminuendi, totaliter annullandi, quando nostræ Nationi videbitur expedire.

1289. Anno 1289. Nicolaus IV. Vniuersitatem Mons-pessulanam instituit & priuile- giis Apostolicis decorauit: licet enim longè ante floruerit schola Monspeliensis exercitio Medicinæ, item & Professione Iuris-prudentiæ: ad illius tamen di- gnitatem deerant Priuilegia, quæ primus omnium Pontificum Nicolaus conces- sisse dicitur. Sic ergo ille edixit.

VNIVERSITAS MONT-PESSVLANA. " Nicolaus Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Doctoribus & Scho- " laribus Vniuersis apud Montem-pessulanum Magalonensis Diœcesis commoran- " tibus tam præsentibus quàm futuris salutem & Apost. Benedictionem. Cum lo- " cus Montis-pessulani celebris plurimum & famosus aptus valde pro studio con- " sideratis diligenter eius conditionibus dignoscatur. *Nos vtilitati publicè quam plu- " rimum expedire credentes, vt in loco ipso cultores sapientiæ inserantur.* Fructum deside- " ratum largiente scientiarum Domino in tempore producturi, authoritate præ- " sentium indulgemus, vt in dicto loco sit deinceps *studium Generale*, in quo Ma- " gistri doceant & Scholares liberè studeant & audiant in quauis licita Facultate: " & si qui processu temporis in eodem studio fuerint, qui scientiæ brauio assecuto si- " bi docendi licentiam, vt alios licentius erudire valeant, petierint impertiri, sanci- " mus vt in Iure Canonico & Ciuili, nec non & in Medicina & Artibus examinari " possint ibidem & in eisdem Facultatibus duntaxat titulo Magisterii decorari sta- " tuentes, vt quoties aliqui ad Magisterium fuerint promouendi, præsententur Epis- " copo Magalonensi loci Diœcesano qui fuerit pro tempore, vel ei quem adhoc " idem Episcopus duxerit deputandum, qui Magistris Facultatis illius in qua exa- " minatio facienda fuerit, de Vniuersitate vestra in eodem studio præsentibus " conuocatis, eos gratis & difficultate quacunque sublatâ, de scientiâ, facundiâ, " modo legendi, & aliis quæ in promouendis ad Doctoratus officium requiruntur, " examinare studeant diligenter, & illos quos idoneos repererint, petito secretè " Magistrorum eorundem Consilio quod Consilium in ipsorum consulentium dis- " pendio vel iacturâ reuelari sub Diuinæ quomodolibet maledictionis interminatio- " ne districtissimè prohibemus, approbent & admittant, eisque petitam licentiam " largiantur. Alios minus idoneos penitus repellendo, postpositis omnino gratiâ " odio vel fauore. Cæterum ne vacante Magalonensi Ecclesia contingat promoue- " ri volentes ad Magisterium impediri, volumus vt eum in ipsa Ecclesia tres esse " Archidiaconos asseratur, Archidiacono maiori præsenti vel eo in remotis agente, " vel forsitan præpedito secundo; vel illis præpeditis aut absentibus, tertio promo- " uendi huiusmodi vacationis tempore præsententur, qui eos examinet & exa- " minatos approbet vel reprobet secundum modum in Episcopo prætaxatum. " Illi autem qui in loco præfato examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam " obtinuerint, vt est dictum, ex tunc absque examinatione vel approbatione aliâ " regendi & docendi vbique plenam & liberam habeant Facultatem, nec à quo- " quam valeant prohiberi. Sanè vt ritè in præfatis examinationibus procedatur,

præcipimus

præcipimus vt Magistri legere in eodem studio cupientes, antequam incipiant, " præstent publicè iuramentum, quod ipsi vocati ad easdem examinationes ve- " nient nisi fuerint legitimè impediti, ac gratis sine difficultate, odio & fauore post- " habitis dabunt Examinatori fidele consilium, qui de examinatis, vel vt digni ap- " probari debeant, aut vt indigni meritò reprobari. Qui verò huiusmodi iuramen- " tum præstare noluerint, nec ad legendum, nec ad examinationes easdem, nec " etiam ad aliqua Vniuersitatis vestræ commoda vel beneficia vllatenus admit- " tantur. Nulli ergo hominum liceat &c. Datum apud S. Mariam Maiorem 7. Kal. " Nou. Pontific. nostri an. 2.

M. Curtaudus Doctor Medicus Mon-pelliensis scribens aduersus Facultatem Medicinæ Parisiens. hisce nostris temporibus (hoc est circa an. 1645.) Academiam illam suam longe facit antiquiorem. Eius nempe Institutionem refert ad Conradum Portuensem Episcopum, Apostolicæ sedis Legatum anno 1120. Sed malè, vt eum præclarè refellit M. Renatus Moreau celeberrimus Doctor Parisiensis, in libello quem inscripsit *Centonis Κακορραφίας D. ffibulationem aduersus Courtaudum.* Nam ille Conradus Episcopus Portuensis & S. Rufinæ Cardinalis ab Honorio III. creatus est anno 1129. missusque deinde est in Gallias summa cum potestate contra Albigenses.

Præterea patet ex Bulla quam supra retulimus, à Nicolao IV. erectam fuisse illam Vniuersitatem & priuilegiis donatam in vtroque Iure, in Artibus & Medicina, cum in hoc suo diplomate nullam faciat mentionem institutæ & erectæ prius ibidem Vniuersitatis, nec diplomatum Priuilegiorumque ab aliis Pontificibus Prædecessoribus aut eorum Legatis concessorum. Quod certè non omisisset, si ante sua tempora fuisset illa Vniuersitas instituta & priuilegiis Apostolicis decorata.

3. Adstipulatur Epitaphium Nicolai IV. à Felice Peretto Cardinale & postea summo Pontifice sub Sixti V. nomine erectum, & à Ciaconio relatum in vita Nicolai IV. in quo inter cætera hæc verba leguntur. *Factus Pontifex* Remp. " sublatis discordiis composuit. Christianos Principes sacro fœdere iunxit. Ptole- " maidem copiis adiuuit. Flaminiam in Pontificis iterum ditionem redegit. Publi- " cum in Monte-pessulano Gymnasium instituit &c. His assentitur Ciaconius in " eodem loco. *Vniuersitatem*, inquit siue Gymnasium Generale in Monte-pessulano " quod hodie omnibus celebre est, Apostolica authoritate erexit Nicolaus IV. an- " no Pontificatus sui 2. Litterarum vero erectionis tenor in sacro Archiuo Vatica- " no etiam nunc legitur. "

Itaque aut insigniter ignarus sit antiquitatis Curtaudus oportet, aut audacter fallax, qui asserere audeat suam Academiam non solù antiquiorem esse Parisiensi, sed etiam Matrem eius & Parentem. Non diffitendum tamen, quin Medicinæ professione sit Parisiensi antiquior. Nam vt ad superius seculum retulimus, illi qui in Scholis Parisiensibus minus profecerant, solebant teste Ioanne Saresberiensi, aut Salernum aut Montempessulanum discendæ Medicinæ gratiâ se conferre. Vnde verbis quibusdam barbaris redibant instructi, seque idcirco quasi è cœlo delapsos putabant. At sub finem eiusdem seculi nostra Parisiensis longè celebrior fuit vtrâque, tam scilicet Salernitanâ quam Mompelliensi. Igitur hæc duo sunt distinguenda. Antiquitas scholæ Mompelliensis, & Vniuersitas seu Academia Priuilegiis decorata. Certum autem esse videtur antiquiores esse scholas, sed posteriorem Academiam.

Hoc anno post Remigialia renouatum est statutum quod ad an. 1279. retulimus, quo scilicet Vniuersis Magistris iniungitur conscribere Catalogum suorum Scholasticorum scholas suas assiduè frequentantium, vt illi soli gauderent Priuilegiis, discholi vero & vagi atque discursores è gremio & fundo Vniuersitatis expellerentur & bonorum consortio arcerentur.

Eodem anno cum inter Scholares Vniuersitatis & famulos Ioannis Choleti S. Ceciliæ Cardinalis tunc Legati Apostolici exorta fuisset discordia, fuissentque nonnulli Scholares in conflictu interfecti, multi vulnerati, eam ob rem & Academia parisiensis litem ipsi Cardinali mouisset, tandem congregatâ apud Bernardinos Vniuersitate, Franciscanus quidam, cuius nomen mihi nondum scire licuit, prædicti Ioannis Cardinalis Pœnitentiarius eius nomine adfuit; obtu- CAPITULANIA NOVA VNIVERSITATIS.

litque eidem Vniuersitati fundationem Capellaniæ 20. librarum Parisiensium annui reditus, si vellet à lite quam mouerat, desistere.

Item *pecuniam pro expensis factis à Rectore & Vniuersitate, seu Deputatis ab ipsâ Vniuersitate prædicta.* Re à Rectore in deliberationem positâ, secessum est ad suffragia, & ex consensu omnium Facultatum & Nationum pronunciatum est Vniuersitatem, ad fouendam cum Cardinale amicitiam pro bono pacis subscribere postulatis; & Rector publicè dixit. *Obligo me ex nunc ad renunciandum omni actioni.* Hoc autem ita factum ratumque habitum die 26. Aug.

Atque vt huic Acceptationi maior accederet authoritas, Philippus Rex mense Nouembri sequente fundationem illam Capellaniæ 20. librarum annui reditus diplomate Regio confirmauit, vt legitur in antiquioribus libris Procuratorum sub hoc titulo. *Fundatio vnius Capellaniæ pro interfectione quorundam Scholarium perpetrata à Gentibus Cardinalis.* Est autem Diploma huiusmodi.

Philippus Dei Gratia Francorum Rex notum facimus Vniuersis tam præsentibus quàm futuris. Quod cum ad sedationem discordiæ motæ inter aliquos de Gentibus & familiis Venerabilis in Christo Patris, Dilecti & fidelis nostri Ioannis Dei gratia tituli S. Ceciliæ Presbyteri Cardinalis, Apostolicæ sedis Legati in Francia ex vna parte, & Vniuersitatem Scholarium Parisiensium ex altera, occasione læsionis & mortis quorundam Scholarium perpetratarum vt dicebatur à quibusdam de Gentibus Legati prædicti, côcordatum & conuentum fuerit inter partes; quod quædam Capellania 20. librarum Parisiensium annui & perpetui reditus fundabitur & instituetur, in qua perpetuò celebrabuntur Diuina. Nos pro bono solidæ pacis & concordiæ inter partes perpetuò reformandæ, volumus & concedimus, quod ipsa Vniuersitas dictas 20. libras Parisienses perpetui reditus in Censiuis & aliis quibuscunque prouentibus & reditibus, absque tamen feodo & Iustitia ad opus prædictæ Capellaniæ vbicunque in Domino nostro acquirat. Quodque Capellanus qui pro tempore instituetur in ea, ipsas prædictas 20. libras Parisienses annui reditus, cum acquisitæ fuerint, in pace teneat & habeat absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, saluo in aliis iure nostro, & iure in omnibus alieno. Quod vt firmum & stabile perseueret, præsentes litteras Sigillo nostro fecimus communiri. Actum apud Maysellum in Beluacensi an. Domini 1289. mense Nouembri.

Transactio Vniversitatis cum M. Petro de Ancelira.

Eodem anno amica quædam litis compositio facta est inter Rectorem Vniuersitatis Procuratoresque 4. Nationum, & M. Petrum de Ancelira Clericum, lisque sopita quæ fuerat ab ipso Petro Vniuersitati intentata de platea quadam quæ erat ante Capellam S. Martini veteris seu de Ordeis, & iuxta Domum ipsius M. Petri, quam proinde vtraque pars sibi vendicabat: Vniuersitas quidem ratione Capellaniæ quam ad ipsam peruenisse discimus tum ex Instrumento huiusce compositionis, tum ex fundatione quam ad an. 1286. retulimus; Petrus verò ratione suæ Domus. Instrumentum autem est eiusmodi quod seruatur in Tabulario Vniuersitatis, & notatur hisce Caracteribus C. 7. A.

In Nomine Domini nostri I. C. Amen. Anno eiusdem 1289. indictione 2. die Iouis in Festo B. Mathiæ Apostoli, scilicet die quinta exeuntis mensis Februarii Pontificatus Sanctissimi Patris D. Nicolai Papæ IV. an. 1. Parisius. Quod nuper inter discretos viros Magistros *Procuratores Nationum, Gallicorum, Picardorum, Normanorum & Anglicorum, & Magistrorum dictarum Nationum, ac Rectorem Vniuersitatis* Parisiensis ex vna parte, & M. Petrû de Ancelira Clericum ex altera, Quæstio verteretur super quadam plateâ sitâ apud S. Germanum de Pratis prope Parisius, contiguâ ex vnâ parte, siue ex vno latere Capellæ S. Martini veteris de Sancto Germano, & aliâ ex parte Domui dicti Magistri in qua nunc habitat, & ex tertio latere est via publica; ex quarto verò latere est via publica & prope muros Abbatiæ dicti Sancti Germani; & est dicta platea circundata muro ex duobus lateribus. Quam verò Plateam dicto Magistro Petro asserente & dicente ad se pertinere, prædictis verò Rectore & Vniuersitate asserentibus & dicentibus ratione *Capellaniæ & Capellani & Capellæ prædictæ* ad eos pertinere. Tandem idem M. Petrus de Ancelira Clericus volens & intendens iurgia litium euitare, & sibi parcere, laboribus & expensis & indemnitati suæ præcauere,

de dictâ platea, quantum ad ipsum pertinebat, siue spectabat, sponte & liberè " nuper voluntati, ordinationi, & *dispositioni dicti Rectoris, Magistrorum, Procuratorum & 4. Nationum & Vniuersitatis prædictarum* se supposuisset & sub certa forma, " prout hoc est notorium & manifestum & constat euidenter. Videlicet quod Re- " ctor pro se, Procuratores quatuor Nationum & Vniuersitas nomine eorum dispo- " suerunt, concordauerunt insimul & ordinauerunt in modum qui sequitur. "

Scilicet quod de tota platea prædicta contigua Capellæ ex vtraque parte via- " rum versus vicum ex opposito Abbatiæ pro diuisione facta habet Vniuersitas 13. " Thosias & ex parte Abbatiæ 11. Thosias & duos pedes ad opus Capellaniæ & " Capellæ prædictæ. Et de residuo totius plateæ, remanet dicto M. Petro; & ha- " bet versus domum suam octo thosias cum pede & dimidio ex vtraque parte, ac " tenetur & debet præfatus M. Petrus portionem dictæ plateæ super diuisione sic " factâ inter ipsum & Vniuersitatem claudere muro consimili, sicut dicta platea " est vtraque parte clausa muro. Et promisit etiam idem M. Petrus soluere, tra- " dere *Rectori & Vniuersitati* 20. libras Turonensium Paruorum ad opus Ca- " pellæ & Capellaniæ prædictæ ad faciendum siue construendum Domum " vnam in dicta platea contingente parti dictæ Vniuersitatis ad opus Capel- " læ & Capellaniæ prædictæ & pro Capellano prædicto. Et debent facere " Rector & Vniuersitas prædicta litteras Sigillo Vniuersitatis sigillatas, aper- " tas: quod ipsi super dicta platea & pro parte quæ remanet ipsi M. Petro " cum Domo, muris & suis pertinentiis omnibus de cætero non mouebunt li- " tem, quæstionem seu querelam ac facere quittationem. Et ipse M. Petrus versa " vice Rectori & Vniuersitati prædictis de dicta platea, de dimissione sic facta litem, " quæstionem seu querelam eis de cætero non monebit, & eis faciet super hoc quit- " tationem. Et super præmissis debet Rector & Vniuersitas tradere dicto M. Petro " litteras vt præmittitur, Sigillo Vniuersitatis sigillatas. Et consimiles litteræ siue " Instrumentum debent remanere penes Rectorem & Vniuersitatem. Et sic dictæ " partes amicè conuenerunt, sanciuerunt & ordinauerunt adinuicem, factisque lit- " teris siue Instrumento publico & ostenso dicto M. Petro debet incontinenti sol- " uere & tradere dictas 20. Libras Turonenses Rectori nomine & vice Vniuersita- " tis ad opus Capellæ & Capellaniæ prædictæ, vt præmittitur pro ædificatione " Domus prædictæ. Et ad hoc obseruandum, & quantum ad ipsum pertinet, obli- " gauit idem M. Petrus se & Domum suam prædictam in qua nunc habitat. Insuper " dictus *Rector suo & totius Vniuersitatis nomine* & M. Petrus pro se ad obser- " uandum Conuentiones prædictas, promissiones & prædicta omnia & singula su- " pradicta, memoratus Rector nomine suo & totius Vniuersitatis Parisiensis pari- " ter recognouit & confessus est in veritate se recepisse & habuisse à dicto M. Pe- " tro dictas 20. libras Turonensium paruulorum in pecunia numerata pro præmissis " ac ratione seu occasione præmissorum ad opus Capellæ & Capellaniæ prædictæ " & Capellani prædicti. Et de dictis 20. libris Rector suo & totius Vniuersitatis no- " mine prædictæ se bene quittum & pagatum vocantem, exceptioni non numeratæ, " non receptæ & non solutæ sibi prædicto nomine pecuniæ & spei futuræ numera- " tionis renunciauit in hac parte penitus & expressè. Ac etiam idem Rector suo & " totius Vniuersitatis prædictæ nomine dictæ diuisioni & parti de dicta platea se " habuit & tenuit pro pagato & contento: & eum quittauit & rata habuit atque fir- " ma. Et quod de cætero dicto M. Petro de præmissis litem, quæstionem, seu quere- " lam ipse vel Vniuersitas non mouebit in iudicio vel extra ac de Domo, muris & " platea aliquâ adiacente siue contiguâ Domo & muris ipsius M. Petri & de parte " Plateæ sibi contingente ad ipsum M. Petrum de præmissis domo, muris, & parte " sibi contingente & platea aliqua contigua Domui suæ & muro siue muris. Et " de 20. libris Turonensibus prædictis ipse Rector & Vniuersitas quittauerunt & " quittum vocauerunt penitus & expressè. Et versâ vice præfatus M. Petrus de pla- " tea, pro parte *quam Rector & Vniuersitas habent*, Rectori & Vniuersitati litem, " quæstionem vel querelam in Iudicio vel extra de cætero non mouebit. Et ipsos " quittauit & quittos vocauit. Et qualibet pars se habuit & tenuit integrè pro pa- " gata & quitta & contenta. Et sic voluerunt, & consenserunt, vt superius conti- " netur sub modo & forma prædictis, partes prædictæ. "

Interfuerunt Testes præsentes præmissis viri discreti DD. siue M. M. & diui- "

sioni dictæ plateæ F. Ioannes de Muro Ordinis FF. Minorum Sacræ Scripturæ Professor, Girardus de Curtriaco Decanus in Decretis, Iacobus Brunus tunc Procurator Nationis Normanorum, Ioannes Anglicus tunc Procurator Nationis Anglicorum. Henricus Seruiens communis Nationis Normanorum, Simon Anglicus Seruiens Communis Nationis Anglicorum... Bedellus Magistrorum in Medicina siue Physica Clerici, & plures alij ad hoc rogati testes. Actum apud dictum S. Germanum de Pratis prope Parisius, præsentibus Rectore & M. Petro & testibus suprascriptis & Magistris, & quampluribus aliis, anno, mense, Indictione & die Iouis prædictis.

Ego Barius Amicus Lemouicensis Clericus, quondam Roberti filius authoritate Apostolica & Episcopali Notarius dicta die Iouis apud dictum S. Germanum de Pratis prope Parisius præmissis interfui, & vt supra legitur scripsi, publicaui, & prædicta omnia in hanc publicam formam redegi. Et exinde feci hoc præsens publicum Instrumentum, compleui rogatus, me subscripsi & signum meum apposui.

Hic videtur obiter notandum & monendum Conuentionem istam & Compositionem fieri inter *Rectorem & quatuor Procuratores* ex vna parte nomine totius Vniuersitatis, & M. Petrum de Ancelira ex altera: Quia secundum antiquam consuetudinem antiquumque ius soli illi, Rector scilicet & Procuratores contrahebant aut contrahere poterant: nondum enim ius vllum sibi in fundum San-Germanum arrogauerant Decani aut eorum Facultates. Certum quippe est ante Facultatum additionem & admissionem in consortium Vniuersitatis tanquam sociorum Corporum, Rectorem & Procuratores fuisse solos Vniuersitatis Magistratus, quibus cum, si quid alicuius momenti fieret, necesse erat pacisci & transigere. Et licet Nationes iam ab an. circiter 1260. admisissent in societatem tres Facultates Theologiæ, Iuris Canonici & Medicinæ, pleraq; tamen Iura quæ ante admissionem habebant, sibi tanquam propria reseruarunt: qualia sunt *Electio Rectoris, Creatio & Nominatio Nunciorum Magnorum & Minorum, Clauiumque ærarij custodia.* Hinc ergo quotannis Rector & Procuratores postridie festi Paschæ Pratum Clericorum diu lustrarunt, quasi possessionem continuantes. Quæ consuetudo adhuc à nonnullis huiusce Academiæ Magistris hoc seculo quo scribimus vsurpata fuit.

Et quod plurimum auget dictorum fidem, huicce diuisioni plateæ prædictæ intersunt Decani Facultatum aut alij eorum nominibus tanquam testes tantummodo, non tanquam partes. Quod certè indicio est manifestissimo Facultatem Artium quæ ex 4. Nationibus constat, & quæ cæterarum Mater erat, nondum ius illud illis communicasse. Credibile enim non est M. Petrum de Ancelira contracturum fuisse *cum Rectore & 4. Procuratoribus* tantummodò, si Facultatum Decanos in Capellam, Capellaniam & plateam ius habere putauisset, aut ipsi se habere contendissent. Vulgò enim ad securitatem contrahentium Contractus initur inter eos, qui ius & potestatem habent contrahendi, quique ex legibus contrahere possunt non inter alios.

DOMVS CAPELLANI. Insuper ex Instrumento præallato intelligitur nondum fuisse constructam Capellani Domum. Nam licet ab antiquo Vniuersitas videatur possedisse *Capellam S. Martini de Ordeis*, quia tamen non erat ei certus reditus assignatus, nullus etiam certus Capellanus ministrabat seu deseruiebat; sed Magister aliquis Missam celebrabat cum opus erat, audientibus Scholaribus antequam ludo indulgerent. At Monachi San-Germano-Pratenses propter interfectos Scholares, Capellam prædictam dotare coacti sunt reditu annuo 20. librarum Parisiensium, vt ante retulimus. Hincque ad eidem ministrandum constitutus ab Vniuersitate Capellanus; qui & ibi domum habuit.

Et quoniam in mentionem incidimus Capellaniarum & Sacrorum, non erit extra rem hoc loco commemorare vbinam Vniuersitas, vbi singulæ Nationes & singulæ Facultates sacris operarentur. De qua quidem materia satis fusè egimus in libello quem de Patronis Cœlestibus 4. Nationum inscripsimus, & in lucem emisimus an. 1662. hic verò breuiter, quantum ad historiam sufficiat, repetamus.

Imprimis igitur certum est singulas Nationes ante additionem & consociationem Facultatum Sacra priuata habuisse, priuatumque locum Sacrorum. Quo

diebus Veneris ad Vesperas conueniebant, quæ de S. Maria decantabantur; & diebus Sabbati horâ circiter septimâ matutinâ adSacrum audiendum. Hinc tam sæpe legimus in Actis, post Missam Officiumque Diuinum peractum Magistros statura condidisse & de rebus occurrentibus deliberasse.

At quis ille locus? difficile dictu est. Credibile est tamen illas quandiu in Lupatæa regione habitarunt, in Capella Regia, in Basilica S. Germani Teretis seu Antissiodorensis, aliisue sacris ædibus circumvicinis Sacra sua, item & Comitia celebrasse. At postquam in Atrium Basilicæ Parisiensis, in Montem San-Genouefianum aliaque loca vicina secesserunt, aliæ alias ædes pro commoditate & vicinitate delegerunt. Pura Natio Gallicana ante constructionem ædis Nauarricæ, aut apud S. Nicolanm de Carduneto, aut apud S. Stephanum de Gressibus, Sacris operari solita fuisse legitur. Extat in magno Pastorali Charta Simonis Matiphæ de Bucy Episcopi Parisiensis, in qua se rogatum fuisse ait Missam solennem B. Guillelmi celebrare an. 1290. *Noueritis quod cum nos ad instantiam Magistrorum Nationis Gallicanæ in festo B. Guillelmi Bituricensis ad Ecclesiam S. Stephani de Gressibus Parisius causa celebrandi Missam ibidem declinauissemus, &c.*

At postquam Iana Philippi Pulchri vxor Collegium Campaniæ aliàs Nauarræ construi iussit circa an. 1304. in vsum Alumnorum, seu vt vocant Bursariorum Academiæ Parisiensis, eadem Natio hanc ædem deinceps ad sua Sacra tam priuata quàm solennia celebranda delegit, & hodie etiamnum ibidem celebrat. Nec vllam aliam habuisse legitur Capellam. Nam vt ait Gouletus qui scribebat an. 1516. *In Scholis Franciæ nullum est Sacellum; quia itur ad Regale Collegium Nauarræ pro loci spaciositate.* Picardica Natio, antequam priuatum Sacellum haberet, (habere autem cœpit anno tantum 1487.) Missas & sacra sua in æde S. Iuliani pauperis celebrare consueuerat. Normanica apud Mathurinenses, antequam ædiculam Harcurianam delegisset. Anglicana seu Germanica apud Carmelitas Plateæ Maubertinæ, aut apud Basilicam SS. Cosmæ & Damiani.

Hoc anno, inquit Ioannes de S. Victore, obiit M. Adenulphus quondam Præpositus S. Audomari in Flandria, *electus tunc & confirmatus Episcopus Parisiensis*, & factus Frater S. Victoris Parisius habitu suscepto sepultus in medio Chori eiusdem Ecclesiæ. *Cui successit M. Simon Matifardi Professor Legum & Lector in Decretis*, natus de Bussi iuxta Suessionem, ex Archidiacono Remensi & Canonico Paris. factus Episcopus Parisiensis.

Anno 1290. excitata est Vlyssiponensis Academia Dionysij Lusitanorum Regis auspiciis, & à Nicolao IV. Pontifice Max. priuilegiis exornata, vt patet ex hac Bullâ, quâ non parum Academia Parisiensis illustratur, cum eadem plane indulgeat, quæ in nostra obseruabantur. Excipit tamen Theologiæ Studium, quod nec apud Montem-Pessulanum quoque priuilegiis decorari voluit, arbitratus vnum Parisiense Studium in rebus Theologicis toti Orbi Christiano sufficere. Nam vt scribebat paucos ante annos M. Iordanus in suo libello de Translatione Imperij. *Sicut Ecclesia materialiter vnum fundamentum & vnum tectum sufficiunt, sed vnus paries non sufficit. Sic sacerdotio vna sedes principalis videlicet Romana, & Studio vnus principalis locus scilicet Parisius sufficit.* Talis igitur Nicolai Bulla.

1290. VNIVERSITAS VLYSSIPONENSIS

Nicolaus Episcopus Seruus Seruorum Dei Vniuersitati Magistrorum & Scholarium Vlyssiponensium Salutem & Apostolicam benedictionem. De statu Regni Portugalliæ tantò solertius cogitamus, quantò maiori desiderio ducimur, vt in Regno ipso submotis quibusuis obstaculis Diuini cultus obseruantia vigeat, salubribus nutriatur operibus, & fidei Catholicæ puritas ad laudem Diuini nominis & salutem fidelium in eo degentium inualescat. Sanè ad audientiam nostram peruenit, quod procurante Charissimo in Christo filio nostro Dionysio Portugalliæ Rege Illustri, cuiuslibet licitæ Facultatis studia in Ciuitate Vlyxbonensi sunt de nouo non sine multa & laudabili prouisione plantata: quorum Magistris, vt liberius possint vacare studiis & doctrinis, à quibusdam Prælatis, Abbatibus Cisterciensibus ac Prioribus S. Augustini & S. Benedicti Ordinum, & Rectoribus quarundam secularium Ecclesiarum Regnorum Portugalliæ & Algarbii promissum esse dicitur Salarium, & statutum. Nos autem diligentiùs attendentes quod per huiusmodi studia cooperante illo à quo bona cuncta procedunt in Regnis ipsis Diuinus cultus augebitur, crescet deuotio & fidei Orthodoxæ cultores in-

dum. Datum anno Dom. 1270. die Martis ante festum Cathedræ sancti Petri.

Eodem anno Artium Faultas statuto speciali vetuit, ne vllus Magister sibi Scholares procuraret, aut prohiberet alios audire Magistros quàm suæ Nationis, liberum esse volens vnicuique scholas quas vellet frequentare, nulla ratione Nationis aut patriæ habitâ. Plurima alia capitula continet idem statutum, quod legitur in libro Picardicæ Nationis, estque huiusmodi.

Nouerint Vniuersi quod anno Dom. 1290. die Sabbati post festum S. Dionysii Nos Magistri omnes & singuli in Artium Facultate Parisius Regentes apud S. Mathurinum horâ primâ ad ordinandum & statuendum sub pœna & per fidem specialiter vocati ordinauimus & statuimus, & per iuramentum in manu Rectoris præstitum promisimus, quod nullus Magister Scholares, vel Scholarem precibus, pretiis, seu promissis vel minis, vel qualibet aliâ cautelâ vel ingenio ad audiendum ab ipso per se vel per alium procurabit vel inducet. STATVTVM DE LIBERTATE AVDIENDI QVOSCVNQVE MAGISTROS.

Item statuimus seu iurauimus quod si aliquis Magister sciuerit aliquem vel aliquos qui contra Ordinationem prædictam fecerit, vel fecerint, statim Rectori reuelabit.

Item Ordinauimus & iurauimus, vt nulla Natio vel pars Nationis vel Magister cum Scholaribus suis conspirationem faciet, ne ad alios Magistros aliarum Nationum vel partium accedant, vel ab eis audiant.

Item nec suis Scholaribus, ne ab aliis audiant, inhibebunt per se vel per alios vel alium, fraude qualibet amotâ.

Item nulla Natio vel pars Nationis, vel Magister singularis conspirationem facient cum Bacalariis suis, ne eis disputantibus vel non, ad disputationes aliorum seu ad alios accedant. Adhæc omnia & singula volumus Bachelarios omnes & singulos antequam ad legendum Cursum aliquem admittantur, de cætero adstringi.

Item omnes de nouo incipientes ad hoc idem adstringantur, sicut Magistri cæteri nunc sunt adstricti.

Item statuimus quod si aliquis Magistrorum vel Bachelariorum in aliquo istorum inuentus fuerit per inquestam à Rectore & Procuratoribus factam deliquisse, ab illo Ordinario, in quo Scholares contra formam prædictam induxit, & à sequente quem immediatè ipsum legere contingeret, priuetur. Et eodem modo intelligimus de Magistris & Bachelariis esse simpliciter quantum ad lectiones cursorias obseruandum.

Item statuimus vt si aliquis Scholaris vel Bachelarius alicui Magistro vel Bachelario Scholares vel Scholarem contra formam prædictam procurauerit: si contra ipsum probari contigerit, ex tunc ad gradum vlteriorem in Facultate nostra non valeat promoueri.

Item statuimus vt si contra Scholarem aliquem probari contigerit, quod per preces, vel promissa, vel minas ab aliquo Magistro inductus audierit in Facultate nostra, non possit vlterius promoueri.

Item vt Determinatores & Incipientes in Facultate nostra, in Nationibus singulis non admittantur, nisi iurent se reuelare contra prædicta statuta in aliquo deliquisse.

Item vt quilibet Rector in sua creatione iuret fideliter inquirere de præmissis. Et si aliquem inuenerit deliquisse, ipsum puniet pœnâ superius annotatâ, & nihilominus Facultati reuelabit.

Hisce temporibus apud Pontificem magnæ authoritatis erat Raimundus Lullius Maioricanus Eremita, Author *Artis admirabilis*, qui præceptorem habuerat Lutetiæ nomine Thomam, sed eundem vice versâ Discipulum habuit in Arte quam illum edocuit, vt scribit Carolus Bouillus in eius vita. Apud Bonifacium quoque VIII. plurimum claruit, de quo sic Massonius in vita huius Pontificis. *Raimundus Lullius excellentis ingenij Philosophus in aula Bonifacij erat an. 1296. ibique absoluit Opusculum egregium quo articulos fidei Christianæ probare argumentis & rationibus demonstrare conatur.* In eius tamen libris annotati sunt plusquam quingenti errores à Petro Terracensi Episcopo: quales sunt isti: Deum plures habere essentias, Patrem priorem esse Filio, Spiritum S. conceptum ex Patre & Filio, &c.

clarescebat. Tria enim suadebat ille fieri. Videlicet vt per Orbem Christianum varia extruerentur Monasteria, in quibus viri sancti & docti linguas Orientales edocerentur ad conuersionem Gentium & Infidelium. Deinde vt de cunctis Ordinibus Militaribus, maximè vero de Templariis & Hospitalariis vnicus fieret sub vno Magistro qui vltra Maria Sarracenos assiduis bellis lacesseret & fatigaret. Quamobrem Nicolaus Papa ad Imperatorem Constantinopolitanum, Regesque Franciæ & Angliæ, & ad ipsos Militiarum Magistros, Ecclesiarum quoque Prælatos scripsit, vt eorum in hac re Iudicium sententiamque agnosceret. Tertium denique vt omnibus Christianis Auerrhois Philosophi lectione interdiceretur, quâ plurimi decipiebantur. Et hac de re libellum quem composuerat, Regi Philippo dicauit.

Hoc quoque anno Nicolaus de Lyra ex Iudæo ad Christianam Religionem conuersus ad Minoritas se contulit, nomenque Ordini dedit in Conuentu Vernoliensi Normaniæ. Eodemque anno Domus B. Virginis è Syria pariter cum Religione Christiana discessit, & stupendo miraculo de Ciuitate Nazareth Angelorum manibus in Dalmatiam translata fuisse dicitur.

Eodem anno Vniuersitas statutum solenne condidit de Pergamenariis, ratione Pergameni quod emebant & vendebant, quodque in Nundinis San-Dionysialibus seu Indictalibus & S. Lazari exponebatur. Legitur autem illud statutum in antiquo libro Procuratorum Nationis Gallicanæ sub hoc titulo. *Statutum Vniuersitatis de Pergamenariis.* STATVTVM DE PERGAMENARIIS.

"Vniuersis præsentes Litteras inspecturis & audituris Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisiensium salutem in eo qui est omnium vera salus. Scriptum est in Canone: *Diuinus fructus est Iustitiam recensere.* Nam summum bonum in rebus est Iustitiam colere & vnicuique sua iura seruare, siue sit præmio renumerandus, siue pœna vel supplicio afficiendus. Cum igitur inter nos ex vna parte & Pergamenarios Parisienses ex altera, iamdiu est, exorta fuisset dissensio super eo videlicet quod ipsi Pergamenarii multas fraudes & quamplurimas malitias in emendo & vendendo Pergamenum committebant in Vniuersitatis & Reipub. præiudicium & grauamen, ideo tunc temporis fecimus eos iurare quod ipsi in emendo & vendendo nullas fraudes committerent, imò fideliter emerent & fideliter venderent: quod tamen prout est de nouo repertum per Inquestam, quod iuramento promiserant, legaliter non seruauerunt. Imo fraudem fraudi, malitiam malitiæ cumulantes in animarum suarum periculum & multorum læsionem & iacturam contra proprium Iuramentum faciendo multipliciter attentarunt. Et quia scriptum est, quod parum prodesset humilibus humilitas, si contemptus contumacibus non obesset, & crimina vndecunque claruerint, sint punienda. Imo certum sit, quod non carent scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinunt obuiare. Ideo nos eorum volentes tortersutiis & tantis quantum possumus obuiare, quosdam articulos fecimus vtilitate Vniuersitatis pensatâ, quos eis prius in Romano seu Gallico expressos iurare fecimus in aperto.

"Primus articulus est, quod dicti Pergamenarii nullas conspirationes facient in præiudicium Magistrorum & Scholarium grauamen, & ipsorum Pergamenariorum ad inuicem.

"Item quod ipsi sibi ad inuicem fidelitatem & legalitatem in emendo seruabunt.

"Item quod dictis Magistris & Scholaribus vendent legaliter sine fraude, nec celabunt pergamenum bonum si habeant penes se.

"Item quod non occurrent Mercatoribus extra Nundinas ad emendum pergamenum per se nec per alios: & quod non ement pergamenum in pellibus pro annis futuris ad suam placentiam, & quod nihil ement cum candela in occulto.

"Item quod Mercatoribus Foraneis tempore Nundinarum vel quocunque alio tempore nullam conuentionem facient ordinando vel taxando, ipsis de Pretio imponendo pergameno.

"Item quod non ement Pergamenum nisi apud S. Mathurinum vel in loco publico Nundinarum.

"Item quod si Pergamenarii Parisienses ement pergamenum præsente Magistro

" vel Scholare indigente pergameno, quod dictus Magister vel Scholaris habeat
" partem illius pergameni pro illo pretio pro quo emptum fuit. Tenebitur tamen
" dicto Pergamenario Magister vel Scholaris dare sex denarios de libra pro industria
" sua & labore. Intelligimus autem præsentem esse illum qui est ibi, antequam per-
" gamenum sit partitum.
" Item quod Mercatores singuli præsentes in emendo sint participes. Intelligi-
" mus autem præsentes modo prædicto.
" Item quod primâ die Nundinarii Lenditi vel S. Lazari non ement pergamenum
" antequam Mercatores D. Regis, D. Parisiensis Episcopi & Magistri & Scholares
" emerint, nisi foranei mercatores dicta die emerint ante tempus prædictum.
" Item ordinamus quod Shcolares non possint nisi pro seipsis & eorum sociis eme-
" te, & nullis aliis reuendere nisi ipsos recedere aliquo casu oporteret.
" Item tempore Nundinarum Bedelli Vniuersitatis mittantur ad Nundinas & di-
" ligenter inquirant, si Scholares vel Pergamenarii in vendendo ibi fraudem fa-
" ciant vel emendo.
" Item ordinamus quod Pergamenarii consentiant quod super his tempore cu-
" iuslibet Rectoris diligens fiat inquisitio per Deputatos ab Vniuersitate vel etiam
" Deputandos: & quod hæc omnia & singula quolibet anno in Sermonibus & Scho-
" lis publicentur, vt Magistri & Scholares qui de præmissis aliquid sciuerint, Re-
" ctori possint reuelare. Datum anno D. 1291. die Martis ante festum omnium San-
" ctorum.

" Ex hocce statuto intelligimus Ius Pergamenarium esse vetustissimum: quod à quo Principe attributum sit Vniuersitati, nisi ad prima tempora & ad ipsa incunabula recurramus, haud facile dictu est: qua de re nos in 1. vol. f. 197. 198. Vnde cũ an. 1451. Abbas San-Dionysianus arrogauit sibi ius lustrandi Pergameni Nundinis Indictalibus, ei meritò Vniuersitas Nouitatis actionem intendit: sic enim scribit M. Ioannes Fornellus Nationis Gallicanæ Procurator. *Die Sabbati 19. Iunii (an. 1451.) congregauit D. Rector Vniuersitatem super pluribus articulis. 1. Super visitatione inordinata Pergameni attentatâ per vnum Religiosum S. Dionysii cum vno Laico. Iuxta primum Natio Francia Mater mea retracta ad partem deliberauit, quod D. Rector haberet conuocare Practicos Consiliarios Vniuersitatis de Curia Castelleti: & secundum Consilia eorum procedere contra Abbatem & Conuentum S. Dionysii, qui nescio qua authoritate & contra vsum hactenus obseruatum voluit visitare Pergamenum in præiudicium Rectoria & libertatis.*

DE AVLA PERGAMENARIA. Sed & maximè facit ad iuris istius commendandam antiquitatem, quod legitur in antiquo libro Rectoris de loco quodam apud Mathurinenses recipiendis pergameni fasciculis addicto. *Cum primum aliquis Mercator foraneus habens pergamenum venditioni exponendũ, vrbem Parisiensem ingressus est, tenetur dictũ Pergamenum adducere aut adduci facere ad locum consuetum, videlicet ad S. Mathurinum. Et ipso adducto erga D. Rectorem Vniuersitatis Paris. proficisci, vel aliquem mittere, vt idem Rector aliquem ex suis mittat dictum pergamenum numerare; & hoc facto ipsum visitari & appreciari facere per 4. Pergamenarios Iuratos eiusdem Vniuersitatis continentes quod si quis Scholasticus aut alius indigeat pergameno, petat dictum locum Mathurinorum, vt emat Pergamenum, si sibi bonum videatur. Et dicta appretiatione facta tenetur dictus mercator eiusdem Pergameni tenere seu teneri facere dictum locum in quo est pergamenum apertum, & ibi durantibus 24. horis exspectare Scholasticos, Practicos & alios pergamenum emere volentes: ideoque tempore 24. horarum durante non possunt nec debent mercatores pergamenarii huius vrbis Paris. aut aliquis eorum emere; nec dictus mercator foraneus venditioni exponere dictis Pergamenariis suum pergamenum aut partem illius sub pœna emendæ in hoc adiudicari solita: & dictis 24. horis elapsis potest idem mercator vendere & venditioni exponere, iidemque Pergamenarii huiusce vrbis Paris. emere, si illis bonum videatur.*

Ne vero temporis fortè processu locum illum seu aulam Mathurinensium recipiendo pergameno aptam & destinatam quasi propriam sibi vindicaret Vniuersitas, petierunt Mathurinenses instrumento publico significari, se rogatos & precario locum illum commodasse. Cuius rei meminit Renatus Choppinus lib. 2. Monasticon de Mathurinensi æde verba faciens.

" Parisiensis Academiæ Comitia habentur ex more in Claustris prædicti Cœ-
"

nobii Mathurinorum, velut Academica sede. Quam tamen precario rogatam sedem locumque interpretatur vetus Academicorum professio ingenua, scriptis mandata Iunio mense anno 1291. & ad Marginem. *Charta Vniuersitatis Parisiensis*, Quod Minister & Fratres Domus S. Mathurini Parisiensis locum illi concesserunt in Curia Domus eorum ex mera gratia ad opus receptionis & venditionis Pergameni. Charta est eiusmodi, quam pro sua singulari humanitate mihi communicauit Venerabilis vir & D. Mereiet Ordinis Generalis.

Vniuersis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisius studentium salutem in filio Virginis gloriosæ. Cum ad requisitionem nostram & propter nostrum commune commodum Religiosi viri Minister & fratres Domus S. Mathurini Parisiensis Ordinis S. Trinitatis & captiuorum nobis locum in Curia domus eorum ad opus receptionis & venditionis pergameni concesserint ex mera gratia & quandiu ipsis placuerit, & nobis prouiderimus de loco alio competenti, Nouerit Vniuersitas vestra Nos in prædicto loco nihil iuris, vsuagii, dominii modo nec in perpetuum reclamare. In cuius rei testimonium prędictis Religiosis concessimus præsentem patentem litteram sigilli nostri munimine roboratam. Datum an. Dom. 1291. mense Iunio.

Anno 1292. nondum sopita erat discordia, nec lis terminata Magistrorum Scholariumque Parisiensium cum Cancellario: quinimo recrudescebat magis: statutum enim legimus à Facultate Artium eo anno, ne quis durante discordia Inferius seu Parisiense Examen subire auderet, grauesque pœnas intentatas iis qui secus facerent. Ac ne quis illud reuocaret in dubium aut infringere præsumeret, sigillis 4. Nationum roboratum est. tale autem est. 1292.

STATVTVM FACVLTATIS ARTIVM CONTRA CANCELLARIVM PARIS.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis Rector, Procuratores, cæteri Magistri in Artium Facultate in Domino deuotionem sinceram. Facultatis prædictæ salubrem, tranquillum & honorabilem statum cupientes, Nos prædicti Rector, Procuratores & Vniuersi Magistri & singuli nullo contradicente præsentibus dignè duximus ordinandum, ne aliquis Bachelarius è Facultate nostra audeat vel præsumat inferius intrare examen istâ durante discordia quæ vertitur inter Nos & Cancellarium Parisiensem, se supponendo audiendum & examinandum à Cancellario supradicto. Et si quis contra præsentem inhibitionem & ordinationem aliquid qualibet remotâ fraude attentare præsumpserit, ipsum priuilegiis, subsidiis, gratiis, honoribus & penitus quibuscunque suffragiis ac nostro consortio ex tunc priuatum & exclusum perpetuò esse volumus ac etiam nuntiamus, hoc proinde adiungentes, quod aliquis Magister inter Nos Regens tales Bachelarios præsentare & audire in cōmunibus vel propriis non præsumat. Quod si fecerit, prædictis omnibus sicut & Bachelarios prædictos ipsum exclusum præcipimus & esse volumus iam priuatum. Insuper Magistris Artium in Facultate nostra non Regentibus suademus, ne tales Bachelarios præsentare, ac in communibus vel propriis audire velint, nec etiam contra præsentem ordinationem pro talibus Bachelariis aliquid duxerint attentandum. Nam contra tales si qui reperiantur, quantum de iure fuerit, procedemus. Sunt enim ad quemcunque statum ipsos deuenire contigerit, iuramento adstricti, quod nunquam contra Facultatem nostram prædictam aliquid facient, quod possit in Facultatis prædictæ damnum cedere ac grauamen. Datum & actum apud S. Iulianum pauperem in plena congregatione Facultatis nostræ anno Dom. 1292. Nonis Maij. In quorum omnium robur & testimonium præsentem ordinationem sigillis 4. Nationum duximus roborandam.

DISCORDIA CVM MONACHIS SAN-GERMANO-PRATENSIBVS SOPITA.

Eodem anno Vniuersitas & Ioannes de Cumenis Abbas San Germano-Pratensis totusque Monachorum Conuentus amicè composuerunt litem quandam de platea prope muros Ciuitatis Parisiensis sitâ Abbatiam versus: cui ex parte superiori contigua erat domus D. Petri de Mornay Episcopi Aurelianensis & ex altera, via Macellaria seu quâ ibatur ad Macellum Sancti Germani, & ad portam vrbis quæ est FF. Minorum. Cuius quidem plateæ partem dicebat & contendebat Vniuersitas sibi legatam fuisse à M. Radulfo d'Aubusson Canonico quondam Ebroicensi. Is est ille Radulfus qui post mortem Ioannis Daubergem-ville Episcopi Ebroicensis anno 1256. defuncti electus sponte ab-

dicarat & iuri suo cesserat in grariam Radulfi Grosparmi qui an. 1259. inauguratus est in æde Abbariali S. Taurini, vt diximus ad illum annum. Tale igitur est instrumenrum composirionis.

Vniuersis præsenres litreras inspecturis Ioannes permissione Diuina Monasterij B. Germani de Pratis Parisius humilis Abbas torusq; eiusdem loci Conuentus æternam in Domino salutem. Notum facimus quod cum inrer Nos ex vna parte & Vniuersitarem Venerabilium Magistrorum & Scholarium Parisius studentium ex altera orra esset materia Quæstionis super quadam plarea situata prope muros Ciuitaris Parisiensis respiciente dicti S. Germani Abbatiam. Cui ex parte superiori conrigua est domus, in qua moratur Reuerendus in Christo pater Perrus Dei graria Aurelianensis Episcopus: & ex alrera parte est via Carnificeriæ S. Germani, per quam directè irur ad porram Ciuitaris Parisiensis quæ vocatur porta FF. Minorum & ad Ecclesiam eorundem Frarrum. Er à parte inferiori est via publica per quam directè irur de S. Germano ad porram Ciuitatis Parisiensis, quæ vocatur porta S. Germani quæ est propè domum quæ fuit claræ memoriæ D. Henrici quondam Illustris Regis Nauarræ. Ex alrera parte est quædam via, quæ in prædicta via Carnificeriæ S. Germani incipir, iuxra puteum qui est in dicta via & iuxta domum G. Carnificis quæ est ædificara in angulo iam prædictæ plareæ ex opposito dicti putei & rerminatur in via nominata per quam irur ad porram, quæ vt dictum est, vocatur porta S. Germani. Eo quod dicta Vniuersiras dicebat se ius habere in dicta plarea ex parte quâ continuatur cum via prædicta, per quam itur ad F F. Minores in cenrum & sexaginta pedibus ad pedes Regis mensurandis, continuè & directè secundum longitudinem & latitudinem in qualibet parre eius, quia ranrum de dicta plarea in iam dicta parte. Ex altera parre eadem Vniuersiras dicebat & dicit sibi esse legarum à M. Radulfo de Albussone quondam Canonico Ebroicensi qui, vt dicta Vniuersiras dicebat, ius habebat in platea prædicta, in quantum eidem Vniuersitati legarum fuerat ab eodem.

Irem super eo quod Nos dicebamus nobis licere & licuisse Portam Abbatiæ nostræ quæ est versus Pratum quod nuncupatur PRATVM VNIVERSITATIS, aperire & claudere quandocunque vellemus, & per eam intrare & exire liberè sine contradictione cuiusquam ad votum nostrum, cum vehiculo & sine vehiculo cum equo & sine equo, vel aliter qualitercunque ad velle nostrum: ac dictam portam & muros eius habere & tenere, in illa dispositione, quæ conrinerur in quadam Ordinarione facta, super quadam alia controuersia orta inter Nos & Vniuersitatem prædictam tempore D. G. quondam Abbaris Monasterii nostri ab inclytæ recordationis D. Philippo Illustrissimo Rege quondam Francorum, & super limitatione fossati Abbatiæ, quod est iuxta prædictum Pratum. Quam limitationem & districtionem nos dicebamus esse faciendam secundum protensionem & declararionem lineæ protrahendæ in continuum & directum ab extremitare Pilariorum & Columnarum, quæ sunt extra muros Abbatiæ prædictæ iunctos cum ipso fossaro iuxta *Pratum* prædictum versus locum in quo cum Sequana coniungitur prædictum fossarum; Vniuersitate prædictâ in eisdem contrarium asserente.

Tandem vocatis vt moris est, Monachis nostris super hoc pluries & specialiter in pleno Monasterii nostri Capitulo congregatis, deliberatione matura & diligenri tractatu præhabitis pacem cum Vniuersirare habere puro corde & spiritu affectanres, cum omni reuerentia qua possumus & honore, ad bonæ pacis & concordiæ & transactionis viam consensu vnanimi deuenimus, quod Vniuersitas prædicta prælibaram plateam in longum & larū omnino, & omne ius quod in ea se habere dicebat & habere poterat, quocunque titulo seu quocunque modo, nobis & Monasterio nostro & successoribus nostris ex nunc in perpetuum dimisit & quitrauit penitus & expressè ad nostram volunratem & voluntatem plenariam faciendam saluâ ipsi Vniuersitati in ipsa platea, remanente via ad Pratū prædictū & alibi eundi, agendi in larum spatii viæ Regalis decem & octo pedes continentis, quæ debet incipere à cuneo domus in qua nunc moratur D. Perrus Dei Gratia nunc Aurelian. Episcopus protendendo se versus viam publicam ante portam Manerii quondam *Odardi de Villa-noua* olim Præpositi Parisiensis per quam viam

itnr versus portam S. Germani & versus Pratum prælibarum, ita quod ab angulo domus in qua moratur D. Episcopus Aurelianensis prædictus, mensurabuntur decem & octo pedes directè in latum versus dictam Carnificeriam procedendo, & ab extremitate illorum decem & octo pedum producetur linea in continuum & directum vsque ad angulum domus, quæ est ex opposito Manerii prædicti quæ fuit quondam *Albini de Centum Puteis* Clerici, & ab angulo domus in qua moratur D. Episcopus Aurelianensis ducetur alia linea vsque ad viam dictæ portæ, quæ dicitur S. Germani, & in longum ex vna parte superiori vsque ad inferiorem liberè, pacificè & quietè.

Item voluit & concessit ipsa Vniuersitas, quod Nos & successores nostri prædictam portam quæ est supra Pratum prædictum aperire & claudere, & vti eâ possimus in perpetuum exeundo, intrando, eundo, agendo cum equis & Quadrigis & sine eis liberè versus Parisius vel Sequanam vel villam S. Germani, vt melius viderimus expedire, contradictione alicuius non obstante.

Item voluit & concessit Vniuersitas, quod Fossatum prædictum limitetur, & quod Nos & successores nostri habeamus super hæc secundum quod lineæ protractio recta nobis dimittendum fore declarabit in continuum & directum ab extremitate Pilariorum & Columnariorum murorum Abbatiæ nostræ, absque additione adulterina & noua facta vel addita Pilariis supradictis.

Et quod in ea parte terræ super Fossato nobis remanente muros simplices facere possumus sine querellis & fortalitiis aliis à simplici muro, per quæ Scholares possent lædi. Et quod si purgare velimus Fossatum, purgationes, seu quæ ex eis trahi contigerit, ex parte nostra non ex parte Prati iactentur.

Nos vero & Successores nostri pro bono pacis & concordiæ ante dictæ ipsi Venerabili Vniuersitati suisque successoribus tenemur & tenebimur in perpetuum singulis annis reddere & soluere 14. libras Parisienses annui & perpetui reditus pro præmissis & ratione præmissorum ad vsus *pauperum Scholarium per Vniuersitatem distribuendas.* Quas 14. libras Parisiensos promittimus & tenemur Nos & successores nostri prædictæ Vniuersitati suisque successoribus in perpetuum annis singulis reddere & soluere quatuor terminis Parisius consuetis. Videlicet primo, in proximo festo S. Remigii 70. solid. Paris.

14. Libros Paris. annui reditus Vniversitati debita.

In sequenti festo Natiuitatis Domini alios 70. sol. In sequenti Paschate alios 70. sol. Paris. Et in sequenti festo B. Ioanuis Baptistæ alios 70. sol. Paris. & sic deinceps singulis annis prædictas 14. libras Paris. prædictis terminis, prout superius est expressum.

Quas 14. libras percipiendas, vt dictum est assignamus eidem Vniuersitati super Abbatia nostra & super omnibus bonis & reditibus eiusdem percipiendas terminis supradictis sub pœna quinque solidorum contra nos cōmittenda pluries pro qualibet die per quam cessauerimus vltra octo dies, vltra quemlibet terminorum præfatorum vnà cum Principali soluendorum, ratâ nihilominus compositione seu transactione ac obligatione manentibus supradictis. Et debemus procurare consensum D. Regis Francorum de non compellendo Vniuersitatem dictum reditum ponere extra manum: ad quem obtinendum ipsa Vniuersitas apud ipsum D. Regem porriget preces nobiscum, scribemusque ad Curiam Romanam litteras supplicatorias D. summo Pontifici, quod suum in his consensum impertiatur, vt præmissa & sequentia confirmet. Super quibus nihilominus ipsa Vniuersitas similiter eidem supplicabit.

Voluit insuper & concessit expressè & vnanimiter, quod Nobis & successoribus nostris liceat in perpetuum habere & retinere semper muros portæ sæpe supradictæ, in illa dispositione & in illo statu in quo & in qua illos decreuit per suam iam ordinationem inclytæ recordationis Philippus Illustrissimus Dei gratia Francorum Rex, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Addidit etiam ipsa Vniuersitas quod nomine ipsius & successorum Vniuersitatis omne ius & dominium quodcunque & quocunque modo habebat & habere poterat in Fossato prædicto & aquâ eiusdem, Nobis & Monasterio nostro cessit & quittauit in perpetuum penitus & expressè. Nos enim omnia superius expressa promittimus bona fide, solenniter & legitimè Nos facturos & soluturos & adimpleturos nomine nostro, Monasterii nostri & successorum nostrorum fideliter & integraliter

„ obseruare, sicut superius est expressum, & contra ipsa vel aliquod præmissorum „ in perpetuum venire, nec aliquid impetrare à Papa vel à Rege seu Principe quo- „ cunque modo contra præmissa, seu aliquod præmissorum, nec concessis seu con- „ cedendis, etiam vltra si fieret vti beneficio restitutionis in integrum, doli mali, „ fraudis, læsionisque cuiuscunque voluntate spontanea renunciantes & omnibus „ aliis Exceptionibus & allegationibus iuris & facti, per quas in aliquo posset præ- „ missis vel aliqui præmissorum derogari, quas hic haberi volumus pro expressis. In „ cuius rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Da- „ tum & actum in pleno nostro Capitulo anno Domini 1292. die veneris ante Nata- le Apostolorum Petri & Pauli.

Ex his intelligimus quam latè pateret fundus Vniuersitatis, quamque fortiter & vnanimiter ab omni æuo Pratum illud suum sibi vendicarit & ab excursionibus Monachorum aut famulorum defendere conata fuerit, quibus cum sæpe Scholastici in suo fundo ludentes rixas & contentiones habebant. Igitur 1. satis longam latamque plateam habebat, extra muros vrbis circa portas FF. Minorum, & S. Germani, cuius partem ex Legato M. Radulfi Albussonis habuerat. Deinde constat iuxta muros Abbatiæ San-Germano-Pratensis Capellam S. Martini de Ordeis fuisse sitam, ibique plateam, cuius partem concessit M. Petro de Ancelira ad commoditatem suæ domus: & ob id illas 20. libras ad ædificarionem Domus Capellani persoluebat. Postremò *Pratum* suum ibidem: quod incipiebat ex vna parte à fossis Abbatiæ versus Sequanam, eo loco vbi hodie est *Via Columbaria* & Domus Paruorum vt vocant Augustinensium: quod certè Pratum in longum se se extendebat plus quam in latum: vt ex figuris veteribus hodie etiam habemus.

Porro cum negligens fuisset Vniuersitas, in exigendis 14. illis libris annui & perpetui reditus ab Abbate & Monachis, nec nisi post quinquaginta duos annos exegisset, illas prope amisit. Nihilominus tamen cum ipsis ita composuit, vt loco illius reditus Patronatum perpetuum obtineret Ecclesiarum SS. Cosmæ & Damiani & Sanctæ Andreæ de Arcubus, vt ad annum 1345. referemus.

At vnde tam parum sollicita fuit Vniuersitas de exigenda summa quæ in pauperum Scholarium sustentationem impendi debebat? existimo id ex eo accidisse quod plurimis improbata est transactio cum Monachis facta, vt coniicio ex quodam scripto quod seruatur in Tabulario publico, in quo plurima huiusce contractus vitia conscripta leguntur, variisque rescisionis modi proponuntur, absque tamen vlla authentica nota aut subsignatione proponentium. His forsan adducta rationibus maluit Vniuersitas qualemcunque Monachis possessionem relinquere, quàm accipiendo pecuniam pactum confirmare & consummare. Vitia autem contractus hæc inter cætera denotantur.

1. Quia non reperiebatur vt erat actum, ideoque videbatur de dolo actio competere Vniuersitati.

2. Non erat verisimile interuenisse consensum Vniuersitatis. *Nullo modo videtur verissimile quod tanta Vniuersitas & tanti discreti viri tot existentes in Vniuersitate Parisiensi passi fuerint tantam deceptionem fieri; quare multò minus videntur consensisse.*

3. Quia non sufficiebat vt Deputati Vniuersitatis eiusmodi conuentioni subscriberent. *In compositione dicitur hoc factum fuisse mediantibus vel interuenientibus Deputatis, cum tamen de antiqua consuetudine in arduis negotiis maximis Vniuersitas non consueuerit dare Deputatos nisi ad tractandum vel referendum non ad definiendum aliquid: cum tamen in compositione contineatur quod sine aliquo tractatu longo habito inter Vniuersitatem & Abbatem quasi in duobus diebus tempore suspecto hoc fuit factum.* Ex quibus verbis intelligimus præter allatum supra instrumentum Abbatis & Monachorum fuisse aliud confectum à Tabellionibus inter ipsos & Deputatos Vniuersitatis: quod credo, non extat.

4. In multo minoribus causis Vniuersitas consueuit vocare omnes de Vniuersi- " tate solenniter ad Congregationem generalem tam Scholares quàm Magistros & " etiam Bedellos, vt omnium consilium & consensus requiratur: maximè cum ne- " gotium tangit omnes & singulos de Vniuersitate, cum quod omnes tangit, ab " omnibus debeat approbari: quod non inuenietur hîc factum fuisse: quare nec compositio videtur de consensu Vniuersitatis processisse.

5. Consuetudo est Vniuersitatis in talibus, quod vnus solus potest contradicere & talia penitus impedire: in isto autem casu nullus reperitur sigillatim inquisitus, qui non reclamauerit & contradixerit quandocumque fiebat mentio super isto, & etiam potuit à minimo Vniuersitatis impugnari.

6. In compositione fit mentio de partibus, non de Iudice coram quo ista sunt tractata, & ventilata quæ continentur in cõpositione; cum tamen ipsa compositio faciat mentionem de alia compositione facta inter Abbatem & Conuentum B. Germani ex vna parte & Vniuersitatem ex alia cum Rege Franciæ: quæ tamen compositio non erat in aliquo præiudiciabilis Vniuersitati, imò pro ipsa; & ista sit quàm maximè præiudicialis & periculosa.

7. Abbas & Conuentus non seruauerunt pacta quæ in compositione continentur, super hoc quod facerent eam confirmari à Papa & facerent apud Regem similiter prout in compositione continetur: nec requisiuerunt Vniuersitatem super istis vt debuerant: quare ad hæc tanquam re integra existente posset ab Vniuersitate retractari. Quod si obiiciatur de possessione, frequentissimè fuit possessio per Vniuersitatem de communi assensu omnium Magistrorum & Scholarium interrupta.

8. In isto contractu Decretum debuit coram competenti Iudice interponi; nec valet contractus nisi decretum intercesserit.

Sed dato quod Decretum fuisset interpositum, adhuc non valeret Contractus, quia cum talis contractus fit Decreto intercedente, nihil in dispendium cuiuscunque personæ vel causæ, vel quod liberalitatis nomine datum est, fieri potest. Sed quod hoc fit in dispendium totius Vniuersitatis omnium Scholarium & Magistrorum, *præsertim Pauperum Scholarium Parisiensium, quibus platea est legata*, patet lippis & tonsoribus.

Prætereo multas alias rationes à Iure Ciuili & Canonico petitas quæ ibi leguntur. Ad eas venio quæ ad historiam nostram propius attinent: quibus nempe constat M. Radulfum de Albussone Plateam illam de qua quæstio erat, legasse pauperibus Scholaribus, & huiusce legati sui quasi tutricem reliquisse Vniuersitatem: quamobrem ea videbatur abusa fuisse tutelâ suâ, quæ inconsultis Scholaribus fundum distraxisset & quem alienare nullatenus potuisset.

Cum nihil autem magis debeatur hominibus, quàm vt supremæ voluntatis sit stylus, & licitum quod incertum non reddit arbitrium C. de sacro-sanct. Eccles. l. 1. & vbique Imperator velit & studeat voluntates morientium conseruare; quantomagis tam Venerabilis Vniuersitas Parisiensis tam piissimam voluntatem & affectum *M. Radulfi de Albussone, quibus erga Vniuersitatem & pauperes Scholares afficiebatur*, vt per testamentum apparet, tenetur adimplere & exequi pro viribus suis, maximè si cogitetur vtilitas perpetuò Vniuersitati Parisiensi futura?

Præterea nunquid humanitatis totius Vniuersitatis est prospicere egenis Scholaribus, ac dare operam totis suis viribus vt Pauperibus Scholaribus alimenta non desint. C. de sacros. Eccl. l. Priuilegia? Nunquid ergo horribile est in mentem alicuius ascendere, quod tanta Vniuersitas Legatum alimentis Pauperum Scholarium relictum velit alienare, vt in compositione continetur? Imo in omnibus talibus piis voluntatibus Testatorum Episcopi debent prohibere, vt secundùm defuncti voluntatem vniuersa procedant; & debent quæ Testator disposuit, exigere & adimplere; verum si neglexerint ista exigere ab illis qui hoc in Testamento facere iussi sunt, & hæc omnia adimplere, Deus ista respiciet, & Metropolita debet ista omnia perficere. Authent. de Eccles. 5. Si quis autem pro redemptione.

Præterea ibidem probatur & expresè quod tale legatum alimentis Pauperum Scholarium in rebus mobilibus vel immobilibus Annale vel aliter relictum modis omnibus secundùm voluntatem testatoris, qui etiam hîc specialiter dicit quomodo relictum est, debet compleri, & nullo modo tale legatum alienari potest, vt ibi dicitur. Ergo hæc omnia sic relicta inconcussa sine vlla penitus immutatione conseruari debent, nec vlla occasione vel tempore alienari possunt, nec si omnes Magistri & Scholares & illi quibus Legatum est relictum, alienationi consentirent.

Præterea lex est expressa, quod Scholaribus Platea debet restitui, dato quod

Vniuerſitas eam alienaſſet: nam dicitur C. *Res inter alios.* & l. inter alios. Factam compoſitionem vel ſimilem alteri non facere præiudicium, notiſſimi iuris eſt, quia per ſuperiorem Iudicem poſſe .it reſtitui: nec iuri eorum potuit in aliquo derogari, vt ibi dicitur.

Præterea Scholares qui acceperunt Legatum annale ad ſex annos, non fuerunt in aliquo negligentes, imò frequenter & frequentiſſimè requiſiuerunt Vniuerſitatem Magiſtrorum vt taliter voluntatem defuncti adimplerent, quod ipſi & ſucceſſores eorum poſſent de Legato gaudere, prout in Teſtamento continebatur; & fuerunt multum ex hoc & aliis grauaminibus oppreſſi & damnificati; ita quod plus etiam quàm receperunt, expenderunt, ac ſtudium ſuum amiſerunt negotium proſequendo. Quod tamen Vniuerſitas adimplere non potuit prætextu illius Compoſitionis impedita, cum nulla ſit, ſicut ſuperius eſt probatum: quia non poteſt plus differre ſine periculo quin iſta compoſitio penitus annulletur; præſertim cum maxima pericula corporum, maxima rerum mobilium & immobilium, ædificiorum & aliorum ad Abbatiam & villam S. Germani pertinentium ſint parata, eo quod pauperes Scholares ſtudii concitant diuites, potentes, nobiles vt omnia ædificia Plateæ ad ipſos pertinentis diruantur.

Suppoſita tali Quæſtione quod Vniuerſitas Pariſienſis habuerit adminiſtrationem quarundam terrarum ſpectantium ad quoſdam Scholares eiuſdem Vniuerſitatis, quas terras ipſa tenebatur Vniuerſitas defendere & agere pro eiſdem ſi neceſſe fuerit nomine eorundem Scholarium, dicta Vniuerſitas præfatas terras vendidit quibuſdam Emptoribus: quæ tamen venditio reuocabilis eſt ex aliquo defectu. Quæritur nunquid Vniuerſitas poteſt illam venditionem reuocare, vel dicere eam nullam, & probare ſi nulla ſit?

Et dico quod Vniuerſitas poteſt hoc facere. 1. Dico quod ſententia & factum Papæ reuocantur. 35. quæ. 9. C. veniam & C. ſententia. Extra. de in integr. reſt. Cum ex litteris & ſecundum Iura Ciuilia permittunt Principes res prius bis iudicatas examinari. ff. de Minorib. l. Magiſtratus. & C. ſi ſæpius.

Item ipſe Papa venit contra factum ſuum & illud reuocat 35. q. 9. *Quod quis commiſit.*

Item omnes perſonæ Eccleſiaſticæ etiam veniunt contra factum ſuum 12. qu. *Non licet.*

Item Imperator vult potius per ſe factum ſuum reuocare, quàm per alios: ergo poteſt hoc Vniuerſitas.

Item Iudex, pars, teſtis, aduocatus facta ſua reuocant; ergo in propoſito.

Item Vniuerſitas hæc poteſt venire contra factum ſuum huiuſmodi: quia licet tanquam Vniuerſitas vendiderit huiuſmodi terras, tanquam habens adminiſtrationem earum poteſt reuocare huiuſmodi factum ex cauſa, & tenetur virtute ſuæ adminiſtrationis hoc facere. Ex quo fieri poſſunt de iure proprio aliqua quæ conſiſtunt in probatione facti vel allegatione iuris.

Item dicit lex, quod ſi adminiſtrator, puta tutor nomine ſuo proprio factum aliquod approbauit, poteſt illud idem factum nomine ſui pupilli reprobare, & è conuerſo.

Ex his intelligitur conteſtationem illam aliquandiu duraſſe, Scholares pauperes quibus Platea prædicta legata fuerat, interceſſiſſe ne Monachi illius poſſeſſionem adirent, & ſi facerent, minas intentaſſe turbationis: Vniuerſitatem verò prudenter in ea re ſe geſſiſſe, nec compoſitionem prædictam aut confirmaſſe aut infirmaſſe: atque ita diu ancipitem ſuſpenſamque fuiſſe credibile eſt. Nam ab an. 1292. vſque ad an. 1334. non legimus authoritate Regia aut Pontificia fuiſſe confirmatam. At anno tandem 1334. Petrus Belagent Præpoſitus Pariſienſis prædictum Inſtrumentum ſigillo Præpoſituræ muniuit & corroborauit: quam in rem extat Charta in Tabulario noſtro notata B. 5. F.

A tous ceux qui ces preſentes Lettres verront Pierres Belagent Garde de la Preuoſté de Paris ſalut. Sçauoir faiſons que nous l'an de grace 1334. le Vendredy 17 iour de Mars viſmes vnes lettres ſcellées des Seaux de Religieuſes perſonnes & honneſtes l'Abbé & le Conuent de S. Germain des Prez, ſi comme il appert, contenans la ſomme qui s'enſuit. Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis Ioannes permiſſione diuina...,.. *Et à la fin,*

Ante

Ante Natale Apostolorum Petri & Pauli. *Et nous en ce present Transcript auons mis le seel de ladite Preuosté de Paris l'an & iour dessusdit.*

Eodem anno pridie nonas Aprilis Nicolaus IV. obiit, quem aiunt plerique Historici nimis addictum fuisse Minoritis, vnde exierat: nihilominus tamen noluisse litem illam quæ Romæ inter Mendicantes & Prælatos de Confessionibus audiendis intercedebat & agitabatur, decidere & definire. De eo quidam versificator illorum temporum sic cecinit. NICOLAI IV. PAPAE OBITVS.

Gloria, laus speculum Fratrum Nicolae Minorum,
Te viuente vigent, te moriente cadunt.

Hunc Pontificem quem ante promotionem Hieronymum Asculanum ab Asculo Ciuitate Agri Piceni vocabant, aiunt viuente adhuc B. Francisco Ordinem Seraphicum ingressum; à D. Bonauentura Dalmatiæ Prouincialem factum: postea Cardinalem. Sepultus autem est in Choro S. Mariæ Maioris, cuius sepulchrum cum lapsu temporum ignoraretur & in obliuionem venisset, Peretus Cardinalis, deinde Papa Sixtus V. an. 1574. illud in honoratiorem locum transtulit, marmoreo ibidem excitato Mausoleo cum hac inscriptione.

Nicolao IV. Asculano Piceno Pontifici Maximo, cum in neglecto diu sepulchro fere latuisset, Frater Felix Peretus Cardinalis de Monte-Alto in Ordinem & Patriam pietate posuit.

Nicolaus IV. Ordinem Minorum professus, Philosophus & Theologus egregius, Constantinopolim à Gregorio X. missus, Græcos ad Romanæ Ecclesiæ communionem, Tartaros ad fidem reduxit, post S. Bonauenturam Generalis sanctitate & Doctrina Ordinem propagauit. Nicolai III. Nuncius inter Francorum & Castellæ Reges pacem conciliauit, S. Potentianæ Cardinalis, Legatus Honorij III. in Galliam, Senatoriam populi Rom. Dignitatem Sedi Apostolicæ restituit. Factus Pontifex Rempub. sublatis discordiis composuit, Christianos Principes sacro fœdere iunxit, Ptolemaidem copiis adiuuit, Flaminiam in Pontificis iterum ditionem redegit. Publicum in Montepessulano Gymnasium instituit, probos & eruditos in Cognatorum loco tantùm habuit, Lateranensem & hanc Basilicam structuris & opibus auxit. Tandem Iustitia & Religione Orbem terræ moderatus magna sanctitatis opinione obiit pridie Non. April. 1292. Pontificatus sui anno 5.

Eodem anno die 12. Augusti obiit Ioannes Cardinalis Choletus Legatus, sepultusque est apud Bellouacos in Abbatia S. Luciani, vbi & tale habet Epitaphium.

Ista legens siste, pensa quantus fuit iste:
Cuius tam pulchrum cernis fulgere sepulchrum,
Est rosa sub petra quam premunt subdita metra,
Et tanti floris vis se diffundit odoris.
Ecce sub hoc tumulo venerabilis ossa Ioannis
Ceciliæ titulo decorati pluribus annis.
Postea Legatus fuit inclytus atque probatus.
Vir magni cordis, cuius mens nescia sordis.
Gloria Francorum, decus Orbis, formaque morum,
Fautor iustorum, constans vltor vitiorum,
Canonis & Legum Professor erat Generalis.
Francorum Regum Consul bonus & specialis.
Prouocet ad fletum pietas recolendo Choletum,
Tanquam deletum, fontem bonitate repletum.
Mors quid fecisti, vita resecans iter isti?
Multa gregi Christi charismata subripuisti.
Dapsilis & mundus, verax fuit atque fidelis.
Floreat in cælis, quia nunc sibi nemo secundus.
Annos depromas octo de mille trecentis
Augusti nonas quarto lux est morientis.

Circum eius sepulchrum litteris aureis inscripti sunt isti versus.

Hac in Capsella latet orbis fulgida stella,

Cuius fulgore regio fuit hæc in honore.
Francia Legatum suscepit eum sibi gratum,
Formam virtutum, Francorum nobile scutum.
Hic vir compositus, vir verax, virque peritus.
Iustus, munificus, Regum specialis amicus.
Mortem ergo plores præclari Patris & ores
Vt post hos flores fructus capiat meliores.

Apud Collegium Choleræum eius pecuniâ ab Executoribus fundatum, legitur in paruo libello hoc Epitaphium.

Belgarum me primus ager nutriuit, honorat
Roma, Seni fœdera pacis erant.
Relligio, pietas, studiorum insignia crescunt
Me Duce. Quis fuerim comprobat ista Domus.

1293. Anno 1293. obiit die Apostolorum Petri & Pauli memorabilis vir doctrinâ & in Theologia Facultate celebertimus Doctor M. Henricus de Gandauo Archidiaconus Tornacensis: qui in Academia Parisiensi tantâ nominis famâ docuit, vt per quam honorifico nomine, *Doctor solennis* appellatus fuerit.

Hocce tempore ortum est funestum & exitiale bellum inter Philippum Franciæ & Eduardum Angliæ Reges, quod ducentos prope annos Galliam fatigauit & attriuit. Et hoc anno Arnulphus de Nigella seu Neella Magister Equitum ob non præstitam fidem & obsequium, seu vt vulgo dicitur, homagium Philippo Francorum Regi, Burdigalam cæterasque vrbes vicinas in potestatem redegit, vt ait Lurbæus. Alij tamen scribunt Eduardum inaugurationi Philippi Regis interfuisse, iuramentoque interposito fidem se seruaturum promisisse, at ab ea non multò post desciuisse.

Ad hunc annum notat Ioannes de S. Victore obiisse Gilonem Cornutum Archiepiscopum Senonensem, eique successisse M. Stephanum Bequart Decanum eiusdem Ecclesiæ, Ille autem Stephanus Doctor erat in Decretis, quæ Disciplina tunc maximè vigebat, propterea quod summi Pontifices eiusdem Professores promouere satagebant.

Extat quoque ad hunc annum Charta quædam, quâ Philippus Rex lege caducaria eximit plures agros domosque & summas pecuniæ annui census, quas ab aliquot annis emerant Scholares S. Nicolai de Lupara. Estque talis.

Pro Collegio S. Nicolai.

Philippus D. G. Francorum Rex notum facimus Vniuersis tam præsentibus quàm futuris, Quod cum Scholares S. Nicolai de Lupara à 48. annis citra acquisiuisse dicantur res & bona quæ sequuntur; videlicet 9. arpenta terræ sita inter
» Rotulum & Nemus de Routeti In loco qui dicitur ad Spinam Pediculosam in
» Censiua Cantoris Ecclesiæ B. Dionysij ex dono seu Eleemosyna Roberti Her-
» chambault. Item ex dono Ioannis de Hermant duo arpenta terræ sita prope
» prædicta nouem in Censiua Ecclesiæ B. Dionysij. Item tria arpenta terræ sita su-
» pra Rotulum prope terram Leprosorum in Censiua Abbatis & Conuentus Ec-
» clesiæ S. Dionysii. Item quinque quarteria terræ arabilis sita prope villam de
» Challoïs in Censiua Abbatissæ Monasterii Longi-Campi. Item quinque soli-
» dos annui census sitos super domum quandam in veteri Texenderia Parisius
» quæ quondam fuit Iacobi Arrode. Item 35. solidos annui census super quan-
» dam domum sitam Parisius in Cellaria magni vici ex dono M. Adæ de Lusar-
» chiis. Item sex solidos & nouem denarios annui census super duabus domibus
» contiguis in vico Frigidi Mantelli sitis ex Legato Radulfi de S. Vandregesilo.
» Item vndecim solidos & quatuor denarios annui census super domum quandam
» sitam in dicto vico de Frigido Mantello ex Legato Ioannis de Torni. Item quar-
» tam partem Locagii cuiusdam domus sitæ in dicto vico de Frigido Mantello.
» Item 4 solidos annui census sitos super quandam aliam domum in vico prædi-
» cto. Nos intuitu pietatis ac pro nostræ & parentum nostrorũ animarum remedio,
» volumus & eisdem concedimus quod ipsi & successores eorum prædictas res &
» bona sine præstatione alicuius Financiæ perpetuo teneant, habeant, possideant

& explectent pacificè & quietè sine coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, saluo tamen in aliis iure quolibet alieno. Quod vt firmum & stabile permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Asnierias an. Dom. 1293. mense Octob.

Anno 1294. postquam sedes Pontificia vacasset annos duos mensesque duos, 1294.
Petrus de Morone Professione Anachoreta, Patria Esernensis, secundo à Sulmone milliario Cœnobiolum seu eremum potius incolens, omnium Cardinalium consensu, Spiritu S. adhoc eorum mentes instigante Pontifex eligitur & Cœlestinus appellatur. Quod vt intellexit, cum socio fugiens tandem à Cardinalibus apud Aquileiam thiarâ redimitus est; cui coronationi interfuerunt ducenta hominum millia.

Inito ergo quasi per vim Pontificatu statim 12. Cardinales creat, quorum è numero fuit M. Ioannes Monachus de Cressiaco pago iuxta Abbauillam Diœcesis Ambianensis sub titulo SS. Marcellini & Petri, qui cum ius Pontificium apprimè calleret in eoque Doctoralem lauream consecutus fuisset, Romam profectus fuerat seque Cardinalibus plurimis quantus vir esset, noscendum dederat, editis in Decretales Commentariis, & Glossa aurea aliisque nonnullis in Iure Canonico operibus. Is est Ioannes Monachus, non professione sed nomine, qui Collegium Cardinalitium in hac vrbe Parisiensi fundauit. De hac autem Cardinalium creatione sic habet Ioannes San-Victorinus.

Porro Cælestinus post quinque menses & dies aliquot cum rebus agendis parum se idoneum esse sentiret, sponte 12. Cardinales supra numerum eorum qui tunc erant fecit, *satis laudabiles & valentes personas*, quorum plures erant Gallici, scilicet Abbas Cisterciensis ordinis, Prior de Charitate super Ligerim, & Simon de Bello-loco Archiepiscopus Bituricensis, qui factus est Episcopus Prænestinus; *cui successit in Bituricensem Primatum Frater Ægidius Doctor egregius in Theologia & Philosophia, Natione Romanus de Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini*. Pontificatum abdicauit, Cœlestinus, quanquam aliqui scribunt eum à Benedicto Caietano Cardinale per cannam deceptum qua insonuerat quasi iubente Deo, vt Pontificatu cederet. Vt vt sit, Benedictus ille vir callidus ac vafer plurimorum Cardinalium consensu quos ad suas partes allexerat, Pontifex creatus est vndecima post cessionem Cælestini die. Aliqui scribunt Cælestinum sedisse biennium; at alij veriùs die 7. Iulii electum, in vigilia verò S. Catharinæ cessisse in Consistorio Cardinalium. Extat abdicationis istius formula apud Ciaconium his verbis.

Bonifacii
VIII. in Papam crea-
tio.

Ego Cœlestinus Papa V. motus ex legitimis causis idest causa humilitatis & melioris vitæ & conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ & malignitate plebis & infirmitate personæ, & vt præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte ac liberè cedo Papatui, & expressè renuncio loco & dignitati, oneri & honori dans plenam, & liberam facultatem ex nunc sacro cœtui Cardinalium eligendi & prouidendi duntaxat Canonicè Vniuersali Ecclesiæ de Pastore.

De eo sic Petrarcha lib. 2. de vita solitaria. *Papatum, quo nihil est altius rem tam exoptatam tamque mirabilem, vt ab admiratione & stupore dictam ferant, quis illa ætate præsertim ex quo tanto in pretio esse cœpit, tam mirabili & excelso animo contempsit, quam Cælestinus ille pristinum nomen & amicum locum & amicam bonis moribus egestatem appetens?* Idem Pontifex ante electionem ad Pontificatum instituerat Ordinem Religiosorum, qui ante Moronitæ, postea nomen Cœlestinorum inde assumpserunt.

Huic igitur successit Benedictus Caietanus Anagninus Cardinalis, vir profundissimæ Doctrinæ in vtroque præsertim Iure, Dyni Mugellani quondam Auditor, Canonicus olim Parisiensis, seque Bonifacium VIII. appellari voluit. Eius extant opera plurima. *De Christiana fide & Romanorum Pontificum persecutionibus*. De regulis Iuris. De Indulgentiis anni Iubilæi. Epistolæ plures, quarum duæ leguntur apud Mathæum Monasteriensem. Oratio *Aue Virgo gloriosa*, &c. Cæterum vir callidus & ingratus, multisque visus impius, qui bonum Cœlestinum perpetuo carcere damnarit, nec vbi foret, vlli scire permiserit. Denique quomodo Pontificatum gesserit, ex sequentibus annis patebit.

Ad hunc annum notant Iordanus & Baronius exortam fuisse sub Cælestino nefandam Fratricellorum & Bizochorum hæresim authoribus duobus Apostatis

Minoritis, qui vt Cælestini summæ pietati & simplicitati illuderent, petierunt & obtinuerunt ab eo licentiam Eremiticæ vitæ profitendæ. Eo vero mortuo aliena omnino dogmata publicare cœperunt. De hac ergo secta sic habet Iordanus.

" Anno 1294. Petrus de Marcerata & Petrus de Foro-Sempronio Apostatæ fuerunt Ordinis Minorum & hæretici. His petentibus eremiticè viuere, vt Regulam B. Francisci ad litteram seruare possent, Cælestinus sua pura sed periculosa simplicitate concessit, & sibi adhærentibus. Quibus plures Apostatæ adhæserunt, qui statum Communitatis condemnabant & Declarationes Regulæ, & vocabant se Fratres S. Francisci, seculares autem vocauerunt Bizocios & Fratricellos vel Vocasotos. Hi dogmatizabant quod *nullus summorum Pontificum Regulam B. Francisci declarare potuit. Item quod Angelus abstulit à Nicolao IV.* (qui cœperat in istiusmodi nouatores animaduertere) *authoritatem Papatus*: & ab illo tempore non fuit Papa in Ecclesia, nec vetus Prælatus vel sacerdos nisi inter eos solum: & quod ipsi soli sint in via Dei & vera Ecclesia: & mutauerunt secundò sibi nomina. Vocauerunt se *primus Liberatus, secundus Angelus dictus, quia se fingebat reuelationes Angelicas habere.*

Hanc sectam damnauit Ioannes XXII. & Vniuersitas Parisiensis, quæ pestibus eiusmodi iam infestari incipiebat, aduersus eandem decretum tulit.

1295. Anno 1295. Bonifacius Pontifex anno 1. sui Pontificatus Bulla expressa Martinianam confirmauit, & Mendicantes à Prælatorum Iurisdictione exemptos esse voluit. Quæ quidem Bulla ingentes in eos turbas excitauit, cum nemo verè pius pati posset homines eiusmodi iura omnia confundere & importunitate sua summos Pontifices ad concedenda quæuis priuilegia etiam iniusta adducere. Bulla talis est.

PRO EXEMPTIONE MENDICANTIUM.

" Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Generali & Prouincialibus, Ministris ac Vniuersis Fratribus Ordinis FF. Minorum salutem & Apostolicam benedictionem. Inter cæteros Ordines quos cœlestis Agricolæ summa benignitas in horto plantauit Ecclesiæ, sacrum vestrũ Ordinem tam per Orbis Prouincias superna gratia propagante diffusum, dum minori fungeremur officio, sinceta charitate dileximus, ad statum eius feliciter promouendum sollicitis studiis intendentes. Nec minuit itaque sed auxit potius circa ipsum præhabitæ Dilectionis affectum personæ nostræ subsecuta promotio ad apicem Apostolicæ dignitatis, cum tanto propensius ad ipsius Ordinis intendamus augmentum, quantum à Nobis facultas præstantior, quanquam nostris non exigentibus meritis, noscitur cœlitus attributa. Licet igitur nonnulli Rom. Pontifices prædecessores nostri præfatum Ordinem à Prælatorum iurisdictione quotumlibet prorsus exemerint, ipsumque fore decreuerint per ipsorum litteras specialiter exemptum; Nos tamen Ordinem ipsum ob salutis fructus innumeros, qui ex ipso noscuntur animabus fidelium prouenire, gerentes in visceribus Charitatis, & propterea nolentes omnino, vt quisquam cuiuscunque sit ordinis, dignitatis, conditionis, aut status, vos generaliter aut specialiter ac præfatum Ordinem super exemptione ipsius ac aliis vestri Ordinis libertatibus & immunitatibus quibuscunque sub quauis forma vel expressione verborum vobis & eidem Ordini ab Apostolica sede concessis impugnare, turbare ac impetere valeat vel quomodolibet molestare, vos & Ordinem ipsum ab omni & singulorum quorumlibet Prælatorum & personarum Ecclesiasticarum omnimoda potestate & iurisdictione prorsus eximimus de Apostolicæ plenitudine potestatis. Decernentes vos & Ordinem supradictum immediatè nulloque medio eidem sedi & soli tantũmodo Rom. Pontifici subiacere. Præterea Ecclesias, Oratoria, domos, loca, libros, vtensilia & alia quælibet mobilia & immobilia, quorum vsum licitè habere noscimini, cum cæteris omnibus quocunque modo vel quauis causa pertinentibus ad prædicta & aliquod prædictorum in ius & proprietatem B. Petri Apostolicâ authoritate suscipimus in perpetuum valitura, illis ex eis duntaxat exceptis, in quibus euidenter & expressè Donatores seu Translatores sibi proprietatem & Dominium constiterit reseruasse. Ecclesias insuper, Oratoria, Domos & loca prædicta, quæ tenetis & inhabitatis in futurum dum & quoties vos illa tenere & inhabitare contigerit, exempta prorsus existere, nulloque medio Sedi subesse decernimus prælibatæ.

Nulli ergo hominum, &c. Datum apud S. Petrum 3. Id. Non. Pontif. nostri an. 1.

Contra hancce Bonifacij Constitutionem murmuratum est à pluribus, præsertim verò à Franciæ nostræ Prælatis, qui cum ex Decreto synodi Remensis, cuius supra meminimus, causam contra Mendicantes susceptam, ad forum Romanum detulissent, videbant hoc pacto se indictâ causâ damnari, Martinianam Bullam approbari & confirmari, nullamque fieri mentionem contestationis litis. Nec defuerunt viri percelebres ex Academicis nostris qui contra Exemptiones eiusmodi scriberent, quorum duo præcipui fuerunt, Guillelmus Duranti Episcopus Mimatensis, & Ægidius Romanus, mox Archiepiscopus Bituricensis futurus. E Mendicantibus quoque, imo ex aliis Monachis fuerunt, qui Exemptiones & Papæ hac in parte potestatem tuerentur. Quæ quidem lis à temporibus Innocentii IV. & Guillelmi de S. Amore incepta, sæpe agitata, sæpe interrupta ad Concilium Viennense delata est an. 1305. vt ad annum illum referemus.

Hoc interim loco notare conuenit Ægidium Romanum Augustinensem, qui Philippi Regis præceptor fuerat, librum edidisse aduersus Exemptos, quem Antonius Posseuinus sic ait incipere, *Augustinus de Ciuitate Dei ait. Sic Deus administrauit, &c.* nondum autem quod sciam prodiit è tenebris: at eius meminit scriptor contemporaneus Iacobus Abbas Cisterciensis Ordinis, Siluanectensis Diœcesis, qui Viennensis Concilii tempore composuit librum contra Impugnantes Exemptionem Monachorum: in quo sic de Ægidio loquitur. *Non etiam obstant prædicta veritati illa quæ scribit Ægidius in quodam Tractatu contra Exemptos.* Eundem Tractatum viderat Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis, sic aiens in sermone contra Bullam Mendicantium, *Liquet Exemptiones fieri non debere sine grandi & iusta causa. Nota quod dicit S. Bernardus & consideras, & Ægidius Romanus in quodam tractatu particulari, vbi allegat, quod ex hoc omnia mala euenerunt Templariis.* Vnde liquet Ægidium composuisse hunc tractatum post eiectos & damnatos Templarios.

Eodem anno teste Wadingo in Annalibus Minorum, Raimundus Lullius qui sub Cœlestino Neapoli hæserat, Romam ad Bonifacium contendit tria illa propositurus quæ putabat ad conuersionem Gentium necessaria. Et cum nihil proficeret, Genuam, inde ad Maioricarum Regem profectus est. Cum quo habito Colloquio Parisios venit, eademque quæ à Bonifacio, à Philippo Rege postulauit. Reuersus deinde in patriam cum Saracenis & Iudæis qui illic morabantur, quotidie de mysteriis fidei disputabat. Inde profectus Cyprum, Henricum Regem rogat, vt cunctos Schismaticos, Iacobitas, Georgianos, Nestorianos & alios huiusmodi à veritate deuiantes suis concionibus interesse iubeat, vt si quos possit, ad Ecclesiæ gremium reducat. Ibi prædicationibus & rudibus catechizandis insistens, veneno ab inimicis propinato vix mortis pericula euasit. Inde Genuam rediens, mox Lutetiam, hæsit ibidem donec Clemens V. electus est in Pontificem, sub quo ad Viennense Concilium perrexit. RAYMVNDVS LVLLIVS.

Eodem anno Minoritæ Capitulum Generale Assisii sub Raimundo Generali Ministro, celebrant in quo refrenata est licentia Iuniorū, qui nouas subtilitates in Philosophia excogitabant, & Magistrorum qui nouas opiniones, nec probatas nec probandas suis Discipulis ingerebant. *Decretum est*, inquit Vadingus, *ad comprimenda ferocia & peregrina ingenia, ne quis adolescens quippiam à se excogitatum, siue notulas à se collectas, siue Quæstiones suo ingenio compositas auderet aliis extra Sodalitium communicare, imò potius sequeretur Doctrinam à suis Magistris traditam, eorumque tereret vestigia. Lectoribus etiam siue Magistris serio cautum est, ne exoticas, nouas aut suspectas opiniones aliis traderent, vel ipsi defenderent; in hoc verò delinquentes corrigerentur à Ministris, & pertinaces in sua opinione statim è suo gradu deiicerentur, neque ad Lectoratum restituerentur absque expresso mandato Ministri Generalis.*

Eodem anno idem Pontifex Bonifacius olim in Scholis Parisiensibus enutritus & in Ecclesia Maiori Canonicus Decretum seu statutum aliàs ab Odone Soliacensi Episcopo Parisiensi de residentia perpetua Cancellarii factum, cum senescens renouauit & instaurauit, eidemque legi eiusdem Ecclesiæ Decanum & Cantorem adstrinxit. DE RESIDENTIA PERPETVA CANCELLARII PARISIENSIS.

Bonifatius Episcopus ad perpetuam rei memoriam. Digna nos prouocat & excitat

ratio, legitima & efficax animum causa mouet, vt inter cæteras Orbis Ecclesias quibus nos prætulit benigna clementia Saluatoris, Parisiensem Ecclesiam fauoribus prosequamur eximiis & ad statum eius votiuum & prosperum vigilantibus studiis intendamus. Non enim de nostri sacrario pectoris obliuio damnosa subbripuit, quin potius tenaci memoria retinemus, quod eiusdem Ecclesiæ copiosa benignitas Nos olim dum in minoribus ageremus, de ipsius honorabili gremio existentes fouit & tractauit vt filium, maternis fouit & refecit vberibus, respersit gratiis, beneficiis honorauit. Ideoque non immeritò illam intra charitatis viscera gerimus & specialis fauoris affluentia fuuemus Apostolicæ sedis partes solertius adhibendo, vt eiusdem status Ecclesiæ honoris multiplicis incrementa suscipiat, felicibus fulciatur euentibus & successibus prosperis fœcundetur, vt ipsa quasi per condignæ retributionis officium in nobis gratiosum Patris affectum per effectum inueniat, quæ anteactis temporibus nostro dulcia matris vbera gustui propinauit. Sanè considerantes attentius & intra claustra pectoris sollicitè reuoluentes, quod in præfatâ Parisiensi Ecclesia, in qua prout nobis hactenus in illa præsentibus propriusindicauit aspectus & facti euidentia reuelauit, copiosus & laudabilis Canonicorum & aliarum personarum numerus in illa degentium ad Dei laudem & gloriam iugiter conseruatur, necessaria, vtilis & fructuosa quamplurimum fore dignoscitur, *Decani, Cantoris & Cancellarij* corporalis sedulaque præsentia, considerantes & discussis attentius iis quæ ad eorum noscuntur officia pertinere, pensitantes etiam quod Ecclesia supradicta fauente illo à quo bonorum omnium dona manant, facilius & commodius possit grata in spiritualibus vel temporalibus incrementa suscipere, si personæ dignitatem seu personatum in eadem Ecclesia obtinentes, cum ipsæ soleant potioribus rutilare virtutibus & altiori clarere cumulo meritorum, residentiam inibi faciant personalem, Apostolica authoritate statuimus, & etiam ordinamus, vt *Decanus, Cantor & Cancellarius* ipsius Parisiensis Ecclesiæ qui pro tempore fuerint, residere continuè in ipsa Ecclesia personaliter teneantur; quodque de hoc in suæ Institutionis initio nihilominus in Capituli Parisiensis præsentia præstent corporaliter iuramentum, & quod etiam contra eiusmodi statutum & Ordinationem nostram litteras vel priuilegia quælibet ab Apostolica sede vel Legatis ipsius per se vel per alium aut alios nullatenus impetrabunt, nec vtentur priuilegiis vel indulgentiis quibuscunque Ecclesiasticis vel secularibus cuiuscunque conditionis, vel præeminentiæ, dignitatis aut status à præfata sede concessis, vel in posterum concedendis, &c. Indulgemus tamen Decano, Cantori & Cancellario supradictis, vt per duorum mensium spacium annis singulis liceat extra præfatam Parisiensem Ecclesiam ad promotionem negotiorum suorum liberè commorari. Nulli ergo hominum liceat &c. Datum.

Iuxta hanc Constitutionem prædicti Decanus, Cantor & Cancellarius in sua institutione & receptione iurant se eam obseruaturos quam alta voce legunt: vt habetur in libro nigro Ecclesiæ Parisiensis. Tunc erat Decanus, opinor, Ioannes de Chanteprime Nobilis Parisinus, vel Rogerius de Hermigny; Cancellarius Bertholdus de S. Dionysio, Episcopus Simon Matiphas de Bucy.

Cum autem in Bulla & Constitutione prædicta nihil de lite quæ in foro Romano versabatur inter Academiam & Cancellarium Parisiensem commemoret, argumento est eam fuisse tunc sopitam, seu iuris rigore, quod non crediderim, quia nihil ea de re quidquam scriptum legimus seu amicâ pacis compositione, itaut Cancellarius aliquatenus Academiæ satisfecerit, Academia verò eidem sua iura & examen restituerit: at quæ fuerint istius pacis conditiones expresse, non inuenimus.

Priuilegium Exemptionis de Mutuo.

Extat quoque ad hunc annum Priuilegium Regale quo Magistri & Scholares eximuntur à præstando mutuo pro quacunque occasione, etiam pro bello. Legiturque istud priuilegium in libro Procuratorum Gall. Nationis sub hoc titulo. *Priuilegium Regale quod Magistri & Scholares non teneantur præstare mutuum pro Guerris aut aliis quibuslibet.* Tale autem est.

Philippus Dei gratia Francorum Rex omnibus Seneschallis, Balliuis, Præpositis & aliis Iusticiariis Regni nostri ad quos præsentes litteræ peruenerint, salutem. *Exposuerunt Nobis Dilecti nostri Magistri & Scholares Vniuersitatis* Parisiensis,

quod nonnulli Barones notabiles Regni nostri, nec non Balliui, Præpositi & alii Iusticiarii nostri prætextu cuiusdam Ordinationis nostræ de Muruis à nostris subditis pro impugnatione Inimicorum Regni eiusdem exigendis, à quibusdam corū Conscholaribus de dicta Vniuersitate existentibus mutua exigunt & ad præstationem & solutionem ipsos nituntur compellere minus iustè. Quare vobis & vestrū singulis mandamus quatenus Scholares huiusmodi ad præstationem mutuorum ipsorum à prædictis Baronibus seu Nobilibus, Balliuis, Præpositis & aliis Iusticiariis Regni nostri compelli minimè permittatis. Et si aliqua dictorum bona Scholarium occasionibus huiusmodi capta fuerint, vel detenta, ea sibi absque difficultate aliqua & moræ dispendio restitui faciatis. Actum Parisius die Martis post Dominicam Trinitatis anno Dom. 1295.

Hoc anno cepit initium discordia, quæ postea grauior intercessit inter Bonifacium VIII. & Philippum Regem ob hanc causam. Guido Comes Flandriæ Regi subiectus filiam suam Anglicani Regis filio, inconsulto Philippo desponderat præter morem in Francia seruari solitū; Proceres enim non audent Rege non consulto & non annuente coniuges ducere. Ergo Philippus ob id iussos ad se venire Comitē & Comitissam, & increpitos in custodia detinuit, donec filiam desponsatam obsidem sibi tradiderunt. Sic liberati primum à Rege conantur obtinere eandem pro filia gratiam. Sed spe frustrati Bonifacium per Procuratores adeunt & conqueruntur, imo à Rege ad ipsum appellationem denunciant. Bonifacius appellantes admittit, & Ioannem Menterolles Episcopum Meldensem, seu verius Ioannem Monachum ad Regem destinat, qui ei significet, vt Comiti satisfaciat, sin minus, veniat Romam causam dicturus, quò Comes prouocabat. Rex Curiam se habere respondit, nec alium in terris præter Deum superiorem Iudicem in temporalibus agnoscere, cui rerum à se gestarum rationem reddere debeat. Cum quo responso Legatum remittit re infecta. Quia verò sensit arrepturos inde nonnullos occasionem turbandarum rerum, edicit 17. Aug. huius vel consequentis anni, ne quis extra Regnum aurum, argentum, gemmas, arma, equos & alia id genus transferre audeat. Bonifacius eâ re audita vetat ne vllus Princeps Decimas aut aliud tributum ab Ecclesiasticis exigat, neve vllus Episcopus aut Clericus vlli Principi vt vocant *Temporali* de bonis Ecclesiasticis Decimas pendere audeat. Edictum Regis est huiusmodi.

INITIVM DISCORDIAE INTER PAPAM & REGEM.

Philippus Dei Gratia Francorum Rex. Ad notitiam præsentium & memoriam futurorum. Ad statum prosperum & defensionem necessariam Regni nostri, ad cuius impugnationem hostilis iniquitas ex diuersis vndique partibus suæ conata malignitatis exercet, sicut Regiæ sollicitudinis incumbit officio, nostros dirigentes assiduè cogitatus præsentis temporis qualitate ac conditione Regni eiusdem consideratis attentius, necessariâ ordinatione prouidimus qualiter Regnum ipsum facultatum abundantia vigeat, armorū pluralitate fœcundetur ac victualium affluat vbertate, ex quorum opportuno suffragio aduersus hostiles impulsus naturalis ratio suggerit & æquitas persuadet, vt potenter valeat & viriliter defensari. Ea propter & ne de bonis & facultatibus dicti Regni vires aduersantium augmententur, præsentis Ordinationis & Constitutionis, quæ præhabita super hoc consilii diligentis deliberatio persuasit, Edicto perscripsimus districtius inhibentes ne quis cuiuscunque conditionis, status, Nationis aut Dignitatis existat, aurum vel argentum in massa, siue in scyphis, vasis, ornamentis, iocalibus, siue in moneta, vel aliqua quauis materia siue forma, lapides pretiosos, victualia, arma vel equos, armorum aut bellica munimenta quocunque nomine censeantur, de præfati Regni limitibus absque nostra super hoc specialiter obtenta licentia per terram vel per aquam exercere per se vel alium, nève in scripta vel litteras per pecuniam infra fines ipsius Regni deposita vel recepta extra illud cuilibet assignanda conficere vel deferre quouis quæsito colore præsumat. Et quoniam adeo exuberate nouimus præsumptionis humanæ malitiā quod parum prodest inhibitionem præmittere, nisi pœna omnes continuò subsequatur, quicunque huiusmodi de Regno prædicto taliter extrahi contigerit, eo ipso commissa decernimus, & fisci nostri Iuribus volumus applicari, & volumus transgressores constitutionis ipsius & delinquentes agendo vel consentiendo quomodolibet in hac parte omnium bonorum suorum statuimus ipso facto priuatione mulctari, quæ fisci nostri com-

„ modis similiter applicentur. Et vt in prædictis expressius delinquendi cesset audacia, quæ delatione plurium ipsa poterunt publicari, Delatorem quemlibet decimam partem pecuniæ prædictæ lucrari in denunciationis præmium stabilimus. Quocirca mandamus, vt nullus constitutionis & ordinationis præfatæ ignorantiam prætendere valeat, ipsam per partes & loca Bailliuæ vestræ, de quibus expedire videritis, solenniter publicetis & faciatis publicè diuulgari. Datum Parisius die 17. Aug. anno Domini 1296.

Hoc Edictum è Bibliotheca San-Victorina Parisiensi in lucem ediderunt Puteani Fratres in libro quem publicarunt de hac materia an. 1655.

1296. Anno 1296. 19. Maii obiit in carcere Cœlestinus Papa annos natus 81. multa dura & forte dira passus à Bonifacio VIII. ad quem nempe persequendum gladius *persecutoris defuit*, inquit noster Petrus de Alliaco in eius vita l. 3. c. 18. Vnde & Spondanus ad an. 1295. *Celestinus in quibusdam Ecclesiis colitur sub Officio Pontificis & Martyris ob durissima quæ passus est à Bonifacio.* Causa persecutionis erat ista, quia videbat Bonifacius eo viuo nunquam se futurum securū dignitatis quam dolo malo acquisiuisse dicebatur: agitabanturq; variæ Quæstiones passim in scholis publicis de resignatione Cœlestini & promotione Bonifacii, an essent legitimæ: quamobrem ille multos Theologos carceri mancipauit. Nec caruit suspicione illatæ suo mandato violentæ necis Cœlestino per Roffredum nepotem, quem ingressum in carcerem impacto in cerebrum clauo peremisse scribunt nonnulli: & inter alios Petrus Moytier Cœlestinus Gallus ex Monasterio Meduntano qui missus Aquilam scripsit quæ ibi didicit. Eiusdem rei meminit Teleranus Generalis Præpositus Cœlestinorum, & argumenta profert satis probabilia: quæ pro singulari sua beneuolentia & humanitate communicauit mecum Reuerend. Pater Bonauentura Bauduysius Cœlestinus Parisiensis. Sed de Cœlestini morte & apotheosi, quam Canonizationem vocant, alibi forte plura. Vnum hic non est omittendum, ipsum ante an. 1264. Congregationem suam instituisse Moronitarum prius dictam, atque ab Vrbano IV. Priuilegium impetrasse de ea incorporanda Regulæ & Ordini S. Benedicti: quam in rem extat Bulla data apud vrbem Veterem Kalend. Iunii Pontif. an. 2. Aliquanto verò post, cum audisset Gregorium X. velle plurimos nouitios Ordines Religiosorum supprimere, Lugdunum venisse an. 1274. ad Concilium, & à prædicto Pontifice Ordinis sui confirmationem obtinuisse, qui cum ad Pontificatum est promotus, mutato nomine *Moronitarum*, dictus est *Celestinorum*.

Eodem anno Bonifacius Pontifex iam securus Pontificatus, audiens vbique fere Reges & Principes sibi Decimas arrogare Beneficiorum Ecclesiasticorum & ad vsus proprios aut ad bella mutua conuertere, non in cum finem, in quem à Pontificibus concessæ fuerant, scilicet ad Terræ sanctæ subsidium, Decretalem emisit, quâ cauit, ne vlli Reges Principes ac potestates à sacerdotibus ac Clericis vllas omnino Beneficiorum Ecclesiasticorum Decimas, subsidia aut auxilia quouis titulo, prætextu aut colore exigerent absque sedis Apostolicæ licentiâ & authoritate: interminatusque est sententiam excommunicationis tam in eos qui offerrent & darent, quàm in eos qui exigerent. Quæ constitutio non Lugduni, vt falsò aliqui existimant, sed Anagniæ facta est 11. Kal. Octob. Pontificatus an. 2. ralis autem est.

BVLLA BONIFACII CONTRA EXACTORES DECIMARVM. Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Clericis Laicos* infestos oppido tradit antiquitas. Quod & præsentium experimenta temporum manifeste declarant, dum suis finibus non contenti nituntur in vetitum, ad illicita frœna relaxant, nec prudenter attendunt quàm sit eis in Clericos Ecclesiasticasve Personas & bona interdicta potestas. Ecclesiarum Prælatis, Ecclesiis, Ecclesiasticisque Personis, Regularibus & secularibus imponunt onera grauia, ipsosque talliant & eis collectas imponunt, ab ipsis suorum prouentuum vel bonorum dimidiam decimam, seu vicesimam, vel quamuis aliam portionem aut quotam exigunt & extorquent, eosque moliuntur multifariè subiicere seruituti, suæque submittere ditioni. Et quod dolentes referimus, nonnulli Ecclesiarum Prælati Ecclesiasticæque personæ trepidantes, vbi trepidandum non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes Maiestatem temporalem offendere quàm æternam, talium abusibus non tam temerariè quàm improuidè

dè acquiescunt, sedis Apostolicæ authoritate seu licentia non obtenta. Nos igi- «
tur talibus iniquis actibus obuiare volentes, de fratrum nostrorum Consilio Apo- «
stolicâ authoritate statuimus, quod quicunque Prælati Ecclesiasticæque perso- »
næ, Religiosæ vel seculares quorumcumque Ordinum, conditionis seu status »
Collectas vel tallias, decimam, vicesimam seu centesimam suorum & Ecclesiarum «
prouentuum vel bonorum Laicis soluerint vel promiserint, vel se soluturos con- »
senserint, aut quamuis aliam quantitatem, portionem aut quotam ipsorum pro- »
uentuum vel bonorum æstimationis vel valoris ipsorum sub adiutorij, mutui, «
subuentionis, subsidii, vel doni nomine, seu quouis alio titulo, modo vel quæ- «
sito colore absque authoritate sedis eiusdem. Nec-non Imperatores, Reges seu «
Principes, Duces, Comites, vel Barones, Potestates, Capitanei, vel Officiales «
vel Rectores quocunque nomine censeantur, Ciuitatum, castrorum, seu quo- «
rumcunque locorum constitutorum vbilibet, & quiuis alii cuiuscunque præe- «
minentiæ, conditionis & status qui talia imposuerint, exegerint vel receperint, »
aut apud ædes sacras deposita Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum vbi- »
libet arrestauerint, saisiuerint, seu occupare præsumpserint, vel arrestari, saisiri aut »
occupari mandauerint, aut occupata, saisita, seu arrestata receperint: necnon «
omnes qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium vel fauorem pu- »
blicè vel occultè, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Vniuersi- »
tates quoque quæ in his culpabiles fuerint, Ecclesiastico supponimus interdicto. »
Prælatis & personis Ecclesiasticis supradictis in virtute obedientiæ & sub deposi- »
tionis pœnâ districtè mandantes, vt talibus absque expressa licentia dictæ sedis »
nullatenus acquiescant: quodque prætextu cuiuscunque obligationis, promissio- »
nis & concessionis factarum hactenus vel faciendarum in antea, priusquam hu- »
iusmodi constitutio, prohibitio, seu præceptum ad notitiam ipsorum peruenerint, »
nil soluant: nec supradicti seculares quoquomodo recipiant. Et si soluerint, vel »
prædicti receperint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto. A »
supradictis autem Excommunicationum & Interdicti sententiis nullus absolui va- »
leat præterquam in mortis articulo, absque sedis Apostolicæ authoritate & li- »
centia speciali, cum nostræ intentionis existat tam horrendum Secularium Pote- »
statum abusum nullatenus sub dissimulatione transire. Non obstantibus quibus- »
cunque priuilegiis sub quibuscunque tenoribus, formis seu modis aut verborum »
conceptione concessis Imperatoribus, Regibus & aliis supradictis: quæ contra »
præmissa in nullo volumus alicui vel aliquibus suffragari. Nulli ergo hominum »
&c. Datum Anagniæ XI. Kal. Octob. Pontific. nostri an. 2. »

Hæc constitutio initium fuit discordiæ & dissidii inter Regem Philippum & Bonifacium: eamque grauiter omnino tulerunt Franciæ & Angliæ Reges qui sacras Decimas ab Ecclesiasticis exigere, & ad alia bella quàm sacra conuertere solebant, prius quidem petitâ illarū exigendarum à summo Pontifice licentiâ, aut si impetrare non possent, ab Episcopis ad synodum conuocatis, qui mos adhuc fere manet. Nonnunquam etiam ab *Vniuersitatibus* Parisiensi & Oxoniensi Quæstionem agitari iubebant, an liceret Regi pecunias eiusmodi renuentibus Episcopis etiam exigere ad repellendos hostes Regnique defensionem. Et habitâ deliberatione virorum Doctorum, de consensu Prælatorum parum erant solliciti. Qui antiquitus ad bella ipsimet proficisci, milites conscribere aut in eam rem Beneficiorum reditus contribuere tenebantur ad propulsionem hostium Regnique defensionem.

Vt ergo Bonifacius subterfugium omne tolleret, tam ipsis Vniuersitatibus quàm Episcopis & aliis quibuscunque interdicit sub pœna excommunicationis, ne quid eiusmodi impertiant, aut impertiri consentiant.

Verum hanc Constitutionem Benedictus XI. successor restrinxit ad Exigentes tantum: vt legitur in Extrauagante, quæ incipit *Quod olim restrinxit.* Clemens verò omnino abrogauit Extrauagante quæ incipit *Pastoralis.*

Hoc quoque anno idem Bonifacius Apamiensem Episcopatum erexit, primumque eius Episcopum instituit M. Bernardum Sayssetí, antea Abbatem S. Antonini Canonicorū Regularium eiusdem Ciuitatis: quæ erectio Philippo Regi displicuit, ipsumque eidem inuisum reddidit: adeo vt non passus fuerit ipsum sedem illam tenere. At eius loco institutus est Ludouicus de Sicilia seu Massilien-

sis Caroli II. Regis Siciliæ & Mariæ de Hungaria filius, ipsiusque Regis Patruelis, qui eodem quoque tempore Tolosanum Episcopatum administrauit. Verum paulò post idem Bernardus conciliato sibi Rege sedem recuperauit, sed ingratus ipsi Regi fuit, acceptæ prius memor iniuriæ, vt ad annum 1298. referemus.

Eodem anno M. Ægidius Romanus, qui Regis Didascalus fuerat, Ordinis Eremitarum S. Augustini ad Patriarchatum Bituricensem iam ante à Cœlestino designatus, à Bonifacio promouetur, assumpto ad Cardinalatum Simone de Belloloco eiusdem sedis Præsule. De quo sic breuiter Nangius, seu Nangiacæ Historiæ Continuator ad an. Dom. 1295. *Frater Ægidius de Roma post Simonem de Bello-loco factum Episcopum Preneſtinum per Papam Bonifacium Bituricensis Archiepiscopus est effectus. Hic de Ordine Eremitarum S. Augustini in Pontificem assumptus plurimos libros super seriem sacræ Scripturæ & Philosophiæ compilauit.*

De eodem Ambrosius Coriolanus in Chronicis Ordinis FF. Eremitarum S. „ Augustini. *Iste vir admirabilis* tempus suum fere totum in excelsis Parisiensibus „ Gymnasiis consumpsit. De quo profectò nō tantum librorum admiranda est mul- „ titudo, quantum sui acumen ingenii & tenacissimæ memoriæ donum stupendum, „ quod in tot tantisque eius dictis, in nullo vnquam sibi repertus est contradixisse, „ aut quid aliquid dixerit retractandum. Non enim tum hoc, tum illud vt plerique „ faciunt, sed semper idem asseuerauit. Pectus in soluendis quæstionibus habuit „ amplissimum, fundamenta irrefragabilia rerum exquisitor diligentissimus, in di- „ cendo singularis. Et quidem ita clarus, vt hic omnium Diuinæ & humanæ sa- „ pientiæ ex omnibus Doctoribus Scholasticis solus videatur elucidasse Arca- „ na.

Eodem anno Bonifacius Pontifex teste Wadingho, Fratribus Minoritis amplissimi Collegii Parisiensis magna inopia laborantibus ad preces Cardinalis Fr. Iacobi Caietani de Stephanescis sui ex fratre nepotis succurri voluit subsidio mille marcarum argenti. Quam in rem extat Bulla sic incipiens *Paupertati vestræ* data 16. Kal. Aug. Item eadem de re binas dedit ad Simonem Episcopum Parisiensem litteras, quæ sunt ordine 133. & 134. quibus mandauit vt trecentæ libræ Turonenses in pios vsus relictæ ab Adea Domina de Perius eisdem Fratribus applicarentur. Bulla autem talis est ex Regesto Vaticano.

Dilectis filiis Guardiano & fratribus Ordinis Minorum Parisiensium Sal. & Ap. bened.

" *Paupertati vestræ, quam propter Deum voluntariè sustinetis*, paterno compatientes " affectu ac volentes necessitatibus vestris per nostræ prouidentiæ studium aliquod " temporale subsidium prouenire, dilecti filii nostri Iacobi tituli S. Clementis Pres- " byteri Cardinalis nobis super hoc supplicantis precibus inclinati, de legatis indi- " stinctè in pios vsus relictis in Regno Franciæ mille marcas argenti pro vestris ne- " cessariis authoritate vobis præsentium duximus concedendas. Volumus autem, " vt si prætextu concessionis huiusmodi aliquid vltra prædictas mille marcas rece- " peritis, ipso facto excommunicationis sententiam incurratis. Nulli ergo nostræ " concessionis & voluntatis, &c. Datum Anagniæ 16. Kalend. August. Pontif. no- " stri an. 2.

Idem Pontifex Minoritis Oxoniensibus Domum Fratrum de Pœnitentia vulgò Saccitarum indulget ad commoditatem studentium: & in eam rem scribit ad Episcopum Lincolniensem his verbis. *Ex parte Dilectorum filiorum Guardiani* & Fra- " trum Oxoniensium Ordinis Minorum tuæ Diœceseos nobis extitit intimatum, " quod locus eorum adeo arctus esse dignoscitur, quod *Scholares ad studium in* " *Sacra Pagina*, aliique Christi fideles ad audiendum verbum Dei apud locum " ipsum conuenire commodè nequeunt & morari, maximè cum propter talia con- " fluat ad locum ipsum non modica hominum multitudo, &c.

Eodem anno idem Pontifex Ludouicum Siciliæ cognomento *Massiliensem* post mortem Hugonis Mascarii creat Episcopum Tolosanum anno ætatis circiter 22. at ille non ante beneficium accipere voluit, quàm Minoritis nomen dedisset, pauperemque vestem sumpsisset. Quam in rem extat ipsius Bonifacii Bulla: quam ideo refero, quia Bonifacius Episcopatum illum pleno iure tradit ob mortuum Romæ Hugonem.

„ Bonifacius Episc. Seruus Ser. Dei. Dilecto filio Ludouico Episcopo Tolosano

Nato Charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Siciliæ Illustris, &c. Sal. & Apost ben. *Fons sapientia*, verbum Patris, Dominus noster I. C. qui pro generis humani salute de Cœlorum excelso in mediam exterminij nostri terram exiliens, nostræ carnis ex vtero Virginis assumpta trabea homo factus se pro nobis tormentis exponere non expauit, post deuictum triumphatumque mundum effectus in ara Crucis summus Pontifex & Rex magnus ad cœlos ascensurus suum in terris ad custodiam vnicæ sponsæ suæ vicarium dereliquit, cui in B. Petro Cœlestis Regni Pontificiæ tradidit plenitudinem potestatis & super omnes Ecclesias contulit Magisterium. Ipsius itaque dignatione quanquam immeriti ad huiusmodi apicem Magistratus assumpti & in Apostolatus specula constituti, licet Ecclesiarum omnium curam teneamur gerere generalem, de illis tamen quibus vacationis imminere incommoda dignoscuntur, Nos decet propensius cogitare, vt ad earum regimen idonei Prælati per nostræ prouidentiæ ministerium assumantur, de quibus consideratis virtutibus desuper sibi traditis præsumitur verisimiliter & tenetur, quod creditas sibi animas verbo scientiæ ac exemplo vitæ instruere & alios eorum Studio Ecclesiæ ipsæ grata suscipere debeant incrementa. Pridem siquidem Ecclesia Tolosana per obitum bonæ memoriæ Hugonis Tolosani Episcopi, qui apud sedem Apostolicam diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta, Nos dispositionem ipsius Ecclesiæ Nobis & sedi Apostolicæ reseruantes decreuimus ex tunc irritum & inane, si quid secus super iis scienter vel ignoranter contigerit attentari, ac de ipsius ordinatione solicitè cogitantes & cupientes illum eidem Ecclesiæ per nostræ operationis studium Pontificem præsidere, per quem posset Ecclesia ipsa in vtrisque salubriter gubernari, post vigilem curam, quam super hoc adhibuimus diligenter, ad Personam tuam sublimibus naturalibus productam, ex claris vtriusque Parentis tui progeniebus Regalibus præfulgentem, eminenti *litterarum scientia præditam, vita munditia redolentem, grauitate morum & consilij maturitate conspicuam, aliarumque donis virtutum ab Altissimo multipliciter decoratam conuertimus aciem nostræ mentis, & tecum super ætatis defectu quem pateris, maximè cum defectum ipsum supplere prædictis virtutum donis & aliis eximiis & laudabilibus meritis quæ tibi suffragari nouimus, dignoscaris, authoritate Apostolica dispensauimus*, vt eodem defectu nequaquam obstante ad Episcopalem dignitatem ipsius Ecclesiæ Tolosanæ licitè possis assumi, Teque Fratrum Minorum Ordinis Professorem ad Sacerdotium iam promotum de fratrum nostrorum Consilio & Apostolicæ plenitudine potestatis præfecimus ipsi Ecclesiæ Tolosanæ in Episcopum & Pastorem, tibique subsequenter consecrationis munus propriis manibus duximus impendendum, spe firma fiduciaque tenentes indubitata, quod prædicta Ecclesia Tolosana per tuam solertem industriam & prudentiam circunspectam præseruabitur à noxiis & aduersis, & aliâs spiritualiter & temporaliter Deo authore augmenta suscipiet commoditatis & honoris, & tam Clerus quàm populus tuo commissus regimini tuâ salubri doctrinâ & piæ actionis exemplo ad salutem ædificabitur animarum. Tu ergo tuum iactans in Domino cogitatum ac iuxta spem nostram & gratiam tibi datam à Domino commissum tibi super gregem Dominicum virga vigilantis officium officiosè ac diligenter exercens, extirpandis vitiis & plantandis virtutibus solicitudine inuigiles efficaci, vt tanquam stella fixa in Ecclesiæ firmamento tibi per vitæ meritum & aliis proficiens per exemplum, dum plures erudieris ad salutem, in æternitatis gloria gratulari ac relucere inter alios clarius merearis, & Nos qui tibi in omni opportunitate fauorabiliter adesse proponimus, in tuis delectari laudibus merito volumus. Datum Laterani 4. Kal. Ian. Pontif. n. an. 2.

Eodem modo idem Bonifacius confert pleno iure Episcopatum Mimatensem M. Guillelmo Duranti vacantem per obitum Guillelmi Patrui celeberrimi illius Doctoris, Decani Carnotensis de quo supra memorauimus: qui quidem Romæ pariter obierat. Bulla legitur apud Vghellum. tom. 2.

Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Guillelmo Electo Mimatensi Sal. & Apost. Ben. *In desideriis nostris auidè gerimus vniuersas Ecclesias, quibus authore Domino præesse dignoscimur, in statum dirigere prosperum & in eo continuè conseruare*. Et licet circa singularum commoda solicitè vigilemus, de il-

larum tamen statu fortius & sollicitius cogitare nos conneuit, quæ solatio destitutæ Pastoris incommoda viduitatis deplorant, vt tales ipsis præficiamus Rectores, per quos spiritualiter & temporaliter optatæ consolationis remedia fauente Domino consequantur. Nuper siquidem Ecclesiâ Mimatensi per obitum bonæ memoriæ Guillelmi Episcopi Mimatensis, qui apud sedem Apostolicam diem clausit extremum Pastoris solatio destitutâ, Nos de ipsius prouisione solicitè cogitantes ac intendentes ei de tali prouidere Pastore per quem salubriter regi possit, & vtiliter gubernari, ad te ipsius Ecclesiæ Archidiaconum, quem eiusdem Episcopi Prædecessoris tui cuius nepos fuisti, consideratione beneuolentiâ gratiosâ prosequimur, conuertimus nostræ considerationis intuitum, ad quod tam grata & accepta obsequia per eundem Episcopum Ecclesiæ Romanæ impensa & gratiosi fructus qui eidem Mimatensi Ecclesiæ ex ipsius prouenerint opibus, quàm laudabilis tuæ probitatis merita, quibus te fide dignorum testimoniis pollere didicimus, nos specialiter induxerunt.

Hoc igitur prouida deliberatione pensantes, considerantes, quod tanquam vir prouidus, litterarum scientia præditus, morum honestate decorus, & aliis circumamictus donis virtutum, præfati Guillelmi Episcopi inhærens vestigiis, Ecclesiam ipsam feliciter gubernabis, Te ipsi Ecclesiæ de fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ plenitudine potestatis in Episcopum præficimus & Pastorem, curam & administrationem ipsius tibi in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, supplentes de eadem plenitudine defectum quem in Ordinibus pateretis & etiam vt asseritur, in ætate. Iugum itaque Domini, &c. Datum Romæ apud S. Petrum [16.] Kal. Ian. Pontif. nostri an. 2.

Eodem anno Bonifacius audiens vetuisse Regem transferri aurum argentumve è Regno, acerbas omnino ad eum litteras scripsit, præsertim ob id quod Rex viros Ecclesiasticos eiusmodi edicto non exemisset à lege quam subditis cæteris imponebat. Itaque constitutionem quam supra retulimus quæque incipit *Clericis Laicos* vult ad rigorem obseruari. Denique Regi minatur, ni faciat quod præcipit. Et has litteras per Raimundum de Falgario Episcopum Vivariensem virum scientificum & generosum, vt habetur in antiquis tabulis, tradi iubet.

Litterae Bonifacii ad Regem satisfactoriae.

Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei Charissimo in Christo Philippo Regi Francorum Illustri Salutem & Apostolicam Benedictionem. *Ineffabilis amoris* dulcedine sponso suo, qui Christus est, sancta Mater Ecclesia copulata dotes & gratias ab ipso suscepit amplissimas, vbertate fœcundas, & specialiter inter eas beneficium libertatis. Voluit enim per amabilem sponsam eius libero fidelibus populis præesse dominio, vt velut in filios haberet more Matris in singulis potestatem, ac etiam cuncti cum filiali reuerentia tanquam Vniuersalem Matrem & dominam honorarent. Quis itaque illam offendere vel prouocare iniuriis non pauescet? quis ausum credulitatis assumet, sponsum in sponsæ contumelia non offendi? Quis Ecclesiasticæ libertatis infractor contra Deum & Dominum cuiusuis defensionis clypeo protegatur, vt supernæ virtutis malleo comminui & redigi nequeat in puluerem & fauillam? Non auertas ô fili à voce Patris auditum, cum ad te paternus sermo de dulcedine pectoris cum amaricatione, quam addita nouit casus immersio introduxit. Tua enim interesse conspicimus attenta mente suscipere quæ scribuntur. Ad nostrum siquidem non sine grandi admiratione, quinimo perturbatione peruenit auditum, quod tu consilio deceptibili vt credimus & maligno Constitutionem talem his diebus vt asseritur, edidisti, cuius etsi patenter verba non exprimant suadentium, tamen eam fieri vtinam non edentis videtur fuisse intentio impingere in Ecclesiasticam libertatem, ipsamque in Regno tuo vbi vigere solet ab olim quoad Ecclesias & Ecclesiasticarum personarum bona, vt de nobis & fratribus nostris sub silentio taceamus, ad præsens voluisse subuertere non sine graui tua nota magnoque discrimine ac tuorum grauamine subiectorum, & aliorum etiam qui solent in Regno prædicto hactenus conuersari. Cum igitur intersit veri Patris consilium pro filiis capere, bonique Pastoris errantes oues à deuio reuocare, diligentis amici suadere salubria & in summo militantis Ecclesiæ Iustitiæ solio præsidentis non solum omne malum,

sed & mali speciem in subditis dissipare, Nos qui Pastoris Pastorum & I. C. filii summi Patris æterni licet immeriti, eius fauente clementia gerimus vices in terris & in excelso solio summi Apostolatus videlicet præsidemus, teque præcipua sinceritate prosequimur, prout prosequuti fuimus abolim, *dum Nos minor status haberet*, horum circa te officia pro affectu & efficaci studio prouidimus exequenda, pro te filio prædilecto salubre capiendo consilium, teque ab inuio reuocando, in quo consilii te deuiasse creditur impulsio fraudulenti ac dissipando malam notam & mali speciem quæ consulere cum malignorum ausus temerarius induxit. Præsertim si adhoc Constitutionis præmissæ referatur intentio, ad quod iam creditur secundum eorum intentum, qui eam fieri dolosè ac improuidè suaserunt. Non debuit Fili, anima tanti Regis in tale venire consilium; non decuit Excellentię tuæ Prudentiam abire in consilio talium Impiorum, qui vt fluctues flagitant, & te, vt demergaris, impingunt. Sed saltem postquam super hoc tuos oculos paterno lumine aperimus, stare non debes in via talium Peccatorum, sed attentius præcauere te conuenit, ne impulsu prauorum actuum tui solii cathedra pestilentię dici possit. Nec licuit, nec etiam expediuit, quod ad tuam considerationem pateret ingressus (tuâ & dicti Regni moderni temporis qualitate pensatâ) tam insolitæ quâm indebitę nouitati per quam de Regno non oriundis eodem conuersandi in ipso, mercimonia licita & actus non prohibitos cum libertate solita exercendi via præcluditur, & aditus denegatur, in multorum & etiam subditorum tuorum non leue dispendium & grauamen Ipsiquidem subditi adeo sunt diuersis oneribus aggrauari, quod eorum ad te solita & subiecta multum putatur infriguisse deuotio, & quanto amplius aggrauantur, tanto potius in posterum refrigescet. *Nec parum amisisse censetur qui corda perdidit subditorum.* Habet interdum vsus Secularium Principum vel abusus hostibus de suis terris subtrahere commoda, & vt ad inimicorum terras subiecti non transeant, ne terrarum suarum bona portentur ad illos. Sed sic generalem proferre sententiam, vt tulisti, non solum reprobatur in subditos, sed etiam in exteros cuiuslibet Nationis. Non videtur is oculatæ fuisse Prudentiæ qui præteritorum non meminit, præsentia non respicit, nec habet ad futura respectum. Etsi, quod absit, fuerit condentium intentio, vt ad Nos & fratres nostros Ecclesiarum Prælatos, Ecclesiasticasve personas & ipsas Ecclesias, ac nostra & ipsorum bona non solum in Regno tuo, sed etiam constitutorum vbilibet extendatur, hoc non solum fuisset improuidum sed insanum velle ad illa temerarias manus extendere, in quibus tibi secularibusque Principibus nulla est attributa potestas: quin potius ex hoc contra libertatem eandem temerè veniendo in excommunicationis sententiam promulgati canonis incidisses. Vide fili, ad quid præmissi Consiliarii te duxerunt, vt sacramentorum Ecclesiasticorum perceptione ac participatione priuatus, ad tam periculosi status ignominiam deuenires. Vitauit hoc Progenitorum tuorum sancta deuotio ad Ecclesiastica sacramenta, & promptitudo reuerentiæ ad Apostolicam sedem. Et à te his temporibus maximè vitanda fuissent, dum circa tua & ipsius Regni tui honores & commoda procuranda & euitanda dispendia, sic attentè, sic laboriosè, sic solicitè vigilamus. Ad quid enim Venerabiles fratres nostros B. Albanensem & S. Prenestinensem Episcopos nobilia vtique Rom. Ecclesiæ membra ad te ac tuum & Anglię Regem & Regna transmisimus? ad quid etiam Senensem & Papiensem Episcopos, ac bonæ memoriæ Reginaldum *Archiepiscopum ad Alemaniæ Regem & Regnum duximus destinandos*, multiplicatis nihilominus aliis Nunciis ad diuersas partes propterea destinatis? Nonne pro tua & dicti Regni tui procuranda salute & aduersitate vitanda noctes insomnes duximus & subiuimus intolerabiles quasi labores postquam ad Apostolatus apicem cœlestis dispositio nos vocauit? Nonne quotidianis tractatibus & solicitudinibus pro tuis agendis insistimus sine intermissione laborũ? Certè nõ condignũ pro iis nobis offers retributionis effectum. Non Ecclesiæ matri tuæ pro grandibus tibi & progenitoribus tuis impensis muneribus gratiarum gratâ vicissitudine correspondes, si prædictæ Constitutioni creditus ingeratur intentus; quin imò nobis & ipsi mala pro bonis & amara pro dulcibus reddidisses, versutiis erga Nos & illam incautus inhærens, vt à te prouocaremur iniuriis & prouocati colluctaremur ad inui-

" cem in querelis, ac si & Dei & Ecclesiæ aduersantiam non curares. Non considerans prouidè circumpositas Regno tuo Regiones & Regna, voluntatem & statum Præsidentium in eisdem, neque conceptus tuorum forsitan subditorum constitutorum in diuersis partibus Regni tui. *Leua in circuitu oculos tuos & vide*. Cogita & tepensa Romanorum, Angliæ & Hispaniæ Regna, quæ vndique te circundant, eorumque potentias ac strenuitatem & multitudinem incolarum, & patenter agnosces quod non fuit tempus acceptabile, non dies salutis in diebus istis, Nos & ipsam Ecclesiam talibus punctionibus tangere, talibus perturbare puncturis. Nec reuocare debuisses in dubium, quod nostri & Ecclesiæ adiutorii & fauoris sola substractio in tantum te debilitaret, ac tuos, quod vt cæteratua obmittamus incommoda, persecutiones aduersas ferre non posses, ac vbi Nos & eandem Ecclesiam tibi aduersarios constitueres principales, adeo nostra & Ecclesiæ eiusdem & aliorum prædictorum prouocationis tibi sarcina grauior redderetur, quod ad eius pondus tui efficerentur humeri impotentes. Absit quod insolentia Consiliariorum tuorum ad exterminii præcipitium te deducat. Absit quod tuis sensibus quæuis incalescat durities ad talia prorumpendi. Absit quod gratus olim filius tam grauiter Matri reddatur exosus, quod suis demeritis solita dulcedinis verba subtrahere sibi ex necessitate cogatur, & quibusuis periculosis euentibus exponere vel relinquere non adiutum. Præpara in Iudicio, fili Carissime, mentem tuam & iudica quid Apostolicæ sedis conceptus & considerationis aduenerit cum diebus istis circa discussionem & examinationem miraculorum, quæ ad inuocationem claræ memoriæ Ludouici aui tui facta dicuntur, cum nostris fratribus vacaremus, talia nobis exempla præsentasti, talia præmisisti dona, quibus demum ad iram prouocas, & indignationem nostram non solum, sed & ipsius Ecclesiæ prometeris. Cur degenerat tuæ clementia Iuuentutis à felicibus actibus Progenitorum tuorum, quibus dictam sedem fide purâ & deuotione sincera summis ab antiquo studiis coluerunt, se ipsius beneplacitis coaptando. Succede virtutibus quæsumus, qui successisti Regno nullam immisturus maculam excellentis sui luminis claritati. Quod si forsan ad iniquæ suggestionis instantiam assumpseris causam edendæ Constitutionis eiusdem prætextu nostræ Constitutionis quam nuper pro Ecclesiastica edidimus libertate, talis profectò tam suggestorum quàm suggesti motus nullius fulcitur auxilio rationis. Constitutio enim nostra, si ad tiualem censum postposito coniuge non trahatur, id. si bene perpenditur, statuit quod aliàs per sanctiones Canonicas est statutum: licet pœnas contra Transgressores adiecerit, nonnullis ex communi quasi vitio peccare desinentibus potius formidine pœnæ quàm amore virtutis. Non enim præcisè statuimus pro defensione vel necessitatibus tuis, vel Regni tui ab eisdem Prælatis Ecclesiasticisque personis pecuniarum subsidium non præstari; sed adiecimus id non fieri absque nostra licentia speciali, adductis in considerationem nostram exactionibus intolerabilibus, Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, Religiosis & secularibus dicti Regni ab Officialibus tuis authoritate tua impositis atque factis, de futuris potius verisimiliter formidantes, cum ex præteritis certitudo præsumi valeat de futuris. Sed te non nouimus ad tales exactiones authoritate fulcitum, cuius authoritatis abusum in te ac quolibet principe seculari diuina & humana iura quinimo Iudicia detestantur, cum tibi sit in eis talis authoritas penitus interdicta, quod tibi pro tua & successorum tuorum salute ad perpetuam rei memoriam præsentibus intimamus.

" Obiicias si quando per te vel progenitores tuos pro necessitatibus dicti Regni ad eandem sedem habitus sit recursus & inanis transierit petitio aures eius, quin fueritis efficaciter exauditi, vbi nempe Regni, quod absit, grauis prædicti necessitas immineret, ne dum ab ipsius Prælatis & Personis Ecclesiasticis tibi vel ipsi sedes Apostolica eadem concederet ac faceret subueniri, verum etiam si casus exigeret, ad calices, cruces, aliaque propria vasa suas manus extendet, priusquam tantum & tale Regnum tam ipsi sedi carum imò carissimum & ab antiquo deuotum exponeret minoris curæ defectum, quominus ab ea efficacis defensionis præsidia sortiretur. Nunc autem amantissime fili, considera quis Rex quisve Princeps Regnum tuum non impugnatus à te vel non offensus impugnat. Nonne Rex Romanorum fuisse occupatas à te tuisque

prædecessoribus, seu occupatas teneri Ciuitates & terras seu limites ad Imperium pertinentes cum instantia conqueritur, & specialiter Burgundiæ Comitatum, quod notum est fore feudum descendens ab Imperio & recognoscendum ab ipso? Nonne Carissimus filius noster Rex Angliæ illustris de nonnullis terris Gasconiæ asserit illud idem? Nunquid super iis dicti Reges denegant stare iuri? Nunquid Apostolicæ sedis quæ Christicolis omnibus præeminet, Iudicium vel ordinationem recusant: dumque in eos super iis te peccare asserunt, de hoc iudicium ad sedem eandem non est dubium pertinere. Profectò qui contra dictos Reges assumptionis & prosecutionis malum dederunt, consulendo vel inducendo consilium, dant periculosiorem progressum. Nec est habenda fiducia super hoc verisimiliter boni finis. Cum ea quæ malo sunt inchoata principio, vt frequentius vix bono exitu peragantur. Pone in recta statera animarum pericula, corporum cædes, expensarum voragines, damna rerum, quæ occasione assumptionis & tuorum processuum euenerunt, rationis sequens iudicium, & non impetum voluntatis à malorum Consiliariorum consiliis elongatus. Et tunc manifestè cognosces te fuisse deceptum, nec expediuisse te talia assumpsisse. Quid ergo tibi accideret, si quod absit, sedem ipsam offenderes grauiter, eamque hostium tuorum constitueres adiutricem, quin potius contra te faceres principalem? Cum Nos & fratres nostri, si Deus ex alto concesserit, parati simus non solum perturbationes, damna rerum & exilia sustinere, sed & corporalem mortem subire pro Ecclesiastica libertate. Sunt & alij, sicut ad nostram notitiam est deductum, qui malignè sibi surrepunt, dicentes, *Iam non poterunt Prælati &* personæ Ecclesiasticæ Regni tui seruire de feudis, vel subuentiones facere, in quibus feudorum ratione tenentur. Iam non poterunt vnum scyphum, vnum equum dare liberaliter Regi suo. Non fertur ad tales & consimiles interpretationes subdolas dictæ nostræ Constitutionis intentio, tam falsidicos interpretes non admittit, sicut hæc plenius aliquibus tuis Nunciis & familiaribus viuæ vocis oraculo sæpius duximus exponendum. Quantumlibet autem per subdolos impulsus versatus sis, vt caderes ob prædicta, & ea nos turbauerint, & ad indignationem non sine ratione mouerint, Nos tamen paterni amoris soliti, ac eadem Ecclesia te sui veteri filium obliuisci non possumus, quin suspenso rigore te benedictionibus præueniendo dulcedinis & via mansuetudinis prosequendo expetiamur primitus quàm reuerenter, quàm efficaciter monita paterna suscipias & medicamenta periti illius Medici Samaritanorum Vicarius, qui super vulnera cuiusdam hominis descendentis de Ierusalem in Iericho, qui inciderat in latrones & fuerat spoliatus ac relictus plagis impositis semiuiuus, misericordiâ motus oleum & vinum apposuit. Igitur tali exemplo à fomentis olei benignius inchoantes, ecce venerabilem fratrem nostrum Viuariensem Episcopum, virum quidem probatæ Religionis, scientiæ eminentis, circumspectionis maturæ, ex conuersatione diutina nobis & fratribus nostris notum & carum, ac tui honoris & commodi zelatorem, qui & de Regno & terra tuis traxit originem ad te prouidimus destinandum, vt præmissa solerter & clarè Celsitudini Regiæ oraculo viuæ vocis exponat & exprimat, vt præmittitur, mentem nostram. Quem super præmissis & ea tangentibus plenè duximus informandum Serenitatem itaque Regiam monemus, rogamus & hortamur attentè per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus non animum reuocans sed gratanter accipiens, quod te instanter nitimur reducere ad salutem, paterna medicamina suscipias reuerenter, Nostrisque tibi in tuo Regno salubribus monitis acquiescas, errata corrigens per te ipsum, nec permittens in anima per falsa contagia te seduci. Ita quod à Deo præmium exinde consequaris, nostram & dictæ sedis beneuolentiam tibi conseruet & gratiam & apud homines bonam famam. Nec oporteat Nos ad alia & minus vsitata remedia perseuerantes, instante ac pulsante, nec cogente Iustitia extendere manus nostras quamuis hoc inuiti & noluntarij faceremus. Datum Anagniæ 1. Kalend. Octob. Pontif. nostri an. 2.

Hæc Bulla legitur in 14. volumine Odorici Raynaldi Annalium Ecclesiasticorum post Baroniũ Continuatoris ad an. 1296. §. 25. cui hæc verba præmittuntur. *Bulla Papæ Bonifacij Regi Francorum Philippo directa super eo quod Rex prohibuerat, ne aliqua bona vel mercaturæ exirent Regnum sine sua licentia. Et quod nullus posset mercari in Re-*

gno nisi inde esset oriundus. De quibus Papa conqueritur, eo quod ad Ecclesiasticos extendi possent. Idem Bonifacius aliis ad Regem litteris significat quantum cordi sibi esset vt ea quæ per Episcopum Viuariensem perscripserat, executioni demandaret, monetque vt sæpe litteras illas priores legat adhibitis prudentibus Consiliariis.

AD REGEM. Bonifacius Episcopus Ser. Ser. D. Charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum Illustri Sal. & Apost. Bened. *Excitat Nos, Fili Charissime, puræ sinceritatis affectus quo sumus personam tuam, progenitores tuos, & Domum Regiam prosecuti, vt te paternis correctionibus, salubribus monitis & efficacibus exhortationibus iuxta qualitatem emergentium agendorum cum expedit, alloquamur. Pater enim filium quem tenerrimè diligit, attentius corrigit & castigat. Quapropter alias prolixiores nostras literas secretas & clausas tibi per venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Viuariensem Episcopum super certis articulis destinamus. Cum igitur contenta in eis tuum & Regni tui statum contingere multipliciter dignoscantur, Celsitudinem Regiam monemus, rogamus & hortamur attentè, quatenus litteras ipsas per te ipsum sæpius perlegas, & quæ continentur in illis intra te ipsum frequenter repetas, consideres & attendas, & intra pectoris tui claustra reuoluas, ac deinde illis ex Consiliariis tuis, de quorum fideli & saniori Consilio fiduciam gesseris pleniorem, quosque credideris vtriusque hominis in te desiderare salutem, ad tuam præsentiam euocatis, easdem litteras in Regia eorumque præsentia facias perlegi & diligentius explicari, & earundem litterarum mente, seu nostra in ipsis ad verum intellectum puritatis adducta, quantum ea in tuo, etiam Regni tui statu & salute præponderent, reuoluas attentius & regeres iusto salubri & vtili ac expedienti tibi, tuo tuorumque te iudicio directurus. Nec omittas in huiusmodi tuorum aduocatione Consiliariorum aduertere, quod gerit plerumque ad Dominos aliquorum Collateralium deceptrix intentio subditorum. Sunt enim Quidam, qui dum conspiciunt eorum Dominos vigere quiete, ac perfrui opulentiâ pacis, iniiciunt inuidiæ oculos & existimant se apud eos fieri, per huiusmodi bonorum affluentiam minus charos. Et tunc tantum se reputant in plenam eorum gratiam prouenturos, cum illos agnouerint grauibus scandalorum & turbationum flagitiis agitari. Quid expediat igitur tuis famæ, statui & honori, tu videris. Diligentiam ergo adhibe studiosam & informa mentem tuam in statu Regio, & Regalem animum in Ecclesiæ Matris tuæ pura deuotione confirma. Et ecce nihilominus per eundem Viuariensem Episcopum in præfatis contenta litteris, viua vocis oraculo volumus Celsitudini tuæ plenius exprimi, ac mentem nostram circa illa seriosius aperiri, vt & ipsarum serie litterarum nostraque mente perceptis & adductis ad debitæ discussionis examen, sic Diuinis & nostris beneplacitis te conformes, quod qualibet materiâ turbationis abolitâ viuas & regnes, & efficiaris Diuino & humano iudicio gloriosus, & Nos & sedem eandem meritò tibi constituas in propitiatione paratos. Datum Anagniæ 2. Kal. Octob. Pontif nostri an. 2.*

Rex autem postquam intellexit & quid Papa in mente gereret, & quid hostes mente agitarent, coacto Consilio suo Responsum tale dedit, quod legitur in Registro Regio notato littera C. ad pag. 15.

Antequam essent Clerici, Rex Franciæ habebat custodiam Regni sui, & " poterat statuta facere, quibus ab inimicorum insidiis & nocumentis sibi & " Regno præcaueret, & per quæ inimicis substraheret omnimoda subsidia, qui- " bus ipsum & Regnum possent grauius impugnare. Hac de causa D. Rex qui " nunc est, equos, arma, pecunias, & similia generali Edicto prohibuit extrahi de " Regno suo, ne forsitan talia per malignorum fraudulentiam ad manus inimi- " corum in D. Regis & Regni præiudicium deuenirent: nec hoc simpliciter pro- " hibuit, sed adiecit hoc non debere fieri absque eius licentia speciali, super hoc " habens rectam intentionem, quod quando sibi constaret pro certo, quòd talia " sic ab ipso prohibita essent bona Clericorum, & quod extrahi de Regno sibi & " Regno non obessent, nec inimicis prodessent, nulli sic petenti & præmissa pro- " bante licentiam denegaret. Et videtur satis mirabile, quod Carissimus filius " Papæ non solum Clericorum bona, sed etiam Personas detinet violenter, nec " propter hoc D. Papa ipsum denunciat sententiam excommunicationis incurrisse. " Sancta mater Ecclesia sponsa Christi non solum est ex Clericis, sed etiam ex " Laicis: imo sacra testante Scriptura, sicut est vnus dominus, vna fides, vnum " baptisma; sic à primo iusto vsque ad vltimum ex omnibus Christi fidelibus vna

est Ecclesia ipsi Christo cœlesti sponso anulo fidei desponsata, quam ipse à seruitute peccati & iugo veteris legis ac dominio hostis antiqui mortem suam misericorditer liberauit: quâ libertate gaudere voluit omnes illos tam Laicos quam Clericos quibus dedit potestatem filios Dei fieri, iis videlicet qui eredunt in nomen eius & susceperunt Christianæ fidei sacramenta. Nunquid solum pro Clericis Christus mortuus est & resurrexit? absit. Nunquid est personarum acceptatio apud Dominum, vt solum Clerici in hoc mundo gratiam & in futuro gloriam consequantur, absit: sed per indifferentiam omni credenti & operanti bonum per fidem & dilectionem æternæ retributionis præmium repromisit. Et quia Clerici in Ecclesia, vt patet per prædicta, sunt & merito & numero potiores, non debent nec possunt non nisi forsitan per abusum sibi appropriare quasi alios excludendo Ecclesiasticam libertatem, loquendo de libertate, qua Christus nos sua gratia liberauit. Multæ verò sunt libertates singulares non Vniuersalis Ecclesiæ sponsæ Christi, sed solum eius Ministrorum, qui cultui Diuino ad ædificationem populi sunt, vel esse debent spiritualius deputati. Quæ quidem Libertates per statuta Romanorũ Pontificum de benignitate vel saltem permissione Principum secularium sunt concessæ: quæ quidem Libertates sic concessæ vel permissæ ipsis Regibus Regnorum suorum gubernationem ac defensionem auferre non possunt; nec ea quæ dictæ gubernationi ac defensioni necessaria, seu expedientia, deliberato bonorum ac prudentium consilio iudicantur, dicente Domino Pontificibus Templi *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Et quia turpis est pars, quæ suo non congruit vniuerso, & membrum inutile & quasi paralyticum quod corpori suo subsidium ferre recusat, quicunque siue Clerici, siue Laici, siue nobiles siue ignobiles, qui capiti suo vel corpori, hoc est Dom. Regi & Regno, imo etiam sibimet auxilium ferre recusant, semetipsos, partes incongruas & membra inutilia & quasi paralytica esse demonstrant: vnde si à talibus pro rata sua subuentionum auxilia requiruntur, non exactiones vel extorsiones vel grauamina dici debent, sed potius capiti & corpori & membris debita subsidia, sed & pro defensoribus & pugilibus ipsorum, quibus non licet, vel qui non possunt, pugnare per se ipsos, stipendia præparata. Nemo siquidem tenetur pro aliis propriis stipendiis militare: & quod si inimicorum rabies inualesceret contra Regnum, constat quod bona Clericorum penitus dissiparentur, quare multò plus aliis indigent ab hostili impugnatione defendi: ideoque in naturalis iuris iniuriam esse videtur, prohibere cuiuscunque seruo vel libero, Clerico vel Laico, nobili vel ignobili clypeum defensionis obiicere contra hostilem gladium aut stipendia soluere defensori. Nonne merito Deus tales tradidit in reprobum sensum, qui ius naturale & antiquum nituntur subuertere pro suæ libito voluntatis? Et quis sapiens & intelligens hæc non incidit in vehementem stuporem, audiens Vicarium I. C. prohibentem tributum dari Cæsari & sub anathemate fulminantem, ne Clerici contra iniquæ & iniustæ persecutionis incursus D. Regi, Regno, imo sibimet ipsis pro rata sua manum porrigant adiutricem? Dare verò Histrionibus & amicis carnalibus & neglectis pauperibus expensas facere superfluas in robis, equitatiuis, Comitatiuis, comessationibus & aliis pompis secularibus permittitur eisdem, imò concedirur ad perniciosæ imitationis exemplum. Hoc enim Natura & ratio, ius Diuinum & humanum pariter detestantur, ad illicita fræna laxare & licita imò necessaria, cohibere. Quis enim sanæ mentis iudicaret licitum & honestum sub anathemate cohibere, ne Clerici ex deuotione Principum incrassati, impinguati & dilatati, pro modulo suo iisdem Principibus assistant, contra ingruentes iniustarum persecutionum aduersitates, quocunque colore excogitato, doni vel mutui, vel subuentionis pro seipsis, pro Rege & Regno pugnantibus & resistentibus inimicis vi armorum, alimenta præbendo, vel stipendia persoluendo? Non enim prudenter attendunt, qui talia prohibent, vel renuunt, quod hoc nihil aliud est quàm inimicos iuuare & crimen læsæ Maiestatis incurrere, & quasi velle prodere ipsum Reipub. defensorem: ad quod crimen puniendum intendimus plus solito, volente Deo oculos aperire. Deum siquidem fide & deuotione colimus, & Ecclesiam Catholicam ac Ministros eius multipliciter veneramur in terris, si-

cut & omnes patres nostri: sed hominum minus rationabiles & iniustas minimè reformidamus: Nam coram Deo fauente eius Clementia, semper Iustitia inuenietur in nobis. Nonne Rex Angliæ quondam homo noster Ligius vocatus ad Iudicium coram nobis cum omni solennitate qua decuit, ad Imperium Domini sui venire contempsit? Quare necesse habuimus terras quas à nobis tenebat ad manum nostram trahere Iudicio & Iustitia mediante: cuius occasione dictus Rex Angliæ homagio & fidelitati, quibus nobis obstringebatur ratione terrarum quas à nobis tenebat in feudum, renunciauit expressè & postea contra nos insurgens crudeliter prædictas terras missus est sibi adquirere non tam vi armorum quàm dolo, viâ Iustitiæ & rationis & consuetudinis approbatæ penitus prætermissâ. Quis Rex, quisve Princeps terras Feodales sic à vassallo suo dimissas & tam multipliciter fore factas ad se non traheret & non defenderet tanquam suas? Nec super hoc debetur ab aliquo increpari, sed potius de contrario reprehendi. Et Regi Theutoniæ quid potuit vel debuit plus offerri, quod esset rationis & pacis quàm quod quatuor viri eligerentur idonei: duo pro nobis & duo pro ipso qui de limitibus Regni & Imperii cognoscerent & tractarent, & quidquid super hoc ordinarent, ambo Reges in perpetuum obseruarent: Et si prædicti quatuor discordarent, ipsi possint eligere quintum, qui eorum discordiam ad concordiam reuocaret? Et si dictus Rex Theutoniæ de Comitatu Burgundiæ conqueratur, sua querimonia nulla ratione fulcitur. Nam notorium est omnibus, quod post guerram apertam & diffidationem superbam à dicto Rege Nobis factam, dictum Comitatum nobis duximus acquirendum. Nam in diffidatione sua contra nos grauiora facere minabatur, & iam forsitan fecisset, si adhæc sibi se obtulisset facultas. Nonne sanctæ Matri Ecclesiæ Nos & Antecessores nostri multa grata seruitia ab antiquo & immensa beneficia contulimus, quibus Ministri eiusdem multò pinguius & gloriosius quàm in aliis Regnis exaltantur? super quo velit Deus quod ingratitudinis vitium non incurrant. Non enim debent debitas subuentiones negare, sed vltro quidquid habent offerre, præsertim cum videant manifestè, quod prædicti Reges iniustè & sine causa rationabili nos impugnant: quare modò non fuissemus ab Ecclesia amplioribus iniuriis prouocandi, sed potius ab ea tanquam à pia Matre fouendi & placandi & à malis imminentibus efficaciter consolandi.

Eodem anno more Gallicano quo initium sumebat annus à Paschate, more verò Romano, an. 1297. idem Bonifacius id. Feb. dat alias litteras ad Regem, quibus significat quàm molestè ferret Edictum illud à Rege promulgatum, quo vetabatur, ne quis e Regno Franciæ pecuniam, equos, arma educeret absque licentia Principis; sic enim Legati quos habebat in Francia Bonifacius, prohibebantur pecuniam transmittere quam in Regno Gallicano collegerant: quanquam illud Edictum in Ecclesiasticos minimè latum fuisse aut minimè ferri potuisse contendebat Pontifex; aut si Rex etiam ipsos ligare vellet, se eum sententiis Canonum innodaturum. Bulla ergo talis est.

Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei Philippo Regi Francorum Illustri salutem & Apostolicam Benedictionem. Exiit à te nuper Edictum, quo inter cætera pecuniarum & certarum rerum de Regno tuo generaliter prohibetur extractio, & de Regno non oriundis eodem conuersatio solita impeditur. Et quidem si fuit Edicentis intentio vt ad hostes tuos non portarentur huiusmodi, ne ad ipsos ex hoc prouenirent compendia, nec esset commercium cum eisdem, sub quadam potest tolerantia prætetiri. Sed sic Generalis Edicti promulgatio vel statuti, vt textus verborum indicat, procul dubio iustæ redargutioni subiicitur, & edicentis in ipso, sicut per alias litteras tibi iam scripsimus, culpa notatur, præsertim si eorundem verborum intellectum patiaris extendi, vt ad Ecclesias Ecclesiasticasve personas, de quibus disponendi tibi non est attributa potestas, ipsius edicti sententia porrigatur: quin potius per hoc durioris redargutionis morsui subiaces, non vt pœnam promulgati Canonis, quod referimus dolenter, euites. In istis equidem si prudenter aduertitur, te tuumque Consilium Sanctorum Patrum scripta non instruunt, & claræ memoriæ Progenitorum tuorum exempla laudabilia non adducunt. Sunt ne ista præsidia quæ rependis Ecclesiæ? Est iste modus acceptus,

per quem Regiæ Dignitatis fama clarescat, ac te & Regnum tuum Deo & hominibus reddas gratum; profectò non credimus: quinimo hæc iram Dei prouocant, comminantur iudicium, odia pariunt, Regiam famam lædunt. Super quibus fili, increpando paternè tibi iam scripsisse recolimus, vt ab iis te prudenter retraheres, & prudentius abstineres: illaque fuit increpantis intentio, vt debitum sui prosequeretur Officii, & te Charissimum filium in lapsum culpa non duceret, vt in peccatorum semitis deuiares. Est namque præcipuè officium Pastoris, vt increpet, arguat per misericordiam & corripiat per medelam. Et si quidem intra claustra pectoris hæc debita meditatione reuoluas, liquebit apertius, quod salutaris tibi nostra increpatio proficit, & oleum peccatorum tuum caput vngentium adulatio, reprobanda videlicet in hoc saltem tui decipientis consilii te confundit. Nec credat magnificentia Regia, aliter in iis informata quàm debeat, quod præmissæ Constitutionis nostræ secundum condentis Iudicium, sanus sensus admittat, quod interpretationem habeat sic strictam, sic rigidam, sic auaram, prout nonnullorum & specialiter de tuo Consilio interpretatur astutia, vel forsitan speculationis claræ durities, vtinam malignitas non coloret, sed reducatur humanæ ad sensum & rationabilem intellectum. Quapropter Dilectissime filiorum, dirigens in conspectu Domini vias tuas, Diuæ memoriæ Prædecessorum tuorum in prædictis & circa prędicta per te aut Officiales tuos est factum illicitè, tacitè vel expressè per reformationem congruam corrigens & annullans. Nisi enim zelus tuæ nimiæ indeuotionis obsistat, ipsa Mater Ecclesia tibi tanquam amantissimo filio brachiis maternæ affectionis accumbens, in opportunis subsidiis libenter assistet, & in gratiarum fauoribus vbera maternæ Charitatis effundet. Datum Romæ apud S. Petrum 7. id. Febr. Pontif. nostri an. 3.

Hæc Bulla & sequens legitur apud Odoricum Raynaldum tom. 14. Annal. Eccles. ad an. 1297. §. 46. Mandat autem Bonifacius Legatis suis, vti si prohibeantur pecuniam collectam transmittere, Regem ipsum & ipsius Officiarios denuncient incurrisse sententiam Canonum, tanquam Libertatis Ecclesiasticæ hostes.

Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei Berardo Albanensi & Simoni Prenestino Episcopis Apostolicæ sedis Nunciis. Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus cum ad habendam pecuniam nostram pro causa prædicta ad partes vltramontanas mittamus ad præsens & hoc procurari sollicitè per vestrum ministerium præcipuè confidamus, si forte quod absit, inuenta ipsa pecunia per Charissimum filium nostrum in Christo Philippum Francorum Regem Illustrem vel Officiales eius aut quoslibet alios eiusdem pecuniæ de Regno Franciæ prohiberetur vel non permitteretur extractio tacitè vel expressè, vos ambo vel alter vestrum eundem Regem, Officiales ipsius & quoscunq; alios impedientes tanquam impingentes apertè in Ecclesiasticam libertatem & destruentes tam pium, tam vtile, tam arduum Dei & Terræ sanctæ negotium ex prætetitis culpis per ipsos circa huiusmodi iam commissis, & specialiter impediendo venientes ad Rom. Ecclesiam, Matrem cunctorum Christi fidelium & Magistram denuncietis publicè in sententiam promulgati Canonis incidisse, & nihilominus in eum & eos de nouo excommunicationis sententiam proferatis: nonobstantibus quibuscunque Priuilegiis vel indulgantiis eisdem Rege, Officialibus vel quibuscunque aliis impedientibus ab Apostolica sede concessis, etiamsi oporteret de illis expressam præsentibus ac de verbo adverbum fieri mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum 5. id. Feb. Pontif. nostri an. 3.

Ita incalescebant ex vtraque parte animi. Bonifacius tenax propositi Regem submittere conabatur. Rex nihil infractus subditos suos sibi parcere adigebat, præsertim Ecclesiasticos à quibus se non requisitâ licentiâ Pontificis tributum exigere posse existimabat, idque legitimè ad Regni defensionem: adeo vt Petrus Barberus Archiepiscopus Remensis collectâ synodo Suffraganeorum & Abbatum suæ Metropoleos per litteras Bonifacio Papæ significarit Regem Regnique Proceres in ea esse sententia, omnes subditos nulla Priuilegiorum habita ratione adigere ad Patriæ defensionem contribuere, imprimis vero omnes Beneficiarios & Antistites: rogarintque vt materiam querelarum quantocius rescin-

dat, ne malum ingrauescat & diuturnitate temporis deterius fiat. Legitur autem hæc illorum Epistola in Thesauro Registrorum Regiorum Registro notato B. sub hoc titulo. *Supplicatio facta Papæ per Archiepiscopum Remensem & Suffraganeos suos & Abbates Prouinciæ suæ, vt prouideat super quadam constitutione per eum edita.* Et talis est.

Sanctissimo Patri ac Domino suo D. Bonifacio Diuina prouidentia sacro-sanctæ Romanæ ac Vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, Deuoti eius filii miseratione Diuina Petrus Remensis Archiepiscopus & Episcopi Remensis Ecclesiæ Suffraganei & Abbates cum humili sui recommendatione deuotissima pedum oscula Beatorum. In hac terrestri patria Ecclesiam militantem constituens prouidentia Conditoris, eam ex alto prouidit sic commoda substitutione gubernandam, qui ne ipsam tempestuosæ huius seculi fluctuationes confunderent, in turbatione sibi consilium impenderet, in tribulatione solatium & in aduersitate succursum, vt sic huiusmodi salubri præsidio fulta Vicarij, triumphanti Ecclesiæ quæ est Christi, ad salutem humani generis eò deuotiùs quò tranquillius deseruiret. Ad ipsius quippe vicariatus apicem, diebus nostris, quod læti referimus Diuinæ gratia prouisionis assumpti, qualiter ad salubre regimen, statum prosperum & exaltationem felicem ipsius Ecclesiæ, desideriis summis aspirantes, paternam curam, studium efficax & indefessæ solicitudinis operam duxeritis impendendam, vniuersalis iam notio prædicat, & ipsa rei experientia manifestat. Ex huius siquidem desiderii feruente affectu, quem ad felicem statum vniuersalis Ecclesiæ paterno more solliciti geritis, beatitudinem vestram nouam nouiter Constitutionem edidisse cognoscimus, per cuius Beneficium, Ecclesiarum periculis remediare, salubriter obuiare dispendiis & Ecclesiasticæ libertati voluit vtiliter prouidere. Verum quia excellentissimus Princeps Dominus noster Rex, ac Principes, Barones & Domini Temporales cæterique Regnicolæ Franciæ occasione ipsius Constitutionis, quam onerosam, grauem & præiudicialem nimis asserunt iuri suo, cùm omnes, tum singulos incolas dicti Regni, ad defensionem Regni & patriæ omni priuilegio, excusatione & exceptione cessantibus vacare prætendunt, præsertim feodatarios & fideles Regis eiusdem, Nosque & alios Prælatos de Regno, quorum quidam per homagium & fere omnes iuramento sumus fidelitatis adstricti eidem Domino nostro Regi ad ius & honorem ipsius & Regni seruandum, absque cuius necessario defensionis præsidio viuere tutè non possumus, nec defendi à nostrorum, quorum non deest copia, persecutione continuâ æmulorum & durâ turbatione commoti per maiores, in vnum consilio inito, quoad remedium vtile beniuolentia paterna prouideat, irreparabili causæ præiudicium, quod non sine multa cordium amaritudine recitamus, retorquere disponunt, sicque Gallicana Ecclesia quæ retroactis temporibus in pacis pulchritudine & libertatis plenitudine conquieuit, diuersis iam exponitur fluctuationibus tempestatum, fremunt scandala, excrescunt angustiæ & finalis ruinæ pericula sunt in promptu, ad Apostolicæ sanctitatis prouidentiam circunspectum propterea duximus fiducialiter recurrendum, quanta possumus deuota & vnanimi instantia supplicantes, vt opportunè & salubriter prouisionis remedium in hac parte clementius adhibere dignetur, per quod sedet scandala & cum præfato Domino Rege suisque Principibus & cæteris Temporalibus Dominis dicti Regni eadem Gallicana seruet Ecclesia pacis & charitatis solitæ vnionem, ac sub alarum suarum velamine & protectionis opportunæ suffragio suo nostris temporibus vni semper impendat Creatori deuori debitum famulatus. Et ecce venerabiles Patres Episcopos ad sanctitatis vestræ præsentiam propter hoc speciale destinamus, qui frementia scandala & imminentia, imò instantia in ianuis huiusmodi discriminosa pericula sensibus vestris perfectius explicabunt oraculo viuæ vocis.

Interim Episcopi Albanensis & Prænestinus Legati Pontificij Regi Philippo exponunt Papam Bellicas inducias publicasse inter ipsum Regesque Romanorum & Angliæ, excommunicationisque sententiam in contumaces & repugnantes aut eas infringentes edidisse. In eamque rem scriptas ad Regem litteras exhibent: quas antequam Rex legi voluit, publicè imprimis protestatus est, se neminem in terris agnoscere superiorem Dominum in Temporalibus, sed Regnum

suum à Deo habere, neque vlli se patiturum quoad Regni iura defensionemque iutium: at in spiritualibus paratum omnem summo Pontifici reuerentiam obedientiamque præstare. Tales autem sunt prædictorum Episcoporum litteræ datæ die 20. April. eodem anno.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis miseratione Diuina B. Albanensis & " S. Prenestinus Episcopi salutem in Domino. Notum facimus, quod cum Nos ex- " posuissemus oraculo viuæ vocis excellenti Principi Domino Philippo Franco- " rum Regi Illustri treugas per sanctissimum patrem & Dominum nostrum D. Bo- " nifacium Papam VIII. litteris suis patentibus iamdudum indictas vsque ad fe- " stum Natiuitatis B. Ioannis Baptistæ proximè iam elapsum, ibi Regi ac Roma- " norum & Anglorum Regibus Illustribus super guerris instigante Diabolo sus- " citatis inter Romanorum & Angliæ Reges prædictos, seu quemlibet eorum ex " vna parte, & prædictum Franciæ Regem ex altera, quas treugas publicare & di- " ctas litteras præsentare Francorum & Anglorum Regibus ipsis distuleramus ex " causa, nec-non ad prorogationem dictarum treugarum ante tempus earum fini- " tum, litteris suis patentibus per dictum Dominum nostrum factam, à dicto fe- " sto B. Ioannis Baptistæ proximo præterito vsque ad biennium petcompletum, " ac etiam vsque ad dictum tempus treugas de nouo indictas: sententias insuper " excommunicationis in Contrauenientes latas per ipsum Papam, prout in dictis " litteris plenius continetur. Cumque dictas litteras præsentaremus dicto Regi " Franciæ legendas, idem Rex in continenti, antequam eædem litteræ legerentur, " nomine suo & se præsente fecit exprimi & mandauit in nostri præsentia prote- " stationis huiusmodi & alia quæ sequuntur. Videlicet *Regimen temporalitatis* " *Regni sui ad ipsum Regem solum & neminem alium pertinere*, seque in eo nemi- " nem superiorem recognoscere nec habere, nec se intendere supponere vel subii- " cere modo quocunque viuenti alicui super rebus pertinentibus ad temporale re- " gimen Regni: sed potius se intendere feuda sua iustitiare, Regnum suum defen- " dere continuè iusque Regni per omnia prosequi cum subditis suis, amicis & va- " litoribus, prout hæc Dominus ministrabit; maximè cum dictarum treugarum " indictionis virtus, vel indicentis intentio, ipsum Regem aliquatenus non impe- " diat in promissis, vel aliquo eorundem vt dicebat, nec aliquem obicem contra- " rietatis opponat; sed dicti Regis Regnique sui turbatores & æmulos arctiùs de- " primat, illorum cumpescat audaciam, ausus frænet, ac excommunicationis sen- " tentias, si contra tenorem treugarum ipsarum venire præsumpserint, ipso Rege " dictoque Regno suo, remanentibus non ligatis iuxta declarationem per dictum " Dominum Papam factam litteris suis patentibus ipsi Regni directis; à quibus " declaratione & protestationibus verbo vel facto nunc vel in futurum, idem Rex " non intendit recedere, vt dicebat. *Quatenus autem ipsius Regis tangit anim an* " *& ad spiritualitatem attinet*, idem Rex prædecessorum suorum sequens vesti- " gia, paratus est monitionibus & præceptis sedis Apostolicæ deuotè ac humiliter " obedire, in quantum tenetur & debet, & tanquam verus & deuotus filius, sedis " ipsius & Sanctæ Matris Ecclesiæ reuerentiam obseruare. Quibus præmissis nos " ad publicationem dictarum treugarum & earum prorogationis ac sententiarum " processimus, dictasque litteras Apostolicas & earum tenorem legi & seriatim " exprimi fecimus Regi prædicto: In quorum testimonium Sigilla nostra Præsen- " tibus duximus apponenda. Datum Ctedulij Beluacens. Diœcesis 13. Kal. Maij " an. Dom. 1297. Pontific. prædicti D. Bonifacii VIII. an. 3. "

Vt hæc agnouit Bonifacius, existimauit mitius deinceps esse procedendum, ne florentissimum Regnum sedique Romanæ semper addictissimum & Charissimum ad extrema furtò audendum adduceret. Itaque Constitutionem supradictam, quæ incipit *Clericis Laicos*, quæ discordiæ causa erat, temperandam esse censuit; datisque litteris declarauit mentem suam nunquam fuisse, vt in Regno Franciæ locum haberet, probè sciens Regem vrgente necessitate ab Ecclesiasticis Regni sui ad eiusdem tuitionem & defensionem iustas suppetias posse exigere inconsulto etiam Romano Pontifice, dummodo vicesimum ætatis suæ annum exegerit: si verò infra illam ætatem sit positus, idem Papa constituit, vt cum Laicis Proceribus adhibeat Ecclesiasticos, quodque æquum esse viderint, edicant. Bulla autem ipsius talis est.

Boniſacius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac Dilectis filiis electis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Capitulis & aliis Perſonis, nec-non & nobilibus viris Ducibus, Comitibus, Baronibus, Militibus & cæteris per Regnum Francorum conſtitutis. Ad perpetuam Rei memoriam. Etſi de ſtatu Regni cuiuſlibet, in quo Catholicæ fidei cultus viget, paternæ ſollicitudinis ſtudio cogitemus, adſtatum tamen Chriſtianiſſimi Regni Franciæ, in quo ſemper anteactis temporibus ergaRomanam Eccleſiam Matrem viguit deuotionis integritas, reuerentiæ plenitudo reſplenduit, feruens obedientiæ promptitudo, tanto ſolertius aciem conſiderationis extendimus, & circa illud cogitationis noſtræ verſatur inſtantia, quantò ipſum vberiori fauore proſequimur & ſincerius gerimus in viſceribus Charitatis. Dudum ſiquidem Paſtoralis officii debitum exequentes in fauorem Eccleſiarum & Eccleſiaſticæ libertatis authoritate Apoſtolica duximus ſtatuendum, ne Prælati & Perſonæ Eccleſiaſticæ cuiuſcunque Dignitatis, ſtatus, aut conditionis exiſtant, ſub adiutorii, mutui, vel doni nomine Imperatoribus, Regibus, Principibus ac Præſidentibus cæteris præſtent abſque Apoſtolicæ ſedis authoritate ſubſidia, quocunque nomine cenſeantur, nève Imperatores, Reges, Principes aut aliter Præſidentes ea imponere, exigere vel recipere ab eiſdem Prælatis, & Perſonis Eccleſiaſticis audeant, certis pœnis adiectis nihilominus in hac parte. Verum nonnulli noſtræ intentionis ignari ſuæque prudentiæ innitentes, huiuſmodi Conſtitutionem noſtram non rationi, aut æquitati conſonæ, ſed voluntariæ interpretationi ſubiicere moliuntur, non attendentes quod ad eum qui condidit, interpretatio noſcitur pertinere.

Nos igitur huic morbo congruam intendentes adhibere medelam, & vt cuiuſlibet ambiguitatis ſcrupulus in hac parte tollatur & veritatis puritas eluceſcat, authoritate præſentium declaramus, quod Conſtitutio ipſa, vel eius prohibitio ad donatia vel mutua, ſeu quæuis alia voluntaria Prælatorum & Perſonarum Eccleſiaſticarum eiuſdem Regni, cuiuſcunque ſtatus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, omni prorſus tractione aut exactione ceſſante, ſe aliquatenus non extendat, licet ad id forſitan Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Francorum Regis Illuſtris & ſucceſſorum ſuorũ qui pro tempore fuerint, aut Officialium eorundem ſeu Ducum, Baronum, Nobilium vel aliorum Dominorum Temporalium de Regno prædicto, requiſitio Curialis & amica præcedat, quodque feudalia, cenſualia, ſiue iura qualibet in rerum Eccleſiaſticarum datione retenta, vel alia ſeruitia conſueta Regi eiuſque ſucceſſoribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus & aliis Temporalibus Dominis ſupradictis tam de iure, quàm de conſuetudine à perſonis Eccleſiaſticis debita præfata Conſtitutio non includat, vel aliquatenus comprehendat, & quod perſonæ Eccleſiaſticæ pro Eccleſiarum ſuarum vtilitaribus, compoſitionis aut tranſactionis titulo, vel alio quouis modo, ſeu pro libertatibus acquirendis cum Rege ſuiſque ſucceſſoribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus & aliis Dominis temporalibus prælibatis, prout conſcientiis eorum videbitur & ante Conſtitutionem eandem poterant, liberè valeant conuenire, nec illas per ipſius Conſtitutionis vigorem in iis contingat aliquatenus impediri; quodque Conſtitutio eadem Clericos clericaliter non viuentes, ſe ſe mercationibus & mercimoniis præſertim inhoneſtis & vilibus, vel ſæuis immiſcentes actibus non defendat. Adiicimus inſuper huiuſmodi declarationi noſtræ, quod ſi præfatis Regi & Succeſſoribus ſuis pro vniuerſali vel particulari eiuſdem Regni defenſione periculoſa neceſſitas immineret, ad huiuſmodi neceſſitatis caſum ſe nequaquam extendat conſtitutio memorata, quin potius idem Rex & Succeſſores ipſius poſſint à Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis dicti Regni petere ac recipere pro huiuſmodi defenſione ſubſidium, vel contributionem, illudque ad illam Prælati & Perſonæ prædicti Præfato Regi ſuiſque Succeſſoribus inconſulto etiam Romano Pontifice teneantur & valeant ſub quotæ nomine aut alios etiam imperari, non obſtantibus Conſtitutione prædictâ, ſeu quouis exemptionis, vel alio quolibet priuilegio ſub quacunque verborum forma confecto à ſede Apoſtolica impetrato; quodque neceſſitatis declaratio ſupradictæ ipſius Regis & ſucceſſorum ſuorum conſcientiis, dummodo ſucceſſores ipſi viceſimum ætatis annum exegerint, relinquatur, ſuper quo dictorum Regis

& ſucceſſorum conſcientias onerari, eiſque innoteſcere volumus, quod quidquid recipi vltra ipſius defenſionis caſum contigit, in ſuarum recipient periculum animarum, ſub quo niſi ſalubritet prouidere aut attendere potuerunt, in quo periculo temanetent. Si verò defenſionis prædictæ tempore huiuſmodi ætatis annum præfati non exceſſerint ſucceſſores, declaratio neceſſitatis eiuſdem Prelatorum, Clericorum & Laicorum, qui de ipſorum ſucceſſorum ſtricto conſilio ſeu maioris partis ipſorum fuerint, conſcientiis relinquatur, quorum ſimilitet conſcientias onerati volumus, eiſque plenius aperiri. Quod ſi quid vltra caſum defenſionis reciperetur eiuſdem, in diſpendium ſalutis Conſiliariotum reciperetut ipſorum, illudque reſtituere teneantur: quodque prærerea non exiſtit inteutionis noſtræ, non extitir, nec exiſtet per conſtirutionem prædictam ſeu declarationem præſentem Iura, libertates, franchiſias, ſeu conſuetudines quæ præfatis Regi & Regno, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus & quibuſvis aliis temporalibus Dominis editionis præfatæ conſtitutionis tempore, ac etiam ante illud competere noſcebantur, tollere, diminuere, vel quouis modo mutare aut eis in aliquo derogare, ſeu nouas ſeruitutes, vel ſubmiſſiones imponere, ſed iura, libertates, franchiſias, & conſuetudines ſupradictas prætactis Regi & aliis illæſa & integra conſeruare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Apoſtolorum Petri & Pauli eius ſe nouerit incurſurum. Datum apud Vrbem veterem 11. Kal. Aug. Pontificatus noſtri an. 3.

Haſce litteras Officialis Eccleſię Pariſienſis reſtatus eſt authentico inſtrumento dato die Veneris poſt Natiuitatem Domini an. 1303. ſe vidiſſe: in cuius rei teſtimonium ſigillum Curiæ Pariſienſis pręſentibus litteris duxit apponendum. ſuper plicam ſiq. Bitris.

1297.

Anno 1297. Bonifacius Papa intelligens Philippo Regi diſplicuiſſe Bullam quam anno præterito emiſerat contra Exactores Decimarum, eam mitioribus verbis temperauit, ſic interpretando vt nollet eam extendi ad voluntaria Prælarorum aliorumque Eccleſiaſticorum dona, quibus licere voluit Regi ſubſidiarias pecunias conferre ad Regni defenſionem, ad ipſius filiorumque eius, ſi forte caperentur in bello, redemptionem.

Canonizatio S. Ludouici Regis.

Idem poſt multiplices inquiſitiones in vitam & miracula Ludouici IX. quondam Francorum Regis, eum Catalogo Sanctorum adſcripſit 3. id. Aug. præmiſſis in eius laudem duabus concionibus: vnâ in ipſis ædibus Pontificiis die Martis ante feſtum S. Laurentii apud Vrbem veterem, in qua ſe Ludouicum cognouiſſe & vidiſſe aſſerit: altera in Æde Minoritarum 3. id. Aug. In priore meminit adhibitę à Prædeceſſoribus ſuis ſummis Pontificibus diligentiæ in aſſequenda miraculorum ipſius veritate & vitæ cognitione. Hæc autem in ea habet inter cætera.

Quia actus iſte, ſcilicet adſcribere in Catalogo Sanctorum per Canonizationem Romani Pontificis, ſingularis excellentia reputatur in Eccleſia militante, & ad ſolum Rom. Pontificem pertinet hoc agere, idcirco ſummam grauitatem in facto tam ſingulari ſedes Apoſtolica voluit obſeruare. Quamuis & vita ſua fuiſſet ita manifeſta & multo miraculo viſa, ſicut ſuperius dictum eſt, preces etiam Regiæ, Baronum & etiam Prelatorum pluries acceſſiſſent, nihilominus cum inquiſitionibus priuatis pluribus iam factis adhuc voluit inquiſitiones ſolennes per non paruum tempus facere. Durauit iſtud negotium iam per 24. annos vel amplius. Et licet D. Nicolaus III. ante dixiſſet, quod ita nota erat ſibi vita iſtius Sancti, quod ſi vidiſſet duo vel tria miracula, eum canonizaſſet, ſed morte praeuentus non potuit hoc perducere ad effectum. Ex abundanti tamen fuit adhuc commiſſum negotium inquiſitionis viris Venerabilibus & Diſcretis, Archiepiſcopo ſcilicet Rothomagenſi, Epiſcopo Antiſſiodorenſi, & M. Rolando de Palma Epiſcopo Spoletano: Et iſti de 63. miraculis teſtes receperunt, examinauerunt, & iam ſexdecim annis tranſactis ad Curiam remiſerunt. Inſuper per illos 16. annos continuè aliqui ex parte Regis Francorum necnon Prelatorum & ſpecialiter F. Ioannes de Sameſio continuè inſtiterunt. Tandem pro dicto negotio tempore D. Martini commiſſum eſt negotium tribus Cardinalibus ad examinandum, qui viderunt, examinauerunt, & pro magna parte rubricauerunt. Sed cum ante mortem D. Martini non fuiſſet facta relatio negotii, peruenit tandem ad tempora Honorii; & tunc lecta fuerunt plurima miracula & coram Fratribus noſtris Cardinalibus diligenter diſcuſſa. Sed

dum ventilaretur negotium, superueniente morte D. Honorii negotium siluit. Tempore verò D. Nicolai IV. commissum negotium tribus aliis Cardinalibus, D. scilicet Ostiensi, D. Portuensi & Nobis in statu Cardinalatus adhuc existentibus. Quia mortui erant illi Cardinales, quibus negotium prius fuerat commissum, postea etiam mortuo D. Ostiensi subrógatus fuit sibi D. Sabinensis. Et ita per tot & toties examinatum est, rubricatum & discussum negotium, quod de hoc plus factum est de scriptura, quod vnus asinus posset portare. Nos etiam de manu propria scripsimus & diligenter examinauimus multa miracula examinata & rubricata non solum per illos prædictos Examinatores, sed etiam per plures alios Cardinales. Et voluimus vt quilibet sigillatim daret consilium suum in scriptis, ne odio vel amore, seu etiam timore aliquo aliquid faceret. Ex istis ergo & pluribus aliis potest euidenter concludi, quod seruata fuit maturitas, & plusquam maturitas in prædictis. Et ideo de tam egregio viro & sic in sanctitate vitæ & miraculorum probato securè possumus asserere, quod non debet amplius fama sanctitatis eius sub modio latere, sed debemus ei dicere. Amice ascende superius vt sit tibi gloria in Ecclesia militante, coram simul discumbentibus.

Existimant aliqui, & inter alios Platina à Bonifacio non Ludouicum XI. Franciæ Regem, sed Ludouicum de Sicilia seu Massiliensem, inter Sanctos relatum fuisse: sed ex ipsamet Canonizationis Bulla erroris conuincitur. Quæ talis est.

Bulla Canonizationis.

Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, exemptis & non exemptis per Regnum Franciæ constitutis salutem & Apostolicam benedictionem. Gloria, laus & honor Patri luminum à quo est omne datum optimum & perfectum, à cunctis fidei Orthodoxæ cultoribus quorum spes tendit ad superos, summis & sedulis deuotionis & reuerentiæ studiis referantur. Ipse namque in misericordia copiosus, liberalis in gratiis & in retributione munificus, de supremis cœlorum ad ima mundi oculos suę Maiestatis inflectens & benigna consideratione discutiens, B. Ludouici quondam Regis Franciæ inclyti, suique gloriosissimi Confessoris merita grandia operaque mirifica; quibus ipse constitutus in seculo, ceu lucerna luminosa resplenduit: eaque veluti iustus Iudex & retributor laudabilis dignanter intendens, condignis recompensare muneribus, eum tanquam emeritum & retributione dignissimum post vitę pręsentis ergastulum & laboriosa mundi certamina (quæ feruens in diuinis obsequiis potenter & patienter exercuit) æthereis sedibus collocauit, vt sedeat cum principibus & solum glorię teneat, felicitatis æternæ dulcoribus potiturus. Exultet igitur Mater Ecclesia ac solennia festiua concelebret gaudiorum, quod tantum & talem filium genuit, produxit natum, educauit alumnum, [illegible] inter Regum cœlestium gloriosa agmina rutilantem. Lætetur inquam & iubilet, ac in laudes altissimi voces promat: quod sobolis tam præcelsæ, tam celebris illustrata fulgoribus, insignis decorata conspicitur. Quæ sonoris attollenda præconiis summæque venerationis exhibitione colenda, enucleatius aperit, euidentius explicat, illos ad perennis beatitudinis gaudia & hæreditatis æternæ participationem admittendos qui prædictam Ecclesiam, Matrem fidelium, sponsam Christi claris fidei & operis testimoniis profitentur, nullosque in supernæ patriæ gloriam, nisi per eius vtpote cœlorum clauigeræ ministerium virtuosum ostiis reseratis altissimis introire. Gaudeant incolarum turbæ Cœlestium de tam sublimis, tam lucidi habitatoris aduentu, quod ipsis expertus probatusque fidei Christianæ colonus cultorque præcipuus aggregatur. Personet lętitię iubilum, ciuium gloriosa nobilitas supernorum, quod tanti talisque conciuis suscepisse dignoscitur adiectiuum, ac Venerabilis Sanctorum cœtus gaudio & exultatione refloreat de noua dignissimi adhibitione consortis. Exurge itaque Concio numerosa fidelium, exurgite fidei zelatores; & vnà cum eadem Ecclesia laudis vberis hymnum concinite. Perfundantur imbre copioso lætitiæ vestra præcordia & fœcundo rore dulcedinis arcana pectoris repleantur, de tanta tam potentis & egregii Principis exaltatione [illegible] terreni, spei tutissimæ plenitudine præconcepta, quod Nobis [illegible] indigena terrenorum Compatriota Cœlestium iam effecto apud æterni Patris filium efficax patronus accreuit: qui pro salutis nostræ profectibus iam in eius præsentia positus solertis exercet officium Oratoris. Porro quis posset amplo flumine præpotens, qui disertus quantumlibet, aut eloquii nitore coruscans sufficienter exprimere præcelsa

celsa sanctitatis insignia & multiplicium excellentiam meritorum, quibus B. Ludouicus prædictus in terris constitutus effulsit, cum eo plura de ipsius laudabilibus actibus referenda se offerant, quo plura calamus exprimit, pandunt labia, lingua pangit. Sed ne ipsorum actuum claritas sub nubilo lateat, tenebris obducatur, dignum duximus vt de illis aliqua sermo noster aperiat & deducat in publicam notionem.

Hic profectò clarissimus genere, sublimis potentia, facultatibus opulentus, præcelsus virtutibus, moribus elegans, conspicuus extitit honestate: inhonestis & turpibus à se penitus relegatis. Nam sic pudicitiæ adhæsit operibus, sic carnis studuit euitare contagia, quod sicut habet certa credulitas plurimorum, nisi ei nexus accessisset vxorius, candore virgineo rutilasset. Longiquippe spatio temporis prædicti Regni regimini præfuit, eiusque gubernacula, plena curis prouidâ circunspectione direxit: nulli noxius, non iniuriosus alicui, nemini violentus. Iustitiæ limites summopere seruauit & coluit, æquitatis tramitem non relinquens. Peruersorum conatus nefarios pœnæ debitæ mucrone compescuit. Malorum molimina conterens, prauorum illicitos ausus frænans. Pacis zelator eximius, feruidus amator concordiæ, promotor solicitus extitit vnitatis, dissidia fugiens, vitans scandala, dissensiones abhorrens. Propter quod sui felicis regiminis tempore, sedatis vndique fluctibus, seductis noxiis, turbinibus profugatis, Regni eiusdem incolis auroræ dulcifluæ tranquillitatis illuxit, lætaque serenitas votiuæ prosperitatis arrisit. Et vt de vita ipsius aliqua referamus: licet illa, quo maiori expositione discuritur, examine indagatur, eo referentis afferat gustui plus dulcoris mentesque delectet obnixius auditorum.

Compendium vitæ S. Ludovici Pulcritia.

Ab ineuntis ætatis primordiis Dei filium tenera mentis affectione dilexit; nec diligere desiit studia continuando salubria, dum vitæ sibi commoditas affuit temporalis; sed quanto maiori profecit ætate, ac tempora prolixiora prosiliit, tanto in eius exarsit amorem feruore spiritus ampliore. Hic equidem cum esset annorum 12 paterno destiturus auxilio sub claræ memoriæ Blanchæ Reginæ Franciæ, matris suæ custodia & gubernatione remansit: quæ circa Diuina obsequia feruenter intenta eum prudenter dirigere ac libenter instruere satagebat, vt ad prædicti Regni regimen, quod suæ directionis expetere prouidentiam noscebatur, idem Rex ætatis annum 14. attigisset, prædicta Regina sibi proprium Magistrum deputauit, qui eum scientiâ litterarum imbueret, ac bonis moribus informaret, Ipseque Rex sub eiusdem Magistri ferula positus sic ei obediens & reuerens existebat, sicque illius recipiebat humiliter disciplinam, quod superna præueniens gratiâ profecit laudabiliter in vtrisque. Circa Diuina sic intentus officia, vt nequaquam ipsorum auditione contentus existeret, nisi ea quæ coram se diè noctuque à suis faciebat Clericis solenniter celebrari, ab ipso cum eorum aliquo attentius dicerentur.

Demum successu temporis in anno vicesimo constitutus & quadam sibi ægritudine superueniente grauatus à Meldensi & Parisiensi Episcopis assistentibus tunc eisdem, viuificæ Crucis signaculum in Terræ-Sanctæ subsidium sibi cum multa instantia petiit exhiberi. Et licet hoc ei rationabili causâ moti præfati dissuaderent Episcopi, ipse tamen vt pote feruens spiritu erga Deum eique votis ardentibus famulari desiderans, illorum salubritet dissuasionibus non admissis signum huiusmodi de manu præfati Parisiẽsis Episcopi cum multa lætitia & exultatione recepit, Prælatis, Nobilibus & Militibus plurimis signum ipsum assumentibus cum eodem. Et tandem amplo præparato Nauigio factisque apparatibus aliis qui in talibus requiruntur, cum 34. annum attigisset ætatis in prædictum subsidium trans fretauit: consortes ei Robertum Attrebatensem, Alfonsum Pictauiensem, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ tunc Andegauiæ, Comites fratres suos dum adhuc viuerent, secum ducens, multa grauiaque pericula quæ solent æquoræa fluctus ingerere, sustinendo. Cumque ad partes illas ingenti circumfultus potentiâ peruenisset vlterius generali quasi totius exercitus eiusdem, sicut Domino placuit, ægritudine subsecutâ, & aliis aduersis vrgentibus præfatus Rex cum toto suo exercitu supradicto in Soldani & Saracenorum manus ac potentiam incidit, multa opprobria multasque iniurias, quæ inferentium fœda conditio adaugebat,

patienter & humiliter tolerando, præfato Roberto Comite pro fide Christi, ab illis immaniter interempto.

Poſtmodum autem cum Soldano tunc viuente tractatum de iam dicto Rege ac exercitu liberando, maximâ interueniente pecuniæ quantitate, ipſoque Soldano occaſione huiuſmodi à Vaſſallis propriis interfecto, Saraceni qui eius dominium vſurparunt, ad pecuniam anhelantes, eandem cum multa inſtantia poſtulabant, vt in Conuentionibus ordinatis concorditer inter partes iureiurando firmandis penitus adderetur, quod niſi ipſi pacta ſeruarent, omnino Machometum, quem colunt, vt dicitur, denegarent, ac idem Rex in ſuo adiiceret ſacramento, Quod & ipſe Dei negaret filium ac extra fidem eius exiſteret, ſi conuentiones prædictæ ab eo minimè ſeruarentur Quod præfatus Rex abominans, id efficere conſtantiſſimè recuſauit: quin potius quadam indignatione commotus patenter aſſeruit, Quod talia tam nefanda ſuis labiis aliquatenus non proferret, neque in tam veſanam & reprobam prorumperet negatiuam; quamuis ad idiam dicti Pictauiæ & Andegauiæ Comites aliique tunc plurimi circunſtantes inſtantiſſimè ſuaderent, cum exinde ſibi cæteriſque Chriſticolis mortis periculum veriſimiliter imminere conſpicerent; præſertim cum hoc ageretur cum illis qui ſicut præmittitur, Soldanum prædictum occiderant, eius ſibi dominium vſurpantes, ipſique Regi apertius diceretur, quod niſi in actum produceret quod petebant, ipſum & ſuos crucifigere non differrent; ipſiuſque Regis adhæc intrepida firmaque reſponſio eſt ſecuta. *Quod ſi Saraceni prædicti* eius corpus occiderent, ipſius tamen animam non haberent.

Sanè cum iam dicti Paſſagii tempore poſt conflictus diuerſos & varios validæ famis inediam, graues penurias, diraque vulnera, quæ fideles Chriſti pertulerant, eodem Rege tunc temporis fluxum ventris & ægritudines alias patiente, Chriſtianus reuerteretur exercitus Damiatam, Rex ipſe nolens illum omnino deſerere, ſed eius potius clementer intendens communicare laboribus & participare periculis, quæ tunc ex veriſimilibus poterant coniecturis timeri, illuc rediit cum eodem contra Saracenorum rabiem truculentam inſultuſque nefarios ſibi efficax defenſionis impendendo præſidium, vt ab huiuſmodi hoſtium ſceleſtis inſidiis ſeruarentur. Et tandem cum Saracenorum ipſorum aſtuta nequitia & doloſa calliditas tam grandi bellantia copioſa Chriſtianum circundediſſet exercitum, validâ tunc ſicut præmittitur, infirmitate detentum: ipſumque tam grauiter inuaſiſſet, quod Regem & exercitum ſupradictos oportuerit ſe præfatis reddere Saracenis: ac idem Rex niſi facto voluntatis libitum obſtitiſſet, per nauis tunc promptæ potuiſſet euaſiſſe ſuffragium, ſibique hoc plurimi magnique præſentes inibi ſuaderent, ipſe tamen propter nimiæ Charitatis ardorem quo vehementius æſtuabat, volens potius periculis corpus exponere, vt Chriſtianus populus ſeruaretur illæſus, licet Sarracenorum exiſteret ignota potentia Chriſtianis, euadere noluit remanentibus cæteris vinculo captionis aſtrictis apertius aſſerendo quod militiam quam ſecum deduxerat, ſecum ſi poſſet reducere intendebat, vel capi ſeu mori pariter cum eadem. Cumque inter Regem & Chriſtianos ac Saracenos prædictos de ipſorum Regis & Chriſtianorum, ſicut ſuperius expreſſum, liberatione tractatus habitus & conuentionum ſubſecuta ordinatio extitiſſet, Saraceni pro quadam parte pretii redemptionis huiuſmodi, quæ ſoluenda reſtabat, ſecuritatem habere plenariam intendentes in electione ipſius totaliter poſuerunt; vt vel ipſe liberaretur à carcere remanentibus cæteris Chriſtianis in vinculis, donec ipſa huiuſmodi ſolutio perfecta ſuccederet, vel quod idem in carcere remaneret, Chriſtianis ipſis omnimodè liberatis. Præfatus Rex ſuper hoc promptum nec dilatum reſponſum præbuit, Quod ipſe, quo vſque ſolutionis huiuſmodi proueniret integritas, remanere in carcere intendebat, Chriſtianis aliis libertati priſtinæ reſtitutis: quanquam præfati Alfonſus & Carolus ac alii viri nobiles tunc aſtantes expreſſè dicerent & profiterentur apertius, quod in hoc nullatenus conſentirent, ſupplici adiicientes inſtantiâ, quod potius Rex ipſe recederet aliis minimè abſolutis, Rege ipſo firmiſſimè replicante contrarium, nec aſſentiente ſermonibus eorundem. Et tandem Rege & cæteris captiuis eiſdem plenæ redditis libertati, dictoque Alfonſo pro eiuſdem ſolutionis perfectione faciendâ

absside dimisso, præfatus Rex de Galea in qua erat, egredi noluit, donec ipsius solutionis defectus extitit adimpletus, dictusque Alfonsus ad eius præsentiam rediit: ac omnes etiam Christiani quos in propinquo carcere detinebant inclusos, quosque in Babyloniam manus inimica non traxerat, liberati à vinculis: ac illi etiam qui tunc in præfata Damiata similiter tenebantur, fuerunt in nauibus collocati. Demum præfatus Rex cum eodem liberatus exercitu ad Ciuitatem tendiens Aconensem, moramque inibi fermè per quinquennium contrahens, tanquam feruidus salutis humanæ amator multorum Agarenorum mcotes durasquancumlibet non solum salubris eloquii suadelis, sed etiam exemplo vitæ laudabilis conuertit ad Dominum, ipsos faciens ad laudem Diuini nominis & exaltationem Catholicæ fidei honorificè baptizari, eos donis prosequendo largifluis & gratiosis fauoribus confouendo, multosque milites & alios Christianos redimi faciens, eis de munificentia Regia tam vestes quàm cætera necessaria victui, prout singulorum suadebat conditio, ministrabat. Muros quoque seu mœnia Ciuitatum & Castrorum quam plurimorum, quæ in illis partibus à fidelibus tenebantur, fecit reparari solenniter, eaque firmiter muniri & integrè prout necessitas exigebat.

Verum prædictus Rex processu temporis, intellecto quod Matrem eius mors amara substraxerat, & eidem Regno graue periculum immineret, de Procerum suorum Consilio ad Regnum Franciæ remeauit, nunc sanctitatis insistens operibus, nunc Monasteria & hospitia Pauperum, nunc domos alijs diuinis obsequiis dedicandas, quæ longum esset enarrare per singula, construi faciendo, eis de bonis propriis amplis dotibus deputatis; nunc etiam infirmos & debiles in diuersis Monasteriis & Zenodochiis decumbentes personaliter visitans, ipsos verbis consolatoriis confouebat, eis manibus propriis, flexo genu potus & cibaria ministrando. Cumque in Monasterio Regalis-Montis Beluacensis Diœcesis, quod idem Rex opere plurimum sumptuoso construxit ac dotibus decorauit eximiis, Monachus quidam Leodegarius nomine moraretur, quem adeo Lepræ morbus inuaserat, quod abominabilis & despectus quamplurimū manebat segregatus ab aliis in quadam Camera positus Monasterii memorati, cuiusque oculi ob grauis infirmitatis pondus seu malitiam iam consumpti nihil omnino videbant, eorum foraminibus, siue locis rubeis & horridis iam effectis, quique nasum perdiderat, eiusque tumefactis non modicum labiis & profundâ scissurâ destructis: ac idem Rex eum præsente duntaxat Abbate Monasterii supradicti personaliter visitaret, ipsumque sumentem cibum, vt poterat inuenisset, præfatus Rex præmisso benignæ salutationis alloquio, flexit genua coram ipso, & scindens manibus propriis carnes eidem appositas, bolos in os eius studiosissimè immittebat & huiusmodi non contentus obsequio, allatis eius iussione dapibus regalibus, de ipsis eidem Monacho ministrabat, loci aut ægri qualitatem horribilem non euitans: eodem Abbate vehementi stupore concusso, quod tanti sublimitas Principis talibus quantumcunque salubribus inuolui studiis ac seruitiis poterat occupari.

Præterea cum dictus Rex Hospitale Compediense ingressus ad impendendum humanitatis obsequium infirmis in illo degentibus; & iam fessus non modicum ex labore, infirmum quendam iuxta se positum conspexisset, morbum, qui sancti Eligii dicitur, patientem, & flexis genibus coram ipso morcellum pyri remoto cortice ponens in os eius, sanies de eius naribus defluens fœdauit turpiter manus Regis: qui benignè pièque id tolerans, nec in aliquo exinde immutatus, lotis illico suis manibus, salubre quod inchoauerat, obsequium diligenter est prosequutus. Hic circa seruos Christi ac Pauperes atque miserabiles & deiectas personas valde compatiens, seipsis in eleemosynarum largitione munificum exhibebat. Virginibus insuper, quibus inopia effectum maritalis copulæ denegabat, ne illas in casus lubricum labi contingeret, de dotibus congruis prouidebat illis de bonis regalibus: laudabiliter & salubriter expensum reputans, quod in eleemosynas & alios pios vsus conuerti pro tempore noscebatur. Hinc prædicationibus & aliis propositionibus verbi Dei attentum cōmodabat auditū, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis studiosus. Abhorrebat hæreticæ prauitatis macula infectos, ne fidei Christianæ cultores labe huiusmodi contagionis inficerent, de regni prædicti finibus efficacibus studiis expellendo, ac alias circa sta-

tum eius prouidendo sollicitè, vt ab ipso fermentis talibus prorsus exclusis, in eo fidei prædictæ sinceritas rutilaret. Cum vero aliquibus partibus dicti Regni, ob sterilitatem seu malitiam temporis victualium caristia imminebat, statim de ipsa rumoribus intellectis certam illuc summam pecuniæ, prout ipsarum exigebat qualitas partium, per fidelem mittebat nuncium inter pauperes diuidendam.

Hic profectò humilitate sublimis, sublimitate humilis, in apparatu & vestibus quas frequenter Pauperibus erogabat, post primum potissimè de vltra-marinis partibus reditum summæ humilitatis insignia demonstrauit. Nec enim aureis vel argenteis ornamentis, non regalibus vestibus, non variis vel griseis sed aliis humilibus pellibus vsus fuit, secularibus pompis à se penitus abdicatis. Et ne seruorum spiritus sociæ carnis ardor extingueret, sed mortificatione ac repressione illum potius accendi contingeret, altiusque sustolli, carnem ipsam quasi assiduâ asperitate cilicii, prout asseritur, edomans, effrenæ ipsius libitum arctæ abstinentiæ fræno coercuit eiusque nexibus alligauit: vt non voti proprii ductâ libidine, non sui desiderii directa remigio, sed salubri moderamine spiritus tutè ad licita pergeret, prouidè ab illicitis abstineret. Districtis enim corpus atterebat ieiuniis, priscorum obseruantiæ à sanctis Patribus ordinatæ nouorum austeritatem adiiciens sibi motu proprio voluntatis indictam.

Nam per totum Quadragesimale tempus & 40. dies festum Natalis Domini præcedentes, & omnium festiuitatum vigilias, nec non & Quatuortemporaquæ Catholica indicit Ecclesia, in ieiuniis & orationibus existebat, deliciosis & curiosis cibariis vsui proprio penitus interdictis. In festiuitatum vero Virginis gloriosæ & Natalis Domini memorati vigiliis & sexta feria Maioris hebdomadæ ieiunium obseruabat, panis & aquæ duntaxat modicâ sustentatione contentus. Quolibet etiam die veneris Quadragesimæ supradictæ ac totius aduentus ab esu piscium abstinebat. Multis præterea vigiliis se occupans, ne aliqua sibi hora temporis inutiliter pertransiret.

Post eius reditum supradictum non in pluma vel paleis iacuit, sed super ligneum lectum portatilem, materacio simplici superiecto, stramine nullo supposito decumbebat. Hic insuper vitæ puritate prælucidus, sincerus veritatis amicus extitit, hostisque durissimus falsitatis. Cuncta quoque ipsius eloquia salutis argumentum operaque salubria hortabantur, demulcebant auditorum præcordia & in eorum ædificationem multipliciter redundabant.

Cumque ad incrementa Catholicæ fidei & deliberationem celerem Terræ sanctæ votis ardentibus anhelaret, in ipsius Terræ subsidiū assumpsit denuo signū Crucis. Et deinde potenti ac valido congregato nauigio copiosa & strenua comitiua suffultus cum ipso Pictauiæ Comite suisque liberis & claræ memoriæ Regina Nauarræ ipsius Regis filia, quæ in reditu debitum naturæ persoluit, ad partes rursum se transtulit transmarinas, Carolo qui tunc moram in Partibus Italiæ contrahebat, Regis memorati vestigia subsequente. Ac tandem ad partes Tunicii felici gressu perueniens, inibi de Magnatum suorum consilio castra fixit, & aduersus Sarracenorum incursus exercens potentiæ suæ vires, grauissimas ob labores innumeros quibus premebatur assiduè, infirmitates incurrit. Qui diebus lapsis aliquibus infirmitatum ipsarum violentiâ superatus sacramenta Ecclesiastica cum summa deuotione recepit: ac instante sibi verisimiliter horâ mortis, oratione pro exercitu Christiano præmissâ suam Domino deuotis precibus animam tecommendans ac litteraliter exprimens verba sequentia, videlicet *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, feliciter migrauit ad Christū supernis deliciis fruiturus. Verum cum vitæ huius functus curriculis verius viueret, quàm cū vixisset, noluit Altissimi Filius, quem idem tota mentis affectione dilexerat, tam deuoti Principis tantique propugnatoris fidei orthodoxæ mundo supprimi sanctitatem; vt quemadmodum meritorum pluralitate præfulserat, sic miraculorum diuersitate claresceret, & qui eum plenissimâ deuotione coluerat, iam secum in cœlesti palatio collocatus venerabiliter coleretur. Nam contractis, artuum extensione subuenit, curuis terram fermè tangentibus facie, plenam restituit eorum sursum erectis vultibus sanitatem: strumosis beneficium liberationis impendit.

MIRACVLA.

Mulierem quandam cuius brachium aridum & omnino impotens existebat, ab infirmitate huiusmodi liberauit.

Quidam quoque, cuius velut emortuum pendebat brachium, per eius Sancti virtutem, gratiam curationis obtinuit: Compluribus Paralytico morbo percussis, & aliis qui diuersis languoribus tenebantur, plenâ redditâ sospitate, cæcisque visu, surdis auditu, claudis gressu, illius inuocato nomine restitutis. His & compluribus aliis Sanctus ipse coruscauit miraculis gloriosus, quorum seriem præsentibus non duximus inserendam.

Gaudeat itaque Domus inclyta Franciæ, quem Principem genuit, per cuius merita sublimiter illustratur. Lætetur deuotissimus Franciæ populus, quod tam electum, tam virtuosum Dominum meruit obtinere. Exultent Prælatorum Cleri præcordia, quod præfatum Regnum tam claris miraculorum ipsius Regis insigniis propensius decoratur. Iocundentur & Procerum, Magnatum, Nobilium, Militum pectora, quod per sanctissima opera dicti Regis, eiusdem Regni status honoris multiplicis prærogatiua sustollitur & quasi Solis radiis elucescit.

Cæterum quia quos superni Regis clementia corona gloriæ in cœlo magnificat, deuotè à fidelibus in hac terrestri Patria conuenit venerari, Nos de sanctitate vitæ & miraculorum veritate ipsius beatissimi Ludouici curiosæ ac solennis inquisitionis diligentiâ, & districti examinis discussione præmissâ plenariam certitudinem obtinentes, ipsum de communi Fratrum nostrorum & Prælatorum omnium tunc apud sedem Apostolicam existentium consilio & assensu die Dominica 3. id. Aug. Sanctorum Catalogo duximus adscribendum. Ideoque Vniuersitatem vestram monemus & hortamur attentè, vobis per Apostolica scripta mandantes, quatinus in crastino B. Bartholomæi Apostoli cum felix ipsius anima tunc de carnis eruta vinculis astra petens Cœlestem aulam adiuerit æternis gaudiis potitura, festum ipsius Sancti deuotè ac solenniter celebretis & faciatis per vestras Ciuitates & Diœceses à Christi fidelibus veneratione congruâ celebrari, vt eius interuenientibus precibus & hic ab imminentibus possitis liberari periculis, & in futuro salutis perpetuæ præmium obtinere. Vt autem ad Venerabile sepulchrum ipsius feruentius & copiosus fidelium confluat multitudo, ac celebrius eiusdem solemnitas peragatur, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui reuerenter illuc in eodem festo annuatim accesserint eius suffragia petituri, de Omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi vnum annum & 40. dies: accedentibus verò annis singulis ad prædictum sepulchrum infra eiusdem festi octauas, 40. dies de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum apud Vrbem veterem 3. id. Aug. Pontific. nostri an. 3.

Eodem anno obiit Narbonæ F. Petrus Ioannes Oliui de Serignano Ordinis Minorum; quem sui viuum persecuti sunt, vt caput Beguardorum & Fratricellorum; mortuum verò & sepultum exhumarunt, eiusque ossa simul cum operibus combusserunt. Quanquam Angelus Clarenus, qui ei familiaris fuerat, scribit eum post mortem miraculis claruisse: & Vadinghus in Annalibus Minorum adhunc an. eum ab omni hæreseos suspicione liberat. Obiit autem die 6. Martii anno ætatis 50. à suscepto habitu 38. Moriens verò vt verè Christianus circa controuersias in Ordine motas de paupertate & aliis articulis hanc fidei Professionem edidit, vt legitur apud Vadinghum.

Hæc illa mea est professio & vltimus sensus circa Controuersias & molestas Quæstiones inter me & præcipuos Ordinis Patres huc vsque exagitatas circa modum & mensuram nostræ Paupertatis.

Dico abdicationem omnis iurisdictionis temporalis & pauperem rerum vsum esse de substantia vitæ nostræ Euangelicæ. Pauperem verò vsum hunc ita explico, vt omnibus consideratis censeatur potius pauper quàm diues, seu declinet potius ad paupertatem, quàm ad opulentiam. Professio fidei Petri Ioannis.

Dico etiam quod defendere pertinaciter transgressiones paupertatis & imperfectiones Regulæ contrarias tanquam bonas, vel cogere ad eas Fratres persequendo illos qui Regulæ puritatem obseruant, peccatum est mortale, à quo non excusat crassa vel affectata ignorantia.

Dico 3. Quod eo grauius est introducere huiusmodi relaxationes in vniuersum

» corpus Religionis, quàm peculiares quosdam ad eadem allicere, quo plures prio-» ri modo corrumpuntur, & suæ Regulæ fiunt transgressores: eodemque modo di-» co intolerabiliores esse relaxationes perpetuò vel diu duraturas, quàm eas quæ fa-» cile extirpantur: nec non maiores illas esse, quæ in omnium oculis & cum pluri-» morum scandalo introducuntur, quàm quæ secretò instillantur.

» Dico 4. Notabiles excessus in ædificiis quoad materiam & curiositatem, pro » quibus construendis multiplices & importuni fiunt quæstus, periculosos esse, eis » præcipuè qui talia defendunt, vel ad illa fratres adstringunt: tendunt enim in » destructionem paupertatis & diuturnæ sunt durationis.

» Dico 5. Litigare vel causas mouere coram Iudicibus circa funeralia aut Legata » pia nobis relicta, impuritas est maxima contra Regulam. Neque obstat, quod » per seculares, seu Fratrum amicos hæc fiant: si tamen Fratres eos ad hoc exci-» tauerint, sumptus aut scripturas ministrauerint; licet enim minus appareat scan-» dalum, verè tamen fraus est occulta & impuritas palliata. Idemque censendum » est de iis qui procurant suis Monasteris annuos reditus, & determinatas vel statu-» tas sub singulis annis prouisiones, præuenientes nimiâ sollicitudine omnes neces-» sitates.

» Dico 6. Quod defendere quorundam insaniam, qui volunt licere nostris Fra-» tribus indui vestibus pretiosis, calceamentis operiri, equites incedere, vel æquè » lautè aut commodè viuere, ac Canonicis Regularibus est in vsu, erroneum ni-» mis est & in Regulam nostram blasphemum.

» Dico 7. Nimiâ auiditate procurare propter emolumentum emergens, vt ali-» qui in nostris Ecclesiis sibi eligant sepulturas: itaut si non expectaretur lucrum, » de his non curaretur, instituere etiam annuas obligationes Missarum propter certa » stipendia, diminuunt plurimum de statu nostræ perfectionis.

» Dico 8. Quod viri Apostolici, seu nostri Fratres qui Euangelicam vitam se glo-» riantur profiteri, debent etiam in superioribus gradibus Dignitatum, seu Epis-» copatuum constitui, quantum eorum status permittit, quod Domino vouerunt, » obseruare.

Hæc quo ad Controuersiam quæ erat in Ordine ob Paupertatem Apostolicam, quam nonnulli talem esse volebant, vt nihil quidquam possidere liceret. Quoad scripta verò sua sic Ecclesiæ submisit, & hanc professionem confessionemque edidit.

» Confiteor Deo & coram vobis assero, solis Scripturis sacris & soli fidei Catholi-» cæ atque Romanæ Ecclesiæ, cuius nunc Gubernator est D. Papa Bonifacius, ad-» hærere ex fide & veluti veræ fidei.

» Nulli autem opinioni humanæ siue meæ, siue alterius quantumcunque » magni Doctoris adhæreo ex fide, seu tanquam fidei, neque adhærebo nisi prius » solidè & fideliter mihi ostenderetur ipsum quod asseritur, esse de fide Rom. » Ecclesiæ. Diabolicum autem esse dico alicui opinioni humanæ tanquam ex » fide immobiliter adhærere. Confiteor etiam quod nulli determinanti hoc vel » illud de substantia fidei nostræ, teneor necessario assentiri, nisi soli Rom. Ponti-» fici aut Concilio Generali: nisi quantum ratio vel authoritas sacræ Scripturæ vel » fidei Catholicæ per seipsam me cogit vt credam. Non ob inde tamen diffiteor » Theologorum & Doctorum sententias esse reuerendas & magni faciendas, dum-» modo apertè contra fidem vel veritatem nihil contineant. Dico etiam vtile esse » contrarias conscribi & defendi opiniones, dum id fiat absque pertinacia: ita » enim exactius veritas examinatur, disputantium ingenia magis exercentur & ad » elucidationem mysteriorum fidei securius peruenimus. Id autem intelligendum » velim de illis opinionibus quę fidei nostræ subancillari dicuntur, vel ad eiusdem » mysteria defendenda conducunt.

» His actis præmissisque sacramentis vt bonum Christianum decet, ait Vadinghus obiisse Narbonæ & à Fratribus sepultum fuisse honorificè: at Minoritas Conuentuum Prouinciæ non desiisse sæuire in mortuum veluti in hæreticum, atque apud Ioannem de Murro Ministrum Generalem effecisse, vt libri eius comburerentur, & rigorosè animaduerteretur in eos qui eius Opuscula retinerent. Hinc Pontium Carbonelli de Bottingata, virum doctrina & sanctitate Illustrem, S. Ludouici Tolosani Episcopi Instructorem olim & Magistrum, inter Sanctos à

nonnullis relatum, coniectum fuisse in carcerem, quod noluisset ea tradere Iudicibus à Generali constitutis. Item Petrum de Nubilo, Ioannem de Valle, Ioannem Iuliani, Franciscum Leoneti, Raymundum de Aureliano, Ioannem Primi, & alios Minoritas insignes ex quorundam insipienti zelo aut ignorantiâ multa mala perpessos.

Tandemque in proximo Capitulo Generali interdictum, ne quis libros illos legeret, non magis quàm hæreticos, idque obseruatum vsque ad tempora Sixti IV. qui eos examinari voluit, & legi non prohibuit.

Fuerunt tamen qui durante persecutione illa libros eius doctrinamque defenderent & inter alios Vbertinus de Casali in Tractatu defensorio seu Apologetico. Fuit & quidam Anonymus eiusdem impugnator: & ex vtroque intelligitur, quæ & qualis fuerit. Præcipua eius Capita refert Vadinghus ab hac nostra historia non aliena; quæ nos quoque breuiter attexemus.

1. Ergo ei imponebant quod dixisset *Characterem nihil in plus animæ imprimere vel in eadem efficere, quàm dedicatio faciat in Ecclesia*. At ex eiusdem scriptis demonstrauit Vbertinus eum docuisse Characterem esse indelebilem & duos vel tres in anima producere constantes effectus. Neque demum si id quod aduersarij obiiciebant dixisset, adeo à Catholica veritate aberrasse, vt statim ab Orthodoxorum catalogo fuerit expungendus. Fuisse enim inter optimos Doctores exagitatam & discussam satis istam controuersiam, quibusdam asserentibus relationem duntaxat esse rationis, pluribus verò absolutam qualitatem. Neque vero authores prioris sententiæ, quam exemplo dedicationis Ecclesiæ & nomine Deputationis ad sacras actiones explicabant, vllam reportasse censuram: sed neque eandem vereri præstantissimos docere Doctores. Quidquid enim ex Decretis Pontificiis aut Orthodoxis Concilijs obijci poterit, non tam contra disputantes de Characteris qualitate vel essentia, quàm contra eandem omnino negantes vim omnem obtinuisse. Et citantur ad marginem Durandus in 4. dist. 4. q. 3. Guillel. Parisiensis tractatu de Baptis. c. t. Scotus in 4. d. 1. q. 4. art. 2.

AN CHARACTER ANIMAE IMPRIMATVR.

2. Accusabant quod dixisset *Vsum pauperem rerum esse de substantia Minoriticæ Professionis vel Paupertatis Euangelicæ in Regula promissæ*. Non diffitebatur Vbertinus hoc eum dixisse, imo rectè dixisse, multiplici ratione probauit. At hoc totius discordiæ Minoriticæ caput sic explicat Vadinghus; vt aliud sit loqui de Regula ipsa seu Instituto Minorum, quatenus lex humana est; aliud de ipso Euangelio, seu Lege Diuina. Diuersam enim obligationem quæ consurgit Minoribus ex suæ Regulæ Professione, atque illam, quæ oritur ex vi & instituto S. Euangelii. Primam partem indubitanter veram esse asserit, vt ex vi suæ Regulæ & Professionis obligentur Minores ad strictum & pauperem rerum vsum, quod & communiter eiusdem Regulæ probant Interpretes: at Euangelium ad hoc eos obligare, vel vsum hunc pauperem esse de substantia vitæ Euangelicæ, prout ab illis promissæ, minus certum reputandum minusque probabile. Quantumuis enim dicatur in Instituti proœmio *Regulam & vitam Minorum esse sanctum Euangelium obseruare*. Et in fine *Paupertatem & humilitatem & S. Euangelium D. N. I. C. quod firmiter promisimus, obseruemus*. Romanos tamen Pontifices sæpius explicasse non teneri Minores ex vi suæ Professionis ad obseruantiam Consiliorum Euangelicorum, quæ non exprimuntur in Regula, nec vltra hæc eos amplius obligari ex ipso Euangelio cæteris Christianis. Quod & docuit Anonius Cordubensis vir in hoc genere vltra alios eruditus. Atque ex hac secunda parte prædicto authori insultasse æmulos, eundemque hæreticum proclamasse, cum non potuerint adeo manifestè conuincere in prima, quæ radix & fomentum erat concepti in eum eiusque sequaces odij, & protractæ vsque ad Concilium Viennense sub Clemente V. & vltra diræ persecutionis. Quam vt sopiret Clemens, etiam hanc adhibuisse distinctionem satis authori prædicto commodam & fauentem, vt legitur in Clement. Exiui de Paradiso.

AN PAVPERTAS SIT DE SVBSTANTIA VITAE MINORITICAE.

Succreuit, inquit, *non parum scrupulosa Quæstio inter Fratres, videlicet vtrum ex sua professione regula obligentur ad arctum & tenuem, siue pauperem vsum rerum: quibusdam ex ipsis contendentibus & dicentibus quod sicut quoad dominium rerum habent ex voto abdicationem arctissimam, ita ipsis quoad vsum arctitudo* maxima & exilitas « est indicta. Aliis in contrarium asserentibus, quod ex professione sua ad nullum « vsum pauperem, qui non exprimatur in regula, obligantur, licet teneantur ad «

vsum moderatum temperantiæ sicut & magis ex condecenti, quàm cæteri Christiani. Volentes itaque conscientiarum prædictorum Fratrum prouidere quieti & his altercationibus finem dare, declarando dicimus quod Fratres Minores ex professione suæ Regulæ specialiter obligantur ad arctos vsus seu pauperes, qui in ipsorum Regula continentur, & eo obligationis modo sub quo continet, seu ponit Regula dictos vsus. Dicere autem sicut aliqui asserere perhibentur, quod hæreticum sit tenere vsum pauperem includi vel non includi sub voto Euāgelicæ paupertatis, *præsumptuosum & temerarium iudicamus.* Vnde subdit Vadinghus: Præsumptuosos & temerarios iudicauit Pontifex eos, qui hæreticam dicebant hanc secundam assertionem Petri Ioannis, licet omnino abstinuerit ab eius decisione.

Idem fatetur Petrum Ioannem ex vtroque capite verè videri voluisse obligati Minores ad strictum hunc vsum facti, nullā tamen censurā, contrarium docentes notasse: nam è contra aduersarii magna animi commotione in eum ferebantur, aientes esse hæreticum, ita asserere. Neque quidquam ęgrius hac eius doctrina ferebant, quā se ad arctum rerum vsum compelli timebant: à quo iam multis contra Paupertatem admissis relaxationibus longè recesserant.

Cæterum nihil noui hac in re se docuisse dicebat Petrus, sed Antesignanos habuisse quatuor Magnos Magistros Parisienses, qui ex præcepto Haymonis Generalis Minoritarum, Regulam explicarunt. Idq; datā operā probat in explicatione Regulæ in lib. qui inscribitur, *Firmamentum trium Ordinum*, vbi postquam plura horum adduxit testimonia, subiungit apud Vadinghum. *Certè si eorum verba tam hîc quàm supra Capitulo 4. & in pluribus aliis locis posita diligentius attendantur*, patentissimum est quod illa quæ de paupere vsu alibi dixi & scripsi, &
" per aliorum Fratrum & Magistrorum nostrorum ac etiam summorum Pontificum
" dicta probaui, sunt & ab istis præcellentibus Fratribus & Magistris expressissimè
" dicta. Vnde valde mirabile est, quod aliqui in me impingerent, tanquam in no-
" uitatis Inuentorem propter articulum de Paupere vsu, quem contra ipsius fortis-
" simos negatores & impugnatores quasi compulsus asserui & defendi.

3. Calumniabantur dixisse, quod sepelire mortuos non opus est Charitatis, nisi in casu necessitatis, sicut faciebat Tobias. At Vbertinus omnino negabat ita dixisse aut scripsisse, sed in artic. de paupertate, in resp. vltimi artic. docuisse quod auidè inhiare & cupidè procurare cum scandalo Cleri & populorum malo exemplo, vt Diuites & Vsurarii in Ecclesiis Minoriticis sepeliantur, propter conceptam spem de Legatis vel Eleemosynis Fratribus relinquendis, neque vllam huiusmodi curam habere de pauperibus: & omissis exercitiis spiritualibus hinc inde diuagari & litigiis vacare ad acquirenda funeralia, paupertati contraire & perfectioni tanti status detrahere: quod ipsum publicè contestatus est sub mortis articulo.

4. Dicebant, quod in Commentariis ad Apocalypsim & aliis Opusculis vocarit Ecclesiam Rom. Meretricem magnam & Babylonicam confusionem, atque alia huiusmodi blasphema in eius congesserit vituperium. Apertissimum hoc esse mendacium aiebat Vbertinus, eumque deuotissimè & summa cum reuerentia de Ecclesia Rom. deque summi Pont. authoritate vbique per vniuersa sua Opera locutum esse deductis & transcriptis eius verbis confirmabat. Id quoque Vadinghus multis rationibus & prolatis Petri verbis confirmat.

5. Dicebant eum asseruisse essentiam Diuinam rectè dici posse generantem & genitam, & procedentem, atque iteratam & triplicatam: quod omnino hæreticum est & condemnatum in Ioachimi Abbatis doctrina per Concilium Lateranense sub Innocentio III. & refertur in cap. damnamus. De summa Trinitate & fide Catholica. Quam Decretalem S. Thomas docto explicauit opusculo: sed & antea damnatum fuerat in Concilio Toletano 1. in confessione fidei vbi dicitur, *Si quis dixerit Deitatem nascibilem esse*, anathema sit. Variè hunc errorem ab authoribus referri ait Vadinghus: quosdam quippe velle Petrum ita absolute dixisse. Alios, cum additione personalitatum, ita vt essentia cum Paternitate generarit, & cum filiatione sit genita: vt sensus non alius sit, quàm quod Pater generet, & Filius sit genitus. Et ita essentia communicata 3. personis vel in tribus hypostasibus subsistens, sit triplex persona, non verò quod ipsa essen-

tia

tia sit triplicata. Alios, non dixisse generare & gigni essentiam, sed communicari; quod sanè iuxta priscorum & recentiorum Doctorum mentem Theologicè & catholicè dictum est.

Neque enim exigitur relatio aut distinctio realis inter communicantem & rem communicatam; quam requiri docent Theologi inter generantem & genitum, producentem & personam productam.

Quod si absolutè dixisset (pergit Vadinghus) essentiam Diuinam, prout in Patre est, generare, & prout in filio, esse genitam vti contendebat & obiiciebat vnus ex aduersariis in tractatulo quodam contra eum edito aliquot annis post eius mortem, quem se habere aiebat M. S. potuisset etiam mitiori & benigniori sensu explicari, vt essentia tanquam principium formale generationis, quomodo loquuntur Theologi, concurrerit ad generationem & tanquam terminus formalis eiusdem in filio qui est terminus totalis, dicatur suo modo terminare generationem. Adde quod commune est Theologorum dogma essentiam Diuinam fœcundare Intellectum Paternum, & ex vtroque, illâ in ratione obiecti, hoc in ratione potentiæ compleri memoriã fœcundam, & per eam Patrem æternum dicere seu producere Verbum, seu quod idem est, filium generare. Quare vel etiam ex hac parte confluit ad generationem prolis Diuina Natura. Atque illo adhuc modo docuit S. Thomas benignè interpretari multas persimiles antiquorum Doctorum & Patrum locutiones, *vt scilicet nomina abstracta naturæ & essentiæ exponantur per concreta, vel per nomina Personalia, vt cum dicitur essentia de essentia, vel sapientia de sapientia, sit sensus, filius qui est essentia, & sapiens, est de patre qui est essentia & sapientia.* Quam doctrinam adhibet S. Doctor ad explicandas quasdam Augustini propositiones his perquam similes. *Dicitur*, inquit, *filius Sapientia patris*, quomodo dicitur lumen patris, idest quemadmodum lumen de lumine & vtrumque vnum lumen, sic intelligatur sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia. Et paulo inferius, Vnde Pater & filius simul vna sapientia, quia vna essentia, & sigillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia.

Ex quibus propositionibus infert S. Thomas illam consequentiam. Ergo essentia generat essentiam; cuius illationis vim proposita doctrina docuit declinare.

6. Dicebant illum asseruisse animam rationalem non esse formam corporis humani. Vbertinus negabat tale quidpiam dixisse, neque in vniuersis eius Operibus aliquid reperiri vnde hoc vel leuiter posset desumi. Hæc autem propositio damnata est in Concilio Viennensi his verbis. *Porro doctrinam* omnem seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis aut intellectiuæ verè ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneã ac veritati Catholicæ fidei inimicam sacro approbante Concilio reprobamus, definientes vt si quispiam deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiua non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus.

An anima rationalis sit forma corporis.

Existimat Vadinghus hoc fuisse Assertum nonnullorum Petri Discipulorum magis capitosorum.

7. Dicebant eum asseruisse Matrimonium non esse vniuocè sacramentum cum aliis nouæ legis sacramentis, neque in eo conferri gratiam. Et quidem quoad vtramque partem, inquit Vadinghus, ita dici posse docuit Durandus (in 4. d. 26. q. 3.) multisque argumentis probat non nisi æquiuocè dici posse sacramentum nouæ legis. *Et dicere*, inquit, *non conferri* in matrimonio gratiam non est contra determinationem Ecclesiæ, nec contra id quod Rom. Ecclesia prædicat & obseruat. Quod probatum vult ex Magistro Sent. & ex pluribus Iurisconsultis quorum verba ibidem refert. Porro Vbertinus conquerebatur de tam iniqua Petro imposita calumnia, aiens non semel dixisse & scripsisse clarè & expressè esse verum sacramentum & in eo conferri gratiam, sicut in cæteris sacramentis.

An Sacramentum Matrimonii conferat gratiam.

8. Dicebant eum asseruisse Christum adhuc viuentem Laterale vulnus accepisse. Et reuera ita sensisse fatetur Vadinghus, sed tamen absque temeritate assertionis. Quosdam verò eius Discipulos loco quodam S. Chrysostomi corrupto deceptos & vetusto etiam quodam codice Bibliothecæ San-Victorinæ mordicus hanc sententiam tenuisse, donec iis silentium impositum est in Concilio Vien-

De vulnere Christi per lanceam inflicto.

„ nensi his verbis. *Et quod in hoc assumpta natura* ipsum Dei Verbum pro omnium
„ operanda salute non solum affigi cruci & in ea mori voluit, sed etiam emisso iam
„ spiritu perforari lancea sustinuit latus suum, vt exinde profluentibus vndis aquæ
„ & sanguinis formaretur vnica & immaculata ac virgo sancta Mater Ecclesia con-
„ iux Christi. Sicut de latere primi hominis soporati Eua sibi in coniugium est for-
„ mata, vt sic certæ figuræ primi & veteris Adæ, qui secundum Apostolum est for-
„ ma futuri, in nostro nouissimo Adam id. Christo veritas responderet.

Hæc est, inquam, veritas illius pergrandis Aquilæ vallata testimonio, quam propheta vidit Ezechiel animalibus cæteris Euangelistis transuolantem, B. Ioannis videlicet Apostoli & Euangelistæ, qui sacramenti huius rem gestam narrans & ordinem in Euangelio suo dixit: Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit.

DE GRATIA BAPTISMI PARVVLORVM.

9. Obiiciebant quod dixisset non omnino constare an paruulis conferrentur gratia & virtutes in baptismo. At Vadinghus eum in hac re abs omni errore liberat, quia nondum erat definitum: imò valde controuersum inter Theologos illius temporis, donec Concilium Viennense sub Clemente V. vt interminatis Quæstionibus terminum poneret, statuit eligendam non tanquam de fide, sed veluti probabiliorem & Sanctorum atque illius temporis Theologorum doctrinæ conformiorem sententiam, quæ asserebat huiusmodi virtutes & gratiam paruulis in baptismo infundi definiuit. Verba Concilii sunt. *Verum* quantum ad effectum
„ baptismi cum Theologi opiniones varias habeant, videlicet dicentibus quibus-
„ dam per virtutem Baptismi paruulis culpam remitti, sed gratiam non conferri,
„ aliis è contra asserentibus quod & culpa eisdem in Baptismo remittitur, & vir-
„ tutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore
„ quoad vsum. Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi quæ per bap-
„ tisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam quæ dicit tam
„ paruulis quàm adultis conferri in baptismo gratiam informantem & virtutes tan-
„ quam probabiliorem & dictis Sanctorum ac Doctorum Modernorum Theologiæ
„ magis consonam concordem sacro approbante Concilio duximus eligendam.

10. Obiiciebant dixisse Religiosos assumptos ad Episcopatus teneri ad vota essentialia & obseruantias regulares, Episcopos verò Minoritas alligari ad vsum Pauperem bonorum sibi commissorum, neque vllam subesse rationem, vt cum illis circa hæc dispensetur. Quoad primam partem huius assertionis ait Vadinghus nullam esse difficultatem; constantem quippe Doctrinam esse præcipuorum Theologorum tum antiquorum tum recentiorum, nec non Iureconsultorum ex ipso Iure Canonico desumptam. Et vniuersam controuersiam siquæ esse possit in hac re, ita solui duplici asserto, vt ad eas religionis obseruantias quæ Pontificiæ functioni obesse non possunt, imo prodesse perinde teneatur Monachus sedem Episcopalem adeptus; atque dum erat in Claustro. Cuiusmodi sunt castitas, paupertas, religionis vestitus, vel vestis color, aut publica & notoria tessera. Ad illas verò obseruantias quæ Pontificis administrationi obstaculo esse possunt, ab illorum iugo eximatur, cuiusmodi sunt solitudo, silentium, grauesque abstinentiæ atque vigiliæ quæ corpus debilitando possent Episcopum suo muneri ineptum reddere aut functiones Episcopales impedire.

Quoad secundam verò Partem, ita Petrum se explicuisse aiebat Vbertinus, vt nullam dixerit subesse rationem dispensandi cum Minoritis ad sedes Episcopales assumptis, vt cum luxu, deliciis & pompa effusè viuant more secularium Principũ; qui ex super abundanti affluentia bonorũ tẽporaliũ assũpti sunt ad Dignitates Ecclesiasticas. Quem enim ex vtroque Ordine vel seculari scilicet vel Ecclesiastico non scandalizabit tanta rerum pompa & vitæ luxus in homine qui summam Deo vouit paupertatem? præsertim vbi non est necessarius vel ad Dignitatem conseruandam, vel ad animas Christianè regendas. Subiunxisse tamen eundem Petrum, in quibusdam casibus vel considerato Ecclesiæ aut dignitatis statu & temporis qualitate, æquè posse cum Minoritis ac aliis in possidendis diuitiis & habendis rebus pretiosis ac locuplete supellectile dispensari. Quoad vota verò essentialia, non adeo facile de iis posse à sũmo Pontifice dispensari: eamq; fuisse allorũ sui tẽporis Theologorũ opinionẽ, & inter cæteros, Bonauenturæ sic aientis.

Dicendum quod licet in prælationibus non teneantur obedire · & multa habeant quæ non licerent eis si essent subditi, tamen in neutro voto est dispensatum. Nam in voto Paupertatis non dispensatur, quia non licet tali Religioso habere proprium, etiamsi Papa dispenset: sed potest bona Ecclesiæ dispensare, sicut Abbas bona Monasterii: nec amittit meritum Paupertatis, sed est diuitiarum non Dominus sed dispensator; non amator, sed contemptor: non conseruator sed dispersor in pauperes. Similiter in voto obedientiæ non est dispensatum, quia omnem obedientiā quā debebat prius suo superiori, debet Papæ: & Papa à sua obedientia non potest eum absoluere: & in talibus meritum obedientiæ commutatur in meritum Pastoralis curæ, nec est dispensatio, sed exemptio potius debet dici. Idipsum quoque docuisse Albertum Magnum, S. Thōmam Guillelmum Autissiodorensem.

Denique Petro obiiciebant, quod multis hæresibus & sectis perniciosis Bizochorum & Fratricellorum dedisset occasionem, Beguardorum, Bequinorum & aliorum eiusmodi, qui ab Ecclesia damnati sunt. Verum non proinde culpabilem fuisse ait Vadinghius, sed eius sectatores qui pertinacius eum tuentes doctrinæ & correctioni Superiorum vel Sedis Apostolicæ se noluerunt subiicere. Fuisse enim prædictum Petrum Ioannis virum probum, & omnia sua scripta Ecclesiæ authoritati submisisse. Quem Henricus Villot vocat magnæ prorsus subtilitatis & eruditionis Bacealaureum formatum, & Sixtus Senensis *Petrus Ioannis*, inquit, *Ordinis Min. Baccalaureus formatus Sorbonæ Parisiorum postillas scripsit in omnem fere Diuinam Scripturam*, Denique cum nonnullæ quæ dicebantur eius esse opiniones, damnatæ fuerint in Concilio Viennensi, nullam tamen Petri fieri tanquam hæretici mentionem.

Eodem anno cum multi ex diuersis Religionibus Apostatæ & nebulones specie & prætextu arctioris vitæ latibula quærerent & antra præsertim in Montibus Aprutii & Marchiæ Anconitanæ, prauamque doctrinam disseminarent, iniunxit idem Pontifex Bonifacius Mathæo de Theate Inquisitori Minoritæ vt ad ea loca se conferret, pestemque illam exterminaret, quæ *Bizochorum secta* communiter appellabatur. Bulla Bonifacii talis est.

Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Fr. Mathæo de Theate Ordinis Minorum Inquisitori hæreticæ Prauitatis in Prouincia B. Francisci salutem & Apostolicam benedictionem. *Incrementum* Catholicæ fidei præ cunctis nostræ mentis desideriis affectantes nimio vtique dolore replemur, cum audimus aliquos ad illius depressionem quacunque malignitate satagere ipsam vel damnabilibus deprauando commentis, vel vipereis seductionibus peruertendo, ad quorum iniqua sternenda molimina eo ardentius aspiramus, quo in animarum stragem perniciosius eos agnoscimus conspirare. Ad nostram siquidem nuper audientiam est deductum, quod nonnulli diuersarum Religionum Apostatæ, nec non & alii nullam de approbatis religionibus professi, qui *Bizochi* seu alo nomine se appellant, non obstante prohibitione seu Ordinatione aliàs tam per nos quàm per alios ex Prædecessoribus nostris facta & habita circa tales in montibus Aprutinis seu in illis finibus Aprutii & Marchiæ Anconitanæ ac terris circumpositis finibus illis, se tanquam in cubilibus struthionum in vestimentis ouium receptantes, velut lamiæ nudatis mammis catulos suos lactant, dogmatizando palam diuersos hæreticæ prauitatis errores tanquam diuersas habentes facies, licet caudas habeant inuicem colligatas. Hi enim ab vtero Matris Ecclesiæ pertinaciter aberrantes acuunt linguas suas, quibus corda vulnerant infirmorum, studentes animas interimere simplicium, quasi bonum vinum ponendo, vt cum inebriati fuerint, illud, quod deterius est, ponentes, vnà cum ipsis perditionis laqueo se suspendant.

Quare nos considerantes quod talium pestis serpit vt cancer, manusque ipsorum sunt Esau, quanquam vox eorū Iob aliquando videatur, discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus quatenus ad huiusmodi loca te personaliter conferens ad inueniendas, capiendas & ad nostram præsentiam deducendas personas huiusmodi, vulpes quidem demolientes vineam Domini Sabaoth, & ad profligandas eas de suis latibulis velut feras siluarum, humanas animas sitientes, cautè viriliter, soler-

„ teirntendas contt a dogmatizantes & pestilentes huiusmodi tanquam contta hæ-
„ tericos, nec non contra eorum receptatores atque fautores authoritate nostra
„ constanter & magnanimiter processurus, Contradictores & rebelles per Censu-
„ ram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, ac inuocando adhoc
„ si opus fuerit, auxilium brachii secularis. Non obstante si aliqnibus ab Apostoli-
„ ca sede sit indultum, quod interdiei, suspendi, vel excommunieari non possint
„ per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad
„ verbum de Indulto huiusmodi mentionem vel commissione generali aliquibnsin
„ illis partibus super inquisitionis officio iam facta, cum velimus prædicta circa
„ personas huiusmodi per respecialiter exerceri. Nos autem scribimus Ecclesia-
„ rum Prælatis & Rectoribus Terrarum, quos duxeris requirendos in his exequen-
„ dis, vt tibi fauorabiliter & efficaciter consiliis & auxiliis opportunis assistant.
Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Maii an. 3.

1298. Anno 1298. Philippus Rex auditis conquestionibus Vniuersitatis de cæde M. Simonis de MessenisMagistri In Artibus & Professoris actu regentis à nonnullis perpetrata, edixit in pœnam & multam, vt mille libras Parisienses soluerent ad fundationem 4. Capellaniarum & sustentationem 4. Capellanorum qui pro anima defuncti sacra celebrarent. Voluitque insuper vt illa summa impenderetur in emptionem redituum ad eorum sustentationem.

FVNDATIO 4. CAPELLANIARVM.

„ Philippus Dei Gratia Francorum Rex. Notum facimus Vniuersis tam præsen-
„ tibus quàm futuris. Quod cum Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisius
„ studentium nobis conquesti fuerint, quod M. Simon de Messeni, qui tunc actu re-
„ gebat Parisius in Artibus fuerat interfectus, Nos propter ipsius tranquillitatem
„ Studii ordinauimus & voluimus quod mille libræ Parisienses soluantur ad opus
„ 4. Capellaniarum, statuendarum in quibus pro remedio animæ dicti defuncti &
„ aliorum fidelium ipsius Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium Defunctorum
„ 4. Capellani perpetuò deseruiant in diuinis. Volentes illam pecuniæ summam
„ conuerti in emptionem Redituum ad sustentationem 4. Capellanorum qui de-
„ seruient in futurum in Capellaniis ante dictis. Et Nos sustinebimus, quod vsque
„ ad summam prædictam emantur possessiones & reditus de dicta pecunia sub no-
„ stris domaniis, vel sub illis qui tenent à Nobis ad opus dictarum Capellaniarum
„ fundandarum, omnimodâ tamen iustitiâ retentâ. Volumus insuper quod Capel-
„ lani in dictis Capellaniis instituendis dictos reditus & possessiones sic acquirendo
„ postquã acquisiti fuerint perpetuo teneant, habeant & possideant pacificè & quie-
„ tè absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi. Et quod apud ip-
„ sam Vniuersitatem ius Patronatus dictarum Capellaniarum perpetuò remaneat
„ erga loci Diœcesanum, partes nostras interponemus libenter. Quod vt firmum &
„ stabile permaneat in futurum præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigil-
„ lum. Actum Parisius anno Dom. 1298, mense Octobri.

Panlo post emptæ sunt ab Vniuersitate quædam possessiones ad Longum-Iumellum illâ summâ mille librarum, destinatæque sunt ad sustentationem trium duntaxat Capellanorum. Atque istam quoque Emptionem postulauit Vniuersitas ab ipso Rege confirmari: quam idem Philippus confirmauit & approbauit an. 1301. sed retentis possessionibus sexaginta libras in Castelleto percipiendas assignauit.

„ Philippus Dei Gratia Francorum Rex notum facimus Vniuersis tam præsenti-
„ bus quàm futurisQuod cum Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisien-
„ sium ad vsum trium Capellanorum eiusdem emerit pro mille libris Parisiensibus
„ à Guilkelmo de Vlmo Scutifero Manerium, Molendinum., Possessiones terras &
„ reditus in villa de Vallibus infra metas Parochiæ deSpinellis prope longum-Iu-
„ mellum sub nostro Dominio, prout in litteris sigillatis sigillo præpositura Parisien-
„ sis super hoc confectis plenius continetur. Nos intuitu pacis & tranquillitatis præ-
„ dictorum Vniuersitatis & Capellanorum eiusdem, pro prædictis Manerio, molen-
„ dino, possessionibus, terris & reditibus quæ penes Nos retinuimus ad vsus eo-
„ rundem Capellanorum, quibus dictæ tres Cappellaniæ ab Vniuersitate prædicta
„ fuerint collatæ, de collatione sibi factâ litteras habentibus sexaginta libras Pa-
„ risienses amortizatas in sicca pecunia in nostro Castelleto Parisiensi in festo B. Re-
„ migii per manus dictorum Cappellanorum recipiendas annuatim in perpetuum

concedimus, & in præmissorum cambium assignamus volentes vt quilibet sæpe dictorum Cappellanorum per *Rectorem Vniuersitatis iam dictæ* nostro Præposito Parisiensi iam præsentatus viginti libras Parisienses in dicto termino pro sua recipiat portione. Et quod ad hoc percipiendum ad annos suæ vitæ in dictæ Præposituræ rotulis registretur, ne vnus pro alio ad hoc recipiendum se ingerat fraudulenter. In cuius rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri Regii fecimus munimine roborari. Actum Parisius anno Dominicæ Incarnationis 1301. mense Martii.

Ad hunc annum refert Vadinghus obiisse Ludouicum Episcopum Tolosanum vulgò Massiliensem dictum quia Massiliæ sepultus fuit, quem & in vita & post mortem miraculis claruisse commemorat. Itaque à Ioanne XXII. inter Sanctos relatus est. Extat autem Canonizationis Bulla tom. 1. Bullarii. Qua facta idem Pontifex ad Matrem ipsius scripsit adhuc superstitem: quam Epistolam refert Petrus Frizonus olim Magnus Collegij Nauarrici Magister in sua Gallia Purpurata.

Eodem anno idem Pontifex Bonifacius 5. non. Martii sextum Decretalium librum promulgauit. Opus præclarum, à tribus doctissimis viris compositum Guillelmo de Mandagotto Archiepiscopo Ebredunensi, Berengario Fredoli Episcopo Biterrensi & Richardo de Senis Vice-cancellario Opus *Vniuersitati Bononiensi* dedicauit more decessorum suorum: vt quas ipse à cæteris Pontificibus post Gregorium IX. collegerat Constitutiones, item & quas ipse condiderat, haberet illa deinceps pro regulis Iuris Canonici, iisdemque cæteræ Vniuersitates eius exemplo vterentur. Quare verò tam ipse quàm alii Pontifices Bononiensi præsertim Academiæ Constitutiones eiusmodi Canonicas dirigere & dedicare solebant, rationem hanc afferunt Iure-consulti, quod illa omnium antiquissima sit. Ioannes Andreas qui obiit an. 1348 in Glossa ad Clementinam de Magistris, in verbo, *Bononiensi*, cum quinque studia Generalia memorentur & *Bononiense* quarto tantum loco ponatur, ait hoc non procedere ex ordine studiorum, sed ex gratificatione Prouinciarum: quippe primò ponitur *Romanum*, quod priuilegia tantum habuit ab Innocentii IV. temporibus, *Bononiense* verò à Theodosio Iuniore institutum est. *Non puto*, inquit, quod ordo iste procedat ex ordine Studiorum: sed ex gratificatione Prouinciarum. Et hoc quia decebat Romanam curiam præmitti, quæ (tamen) vltimò studium habuit à tempore Innocentii IV. vt præ. decret. 11. de priuil. l. 6. Quidquid sit, hoc constat, quod Bononia habuit priuilegia studii à Theodosio. De Minore tamen intelligo, qui regnare cæpit, prout ex Chronicis quos veriores puto percipio. an. Dom. 425. & regnauit annis 27. quo tamen anno sui Imperii hæc concesserit, non percipio. Sic igitur Bonifacius ad Doctores & Scholares Bononienses. LIBER SEXTVS DECRETALIVM

Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Doctoribus & Scholaribus vniuersis Bononiæ commorantibus Salutem & Apostol. Bened. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesię quam imperscrutabilis Diuinæ Prouidentiæ altitudo vniuersis dispositione incommutabili prætulit Ecclesiis, & totius orbis præcipuum obtinere voluit Magistratum, regimini præsidentes curis solicitamur continuis, & assiduâ meditatione vrgemur, iuxta creditæ nobis dispensationis Officium, subditorum commodis in quorum prosperitate vtique prosperamur, vt iugi quantum nobis ex alto concessum fuerit, solicitudinis studio intendamus. Amplectimur quippe voluntarios pro ipsorum quiete labores, & noctes quandoque transimus insomnes, vt scandala remoueamus ab ipsis. Et quas humana natura nouas semper deproperans edere formas, lites quotidie inuenire conatur, nunc antiquorum declaratione, nunc verò nouorum editione Iurium, prout nobis est possibile, reprimamus. Sanè cùm post Volumen Decretaliũ à felicis recordationis Gregorio Papa IX. Prædecessore nostro tam prouidè quàm vtiliter compilatum, nonnullæ ab eo & ab aliis Pontificibus successiuè super diuersis dicerentur articulis editæ Decretales; de quarum aliquibus an Decretales existerent, earumque anthoribus dubitabatur solicitè in judiciis & Scholis. Nos ad apicem summi Pontificatus supernâ dispositione vocati, super hoc cum instantiâ requisiti à multis ambiguitatem & incertitudinem huiusmodi dispendium pluribus afferentem

„ omnino tollere ac elucidare, quæ de Decretalibus ipsis teneri, queve deberent in „ posterum refutari, gratiâ suffragante Diuinâ pro vtilitate publicâ desiderabiliter „ affectantes. Per venerabiles Fratres nostros Guillelmum Episcopum Ebredunen- „ sem, Berengarium Episcopum Bitertensem, ac dilectum filium N. Richardum de „ Senis S. Rom. Ecclesiæ Vice-Cancellarium, Iuris vtriusque Doctorem, Decre- „ tales huiusmodi diligentiùs fecimus recenseri. Tandem pluribus ex ipsis, cum „ aut temporales, aut sibi ipsis vel aliis Iuribus contrariæ, seu omnino superfluæ „ viderentur, penitùs resecatis, reliquas quibusdam ex eis abbreuiatis, & aliqui- „ bus in parte vel in toto, multisque correctionibus, detractionibus & additioni- „ bus, prout expedire vidimus, factis in ipsis in vnum librum cum nonnullis no- „ stris Constitutionibus, in quibus ad correctionem morum subditorumque quie- „ tem multa statuuntur salubria, fructus vberes Deo propitio in Domo Domini al- „ latura, & plurima in iudiciis & extra frequentata dubia deciduntur, redigi man- „ dauimus, & sub debitis titulis collocari. Quem Librum quinque libris aliis di- „ cti Voluminis Decretalium annectendum censuimus & Sextum nuncupari, vt iam „ Volumen Senarium qui perfectus est numerus librorum illo adiuncto numerum „ comprehendens, perfectam in rebus agendis formam tribuat, & in moribus dis- „ ciplinam. Nec sine causa morem Prædecessorum nostrorum, qui cum Constitu- „ tiones aliquas promulgabant nouiter, eas mandabant sub antiquarum serie situa- „ ri omisimus in hac parte seruare, hæc enim fecimus, ne infinitos libros destrui, „ & alios non sine maximis dispendiis, laboribus & expensis de nouo fieri oporte- „ ret. Vniuersitati vestræ igitur per Apostolica scripta mandamus quatenus librum „ huiusmodi cum multâ maturitate digestum, quem sub Bulla nostra vobis trans- „ mittimus, prompto suscipientes affectu, eo vtamini de cætero in iudiciis & in „ Scholis, nullas alias præter illas quæ inseruntur, aut specialiter reseruantur in eo „ Decretales aut Constitutiones à quibuscunque nostris Prædecessoribus Roma- „ nis Pontificibus post editionem dicti Voluminis promulgatas recepturi vlterius, aut pro Decretalibus habituri.

Inter alias autem Decretales vna est quâ videtur Priuilegia Magistrorum & Scholarium imminuere & restringere circa perceptionem redituum suorum Beneficiorum, donec in Scholis etiam morantur. Sic enim ille. *Quia per ambitiosam importunitatem petentium, tam Nos quàm nonnulli Prædecessores nostri Romani Pontifices Indulgentias perpetuas multis concessimus de percipiendis fructibus Beneficiorum suorum, distributionibus quotidianis duntaxat exceptis, siue in Scholis essent, siue in Ecclesiarum suarum altera residerent, aut in Romana Curia moram traherent, seu alio certo loco vel etiam vbicunq; ex quo insolentia oriuntur vagandi, & dissolutionis præparatur materia, minuitur cultus Diuinus, quem desideramus augeri, & Officium plerunque propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur, omittitur.* Nos volentes emendare præterita, & quantum possumus aduersos futura cauere, omnes huiusmodi & similes Indulgentias personis non Ecclesiis, vel Dignitatibus datas penitus reuocamus, & earum concessionem nostris volumus exulare temporibus. Quodque nobis licere non patimur, nostris Successoribus indicamus.

Hac tamen Decretali non aufert Priuilegia ad quinquennium aut septennium in fauorem studentium concessa, & legitimè concedi solita, sed tantùm perpetua; ex quibus occasio capiebatur vagandi & Beneficiorum reditibus absque vlla Officii recitatione gaudendi.

1299. Anno 1299. Philippus Rex in gratiam Vniuersitatis singulare Priuilegium concedit, ne teneantur Scholares dare pignora Ciuibus Parisiensibus pro Domibus quas ab iis habebant & conducebant. *Philippus Dei* Gratia Francorum Rex Præposito Parisiensi Salutem. *Sua Nobis Scholares studentes Parisius conquestione monstrarunt*, quod Burgenses nostri Parisienses habentes census supra domos quas „ iidem Clerici inhabitant, ratione census huiusmodi non soluti eosdem Schola- „ res gagiare nituntur in ipsorum Scholarium grande præiudicium & grauamen. „ Volentes igitur ipsorum Scholarium prouidere quieti, vt proinde tollatur rixan- „ di occasio, tibi mandamus, quatenus ipsorum gagia occasione census non solu- „ ti de Domibus eiusmodi per eosdem Burgenses, vel alios capi aliquatenus de cæ- „ tero non permittas. Actum Parisiis die Veneris ante Brandones an. Dom. 1299.

Eodem anno Bonifacius Papa Decretalem emisit super Prædicationibus, Con-

fessionibus audiendis & Sepulchris in Ecclesiis Mendicantium: de quibus erat vehementissima inter Clerum Gallicanum, & Vniuersitatem Parisiensem ex vna parte, & ipsos Mendicantes ex altera, contentio: iamque agitata fuerat à quinquaginta ferè annis, scilicet à temporibus Innocentii IV. Ipsi enim reluctante & inuito Clero, spretis Episcopis & Ecclesiarum Prælatis impunè vbilibet concionabantur, Confessiones excipiebant pœnitentium, & in suis Domibus sepeliebant corpora defunctorum non petitâ à Parochis licentiâ: nec isti licentiæ frænum iniicere facilè erat, adeò illi & numero & authoritate inualuerant. Hic autem Pontifex Constitutionem edidit, & quid in hac re obseruari cuperet, declarauit. Legitur autem hæc Constitutio inter Extrauagantes Communes.

Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Super Cathedram præeminentiæ Pastoralis Diuinâ disponente clementiâ constituti, etsi multis & arduis, quę in amplum Romanæ Curiæ alueum vndique confluunt, quasi torrens prægrauemur negotiis, curis excitemur innumeris, cogitationibus plurimis distrahamur, circa id tamen feruentibus votis intendimus, vacamus instantius, ac operosæ studium solicitudinis impertimur, vt ad Diuini nominis gloriam, exaltationem Catholicæ Fidei & profectum fidelium animarum præcisis radicitus dissidiorum vepribus & litigiorum anfractibus omnino subductis, inter Ecclesiarum Antistites ad curam & regimen Gregis Dominici deputatos cæterasque personas quas Ordo Clericalis includit, pacis tranquillitas vigeat, feruor charitatis exæstuet, inualescat concordiæ vnitas, animorum identitas perseueret. Scimus enim & ex euidentia facti colligimus, quod non nisi in pacis tempore bene colitur pacis auctor: Nec ignoramus quod dissensiones & scandala prauis actibus aditum præparant, rancores & odia suscitant, & illicitis moribus ausum præbent. Ab olim siquidem inter Prælatos & Rectores seu Sacerdotes & Clericos Parochialium Ecclesiarum per diuersas mundi Prouincias constitutos ex vna parte, & Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres ex alterâ, pacis æmulo Satore zizaniæ procurante grauis & periculosa discordia extitit suscitata super Prædicationibus fidelium populis faciendis, eorum confessionibus audiendis, pœnitentiis iniungendis eisdem & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud Fratrum ipsorum Ecclesias seu loca noscuntur eligere sepulturam. Nos autem pii patris more laudabili molestè ferentes incommoda filiorum, reducentes ad exactæ considerationis examen, ac intra pectoris claustra solicitè reuoluentes quàm sit plena periculis, quàm onusta dispendiis, quàm in Diuinæ Maiestatis conspectu reddatur exosa discordia supradicta; & propterea intendentes paternæ solicitudinis studio illam prorsus euellere ac omnimodè submouere, nullis vnquam futuris temporibus fauente Domino suscitandam: grandi quoque desiderio cupientes, vt huiusmodi negotium quod potissimè insidet cordi nostro, finem salubrem & celebrem per Apostolicæ solertiæ studium consequatur, diligenti cum Fratribus nostris deliberatione præhabitâ super eo ad honorem Dei & exaltationem Catholicæ Fidei, quietum statum partium prædictarum, ac salutis animarum Fidelium incrementum, de ipsorum Fratrum consilio authoritate Apostolica statuimus & ordinamus, vt dictorum Ordinum Fratres in Ecclesiis & locis eorum, ac in plateis communibus valeant liberè Clero & populo prædicare ac proponere verbum Dei horâ illâ duntaxat exceptâ, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se solenniter prædicari, in qua prædicare cessabunt, prҫterquam si aliud de Prҫlatorum ipsorum voluntate processerit ac licentiâ speciali.

In *Studiis* autem *Generalibus* vbi Sermones ad Clerum ex more fieri solent, diebus illis quibus prædicari solenniter consueuit, ad funera etiam mortuorum, & in Festis specialibus siue peculiaribus eorundem Fratrum possint iidem Fratres, & liceat eis liberè prҫdicare, nisi fortè illâ horâ quâ solet ad Clerum in prædictis locis Dei verbum proponi, Episcopus vel Prælatus superior Clerum ad se generaliter conuocare, aut ex aliqua ratione, vel causa vrgente Clerum ipsum duceret congregandum.

In Ecclesiis autem Parochialibus Fratres ibi nullatenus audeant vel debeant prædicare vel proponere verbum Dei, nisi Fratres prædicti à Parochialibus Sacerdotibus inuitati fuerint vel vocati; & de ipsorum beneplacito & assensu, seu

CONSTITVTIO DE MENDICANTIBVS.

petita licentia fuerit & obtenta, nisi Episcopus vel Prælatus Superior per eosdem Fratres prędicari mandaret.

Statuimus etiam & ordinamus authoritate prædicta, vt in singulis Ciuitatibus & Diœcesibus, in quibus loca Fratrum ipsorum consistere dignoscuntur, vel in Ciuitatibus & Diœcesibus locis ipsis vicinis in quibus loca huiusmodi non habentur, Magistri, Priores, Prouinciales Prędicatorũ aut eorũ Vicarii & Generales, & Prouinciales Ministri & Custodes Minorum Ordinum prædictorum ad pręsentiam Prælatorum eorundem locorum se conferunt per se vel per Fratres, quos ad hoc idoneos fore putauerint, humiliter petituri vt Fratres qui ad hoc electi fuerint, in eorum Ciuitatibus & Diœcesibus Confessiones subditorum suorum confiteri sibi volentium audire liberè valeant, & huiusmodi confitentibus, prout secundum Deum expedire cognouerint, pœnitentias imponere salutares, atque eisdem absolutionis beneficium impendere de licentiâ, gratiâ, & beneplacito eorundem: ac deinde pręfati Magistri, Priores, Prouinciales & Ministri Ordinum prædictorum eligere studeant personas sufficientes, idoneas vitâ probatas, discretas, modestas, atque peritas ad tam salubre ministerium & officium exequendum: quas sic ab ipsis electas repræsentent vel faciant præsentari Prę-latis, vt de eorum licentia, gratia & beneplacito in Ciuitatibus & Diœcesibus eorundem huiusmodi personæ sic electæ confessiones sibi confiteri volentium audiant, imponant pœnitentias salutares & beneficium absolutionis impendant pro vt superius est expressum, extra Ciuitates & Diœceses in quibus fuerint deputatæ per quas eas volumus & non per Prouincias deputari, cõfessiones nullatenus audituræ. Numerus autem Personarum assumendarum ad huiusmodi officium exercendum esse debet, prout Vniuersitas Cleri & Populi, ac multitudo vel paucitas exigit eorundem. Et si iidem Prælati petitam licentiam Confessionum huiusmodi audiendarum concesserint, illam præfati Magistri, Ministri & alii cum gratiarum recipiant actione, dictæque personæ sic electæ commissum sibi officium exequantur. Quod si forte iam dicti Prælati quenquam ex dictis fratribus præsentatis eisdem ad huiusmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum eo anno, vel substracto loco ipsius similiter eisdem præsentandus Prælatis possit & debeat alius subrogari. Si verò iidem Prælati præfatis Fratribus ad confessiones, vt præmittitur, audiendas electis huiusmodi exhibere licentiam recusarint, Nos ex nunc vt confessiones sibi confiteri volentium liberè licitéq; audire valeant, & eisdem pœnitentias imponere salutares, atque eisdem beneficium absolutionis impertiri gratiosè cõcedimus de plenitudine Apostolicæ potestatis. Per huiusmodi autem Concessionem nequaquam intendimus personis seu Fratribus ipsis ad id taliter deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem quàm in eo Curatis vel Parochialibus sacerdotibus est à Iure concessa, nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam specialiter duxerint faciendam. Huiusmodi autem statuto & ordinationibus nostris adiicimus, vt Fratres dictorum Ordinum in Ecclesiis vel locis suis vbilibet constitutis liberam vt sequitur, habeant sepulturam: videlicet quod omnes ad eam recipere valeant qui sepeliri elegerint in locis & Ecclesiis memoratis.

Verum ne Parochiales Ecclesiæ & ipsarum Curati siue Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica sacramenta quibus noscitur de iure competere prædicare seu proponere verbum Dei & confessiones audire fidelium, debitis & necessariis beneficiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur, authoritate Apostolica constituimus & ordinamus eadem vt dictorum Ordinum Fratres de obuentionibus omnibus tam funeralibus quàm quibuscunque & quomodocunque relictis distinctè vel indistinctè; ad quoscunque certos vel determinatos vsus, de quibus etiam quarta siue Canonica portio dari siue exig[illegible] non consueuit vel non debet debet de iure, nec non de datis vel qualitercu[illegible]natis in morte seu mortis articulo, in infirmitate donantis vel dantis de [illegible]cesserit quomodocunque, directè vel indirectè Fratribus ipsis vel aliis pro eisdem quartam partem, quam authoritate Apostolica taxamus & etiam limitamus, Parochialibus sacerdotibus & Ecclesiarum Rectoribus seu Curatis largiri integrè teneantur: facturi & curaturi quod nec aliis à quibus quarta huiusmodi minime deberetur, ad ipsorum Fratrum vtilitatem vel commodum huiusmodi fiant relicta, aut in eos tali-

ter data vel donata procedant, seu quod in morte vel ab infirmis huiusmodi dandum vel donandum Fratribus ipsis existeret, in eorumque dantium vel donantium sanitate sibi dari vel donari procurent; in quibus per ipsos vitandis eorum intendimus conscientias onerare: vt si quod absit, per Fratres ipsos dolo vel fraude quicquam in hac parte agi fortasse contigerit, præter id quod eos propterea dictis Sacerdotibus, Rectoribus & Curatis teneri volumus, etiam districta ratio in extremi Iudicii examine requiratur ab eis. Vltra portionem autem huiusmodi nihil valeant Parochiales Rectores, Prælati & Curati exigere supradicti, neque ad id àquoquam possint aliqualiter coerceri. Nos etenim vt in cunctis æqualiter & pacificè fauente Domino procedatur, vniuersa Priuilegia, gratias, indulgentias verbo seu scripto sub quacunque forma vel expressione seu conceptione verborum à nobis seu Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus cuicunque Ordinum Prædictorum concessa, nec-non consuetudines, conuentiones, statuta & pacta, in quantum sunt præmissis, vel alicui præmissorum contraria, ea penitus reuocamus, vacuamus, cassamus, & irritamus: quinimo cassa vel vacua & irrita nunciamus & decernimus nullius prorsus existere firmitatis.

Cæterum Vniuersos Ecclesiarum Prælatos cuiuscunque præeminentiæ, status vel dignitatis existant, ac Sacerdotes Parochiales & Curatos siue Rectores prædictos præsentium tenore rogamus & hortamur attentè, nihilominusque eis districtè præcipiendo mandamus, quatenus pro Diuina & Apostolicæ sedis reuerentia prædictos Ordines & Professores eorum habentes affectu beniuolo commendatos, Fratribus ipsis non se difficiles, graues, duros aut asperos, sed potius fauorabiles, propitios, ac benignos piaque munificentiâ liberales se studeant exhibere; sic nos in prædicationis officio & propositionibus verbi Dei, ac in omnibus aliis supradictis tanquam cooperatores eorum idoneos & laborum suorum participes promptâ benignitate recipiant ac affectuosè admittere non omittant, vt proinde illis æternæ beatitudinis præmium augeatur, & animarum salutis incrementa felicia procurentur. Nec ipsos lateat, quod si secus ab eis agi fortasse contigerit in hac parte Apostolicæ sedis benignitas quæ Ordines & Professores eosdem vbere fauore prosequitur & gerit in visceribus Charitatis, contra eos non immeritò turbaretur, nec eadem æquanimiter pati posset quin super hoc prouisionis opportunæ remedium adhiberet, ipsosque nihilominus indignatio Principis digna pro meritis rependentis, cuius obsequia Fratrum ipsorum sedulitas prosequitur, minimè præteriret. Nulli ergo hominum &c.

Hæc Constitutio quæ Martini IV. Indultum quodammodo reuocabat & irritabat, non modo non sanciuit pacem inter Prælatos Ecclesiarum & Mendicantes, quinimo longè maiora dissidia concitauit: vt patet ex Bulla Benedicti XI. quæ refertur inter extrauagantes l. 1. de Priuilegiis. Neque ille dissidia sustulit cum Mendicantium Priuilegia ampliauit, sed grauiorem inter Vniuersitatem, Prælatosque & illos inuidiam & turbationem commouit: vt sæpe in historia dicetur,

tantur & fiant. Vnde ipse & sui sequaces fornicationem & alia vitia occultè committebant cum simplicibus deceptis sub specie Charitatis. *Ipse ergo primo ab Vniuersitate Magistrorum Parisiensium condemnatus, & post à Papa Innocentio.* Et tunc errori cessit & abiurauit. Sed qui ab eo fuerant *seducti, plures erant qui ignorabantur.* Quem exitum hæresis illa habuerit, diximus ad an. 1209. quo anno per Henricum Archiepiscopum Senonensem habita est Synodus Prouinciæ Senon. Parisiis, aduocatisque Magistris Academiæ rursus damnatur Almarici doctrina, eiusque ossa exuruntur.

En ergo primum monstrum hoc seculo ab Vniuersitate elisum. Alterum ipsa elisit an. 1236. & 38. Conuentu frequenti à M. Guillelmo Aruerno Episcopo Parisiensi celebrato, nempe pluralitatem Beneficiorum ad vitam victumque superfluorum. Tunc enim contra Canonem Concilii Lateranensis sub Alexandro III. habiti an. 1179. ex dispensatione Apostolica inualuerat consuetudo possidendi plures præbendas pluraq; Beneficia in variis Ecclesiis & locis. Hinc mota est Quæstio an liceret: & in eo Conuentu pronunciatum, determinatumque non licere. Qua in re præter M. Guillelmum Aruernum Episcopum Parisiensem, qui Tractatum edidit contra dantes & accipientes plura beneficia, insignem præstiterunt operam M. Guido seu Guiardus de Lauduno, factus deinde Archiepiscopus Cameracensis, & Theodoricus de S. Caro tum Bachelarius in Theologia.

Itaque non deterruit Vniuersitatem dispensatio frequens & vsitata Curiæ Rom. quominus iuxta Canones & maximè iuxta Decretum Concilii Lateranensis & Alexandri III. quod habetur *Extra de Præbendis* Cap. *quia in tantum*, determinaret: vbi sic legitur, *Multitudo Præbendarum Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & euagationis inducit, certumque continet periculum animarum.* Hunc Canonem integrum retulimus ad an. 1179 ex Chronico Geruasii.

3. Monstrum è Iudæis prodiit, nempe *liber Thalmudicus*, quod similiter ab Vniuersitate contritum est an. 1239. Illud enim opus infinitis fabulis & mendaciis contra Christum, in que contemptum Christianæ Religionis consarcinauerant. Cui malo ne latius serperet, Gregorius IX. per Vniuersitatem Parisiensem occurri voluit. De cuius sententia prædictus liber damnatus & publicè crematus est. Qua de re diximus ad an. 1239. & 1244.

4. Monstrum emersit ex Officina Mendicantium, qui arrogatâ sibi docendi publicè licentiâ, circa an. 1240. comperti sunt in scriptis tradere varios errores variasque propositiones hæreticas: quamobrem Guillelmus Aruernus Episcopus Paris. *conuocato consilio Magistrorum tum Parisius Regentium,* eorum authores anathematis vinculo innodauit.

5. Monstrum eorundem Mendicantium, aut certè Ioannis Parmensis Minoritarum Lectoris fœtus, quodque sub *Euangelii æterni, seu Euangelij Spiritus sancti* nomine prodiit in lucem, eiusdem Vniuersitatis studio & vigilantia singulari debellatum, damnatum & crematum est, Parisiis an. 1255. & Anagniæ an. 1256. vt ad illos annos in historia fusè retulimus. Errores verò in eo contentos vide ad pag. 330. & 331.

Præterea plures Censuras librorum, thesium & propositionum, quas aut ipsa per se Vniuersitas fecit, aut ab Episcopo Parisiensi aduocata, aut in synodis consulta fieri suasit.

Sed & insignem præstitit operam Ecclesiæ Gallicanæ an. 1283. contra Mendicantes, qui à Martino IV. Priuilegium licentiamque obtinuerant audiendi confessiones absque consensu aut conscientia Prælatorum, aliorumque quibus de iure potestas illa competit. Non est enim dubium, quin illa super hoc consulta vestigiis suis & doctrinæ auitæ insistens, id responderit, quod Innocentii IV & Alexandri item IV. temporibus tam acriter & fortiter propugnarat, scilicet eiusmodi Priuilegia esse in errorem inductiua & abusiua, nec posse Papam Ordinariis ius suum auferre aut eripere.

Ex his liquet prauæ doctrinæ censuram, tam esse iuris communis Vniuersitatis, quàm ipsam litterarum professionem. Vnde Nonnulli mouent hanc quæstionem, an summus Pontifex possit Vniuersitati interdicere, quominus notet malos libros improbamque doctrinam, sibique soli & suo consilio censuram eiusmodi reseruare.

Id certè videtur esse citra dubium; nam cum omnis doctrina Ecclesiasticæ & Apostolicæ subesse debeat, omnisque potestas seu licentia determinandi authoritati summi Pontificis subiici: necesse est parere iubenti aut vetanti Papæ. 2. Papa Vniuersitatibus Priuilegia concedit; ergo ea auferre potest: potestas verò notandi libros doctrinamque censuris, inter Priuilegia connumerari debet. 3. Reges sæpe interdicunt fieri eiusmodi censuras: multo ergo magis id possunt Pontifices: quibus incumbit potissimum cauere, vt Ecclesia optimis legibus, institutis doctrinisque muniatur.

Alii aliter sentiunt, distinguuntque primum de Vniuersitatibus. Nam quæ Vnisitates à Pontificibus Rom. erectæ & institutæ sunt, priuilegiisque decoratæ, illas fatentur posse non modo potestate illâ priuari, sed omnino supprimi. Secus verò esse de Vniuersitatibus à Monarchis Secularibus fundatis ad subditorum suorum eruditionem. Nam cum intersit Reipub. Iuuentutem bonis moribus bonisque disciplinis informari, consequenterque quæ bonæ sint, quæ prauæ, edoceri, non potest Papa absque dispendio Regiæ potestatis & imminutione sacræ Maiestatis partem illam, quæ ad Censuras pertinet, auferre.

Deinde non videntur ista posse separari, *docere* & de *doctrina quam quisque profitetur, ferre iudicium.* Hinc postquam Doctorali apice quis inauguratus est, accepitque potestatem docendi, determinandi omnesque actus Magistrales & Doctorales exercendi in ea Facultate in qua Doctoris lauream consecutus est, nullatenus eam amittere potest, nisi forsan præuaricetur, aut eâ abutatur: sicut nec Episcopo debitè consecrato auferri potest Iurisdictio, quæ omnibus competit Ordinariis; implicat enim contradictionem, aliquem Episcopum esse & non habere iurisdictionem, si nihil aliunde obstet.

Alii ne erectas quidem à summis Pontificibus Academias potestate illâ priuari posse contendunt. Quia talis potestas non debet censeri priuilegium Vniuersitati concessum, sed ius naturale, studio partum & labore. Estque sententia ista communis Iure-consultorum, Iura non solum multis vigiliis condita, sed laboribus & ærumnis acquisita non debere vnico verbo destrui. Arg. l. *Si quando*. C. de inoff. testam. l. præcipimus C. de appellat. Idque iure positiuo & regula 16. Cancellariæ Apostolicæ scriptum, *non tollere ius quæsitum.*

Hinc sensu quodam communi Principes & populi ducuntur ad interrogandas Vniuersitates de difficillimis Quæstionibus, & Doctrina fidei morumque regulis. Philippus Pulcher auditâ Templariorum improbitate & prauis dogmatibus, licet Clemens VI. Papa tunc Pictaui sederet, prius tamen quam ea de re statueret, Vniuersitatem consuluit *requisiuitque expressè suam dare sententiam vel censuram*, vt ait Ioannes San-Victorinus. An. 1410. Dux Aurelianensis eandem consulit super nonnullis Thesibus Ioannis parui Dominicani *contra defunctum Patrem*, eamque *omni instantia* requirit & exhortatur *tanquam Religionis Catholicæ Zelatricem & defensatricem veritatis, quatenus præmissos errores velit detegere, damnare, damnatosque & intolerabiles præconizare.*

Item cum an. 1426. Inquisitor fidei plurimos adduxisset Academicos ad subscribendum appellationi cuidã ad Romanã Curiam interiectæ in materia doctrinæ & fidei, obstitit Natio Gallicana dixitque, attento *quod hactenus Gallia per Dei gratiam monstris hæresum & schismatum caruit, non esse expediens pro honore Regis & Regni, quod hæc materia extra Regnum & Parisiensem Ciuitatem tractaretur: cum hic sint plures Iuris Diuini & Canonici excellentes Magistri & Doctores, quam in Vrbe aut quacunque alia ciuitate.* Hinc conclusit Vniuersitas, *pro honore Regis & Regni esse expediens, materiam hanc fidei in Regno hoc terminandam remanere.*

His rationibus fulti contendunt, quod Vniuersitas Iurisdictione illâ suâ, hoc est potestate notandi prauos libros prauamque doctrinam, priuari non potest legitimè, si citra delictum fraudemque notauerit: aut omnino eam extingui supprimique necesse est, cum professio litterarum, instinctio populorum ad bonos mores & ad virtutem; consequenterque reuocatio à vitiis & à prauis doctrinis, non videantur posse separari. Hinc existimant, si forte nullo præcedente delicto aut citra causam summus Pontifex hanc potestatem Vniuersitati, aut Facultati alicui quæ dependenter ab Vniuersitate & ex delegatione censuram exercet, detraxerit, locum esse legitimæ appellationi, aut ad eundem melius vt aiunt, consultum, aut ad futurum Concilium; quemadmodum sæpe factum est ab Vniuersitate Parisiensi, vt ex historia patebit.

Verum vt vt sit, non est negandum, quin pto variis temporibus & oceasionibus tam Pontifices quàm Reges censuris illis intetdicere possint, si aut scandalũ gauiũ virorum inde timeatur, aut tumultus, animorum ve turbulenta dissensio: sic enim non approbantes quidem prauam doctrinam censuras facere vetant, sed veluti in specula constituti præuident & præcauent mala, quæ inde verisimile est consecutura. Et hæc ratio fuit Alexandro IV. damnandi librum de periculis nouissimorum temporum, quem Willelmus de S. Amore contra Mendicantes composuetat. Non enim illum ideodamnauit, quod aut hæreses aut prauam aliqnam doctrinam contineret, sed quia ad duorum Ordinum ab Ecclesia approbatorum & confirmatorum deptessionem extinctionemque compositus fuisse quodammodo videbatur.

Cæterum, vt ad rem nostram redeamus, opera tam vtilis Vniuetsitatis Paris. studium tã acre tamque pertinax in propugnanda veritate, asserenda & corroboranda fide Catholica, debellandis hæresibus, in instituenda iuuentute, omniumque Gentium alumnis edocendis quid Deo, quid summo Pontifici, quid Regibus & Præpositis suis deberent, tantum amorem, tam singularem fauorem, tantaque Priuilegia & Beneficia vtriusque potestatis Pontificiæ & Regiæ eidem Vniuersitati conciliauit, vt nihil addi posse videatur.

Imptimis vetó placet quid de ea senserint summi Pontifices, quæque illi elogia adscripserint, referre.

Innocentius III. M. Petrum de Corbolio Magistrum olim suum in Theologicis commendans Decano & Capitulo Ebotacensi, sic scribit. *Sanè licet dilectum filium M. Petrum de Corbolio, de cuius litteratura & scientia in longinquis & remotis partibus prædicatur, sua tantum probitatis & honestatis intuitu habere debemus in visceribus Charitatis, cum tamen ad memoriam reducimus nostram Nos aliquando sub ipsius Magisterio extitisse & ab eo Diuinarum audisse paginam scripturarum: quod vtique non pudet nos dicere, imo reputare volumus gloriosum*, &c. Et Ep. ad Philippum Augustum Francorum Regem. *Tibi & Regno tuo specialiter nos fatemur teneri, in quo nos recolimus in studiis litterarum ætatem transegisse minorem, ac diuino munere quantacunque scientiæ donum adeptos Beneficiorum impensam multitudinem accepisse.*

Honorius III. Bulla ad Episcopum Trecensem datâ an. 1218. de eadem Vniuersitate loquitur verbis honotificentissimis. *Vicarij seu Procuratores venerabilis fratris nostri P. Parisiensis Episcopi hoc nequaquam attendentes nec verentes* studium Parisiense quod Doctrinæ suæ fluenta vsquequaquam diffundens, Vniuersalis Ecclesiæ terram irrigat & fœcundat in montes Gelboe, super quos nec ros cadit nec pluuia, *commutare impetum fluminis qui lætificat Ciuitatem Dei, cursum doctrinæ vide licet sistere præsumpserunt.*

Gregorius IX. Bulla ad Regem Ludouicum IX. data an. 1229. quâ hortatur eum ad reuocandas Musas dispersas & vagantes ad Parnassum Parisiensem. *Sapientia*, inquit, *nutritur studio litterarum, quo quasi fluuio de loco deliciarum egresso non solum Regnum Francorum irrigatur & fœcundatur per Spiritus S. Gratiam, verum etiam Paradisus Ecclesiæ Generalis, cuius* Alueus Parisiensis Ciuitas ex eo quod idem Studium Parisius viguit, *hactenus noscitur exstitisse.* Et Bulla ad Vniuersitatem an. 1231.

Parens scientiarum Parisius velut altera Catiatsepher Ciuitas litteratum clata claret: in qua tanquam in Officina sapientiæ speciali habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, *in quo rite conflatur. Ex quibus prudentes Eloquii mystici Murenulas aureas vermiculatas argento cudentes & fabricantes monilia, ornata lapidibus pretiosis, imò nulli pretio comparandis sponsam Christi decorant, & decorant. Ibi ferrum de terra tollitur: quia dum terrena fragilitas fortitudine solidatur, lorica fidei, gladius spiritus & certa inde fit Christiana militia armatura potens aduersus aëreas potestates, & lapis calore solutus in æs vertitur, quia corda lapidea S. Spiritus afflata feruore dum ardent, incenduntur & fiunt prædicatione sonora, præconantia laudes Christi.*

Alexandet IV. statim post suam ad suptemum Pontificatum promotionem an. scilicet 1255. pto negotio Dominicanorũ ad Vniuersitatẽ scribens. *Quasi lignum vitæ in Paradiso Dei & quasi Lucerna fulgoris in Domo Domini est*, inquit, *in sancta Ecclesia* Parisiensis studii Disciplina. Hæc quippe fœcundæ etuditionis patens ad itri-

gandum sterilem orbis faciem, fluuios de fontibus sapientiæ salutaris cum impetu foras mittens, vbique terrarum Dei lætificat Ciuitatem, & in refrigerium animarum flagrantium siti Iustitiæ aquas doctrinæ diuidit publicè in plateis. Ibi nimirum ordinatus est per Prouidentiam Conditoris ad opus atque custodiam Doctorum Ordo præcipuus, vt ad vitæ fructum rationalis creaturæ deducat affectum, ne in gustum mortis vetitâ veteris præuaricationis illecebrâ seducatur. Ibi humanum genus Originalis ignorantiæ cæcitate deforme per cognitionem veri luminis quam scientia pietatis assequitur, redditâ visionis specie reformatur. Ibi præcipuè dat Dominus sponsæ suæ os, & sapientiam ac linquam mysticis eloquiis eruditam, cui resistere nequit omnis aduersitas improborum.

Item alia Bulla ad eandem Vniuersitatem data, sic habet. *Parisius peritiæ* summæ sinus de suæ scientiæ sumina plenitudine replens orbem, & tanquam fulgidus sol Doctrinæ per totum orbem claræ intelligentiæ lumen fundens depellit ignorantiæ tenebras, ruditatis abstergit caliginem, aufert imperitiæ nubilum, promit illuminationis auroram, cognitionis pandit serenum & lucidum scientiæ monstrat diem, rigat documentorum suorum fluentis Paradisi omnem terram & bonorum influentiâ dogmatum instruit & imbuit Vniuersam, copiosis & dulcibus sapientiæ fructibus reficiens Ecclesiam, mundum pascens. Quia de Parisius velut de Parentis sinu Partus scientiarum plurimi prodeunt, de ipsa rectæ ac perfectæ Disciplinæ Soboles gignuntur. Hinc procedit inclyta Doctorum prosapia: hinc alia progenies prouenit peritorum, quibus Christianus illustratur populus, & fides Catholica roboratur. Hunc profectò amoenitatis & commoditatis locum Vniuersæ Artes de totius orbis ambitu sibi habitaculum communiter elegerunt, & consideratis cæteris mundi mansionibus quasi deliberatione concordi suam fixerunt ibi immobilem stationem. HÆC EST EGREGIA LITTERARVM CIVITAS, ARTIVM VRBS FAMOSA, ERVDITIONIS SCHOLA PRÆCIPVA, SVMMÆ SAPIENTIÆ OFFICINA ET POTISSIMVM GYMNASIVM STVDIORVM. Hic suas habent & possident Cathedras; hic sua profunda & arcana veritatis Magisterii insinuatione reuelant: & cuiusque ipsarum propria virtus suo ibi proprio innotescit affectu. Inter quas sacra & Venerabilis Theologia locum obtinet altiorem. Præest enim reliquis sicut superior, tanquam inferiores cæteræ sibi subsunt. Imperat aliis vt Domina, & illæ sibi vt famulæ obsequuntur: gubernat alias vt Prælata, & ipsæ tanquam sibi subditæ reuerenter intendunt: ad hanc singulæ in viis leuant & habent intuitum, vt iuxta permissum eius se metientes inoffensè incedant & gressum ad aliquid inconueniens non impingant. De Parisius itaque fons limpidus scientiarum emanat, de quo potant cunctarum populi Nationum. Ibi erumpit altius puteus Scripturarum, de quo profundæ intelligentiæ pocula mundus haurit.

Vrbanus IV. qui an. 1261. ad Papatum euectus est, Bulla ad Meldensem Archidiaconum data 5 id. Ian. an. 1262. *scientiarum fontem irriguum*, fluuiumque virtutum, Parisiensem videlicet Vniuersitatem Apostolico fauore dignè prosequimur, & tanto potius statum eius prosperum affectamus, quanto potiores fructus in prouectiune multorum sub diuersorum dogmatum fœcunditate producit.

Clemens IV. Bulla ad Simonem S. Ceciliæ Cardinalem in Francia Legatum an. 1266. *In Ciuitate tam nobili*, tam famosa, quæ propter scientiæ fontem in vniuersum mundum diffusâ claritate refulgens cælestis gloriam firmamenti repræsentare dignoscitur, dum qui erudiuntur ibidem, celebri fiunt splendore conspicui, & qui erudiunt in æternitatem cum stellis perpetuam assumuntur, abusiones huiusmodi eo magis nostris obuiant desideriis, quod dad ciuitatem eandem, propter tantam prærogatiuam ipsius specialiorem affectum gerimus charitatis.

Simon de Bria Cardinalis S. Ceciliæ qui legatione functus est in Gallia octodecim annis, quique Vniuersitatis discordias non semel composuit, de eadem semper honorificè loquutur, cuius alumnus fuerat deinum Martinus IV. Pontifex factus mire prædecessorum suorum eam priuilegiis auxit & honorauit. Prætereo reliquos Pontifices, qui toto hoc seculo ad ditandam fauoribus & beneficiis Academiam certatim concurrisse videntur.

Nec attinet quoque Regum Francorum Priuilegia retexere, quæ passim in historia retulimus. Vnum est præcipuum quod à Philippo Augusto concessum anno 1200. à successoribus omnibus confirmatum est, illud nempe, quo Magistros & Scholares exemit à Iurisdictione Ciuili & ad Ecclesiasticam quibuscunque in causis etiam capitalibus remissos voluit. Quantum vero bonum esse reputaretur Vniuersitatem Studiorum possidere, vel ex hoc patet, quod cum an. 1229. orta esset inter Ciues Suburbii Sam-Marcellini & Scholares dissensio, nec potuisset Vniuersitas illatam sibi iniuriam vlcisci, adeo vt de deserendo studio Parisiensi cogitaret, imò consilium cepisset, inuitata & rogata est à Rege Anglorum Henrico Oxoniam; & à Duce Britaniæ Minoris Nannetumse se transferre, pollicitis se plura illi beneficia pluraque priuilegia quàm Parisiis habebat, impertituros. Qua de re certior factus Ludouicus IX. non modo aui sui Priuilegium confirmauit, sed insuper iniurias à Ciuibus illatas probè reparari iussit.

Sed & illud æternâ memoriâ dignum, quod sapientes Ministri ei suggesserunt, fore scilicet, vt si Studium Parisiense dissiparetur, *Lilium Francicum quod trini floris folio depictum est, in vna parte sui foret mirabiliter deformatum.* Nimirum aiebant, Regnum Gallicanum tribus his suffultum columnis subsistere, fide, scientiæ thesauro, & militiâ, idque significari triplici flore Lilii. *Nam*, inquiebant, *ex quo Deus & Dominus noster I. C. voluit prædictis 3. gratiis scilicet fide, sapientiâ & militiâ* specialius quàm cætera Regna Regnum Franciæ suâ gratiâ illustrare, consueuerunt Reges in suis armis & vexillis florem Lilii depictum tribus foliis comportare. Quasi dicerent toti mundo: fides, sapientia & militiæ titulus abundantius quàm Regnis cæteris sunt Regno nostro Dei prouisione & gratiâ seruientes. Duplex enim par flos Lilii sapientiam & militiam significat: quæ duo sequentes de Græcia in Galliam Dionysium Areopagitam cum fide quam ibidem Dei gratia seminauit, tertium florem Lilii facientem custodiunt & defendunt. Nam fides gubernatur & regitur sapientiâ, ac demum militiâ defensatur. Quandiu enim prædicta tria fuerint in Regno Franciæ fortiter & ordinatè sibi inuicem cohærentia, stabit Regnum. *Si autem de eo separata fuerint vel auulsa, omne illud in seipsum diuisum desolabitur atque cadet.* Ita illi vaticinabantur.

Prætereo singulares laudes & elogia quæ tribuuntur Vniuersitati ab omnibus Historicis huius seculi, quorum contexi posset ingens volumen. Dixisse sufficiat nullum vnquam Studium Generale, nullam Academiam, tam florentem vnquam extitisse, tanto tempore substitisse, tam multis honoribus, beneficiis, priuilegiis decoratam fuisse; nullam denique tam vnanimiter cultam, tam affluenter ab exteris frequentatam.



DE STATV VNIVERSITATIS Parisiensis.

DISSERTATIO PRIMA.

De eius tranquillitate & turbationibus.

IN Statu sunt hæc nobis examinanda. 1. Tranquillitas & perturbatio studiorum. 2. Partes Vniuersitatis, seu Facultates & Nationes. 3. regimen eiusdem, antiquum & nouum. 4. Comitia, vbi de statutorum factione. 5. Consilium & Consiliarii qui eius regimini intendunt. 6. Officiarii. 7. forum seu Iurisdictio: item & Curia Conseruationis. 8. Patronatus in dispositione Beneficiorum Ecclesiasticorum. 9. mores huius seculi. 10. Conflictus Academicorum cum Mendicantibus, quæ omnia totidem dissertationibus conficiemus.

Triplicem Vniuersitatis turbationem superiore seculo retulimus, vnam ad an. 1132. à Stephano Episcopo Parisiensi & Vlgrino Cancellario. Alteram ad an. 1163.

à Monachis San-Germano Pratensibus, propter quam detulerunt Clerici querelas suas ad Concilium Turonense.

3. Ad an. 1192. à Clienribus & famulis eorundem Monachorum, quamobrem Vniuersitas Legatos Romam misit, qui de facta Scholaribus iniuria expostularent. Quartam adiicere potuissemus quam aliqui contigisse scribunt an. 118. occasionemque dedisse fundationi Abbatiæ San-Antonianæ Sanctimonialium, sed historiam illam quanquam in multis Bibliothecis & Archiuis Monasteriorum in MS. Codicibus contineri dicitur, Apocrypham reputauimus, cum nullius authoris coæui nec supparis authoritate fulciatur. Si quis tamen etiam fabulis pro historia delectatur, en refero ex l. 4. Antiquitatum Parisiensium.

« L'an de l'Incarnation de nostre Seigneur 1181. s'esmeut certain discord entre les Escholiers de l'Vniuersité de Paris & habitans de la ville pour cause que lesdits Escholiers de iour à autre prenoient & rauissoient de fait & de force leurs femmes, filles & chambrieres. Pour lesquelles causes furent plusieurs desdits Escholiers & Bourgeois occis & massacrez : tellement que lesdits Escholiers se voulurent departir & aller tenir Vniuersité ailleurs, Parquoy la Ville en demoura moult depopulée & la foy par ce moyen blessée, Et pource icelle Vniuersité enuoya à Rome par deuers le Saint Pere. Lequel pour obuier aux inconueniens qui s'en fussent ensuiuis enuoya deux de ses Cardinaux à Paris pour pacifier & accorder lesdites parties. Lesquels venus de Rome arriuerent au Bois de Vincennes prés Paris enuiron l'aube du iour. Et ceux qui auoient esté querir, arriuerent entre ledit Bois & Paris sur vne petite montagne audessus du lieu où est à present fondée l'Eglise de S Antoine. Et la fut erigée vne Croix, nommée la *Croix Benoiste*, à present brisee : d'où l'on void la Ville de Paris. Iceux Cardinaux se mirent à descendre à genoux, faisans leurs prieres à nostre Createur, afin qu'ils peussent faire chose qui luy fust agreable, & la chose accomplir pour laquelle ils estoient enuoyez. Et vindrent vn peu outre en la vallée en approchant de Paris. Ou ils trouuerent vne personne en semblance d Hermite, tenant en sa main v[illegible] manequin ou panier plein de pierres. Et iceluy Hermite les iettoir sur terre p[illegible] espace d'vne eniambée en compassant & enuironnant le lieu d'icelle l'Eglise ou elle est à present fõdée. Auquel Hermite ils s'addresserent & l'admirerent, en disant qu'il leur dist qui il estoir, & signifioit ce qu'il faisoir. Lequel tant[illegible] leur dit: Ie suis Antoine icy enuoyé par la volonté du Tout-Puissant, pour compasser & faire l'enceinte de ce lieu, auquel il ordonne qu'on edifie vne Eglise. Et ces choses dites, lesdits Cardinaux luy faisans plusieurs prieres & requestes le virent esuanoüir. Et aprés ce remonterent & vinrent à Paris de bon matin. Et eux logez ne firent ne dirent chose touchant leur Ambassade, iusques à ce qu'ils eussent reuelé ladite vision, comme ils firent peu apres, l'vn preschant en l'Eglise S. Merry & l'autre en l'Eglise Saint Seuerin. Alors le Peuple de Paris meu de deuotion fit fonder audit lieu vne petite Eglise & Chapelle au Pourpris de Saint Antoine qui encore y est sur le chemin en l'honneur du glorieux Amy de Dieu S. Antoine.

Sed mittamus istas fabulas, & ad historiam huius seculi veniamus.

Prima ergo Turbatio contigit an *1199*. aut an. 1200. occasione iniuriæ & vis à Præposito Parisiensi Scholaribus quibusdam illatæ: quamgrauibus Malefactorum pœnis Philippus Augustus reparari voluit. Imprimis enim ipsum Thomam Præpositum Parisiensem in carcere damnauit, donec innocentiam aquæ vel ferri candentis iudicio purgasset Deinde Priuilegium securitatis Vniuersitati Scholarium concessit, & secundum illud futuros Præpositos sub initia suæ Præpositura eidem iuramentum præstare adegit, se omnia iura libertatesque ac Priuilegia à Regibus concessa & concedenda conseruaturos. 3 à cuiuscunque Iudicis secularis iurisdictione Magistros & Scholares exemit, atque ad forum Episcopale remisit.

2. Turbatio ex indulgentia ista Principis ortum habuit: nã cũ Foro Ecclesiastico omnem in Scholares iurisdictionem etiam in causis capitalibus attribuisset, Episcopus Parisiensis, item & Cancellarius nimio ampliorem sibi arrogantes authoritatem, quanquam forte id eò faciebant vt Scholares in officio facilius,

continerent,

continerent, interdixerunt ne vlla facerent statuta, vllos conuentus, vllasque vt loquebantur *colligationes*, se inconsultis & inuitis: quod erat omnem Vniuersitati disciplinam auferre. Et licet Innocentius Papa eiusque Legatus Robertus Curthonius eidem Vniuersitati suam asseruissent libertatem pristinam & antiquam, nihilominus in perpetuo fere cum Episcopo & Cancellario prædictis dissidio per 30. annos versata est. Vnde & aliæ multæ turbationes interciderunt.

3. Ergo inde orta est circa an. 1221. sedente in Episcopali Cathedra Guillelmo de Scilligniaco, qui cum esset vir rigidus & seuerus, Scholares tam imperiosè tractauit, vt Vniuersitas ad solitum contra vim remedium confugiens toto semestri à lectionibus cessarit. Id notat Ioannes à S. Victore ad an. 1220. sic scribens. *Hoc anno capta Damieta à Christianis reuersi sunt plures in Franciam. Tunc Guillelmus Antissiodorensis Episcopus translatus est ad Cathedram Parisiensem, Petro Episcopo Paris. defuncto. Vir quidem nimis seuerus & Regi Philippo infensus &* Vniuersitati Scholarium Parisiensium, cuius improbitate actum est vt per dimidium annum Parisius à lectionibus cessaretur. Vide insuper quæ de eo diximus ad an. 1223. fol. 111. & 112.

4. An. 1225. accidit authore M. Philippo de Greua Cancellario Paris. qui cum Vniuersitatem in ius vocasset apud Romanum Cardinalem Legatum, existimans sibi factam iniuriam quod se spreto ipsa sigillum sibi suum haberet, Romanus verò contra ipsam tulisset paulo nimis festinanter sententiam propter causas quas ad eum annum retulimus, Scholares arreptis armis Cardinalem fugarunt, deque comitibus ipsius & famulis nonnullos vulnerarunt.

5. Longè grauior vehementiorque fuit an. 1229. vt scribunt communiter Historici, vel 1230. ex alio quidem principio, sed cui faces subministrarunt Episcopus Paris. & prædictus Romanus Legatus, tum primas sub Ludouico IX. Rege Minore & Blancha Regina partes in Regni administratione obtinentes. Cum enim Vniuersitas de vi Scholaribus suis per Ciues & incolas suburbii Sam-Marcellini illata apud Regem conquesta fuisset, iis consultoribus non modo repulsam passa est, sed ad eam comprimendam dispositæ sunt Prætorianorum Militum cohortes in armis. Cessatum igitur à Lectionibus, nec modo cessatum, sed alii aliò abierunt libertati & securitati suæ locum tutiorem quærentes. Breuique tempore tota Vniuersitas dissipata est, fuissetque longè adhuc miserabilior dissipatio, nisi Rex melius consultus eam antiquâ libertate & securitate redonasset. Hac de re fusè ad annum prædictum diximus. Addamus hic testimonium Ioannis S. Victoris ad an. 1230. sic scribentis. *Hoc anno*, inquit, *facta est dissensio magna inter Burgenses Parisius Ciues & Scholares propter quendam Scholarem qui occisus iniustè fuerat ab eis. Detulerunt igitur querimoniam suam ad Regem, qui non ad placitum Scholarium & Vniuersitatis emendam offerebat: imo aliquantulum minus quam deberet.* Tunc tota Vniuersitas 4. Nationum decreuit quod à lectionibus cessarent. *Quod & factum est. Ideoque multi Scholares* Studium Parisiense *reliquerunt absque reuertendi spe, decretumque est ab omnibus, vt studium in Britanniam apud Nannetum transferretur. Dux enim Britanniæ promittebat Vniuersitati multas Curialitates & plura Beneficia quàm Parisius, se facturum. Rex autem Francorum hoc comperto, habito consilio cum bonis emendari fecit bene & sufficienter à Ciuibus quod fuerat forefactum: & sic lectiones sunt resumptæ.* Hæc studii Parisiensis dissipatio ostium pandit Dominicanis ad Academiam Parisiensem.

6. An. 1252. accidit: cum enim Ciuitatis Parisiensis Vigiles obuios habuissent de nocte 4. Scholares Clericos, vnum eorum interfecissent, reliquos letaliter vulnerassent, conquesta est Vniuersitas, & dum repareretur iniuria, à lectionibus cessandum existimauit. Sed tandem Alfonsus Regis Frater Pictauiensium Comes de Consilio procerum Regni ei omnino satisfecit ad votum, vt ad an. 1253. retulimus.

7. Ex præcedenti orta est; nam cum Decreto de Cessatione non paruissent Dominicani, eos propter contumaciam à consortio suo amandauit Vniuersitas omnibusque iuribus & priuilegiis priuauit. Illi ad Innocentium IV. deinde ad Alexandrum IV. confugientes Bullas multiplices impetrarunt restitutionis in integrum, imò plurimas fulminatrices & excommunicatorias, quibus obruta Academia cessit tandem, & quanquam diu reluctata & inuita eos in societa-

tem admiſit qualemcunque & ſub certis conditionibusquas in hiſtoria retulimus. Illi vero qui quod iurare & Decretis Academiæ parere initio detrectaſſent, turbarum cauſa fuerant, iidem iuramento cui ſeculares ſeſe ſubmiſerunt. Et ita poſt plures annos pax eſt Academiæ reddita circa an. 1260.

8. Fuit à Monachis San-Germano-Pratenſibus eorumque famulis an. 1280. qui in Scholares colludentes in Prato Clericorum fecerant impetum eorumque plurimos vulnerarunt, quoſdam etiam interfecerunt.

Quamobrem conqueſtaeſt Vniuerſitas apud Simonem de Bria S. Ceciliæ Cardinalem Legatum Apoſtolicum, & apud Regem, ſeque omnino ceſſaturam conteſtata eſt, niſi ſibi ſatisfieret. Re ergo in Conſilio Regis agitatâ, quia redonari vitâ non poterant mortui, decretum eſt vt Monachi Capellanias fundarent in perpetuum, quarum Patrona eſſet Vniuerſitas.

9. Paulo poſt accidit, nempe 1281. inter Nationes duas Picardicam & Anglicanam, quarum vtraque ſibi ſecundum à Gallicana locum vindicabat. Et Anglicana quidem ſibi etiam primum deberi contendebat, quod fundatrix eſſet & inſtitutrix primæua Scholæ Pariſienſis. Qua de re videantur ea quæ ad illum annum retulimus.

10. Circa an. 1288. orta eſt inter Vniuerſitatem & Monachos San-Germano-Pratenſes propter quandam Plateam à M. Radulfo de Albuſſone ante an. 1260. Vniuerſitati legatam: ſed tandem diſcordia illa an. 1292. compoſita eſt amicè: quanquam non defuerunt, qui tranſactionem iſtam non probarent. Quâ de re ſatis fusè in hiſtoria.


Cæterum aduerſus ſeditiones & vim extraneam potiſſimum Vniuerſitatis remedium ſemper fuit ceſſatio à Lectionibus ſi illatæ iniuriæ non repararentur. Quod quidem Apoſtolica etiam authoritate confirmatum eſt. Nam in reformatione anni 1231. Gregorius IX. Pontifex Max. Innnocentii III. quondam nepos hæc inter cætera cauit ad ſtudentium ſecuritatem, ſtudiorumque tranquillitatem.

Si forte vobis ſubſtrahatur Hoſpitiorum taxatio, aut quod abſit, vobis vel alicui veſtrum iniurio vel exceſſus inferatur enormis, vt pote mortis vel membri mutilationis, niſi congruâ monitione præmiſſa infra 15. dies fuerit ſatisfactum, liceat vobis vſque ad ſatisfactionem condignam ſuſpendere Lectiones: & ſi aliquem veſtrum indebitè incarcerari contigerit, fas ſit vobis niſi monitione præhabita ceſſet iniuria, ſtatim à Lectione ceſſare. Si tamen id videritis expedire.

Hæc Conſtitutio ſacra fuit Vniuerſitatis anchora per plura ſecula, vt ex Hiſtoria euidens eſt. Quamobrem verò contra iniurias eam potiſſimum elegerit, rationem reddidit an. 1255. Alexandro IV. obiurganti quod ceſſaſſet à lectionibus & non ceſſantes Dominicanos è conſortio ſuo expuliſſet. Sic enim illa. *Vt de cæteris ad præſens ibi contentis grauaminibus quæ ſtudij ſupradicti feruorem extinguunt, vigorem hebetant, taceamus, illud vnum intolerabile nobis in ea & letale periculum continetur, vt cum ſimus alienigenarum multitudo inermis, quibus ab indigenis atroces & corporalis iniuria frequentius irrogantur; nec aliud dictas iniurias proſequendi habere ſoleamus auxilium, quàm vſque ad excitationem Principis generaliter noſtras ſuſpendere lectiones, Iſtud vnicum noſtrum remedium nobis per memoratam litteram eſt ablatum. Vbi cauetur quod non niſi de conſenſu duarum partium Magiſtrorum cuiuſlibet Facultatis obligationes valeamus facere de ceſſando.* Cum enim Magiſtrorum Theologiæ ſaltem pars maior "quàm tertia de Canonicis Pariſienſis Eccleſiæ & Fratribus aliorum Conuentuum "Pariſ maximè occaſione dictæ ordinationis ſemper exiſtat, qui timore tranſlatio-"nis ſtudii aut receſſus ſcholarium ad generalem ceſſationem, ſicut experti didici-"mus nequaquam poſſent induci, reſtat vt nec per hanc viam nec per aliam, cum "alia non exiſtat, iniurias noſtras proſequi valeamus. Propter quod ſinguli tanquam "oues diſperſæ impune dati ſumus cædibus peſtilentium & peruerſis incurſibus "malignorum.

Rem ergo iubet Alexander fieri nouam, inuſitatam, inſolitam. Non enim modo vult à ſingularum Facultatum Magiſtris deliberari de ceſſando, ſed inſuper, vt non poſſit concludi & iuberi ceſſatio niſi in ſingulis duæ partes Magiſtrorum conſentiant: quod erat conſtitutionem Gregorianam omnino abolere. Nam in ordine & numero ſaltem Theologorum, pars maior quam tertia erat *de Canonicis Eccleſiæ* Pariſ. & de Religioſis ſeu Monachis Conuentuum Pariſienſium: qui nun-

quam & nullo tempore Decreto de cessatione subscripturi erant. Quamobrem maluit Vniuersitas omni beneficio & iure societatis renunciare, quàm constitutionem Alexandri *nequiter*, vt dicebat, *à Mendicantibus procuratam* executioni demandare, suis moribus, institutis & legibus omnino repugnantem. Vnde & post Alexandrum eadem ab Vrbano IV. Gregorianæ confirmationem obtinuit, vt suo loco videbitur.



DISSERTATIO II.

De Partibus Vniuersitatis seu de Facultatibus & Nationibus Vniuersitatis.

DIcturis de regimine Vniuersitatis operę pretium est ante videre, quæ sint ipsius partes constitutiuæ. Vulgò verò constare dicitur ex 4. Facultatibus. At Facultatis nomen æquiuocum est. Nam 1. accipitur pro Disciplina seu Arte: quomodo Grammatica definitur *Facultas tersè & Latinè loquendi*. Dialectica *Facultas bene disserendi*. Rhetorica *Facultas bene seu commodè dicendi*: commodè inquam, *siquidem*, vt ait Satesberiensis l. 1. Metalog. c. 7. *Non est eloquens quisquis loquitur, aut quidquid voluerit, vtcunque loquitur, sed ille duntaxat qui animi sui arbitrium commodè profert. Ipsaque commoditas exigit Facultatem, quæ à facilitate dicitur. Ergo cui facilitas adest commodè exprimendi verbo quidem quod sentit, eloquens est. Et hoc faciendi Facultas rectissimè Eloquentia nominatur.*

Hoc ergo modo verum est in Vniuersitate Parisiensi esse tantum 4. Facultates, seu quod idem est, omnes disciplinas, artes & scientias quæ in Vniuersitate exercentur, sub his 4. generibus contineri & comprehendi, Theologiæ, Iuris Canonici, Medicinæ & Artium liberalium. Et sub hac ratione à summis Pontificibus, Cardinalibus & Legatis Apostolicis qui eam reformarunt, mirificè prædicatur & extollitur, comparaturque cum Paradiso terrestri, quia sicut ex eo 4 flumina promanabant, quibus tota terra irrigabatur, ita dicebant ipsam continere in se 4 disciplinarum genera. quibus Christianus orbis vniuersus fœcundabatur & ditabatur. Sub eadem quoque ratione Gouletus post titulum de diuisione Vniuersitatis in 4. Facultates. *Alma igitur*, inquit, *Parisiensis Vniuersitas ex 4 Facultatibus quasi 4. fortissimis columnis suffulta solidatur. Vel potius ex ea quasi ex 4 scaturientibus sapientiæ fontibus, Philosophiæ maximum & inexhaustum mare confluit. In quo omnigenæ virtutis scientiæ & veritatis sapidos pisces cum studiositatis & diligentiæ retibus quis facile pro libito piscari potest.*

Ipsa quoque Vniuersitas litteris ad Prælatos super discordia Mendicantium an. 1253. *Excelsi dextera Paradisum voluptatis olim plantauit Parisius venerandum Gymnasium litterarum. Vnde sapientia fons ascendit, qui in 4. Facultates, videlicet Theologiam, Iurisperitiam, Medicinam, nec-non Rationalem, Naturalem, Moralem Philosophiam quasi in 4. Paradisi flumina distributus per 4. mundi climata deriuatus vniuersam terram irrigat & infundit, ex quo quàm multifarios spirituales ac temporales profectus Christiana professio experitur, luce clarius patet cunctis.*

Similiter cum in moribus & disciplina reformatione visum est opus esse, certum est eam fuisse factam in quadruplici Facultatum seu disciplinarum genere prædicto, Theologiæ, Iuris Canonici, Medicinæ & Artium; vt patet ex celebri reformatione Tutauillæi an. 1451. & ex ea quoque quæ Henrico IV. regnante & iubente facta est an. 1598. In singulis enim earum generibus multi sunt articuli ad disciplinæ instaurationem & conseruationem pertinentes.

2. Nomen Facultatis accipitur pro Collegio, Corpore & Ordine politico Magistrorum in Vniuersitate suffragantium sub priuato & proprio Decano, seu Vniuersitatem gubernantium; Quales sunt Facultates Theologiæ, Iuris Canonici &

liam, Siciliam, Venetiam, Græciam, Armeniam, Arabiam, Ægyptum, Mediam, Syriam, Persidem, Indiam; denique totum Orientem & omnem mundi regionem quæ sub aliis Tribubus aut Nationibus infra describendis non continetur.

Singulis præterea Tribubus seu Prouinciis prænominatis præest Decanus, antiquior Magister Regens actu vel qui rexerit in artibus saltem vnum Cursum: idque ab antiquo; quod & confirmatum Senatusconsulto an. 1524. die 6. Martii, in quo hæc verba habentur. *Quantum verò ad Decanos Prouinciarum, ille qui erit antiquior Regens actu in Facultate Artium, vel rexerit in Artibus vnum cursum integrum, manens in Collegio famato, reputetur Decanus suæ prouinciæ & Officium Decani exerceat.*

Præterea singulæ Tribus *Quin-quevirum* eligunt, seu *Intrantem* eligendo Procuratori: qui Magistratus erat olim menstruus, bimestris, postea trimestris, nunc annuus. Singulæ quoque in peruigilio B. Guillelmi Bituricensis, quem Natio Patronū delegit, suum *Tentatorem* seu *Examinatorem* Determinatorum seu Candidatorum Baccalaureatus in artibus designant. Idque quotannis. At singulæ alternis vicibus eadem die *Quæstorem* seu *Receptorem* Ærarii Nationis per Decanum ipsi Nationi nominant, qui intra octo dies sponsorem seu fideiussorem dare tenetur. Singulæ quoque alternis, singulis trimestribus Quatuor-virum designant qui cum aliis aliarum Nationum Rectorem sit electurus.

Natio Picardica de antiquo more institutoque nonnihil immutauit. Antiquitus in duas erat partes diuisa, & vtraque quinque diœceses continebat. Prima quidem istas, Beluacensem, Ambianensem, Nouiomensem, Atrebatensem, Morinensem. Altera Cameracensem, Laudunensem, Tornacensem, Leodiensem, Traiectensem. Et in electione Officiariorum alternas vices seruabat. Qua de re sic Gouletus. Picardica.

Prima Pars, scilicet Magistri quinque Diœcesium, quæ sunt Beluacensis, Ambianensis, Nouiomensis, Atrebatensis & Morinensis, conueniunt simul singulis annis vnà cum aliis Nationibus in duabus Rectoriis, scilicet in Rectoria S. Dionysij & in Rectoria Paschæ, & faciunt quinque paruos Intrantes, videlicet vnum de qualibet diœcesi, ad quos spectat facere vnum magnum Intrantem de illa parte, qui vnà cum aliarum Nationum Intrantibus eligere habeat Rectorem. Et sic in aliis duabus Rectoriis successiuè procedunt Magistri alterius partis, scilicet in Rectoria Natiuitatis Domini & Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ. Et eodem modo fit in electione Procuratoris, cuius Officium solum durat vt in Francia dictū est, per duos menses. Assumuntur enim Procuratores eisdem diebus quibus alij Procuratores aliarum Nationum per vices de parte quæ est in Turno. In electione verò Receptoris quæ fit in magnis Scholis Picardorum, die S. Remigii eliguntur Intrantes quinque de illa parte ad quam pro tunc spectat. Et ingressi conclaue eligunt Magistrum illius Nationis vel maior pars eorum in Receptorem, cuius Officium est annuum.

Die verò SS. Innocentium procedunt ad Electionem Examinatorum pro examinandis Baccalariis: sicque primò quinque Magistri de primâ parte, scilicet de primis quinque Diœcesibus intrant conclaue & eligunt duos Magistros eiusdem partis, scilicet vnum Regentem & alium non Regentem, & referunt Procuratori. Qua relatione factâ alii quinque de aliis quinque diœcesibus intrant ipsum Conclaue & eligunt duos, scilicet vnum Regentem & alium non Regentem, & similiter Procuratori referunt. Quâ relatione factâ quatuor sic Electi simul in facie Nationis congregatæ præstant iuramenta & inter illos quatuor, qui gradu est antiquior, præsidet in examine, & vbi vult examen collocat.

Natio Normanica vnicam Normaniam complectitur septem diœcesibus seu Episcopatibus comprehensam: nec tamen totam: quippe Insulas quæ sunt Constantiensis diœcesis, Anglicana sibi vindicauit, & Vicariatum Pontisarensem Gallicana teste Gouleto. Vnicum habet Decanum, antiquiorem Regentem. Normanica.

De ea sic Gouletus. *Hæc sagax Natio* licet plena suppositis, non tamen per partes aut diœceses vt cæteræ, diuisa est, sed tota simul manens quotiens opus est vnà cum aliis Nationibus pro eligendo Rectore conuenit in vnum ex tota concione nominans Magistrum & eligens Intrantem. Similiter in suorum Officiario-

rum electione est liberalissima. Nam eius Procurator, quem statuto die (vt aliæ Nationes omnes simul eligunt) ad minus per trimestre suum exercet Officium, ipsumque *sæpius per plures menses continuat.* (hodie annuus quoque est Magistratus.)

Receptor autem eorum vt alij cæterarum Nationum annalis est, qui in vigilia Apostolorum Petri & Pauli post antiqui Receptoris redditam rationem à tota Concione eligitur. Habent etiam alium Officiarium qui Thesaurarius dicitur, quem sæpius cum Procuratore eligunt & continuant. Hic enim Thesauri & Ornamentorum claues habet, & vnà cum aliis Clanigetis ad Thesaurum & cum Bidellis ad extrahendum sacra Ornamenta cum opus est, vadit.

Pro examinandis autem Bacchalariis tres Magistros in vigilia Circumcisionis Domini eligit: quorum vnus qui in Examine præsidere habet, quique, vt ferunt Quidam, de Rotomagensi diœcesi assumi debet, *Metropolitanus* appellatus. Alij duo indifferenter de omni Diœcesi ipsius Nationis, quorum prior vocatur *Diœcesanus*, & tertius *Scriba*: qui ad mandatum Procuratorum & aliorum duorum tenetur taxationem Bursariorum baccalariandorum inscribere, & eorum scedulas ad Receptorem cum taxa dirigendas signo suo signare. Et eorum examen in crastino Crastini post Festum Regum aperitur, & in festo Purificationis clauditur. Solet quoque Natio omnes Baccalarios suos in Vigilia Ramorum in loco suo apud S. Mathurinum videre *& nominatim conuocare*. Solebat quidem; nam hodie in desuetudinem abiit illa consuetudo.

Restat de Natione Germanica dicendum, quæ antiquitus & ad tempora vsque Caroli VII. dicta est Anglicana Continebat autem tres Tribus, seu magnas Prouincias, Superiorem Germaniam, quæ dicebatur *Prouincia Altorum Almanorum*: Inferiorem, *quæ Bassorum Almanorum*, & *Scotiam*. Rursus *Altorum Almanorum Prouincia* continebat hasce Diœceses, & Gentes, Moguntinensem, Constantiensem, Basiliensem, Treuerensem, Augustinensem, Argentinensem, Lausanensem. Item Bohemiam, Poloniam, Daniam, Sueciam, Hungariam, Daciam, Bauariam, Elucriam & totum Septentrionem.

Altera, quæ *Bassorum* dicebatur *Almanorum*, complectebatur diœceses. Traiectensem & Leodiensem ex parte pro limitatione facta per Vniuersitatem an. 1358. præterea Coloniensem, Monasteriensem, Prussiam, Saxoniam, Barauiam seu Hollandiam & alias multas Gentes, quarum nonnullas sibi Picardica vindicauit.

Tertia denique Tribus seu Prouincia continebat Scotiam, Angliam & Hiberniam, quæ hodie *Tribus Insularium* dicitur; cum antiquitus *Tribus Scotorum* vocitaretur, quasi Princeps Insularium in memoriam *Magistrorum Scotorum* qui Academiæ Parisiensis primi fuerunt Institutores. De hac autem Natione non est prætermittendum quod scribit idem Gouletus.

Hæc quantum ad Rectoris Electionem, sicut duæ primæ, per vices procedit: & quælibet Prouincia pro dando Intrante turnum facit: sic quod prima in vna Rectoria dat vnum Magistrum de sua Prouincia, qui vnà cum aliis cæterarum Nationum In[illegible] antil[illegible] ingrediens Conclaue, vt moris est, Rectorem eligit: deinde secunda si[illegible]il[illegible]er, & tertia vicissim. Eodem die quo aliæ Procuratorem suum de Pro[illegible] in [illegible] est in turno, assumunt & eligunt, qui solum per duos menses [illegible] e[illegible] [illegible]r:t officium Receptor autem eorum annuus est, vt alij alia[illegible] [illegible]at[illegible] eligitur vicissim de prouincia quæ est in turno. Pro Exami[illegible] [illegible] [illegible]accalariandorum dant 4. Magistros, duos Regentes & duos [illegible]gent[illegible] [illegible]xaminatores de qualibet Prouincia vnum. Et quia non sunt nisi [illegible] uinciæ, alternatis vicibus sunt duo de vna prouincia. Et fit ista electio [illegible] n[illegible] die legibili post festum Natiuitatis Dom[illegible] per Intrantes trium prouinciarum, sicut solitum est facere in Electione Procuratoris.

Ex dictis intelligitur habuisse Nationes multa quidem communia; in multis quoque, suis moribus legibus propriis & institutis vsas fuisse: adeout nullatenus dubitari possit, quin singulæ vera Corpora distinctaque Collegia constituant & semper constituerint. Nam singulæ suũ semper habuerunt Procuratorem seu Præfectum, suos Decanos, aliæ plures, aliæ pauciores; suum Quæstorem seu Recepto-

rem ærarii priuati, suos Examinatores, singulæ binos Apparitores seu Bedellos cum binis fascibus argenteis quos Procuratori præferunt: sua Comitia priuata, sua statuta eorumque condendorum parem potestatem; parem singulæ in sua supposita iurisdictionem; suum Patronum, sua sacra, locumque sacrorum diuersum ab aliis, atque seorsim quoque suum Tabularium & Archiuum. Itaque sic consideratæ singulæ Nationes seorsim ab aliis abstrahendo ab Artium disciplinarumque professione, verè sunt Corpora politica rem suâ publicam moribus, legibus & institutis gubernantia: quibus nempe inest αὐτάρκεια, quam requirit Aristoteles vt aliqua societas dicatur perfecta Communitas & Respub. Hoc est, ad sui conseruationem vis & facultas sibi sufficiens, ita vt sui non modo viuant, sed bene beatéque pro Rei suæ publicæ conditione viuant: quod fieri non potest sine legibus, vt præclarè notat S. Thomas.

Ita autem institutæ Nationes societatem inter se constituerunt sub vno Rectore, quem è numero suorum Magistrorum eligebant, vt infra dicetur in dissertatione de Consilio & Consiliariis Vniuersitatis. Comitia quoq; communia & statuta condiderunt tum ad Reipub. Litterariæ salutem & incolumitatem, tum ad Disciplinæ Scholasticæ instaurationem: qualia sunt multa statura, quæ Facultatis Artium dicuntur, aut quæ à 4 Nationibus simul congregatis facta leguntur.


2. Ex dictis liquet in Vniuersitate Parisiensi septem esse Partes seu septem Corpora politica sub communibus quibusdam legibus & institutis subque communi Capite & Rectore totam Rempub. litterariam gubernantia, suis tamen singula moribus & statutis vt instituta, sic semet conseruantia. Nempe hæc. 1. Facultatem Theologorum quæ Sacratissima dicitur à dignitate & eminentia disciplinæ quam profitetur. Vnde meritò priorem locum inter socias occupat. 2. Consultissimam Decretorum Facultatem, quæ ad Theologorum Ordinem propiùs accedit. 3. Saluberrimam Medicorum Facultatem, quæ antiquitus *Physica* dicebatur. Istæ autem Facultates appellantur vulgò *Superiores* non quod Facultati Artium prædominentur, sed quia superiores disciplinas exercent: habentque singulæ pro Præfecto & Præposito Decanum, sua Comitia, in quibus Magistri eiusdem omnes professionis viritim suffragium ferunt, suasque leges & instituta.

Sequuntur *ordine disciplinæ* 4. Nationes Facultatis Artium in quibus continentur omnes in Artibus Magistri, Baccalaurei & Licenciati in superioribus Facultatibus ad sumptionem vsque pilei Doctoralis, Gallicana, Picardica, Normanica & Anglicana seu Germanica. Dico *ordine disciplinæ*: nam ordine originis seu institutionis, videntur esse priori loco reponendæ. Vnde antiquitus priore loco suffragium ferebant in Comitiis, vt ex historia parebit.

Cæterum non est hoc omittendum de Theologica Facultate: in ea scilicet, & forte in Facultate quoque Iuris Canonici, fuisse Professores duplicis generis, seculares & Regulares. Seculares rursus duplicis, nempe eos qui *precario* & ex *priuilegio*, quales erant Canonici Ecclesiæ Parisiensis: & eos qui legitimè quique nec vi, nec clam, nec precatio docerent, quales erant Academici. Canonici quidem Ecclesiæ Parisiensis ex veteri consuetudine & quadam tolerantia publicè docebant non certo numero, sed prout Ecclesia prædicta plures aut pauciores habebat qui docere possent. Sic enim Vniuersitas in litteris [illegible] ælaros datis an. 1253. *Considerantes Canonicos Ecclesiæ Parisiensis, quorum tre* [illegible] *gentes in eisdem litteris numerum suum, secundum quod eis person* [illegible] *rem Ecclesiæ multiplicare consueuisse.* Ita tamen docebant, vt a[illegible] tatis & ad arcana eius videantur non fuisse admissi. Quippe [illegible] reformatione an. 1231. vetat ne Cancellarius secreta recludat [illegible] nonicis Ecclesiæ Paris. relictâ tamen iis docendi libertate. *Cancellari* [illegible] *iurabit quod consilia Magistrorum in malum eorum nullatenus reuelabit Parisiensibus* [illegible] *nonicis libertate ac iure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate.* At si Comitiis aderant, erant certe & consiliorum participes.

Regulares verò Magistri, nempe Dominicani omnium primi accepta occasione secessionis Academicorũ quæ accidit ao. 1230. aut circiter, clam in Cathedram inuolarunt; & vt legitur in prædictis litteris ao. 1253. *Conuenientibus Episcopo & Cancellario Paris. qui tunc erant, in absentia Magistrorum solenne Magisterium & vnam*

Magistralem Cathedram sunt adepti. Iidem postea duas Cathedras occuparunt: postremo cum Magistris secularibus societatem inire affectarunt & tandem violenter inuitáque totá vniuersitate obtinuerunt.



DISSERTATIO III.

DE REGIMINE VNIVERSITATIS Parisiensis.

IN regimine hæ Quæstiones habent locum, an sit & fuerit, quid sit, quale sit. Quæri enim potest an sit & an fuerit ab initio regimen aliquod rei litterariæ. Et hæc quidem quæstio tam ex his quæ fiunt in Vniuersitate, quàm ex iis quæ in synopsi primi seculi diximus, facile soluitur. Certum est enim nunc esse Reipub. litterariæ regimen & administrationem politicam: in eamque rem haberi Comitia priuata & publica, statuta condi, leges ferri, Magistratus seu Officiarios eligi solere.

Quod verò fuerit similiter ab initio; licet non fuerit eo planè modo quo nunc est, dictat sensus ipse communis. Neque enim quisquam est qui etiam imaginatione sibi fingere possit, cum legit institutam fuisse in Palatio Regio Scholam, Professiones distinctas & inconfusas, concertationes varias ad profectum studentium vsurpatas; priuilegia attributa, continuam vero tot seculorum spatio Professorum publicorum & scholæ Parisiensis famam, nullam fuisse toto illo tempore disciplinam, nec communem aliquam rei litterariæ dispositionem & gubernationem. Præsertim verò cum nusquam & nullibi legerestit institutum fuisse de nouo illud regimen, sed eius tantummodo seriem continuatam.

Iam ergo videndum quid & quale sit eiusmodi regimen. *Vniuersitas Corpus est Politicum studiosorum certis disciplinarum generibus vacantium: eiusque administratio Aristodemocratica ad commune bonum Ecclesiastici ciuilisque status instituta.* Talem enim sibi finem Carolus ille Magnus proposuit cum conderet Academiam; nempe vt apertis Scholis publicis atque ad eas euocatis vndequaque Magistris & Scholaribus, haberet viros qui Ecclesiæ & Regno vtiles esse possent. Dicimus verò Vniuersitatis administrationem esse *Aristodemocraticam*, cum pendeat partim ab ipsis Ciuibus seu membris & suppositis Reipub. huius litterariæ, in Comitiis publicis suffragia ferentibus, partim à delegatis, seu deputatis eiusdem Consiliariis, cuiusmodi sunt *Rector, Decani & Procuratores.*

Tota difficultas in eo versatur, an fuerit eadem semper ratio regiminis, eadem comitia & iidem Consiliarii: an verò diuersa, & quando mutatio illa acciderit. Ad huiusce difficultatis solutionem operæ pretium est in memoriam ea reuocare quę in synopsi primi seculi retulimus. Primigeniam scilicet & quodammodo naturalem Vniuersitatis compositionem fuisse ex Nationibus; eamque videri ex instituto veterum Romanorum profluxisse: quorum in plerisque ad scholæ suæ institutionem & amplificationem imitatorem esse voluit Carolus, qui modum & solennitatē Scholæ; imò policiæ Rom. Parisios transtulisse cōmemoratur. Et rectè; vir enim, vt erat & sciendi auidus & scientissimus, virorumque litterarorum, quorum consilio vtebatur, amantissimus, instituere volens nouum quodammodo populum, ignorare non potuit nec debuit factum Romuli cum Romanum suum recentem & nouum instituit. Ille autem post peractum bellum Albanum concurrentes ad se ciues, vt confusionem tolleret ordinemque inter illos constitueret, in tres Nationes quas Tribus vocarunt, distribuit, Ramnenses, Tatienses & Lucerenses: de quibus sic doctè scribit Sigonius l. 1. de antiquo iure Ciuium c. 3. vbi de Tribubus & Curiis. *Fuerunt ab initio tres Romæ tribus, eaque à generibus hominum qui tum vrbem tenerent, nominata. Ramnenses Albani erant, qui ad tria millia peditum equites 300. cum Romulo Romam coloniam condiderunt. Tatienses, Sabini, qui haud ita multo post cum T. Tatio Sabinorum Rege Romam commigrarunt. Luceres siue Etrusci erant*

erant, qui cum Lucumone Etrusco, siue Ardeates qui cum Lucero regnante Romulo Fortunarumsuarum Roma domicilium collocarunt, siue præter Albanos Sabinosque reliquus aduentitius populus omnis qui in vrbem confluxerat atque in lucum confugerat. Vnde etiam Luceres appellati qui regionem quæ inter Palatium & Capitolium sita est, ac deinceps, auctâ vrbe reliquos colles omnes obtinuerunt. Hæc Sigonius ex collatione variorum locorum ex antiquis authoribus laudatorum.

2. Ignorare non potuit consequentium Imperatorum Rom. institutum, qui totum Imperium in 4. Prætoria diuiserunt, & singula Prætoria ex multiplicibus gentibus composuerunt, vt supra diximus.

3. Ex iis etiam qui è Græcia in Galliam migrauerant, vt & ex libris eorum qui ante vixerant, discere potuerat Atheniensem Academiam tam celebrem aliàs in 4. Nationes ducto à 4. Prætoriis Imperii Rom. exemplo fuisse distributam.

4. Facile etiam didicit, cum Romam toties lustrauerit & viros inde litterarum peritiâ insignes euocarit, scholam Rom. ex variis quoque Nationibus constitisse: vt alibi fusè explanauimus.

En exempla quibus suffragatur Aristotelis doctrina scribentis l. 1. de Repub. *Ciuitatem perfectam esse societatem ex multis viciniis constantem: vicinitatem verò, iunctam ex multis familiis societatem.*

Iam ergo quemadmodum primigenia & naturalis compositio Reipub. seu Ciuitatis est ex multis Gentibus & familiis in certas partes seu Tribus distributis; nec potest quis censeri ciuis qui non fuerit illis partibus seu Tribubus adscriptus, quod fit ad tollendam confusionem; ita & ciuitatis litterariæ compositio naturalis exurgit ex multis Scholaribus & Magistris diuersarum Gentium & Populorum in certas Classes, quas maiores nostri *Nationes* appellarunt, diuisis & distributis, ne sit inter multos eiusdem Professionis homines confusio & studiorum disturbatio. Credibile autem est initio & toto primo seculo duas tantum fuisse *Nationes maiores*; Gallicanam scilicet & Anglicanam: quibus secundo seculo accessisse diximus duas alias Minores, *Picardicam & Normanicam*, propter rationes quas ad an. 913. retulimus. Quæ quidem Nationes nihilominus omnes omnium disciplinarum Professores complectebantur, Theologos, Decretistas, Medicos & Artistas.

Ad rei igitur publicæ litterariæ administrationem necesse fuit conuocare Nationes: nec cernimus iu ea re cõsecutis seculis ad annũ vsque circiter 1260. aliquid accidisse noui, aut nouam aliquam formam institutam. In administratione dico, nam in professione res aliter se habuit. Quippe initio videntur fuisse duæ tantummodo distinctæ professiones, Theologiæ & Artium; estque valde credibile iuris Canonici disciplinam à Theologis, vt & Medicinæ præcepta atque Theoremata à Philosophis tradita fuisse & tradi cõsueuisse. Donec an. 1150. suas quoque scholas priuatas & distinctas habere cœperunt Decretum & Medicina: quo tempore sunt quoque instituti in omni Disciplinarum genere Gradus Academici, vt ad an. 1150. & in dissertationibus 2. voluminis fusè ostendimus.

Quantulumcunque ergo lucis in vetustioribus seculis apparet, vsque ad an. circiter 1260. totum illud est pro Nationibus Nationumque Præfectis *Rectore & Procuratoribus*. Nam 1. ad an. 1169. vbi agitur de Iudicio controuersiæ seu dissidii inter Henricum II. Anglorum Regem & Thomam Cantuariensem intercedentis, quod Rex esse cupiebat penes Vniuersitatem, quæ materia tota erat Theologica & Canonica, mentio fit non Magistrorum & Scholarium illarum duarum Facultatum, sed *diuersarum Prouinciarum*, hoc est proculdubio Nationum ex diuersis Prouinciis & Diœcesibus constantium, vt dictum est in superiori dissertatione.

Item in Priuilegiis Papalibus & Regalibus, in statutis & constitutionibus ipsius Vniuersitatis non alias cernimus partes seu classes quàm *Nationes*, neque alios Præfectos & Gubernatores quàm *Rectorem & Procuratores* vsque ad an. 1260. In Priuilegio Philippi Augusti an. 1200. mentio fit *Capitalis Scholarium*, hoc est Rectoris. Anno 1205. 4. Nationes inter se conueniunt, seu vt tum loquebantur, *Concordatum* faciunt de modo eligendi Rectoris. In Priuilegio Honorii III. an. 1218. commemorantur *Procuratores*. Ad an. 1229. tota Vniuersitas 4. Nationum nomine comprehenditur à Ioanne de S. Victore, vbi agit de seditione quæ à ci-

nibus Suburbanis San Marcelli accidit, sic enim habet. TVNC TOTA VNIVERSITAS 4 NATIONVM *decreuit quod a lectionibus cessarent*. Nec dicas quod Decretum illud intelligendum est fuisse factum à Facultate Artium sola, quæ ex 4 Nationibus constat: nam non modo Magistri Facultatis Artium à lectionibus cessarũt, sed cæterarum quoque aliarum Professores. Vnde Dominicani arripientes occasionem absentiæ Magistrorum in Theologia, Episcopo & Cancellario docendi publice licentiam surripuerunt: qua res deinde magnarum in Vniuersitate turbarum causa fuit. Signum est ergo euidentissimum fuisse illud decretum totius Vniuersitatis: secus ei non paruissent Theologi aliarumve Facultatum Magistri: non enim vna Facultas alteri leges imponit, nisi aliunde caueatur.

Gregorius IX. in Reformatione an. 1231. vbi de licentia Magistris in Theologia & Decretis impertienda agit, vetat ne Cancellarius Parisiensis admittat indignos, *Personarum & Nationum* acceptione summotâ. Idem an. 1237. vetat à quoquam excommunicari *Vniuersitatem* Magistrorum vel Scholarium, seu *Rectorem* vel *Procuratores eorum*. Idem in litteris ad Vniuersitatem datis *Rectorem* commemorat, vt ex Innocentii IV Bulla, quam ad an. 1244 retulimus, patet.

In statuto 4. Nationum an. 1244. cauetur ne quis illud infringere audeat sub pœna priuationis Beneficiorum Vniuersitatis, *quousque pro qualitate & quantitate delicti vel transgressionis mandati Vniuersitatis Rectori & Procuratoribus pro Vniuersitate fuerit ad plenum & pro ipsorum voluntate satisfactum.*

Item eodem anno in Generalibus Comitiis totius Vniuersitatis apud Mathurinenses, in quibus actum est *de Scholis & domibus non retinendis*. De communi consensu Magistrorum *in plena congregatione* decernitur vt illi qui recedere noluerint è domibus interdictis quàm citò moniti fuerint *per Rectorem vel seruientem ab ipso missum, vel per Procuratores aut seruientem ab eis missum, beneficiis Scholarium & Vniuersitatis priuentur.*

Anno 1245. Innocentius IV. speciali Bulla data Lugduni confirmauit Priuilegium à Gregorio decessore datum an. 1237. vetuitque *Rectorem aut Procuratores* excommunicari, eiusdemque Priuilegii Conseruatorem constituit Episcopum Siluanectensem: vt ad an. 1251. retulimus.

In negotio Mendicantium in quo de Cathedris Theologicis agebatur, M Guillelmus de S. Amore Magister in Theologia excusans factum quod ab iis sibi imponebatur, exceptione hac vsus est, quod quo tempore dicebant fuisse incitatos aduersus se Academicorum animos, *nec Rector erat nec Procurator de Collegio Scholarium*: his verbis innuens se non potuisse contra Mendicantes dicere ad Vniuersitatem, cum nec eius *Rector* esset nec *Procurator* vllius Nationis. Quod si tum erant Decani Facultatum superiorum, quid est, quod vir Theologus non commemorat? nam de re ad Theologiam spectante, Decani fuisset verba facere & conqueri.

Item Richerius Senonensis ait summos Pontifices consueuisse litteras suas dirigere. *Ad Rectorem Scholarium.* Ipsi quoque omnium Facultatum Magistri in litteris quas ad Alexandrum IV. dederunt an. 1255. non alia sigilla commemorant, quàm vnum commune præter sigilla 4. Nationum. *Nos autem Magistri & Auditores omnium Facultatum Magistri Fratribus* & eorum Auditoribus duntaxat exceptis, quoniam sigillum commune non habemus, vt pote ab Vniuersitatis Collegio separati, *Sigillis 4. Nationum ab antiquo Parisius distinctarum in hac littera vsi sumus.*

Cum igitur multiplicia sint Priuilegia, multiplicia statuta in quibus *Rector, Procuratores & Nationes commemorantur* nusquam verò *Decani* Facultatum ante annũ circiter 1260 omnino patet ante illa tempora *Facultates* in Nationibus fuisse confusas. ac proinde totam Vniuersitatis administrationem penes Nationes earumque Præfectos fuisse.

Quomodo verò quaque occasione Facultates cœperint à Nationibus seorsim esse, & priuata corpora constituere, diximus ad an. 1259 scilicet cũ videret Vniuersitas obrui se fulminibus Vaticanis ob causam quam susceperat Theologorũ, nihilque aliud peteret Alexander Pontifex, nisi vt societatem inirent Mendicantes cũ Theologis, gradibusque & honoribus Academicis in Theologia duntaxat insigniri possent (nullatenus enim in cæteris Facultatibus eiusmodi Gradus affectasse legimus) post multa eandem effugia, post multiplices separationes simulatas, cum

postremo species aliqua schismatis inter Theologos emersisset, propterea quod eorum plerique Fratres Mendicantes admittere volebant, alii semper reiectos esse cupiebant, Nationes à Fratrizantibus illis se segregauerunt, seu eos à suo consortio suisque Comitiis repulerunt: qui sic repulsi seu relictū Fratribus societate initâ, pacatioribus tandem factis Academicorum animis redierunt in sinum Vniuersitatis, maluerunque consentire Nationes vt segregem illi Ordinem cum adoptatis Fratribus constituerent, quàm vltrò & directè Fratres in consortium societatemque admittere. Sic ergo omnino verisimile est Doctorum Theologorum Facultatem seorsim à Nationibus constitutam fuisse Decanumque habere cœpisse. Quo exemplo aliæ duæ, *Decretistarum* & *Medicorum*, iam plurimis abundantes Magistris, sibi quoque consequenter Decanos præfecerunt, & cum 4. Nationibus Matribus suis, iam sociæ factæ totum Corpus Vniuersitatis composuerunt. Id inquam verisimile est, omnino saltem nobis, & erit forte plurimis sanum nec ex præoccupatione iudicium ferentibus. Cæterum si quis in istis tenebris lucem habet clariorem, parati sumus sequi: donec verò illucescat, fundamentis quæ ante posuimus quæque postea posituri sumus, liceat insistere.

Tum ergo Vniuersitas *Septimembris* seu *Septicorpor* esse cœpit, perque septem Præfectos, nempe per 3. Decanos & 4. Procuratores à Rectore gubernari saluo in omnibus Nationum iure, quæ veluti Apes in vno Alueari iam non semel amplius continentes plura emittunt examina, è fœcundo suo sinu Magistrorum multitudine exundante tres illas Facultates profuderunt, sibique socias adlegerunt. Quemadmodum ergo verisimile est initio fuisse tantùm duas in Vniuersitate Nationes, Gallicanam & Anglicanam, ex quibus aliæ duæ post adoptionem Normanorum eductæ sunt: vnde emersit *Quadrimembris* seu potius *Quadricorpor* Vniuersitas: ita & hisce temporibus occasione Mendicantium è sinu grauido 4. illarum Nationum tres Facultates emerserunt, sicque facta est *Septicorpor* Vniuersitas.

Cæterum id factum est absque vllo Nationum quoad professionem litterarum Iuraque antiqua, dispendio atque detrimento. Quippe quæ solebant quatuor Facultatum seu Disciplinarum genera exercere & profiteri, Theologiæ, Decretorum, Medicinæ & Artium, nec eadem profiteri destiterunt. Baccalarij enim in illis Facultatibus easdem exercere tenebantur, antequam ad licentiam admitti possent: admissi verò alios earundem Tractatus tradebant stato & definito tempore, priusquam licentiari liceret, & donec laureâ Doctorali donarentur: quâ demum acquisitâ relictis tum Nationibus transibant ad alium Ordinem; vt & hodie fieri consueuit.

Eædem Nationes Electionem Rectoris retinuerunt, Clauium Ærarii Tabulariique publici custodiam, Nunciorum creationem, Prati Clericorum possessionem & lustrationem, Iurisdictionem, quam per Rectorem & Procuratores longo tempore ter in hebdomada exercuerunt, Officiariorum Vniuersitatis nominationem seu præsentationem, & alia quidam iura, quæ nunquam obtinuissent aut certè retinere & conseruare non potuissent, nisi ea ab antiquis temporibus ante Corporum illorum trium adunationem & associationem possedissent.

His ita expositis facile soluitur difficultas quæ iam pluribus annis fatigauit Vniuersitatem & fatigat adhuc his quibus scribimus temporibus. Sunt enim qui ad astruendum Quaternarium in deliberationibus suffragiorum numerum aiunt Vniuersitatem ex 4. tantùm Facultatibus constare, quæ dicuntur Theologiæ, Iuris-Canonici, Medicinæ & Artium, earumque singulas vnam habere vocem tantummodo vnumque suffragium. Alii verò 4. Nationibus quæ Artium Facultatem hodie conficere dicuntur, 4. attribuunt suffragia, sicut & singulis Ordinibus superioribus suum: ita vt sint omnino 7. suffragia pro septem Corporibus ex quibus constat Vniuersitas. Difficultas, inquam, ista facilè soluitur sublatâ æquiuocatione quæ in *Facultatis* nomine reperitur. Nam si *Facultas* accipiatur pro Disciplinæ genere, fatendum est esse tantum in Vniuersitate 4 Facultates; seu quod idem est, omnes disciplinas, artes & scientias quæ in Vniuersitate exercentur, sub his 4. Generibus contineri & comprehendi, *Theologiæ*, *Iuris Canonici*, *Medicinæ* & *Artium*. Et hoc quoque modo 4. Nationes antonomasticas & per excellentiam appellantur *Facultas Artium*: quia omnes Artes prædictas per suos

Baccalarios & Licentiatos exercere possunt: Nulla verò superiorum Facultatum sic dici appellarique potest, quia nulla aliam Artem Disciplinamque profiteri potest in Vniuersitate, quàm eam in quâ Doctoralem lauream constituit. Sed hoc nihil ad suffragia.

Si verò *Facultatis* nomine intelligatur Ordo quidam Politicus Magistrorum in Vniuersitate suffragantium seu Vniuersitatem gubernantium, vt supra dictum est, tum falsum est dicere 4. tantum Facultates suffragium habere, itaut 4 tantum conficiant suffragia: nam præter tres superiores Ordines. Theologiæ, Iuris Canonici & Medicinæ, 4 Nationes Gallicana. Picardica, Normanica & Germanica, quæ vulgo *Facultas Artium* appellantur, distinctum suffragium ferre consueuerunt, vt ab antiquo tulisse manifestum est antequam ex iis sociæ Facultates emergerent.

Sub hac autem duplici ratione Pontifices Rom. & Reges nostri cum Vniuersitate egerunt. Nam cum in moribus & disciplina reformatione opus fuit, certum est eam fuisse factam in quadruplici genere prædicto, Theologiæ, Iuris Canonici, Medicinæ & Artiũ. Item sæpe laudata est Vniuersitas. quod sicut *Paradisus Terrestris* 4 flumina emittebat, ita illa 4 disciplina genera vnde tota terra irrigabatur, fœcundabatur & ditabatur. At cũ deliberandũ fuit de materia aliqua proposita, tũ non 4 tantũ Ordines seu 4. Corpora conuocare opus fuit sed septẽ: nec si aliter fieret aut factũ est aliquando, Vniuersitatis deliberatio Decretũvè censeri potuit. Idque facile paret tum ex iis quæ in hoc volumine continentur, tum ex iis quæ in sequentibus referentur. Vnicum exemplum impræsentiarum mihi profecto satis erit, quod legitur in Actis Concilii 3. Ecclesiæ Gallicanæ habiti Parisiis an. 1398. ad abolendum schisma Benedicti XIII. Cum enim iis qui à Benedicto stabant, Vniuersitatis Decretum obiicerentur, Petrus Ranati seu Raban, S. Poncii Episcopus reposuit tertiam partem ipsius Vniuersitatis non consensisse in viam cessionis & substractionis obedientiæ, atque idcirco non posse illud dici *Decretum Vniuersitatis*. Contra verò M. Petrus Plaoul Doctor Theologus nomine Vniuersitatis dixit non esse vera quæ dicerentur à prædicto Episcopo, se enim omnibus Comitiis quæ in eam rem habita fuissent, interfuisse, omnesque Vniuersitatis Ordines semper consensisse & conuenisse: indeque confectum instrumentum publicum subsignatum à Rectore, à singulis Decanis & à singulis Procuratoribus. *Rector testificatur. Idem Decanus Theologiæ. Idem Decanus Decretorum. Idem Decanus Facultatis Medicinæ. Et ad idem 4. Procuratores Nationum Franciæ, Picardiæ, Normaniæ, Angliæ facientes* Facultatem *Artium*.

Sub eadem duplici ratione prædicta Vniuersitatem considerarunt duo ingentia ipsius lumina, Petrus Loiselius Rector & Ioannes Filesacus Decanus Theologicæ Facultatis in Comitiis Mathurinensibus 13. Dec. an. 1634. Nam Loiselius eam *cum Paradiso vnde emanabant 4. flumina*, contulit: Filesacus vero *pro sua dicendi grauitate septemplicis ostia Nili* retulit *posse conferri cum tribus Academiæ superioribus Ordinibus & 4. Nationibus*. Nimirum Loiselius eam ab exercitio litterarum laudauit, Filesacus à præclara eiusdem regendæ gubernandæque ratione.

Simile quidpiam in Repub. Rom. cernimus. Nam tres erant tantummodo Ciuium Romanorum Ordines, Senatorius Equestris & Plebeius. At in Comitiis, vbi de negotiis expediendis agebatur, deque regimine totius Reipub. non ferebantur terna tantummodo suffragia, seu quod idem est, non omnium deliberantium tabellæ ad tria puncta redigebantur, sed pro ratione Comitiorum, ad 35. si Tributa essent, quia 35. Tribus suffragium ferebant: aut ad 198. si Centuriata, quia totidem Centuriæ in quinque Classes distributæ suffragabantur.

Et certè quæ ratio afferri potest cur 4 Nationes quæ ante hanc Facultatum superiorum accessionem & associationem habebant in Comitiis 4. suffragia, post earundem additionem ad vnum redactæ fuerint? Alterutrum enim horum fateri necesse est, aut non esse Nationes Primigenia corpora, aut si sunt, sua retinuisse iura. Creuit quidem suffragiorum numerus, non minutus est. Sicut cum antiquis Tribubus Romuleis, Ramnensi, Tatiensi & Lucerensi, additæ sunt processu temporis 32. aliæ, tres illæ priores non fuerunt suffragiorum numero diminutæ, sed addititias solum passæ sunt pari secum iure gaudere.

Igitur hoc seculo distinguenda primum fuit duplex Vniuersitas, *Antiqua &*


Noua, Antiqua ex 4. Nationibus constitit solummodo, omnes disciplinas facultatesque exercentibus, & per Rectorem & 4. Procuratores tanquam per primarios Magistratus administrata fuit vsque ad an. 1260. *Noua* trium Facultatum superiorum tanquam trium Ordinum segregum & sociorum accessione ex septem Corporibus composita est, & per septem Consiliarios gubernata, nimirum per 3. Decanos & per 4. Procuratores cum Rectore tanquam Capite in illa corpora influente eademque congregante, cum deliberatione opus est quæ ad totam Vniuersitatem pertineat.

Verum ne moretur aut præcisio illa temporis, qua consociatas dicimus fuisse Facultates, aut causa siue occasio consociationis, demus factam fuisse ante an. 1260. certè aliquando facta est & initium aliquod habuit. Non fuerunt autem aliunde adiuncta illa corpora Vniuersitati, sed ex ipsa Vniuersitate exierunt Magistri competenti numero eiusdemque professionis, & Corpora eiusmodi composuerunt, atque ad Vniuersitatem seu ad alia Corpora siquæ erant ante, accesserunt. Quando verò? Certè Decretistæ & Medici non ante an. circiter 1160. cum nulla esset Parisiis ante ea tempora Artium illarum publica distinctaque Professio; vt in 2. volumine fusè probauimus. Quo tempore quoque cœperunt Gradus Academici in omnibus disciplinis vsurpari. Theologi verò licet ab ipsis incunabulis Vniuersitatis extiterint, secutis tamen temporibus aut nulli, aut perpauci valde fuerunt vsque ad M. Anselmi Laudunensis ætatem, qui Theologiæ professionem omnium confessione primus reparauit circa an. 1080. Neque legimus anterioribus seculis frequentatas fuisse scholas Parisienses ab extraneis ob Theologiam, sed ob Artes liberales: vt ex historia patet. Vnde intelligitur tribus saltem primis seculis neque Theologos neque Medicos potuisse seorsim ab Artium Liberalium ProfessoribusCorpora priuata constituere. Et hinc quoque intelligitur quam obrem dicantur Nationes *Facultatem* præsertim *Artium* componere & Rectorem creare, quia diuturno tempore ex solis constiterunt *Artium Magistris*.

Fatendum est igitur aut ipsosmet Nationales Magistros temporis processu se ad Theologiam, Ius Canonicum & Medicinam contulisse, easque artes aliquando aggressos fuisse publicè docere, postea verò competenti numero existentes Corpora priuata seorsim à Nationalibus constituisse; aut ex tota massa Magistrorum rudi & indigesta eductas fuisse eodem tempore 4. Facultates, seu 4. Ordines Magistrorum qui vulgò dicuntur *Theologia, Decretorum, Medicinæ & Artium*. Si primum; ergo illa corpora è Nationibus promanarunt, & cum Nationibus tandem Vniuersum Academiæ Corpus composuerunt: quo verò tempore id factum fuerit, parum interest, dummodo constet ea cum Nationibus fuisse consociata. 2. Non potuit illa eductio fieri ante an. circiter 1160. ergo quatuor fere seculorum spatio nullus ordo fuit inter Magistros Parisiis docentes, sed deplorabilis & omnimoda confusio: quod sensui communi repugnat. Deinde si simul & eodem tempore ex illa Massa eductæ sunt 4. Facultates, vnde fieri potuit inter eas tanta iurium differentia? Vnde inquam Facultas Artium eligendi *Rectoris*, creandorum *Nunciorum, Clauium* Tabularii publici custodiendarum ius sibi arrogauit nullâ cæterarum refragante, contradicente? Vnde *Rector Artista* toti Academiæ præest? Comitia indicit, omnibus Magistris imperat, adigitque in sua verba iurare quotquot in sinum adoptantur Academiæ, se honorem, reuerentiam, obedientiamque præstituros ad quemcumque statum peruenerint, etiam Episcopalem? Vnde ab an. 1200. ex quo tempore cœperunt Maiores nostri acta publica seruare curiosius, in plerisque actis & Instrumentis, priuilegiis & statutis honorifica fit semper mentio *Rectoris & Procuratorum*, nulla *Decanorum* ante an. 1260. Vnde, si fuerunt ante Decani Facultatum, partem honoris, Iurisdictionis, dignitatis iuriumque plurimorum non sibi vindicarunt? Vnde denique Facultates propria sigilla tam serò habere cœperunt nec ante fere an. 1170. cum constet & fateantur ipsæ antiquissima fuisse sigilla Nationum ab *antiquo Parisius distinctarum?*

Cum ergo luce meridianâ clarius pateat Facultatem Artium esse primææ originis Primariamque Vniuersitatis Facultatem; constet quoque cæteras non ante an. circiter 1160. exortas fuisse aut adoleuisse, non verò aliunde aduenisse, sed ex ipsa Facultate Artium promanasse; constetque pariter Nationes ab *antiquo Pa-*

visus distinctas fuisse, ac proinde ipsis Facultatibus antiquiores, necesse est vt quocunque tandem tempore distincta Corpora constituere cœperunt, à Nationibus adoptatæ & associatæ fuerint ad componendam nouam, vt dictum est, *Vniuersitatem*. Nam si Nationibus antiquitatem prioritatemque non concessissent, proculdubio in litteris ad Alexandrum IV. datis an. 1255. noluissent ita loqui. *Nos Magistri & auditores omnium Facultatum sigillis 4. Nationum ab antiquo Parisius distinctorum in his litteris vbi sumus*. Longéque minus passæ fuissent Decanis præsentibus instrumentum publicum à tabellione anno 1167. verbis istis confecibi. *Ad maiorem autem cautelam & securitatem omnium præmissorum sigilla 4. Nationum ab antiquo Parisius distinctarum præsenti publico instrumento duximus apponenda*. Hac de re infra pluribus; vbi de statutorum factione.



DISSERTATIO IV.

De Comitiis Vniuersitatis.

COmitia de quibus sermo est, aliud nihil sunt quàm *Cætus Academici Populi, aut Deputatorum*, vt vulgò loquimur, *quem Magistratus Vniuersitatis conuocat, vt aliquid suo suffragio vel iubeant vel prohibeant*. Seu breuius. Comitia Vniuersitatis sunt Conuentus Magistrorum ad statuendum aut deliberandum de negotiis communibus aut priuatis.

Sic vero illa distinguere & diuidere possumus, vt alia vocentur Publica, alia Priuata. Item Generalissima, Generalia & Particularia. Quæ quidem species omnes vtrique Vniuersitati, *Antiquæ* scilicet & *Nouæ* ex dicendis erit facile accommodare.

Publica, quæ in loco publico, sacro & augurato habere moris est, puta apud Mathurinenses, Bernarditas, Dominicanos: quemadmodum olim Senatus Ro. in loco eiusmodi augurato, qui proinde Templum sanctitatis & Consiliorum dicebatur, sua solebat habere Comitia. *Priuata*, quæ in priuato loco: qualia sunt Comitia Deputatorum, quæ habentur apud Rectorem.

Generalissima appellamus, ad quæ omnes Magistri tam Regentes quàm non Regentes, imo Scholares seu omnes studentes Parisius conuocabantur. Tuncque illa habebantur antiquitus cum de iniuriis toti Vniuersitati illatis agebatur, de ex postulationibus seu querelis publicis faciendis, de libellis supplicibus nomine publico conscribendis ad Papam, ad Regem ad Magnates, ad Principes exteros. Et in Schedis quas Rector dabat ad Decanos & Procuratores ita cauebatur, vt tā Regentes quàm non Regentes, vel vt Vniuersi Magistri & studentes Parisius adessent tali die & loco de re tali deliberaturi. Vnde in instrumento quod habitis Comitiis conficiebatur ex communi deliberatione, sic vulgo scribebatur, *Vniuersitas Magistrorum tam Regentium quam non Regentium*. Cuius rei extant innumera exempla. Atque istius quidem generis Comitia tam cernuntur in singulis Facultatibus & Nationibus quàm in tota Vniuersitate. Nam in singulis sunt Regentes & non Regentes: qui si omnes indiscriminatim conuocentur, ea Comitia dici possunt *Generalissima*.

Generalia Vniuersitatis erant, cum soli Regentes omnium Facultatum conuocabantur: nam vt ex multis huius seculi actis & instrumentis constat tota fere rei litterariæ administratio, maximè vero statutorum de Disciplina Scholastica confectio, priuilegiorum custodia & conseruatio penes Regentes erat.

Anno 1253. Vniuersitas congregata statuit ne vlli admittantur ad Congregationes nisi prius iurauerint seruare priuilegia, statuta & libertates ipsius Vniuersitatis: & hac de re confectum est instrumentum his verbis. *Anno Domini 1253. Mense Aprili Nos Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisius studentium*. Et in fine. *Hanc autem ordinationem seu statutum à nobis approbatum & editum sigilli munimine fecimus roborari*.

Eodem anno paulo ante iidem Magistri litteras expedierant ad Prælatos vniuersos super discordia mota contra Mendicantes, in quibus sic loquuntur. *Reuerendis in Christo Patribus. Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisius studentium salutem in Domino sempiternam.*

Anno 1281. cum quæstio agitata est an Medici læsi causa suscipienda esset ab Vniuersitate, & an extendenda ad omnes Facultates Priuilegia Vniuersitati concessa, omnes omnium Facultatum Regentes conuocati sunt & apud San-Iulianum statuto edixerunt Beneficia Principum benignè & latissimè interpretando & Priuilegia esse ad omnes Facultates extendenda. Statutum sic incipit. *Vniuersitas Magistrorum in quacunque Facultate Regentium in eo qui est salus animarum salutem.* Et in fine. *In cuius rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostræ Vniuersitatis duximus apponendum.* Communis vero omnium actorum & statutorum huius seculi formula talis erat. *Vniuersitas Magistrorum & Scholarium Parisius studentium.* Quibus verbis satis intelligitur, administrationem Vniuersitatis fuisse penes Regentes tantummodo, nec alios qui non regerent, conuocari solitos nisi extraordinariè & certas ob causas.

Particularia Comitia erant singularum Facultatum & Nationum: & ea rursum duplicis generis, Generalia & Particularia. Generalia quibus, adesse iubebantur tam non Regentes quàm Regentes: seu omnes Magistri alicuius Facultatis. Qualia sunt hæc an. 1258. *Nos Magistri Artium de communi consensu Magistrorum nostræ Facultatis*, an. 1288. *in Crastino S. Firmini Nos omnes & singuli Magistri Artium apud S. Mathurinum conuocati.* Item an. 1254. *Nouerint Vniuersi, quod nos omnes & singuli Magistri Artium de communi consensu nullo contradicente*, &c.

Particularia, cum *Regentes* statuta facturi conueniebant. Dico *Regentes*: nam reperimus quidem sæpe Regentes absque non Regentibus conuenisse, statuisse, disciplinam reformasse; at nusquam legimus non Regentes Comitia vlla habuisse non vocatis Regentibus; adeo verum est Vniuersitatis & Facultatum Nationumque regimen deberi Regentibus. Exempla rem faciunt indubitatam.

Anno 1249. in Comitiis Facultatis Artium decisa lis est quæ inter Regentes de Electione Rectoris intercesserat. *Nouerint Vniuersi quod cum esset orta discordia inter Magistros Regentes in Artibus Parisius.*

Anno 1259. statuitur ne vllus examinet Baccalarios Licentiandos in S. Genouefa nisi à Facultate deputatus. *Vniuersis præsentes litteras inspecturis Magistri in Facultate Artium Parisius Regentes cognoscere veritatem.*

Anno 1260. eadem Facultas vetuit ne examinatores S. Genouefæ haberent sub se Baccalarios, vtque antequam examinarent, ipsi iurarent in præsentia Facultatis. *Nos Magistri Artium 4. Nationum Regentes Parisius.*

Anno 1275. eadem Facultas statutum edens Determinantium Baccalariorum, *Nouerint Vniuersi quod Nos omnes & singuli Magistri Regentes Parisius in Artibus attendentes, &c.*

Anno 1278. aliud condit circa Licentiandos. *Vniuersis Christi fidelibus Rectores & Procuratores 4. Nationum cæterique Magistri Regentes Parisius in Artibus salutem in omnium Saluatore.*

Item anno 1280. Factum est ab eadem Facultate statutum de modo eligendi Rectoris. *Vniuersis præsentes litteras inspecturis vel audituris Nos omnes & singuli Magistri in Artium Facultate actu Regentes, Salutem in filio Virginis gloriosæ.*

Item an. 1287. statuitur super Iuramentis Examinatorum S. Genouefæ. *Nouerint vniuersi quod Nos omnes & singuli Magistri Parisius Regentes in Artium Facultate pro bono communi & honore dictæ Facultatis an. Dom. 1287. statuimus quæ sequuntur.*

In singulis quoque Nationibus eadem Comitiorum ratio obseruabatur. Anno quidem 1288. Regentes Gallicanæ Nationis sic loquuntur. Anno Dom. 1288. die Sabbati in festo B. Vincentii. *Nos omnes & singuli Magistri Nationis Gallicanæ actu Regentes Parisius in Artibus in Ecclesia S. Nicolai de Cardineto & ad hoc specialiter conuocati, de communi assensu nostro nullo contradicente pro communi omnium nostræ Nationis vtilitate ordinanda seu statuenda duximus in hunc modum.*

Quæret aliquis an *Statutorum factio* certissimum sit priuati distinctique corporis in Academia Parisiensi argumentum. Videtur ita esse, si statutum fiat sub au- STATVTORVM FACTIO

executio statutorum, vt patet ex eo quod factum est in Comitiis generalibus an. 1244. Volunt enim Magistri vt qui moniti fuerint *per Rectorem vel seruientem* ab eo missum, *vel per Procuratores similiter vel Nuncium ab eis missum, si non pareant, beneficiis scholarium Vniuersitatis priuentur.*

Et hinc est opinor, quod nonnulla statuta Facultatum Superiorum conscripta leguntur in antiquis libris Rectoris & Procuratorum, quorum nempe factioni Rector & Procuratores interfuissent eaque proinde suis litteris inseruissent: qualia sunt statuta an. 1251. Theologiæ Facultatis: & an. 1271. Medicinæ, valde recentis adhuc corporis, quod legitur in libro Rectoris: & Decretorum eodem an. de habendo sigillo. Quæ Facultates licet tunc segreges essent, credibile est tamen veterem consuetudinem aliquandiu retentam, conscribendorum statutorum quæ ipsæ fecissent, in libris Rectoris & Procuratorum, quibus forte faciendis pro more adhuc Rector interfuisset. Cuius rei fidem facit, quod earum nulla in vllis codicibus antiquis vetustius statutum aut monimentum ostentare queat, quàm paulo ante an. 1300.

Ioannes Filesacus Decanus Facultatis Theologiæ, qui omnia eiusdem scrinia diligenter & accuratè lustrauit, ait in suo de Facultatis suæ origine prisca libello, se duos codices euoluisse, & de priore sic habet. *Codicem nostrum priorem manuscriptum sub posteris B. Ludouici editum esse mihi tam certum, quàm Lutetiam Imperii Gallici sedem Regiam ante annos mille.* In illo autem Codice vetustiora quædam statuta, quæ certè in libris Rectorum & Procuratorum legebantur, quæque à Theologis aut pro Theologis cum nondum è Nationibus emersissent, condita fuerant, collecta & digesta fuisse probat ex hac Codicis illius præfatione.

Nos omnes & singuli Magistri in Theologica Facultate Parisius actu Regentes " vnanimi consensu nullo penitus contradicente statuta antiqua redegimus in for- " mam sequentium statutorum & iuramentorum, quæ de cæterò volumus integrè " & inuiolabiliter obseruari. Explicat deinde quænam essent illa antiqua. *At " nulla ratione* antiqua statuta dici possunt, nisi quæ seculum, hoc est 50. annorum " spatium longè superent. Itaque si ad anteriora reuoluamur tempora, prope ad " Philippi Augusti Regnum perueniemus. Eam ob rem facile mihi persuadeo eo " Rege nonnulla scita Decreta à Magistris in Theologia eius temporis edita fuis- " se, sed pauca, sed breuia: cum Facultas ipsa Theologica nondum planè adoleuis- " set iustamque absolutæ Societatis formam nacta esset. "

Quæ sunt illa decreta pauca & breuia? ea certè quæ in Reformatione an. 1215. per Robertum S. Ceciliæ Cardinalem scita sunt, & in Gregoriana an. 1231. quæ habentur in libris Rectoris & Procuratorum. Quando verò Theologica Facultas iustæ societatis & segregis formam habere cœpit, legesque scripsit proprias? paulo ante an. 1300. teste eodem Filesaco. *Cum scioli quidam & qui vix Theologiam degustassent, ambitione quadam & cupiditate gloriæ aut spe melioris fortunæ illud publicum docendi, munus vltro sibi arrogarent, Doctorum melioris notæ qui tunc erant, iudicio, Ordo ille Theologorum formam legitimæ societatis tum primum habere cœpit: hinc leges nonnulla scripta ab ipsis & quidem ante annum trecentesimum supra millesimum: quod ex vtroque Codice* MS. *nostrarum legum tum antiquiore tum recentiore firmari potest.*

Paulo post idem omnino notat tempus, quo Facultas Theologica proprium Corpus constituere cœpit, eandemque à Mendicantibus occasionem. *Emergentibus*, inquit, *non minimo Eccle*[illegible] agit: [illegible] *[illegible]igiosorum Mendicantium sodalitiis S. Ludouico* [illegible] distribuebat Comitantibus *a eruditione præstantes sacras litteras bono publico* [illegible] *& species*: quod hodie fier*nstituti & Originis nouitatem nonam etiam &* [illegible] *[illegible]es eodem* c*Diuinis Doctrinam inuehere viderentur, in hunc sacrum Theologorum* [illegible] *sium Ordinem adsci sci & adscribi curarunt, saluis tamen istius Facultati* [illegible]*bus.*



DISSERTATIO V

DE CONSILIO ET CONSILIARIIS Vniuersitatis.

CVm Vniuersitas Parisiensis Corpus sit Politicum, negotia resque suas curare & administrare nequit absque Prudentum consilio & Officiariorum ministerio. Consilium autem Vniuersitatis duplex est, vnum primarium & internum: alterum secundarium & extraneum seu adscititium. *Primarium* seu Academicum ex hominibus Academicis constat, penes quos scilicet est administratio intima totius Academiæ. Et tale Consilium, *Deputatorium* vulgò dicitur, quia ex Electis seu Deputatis trium Facultatum & 4. Nationum componitur; cui Rector tanquam Reipub. Præfectus & Dictator præest.

Rursus Consilium istud duplex est, *Quinque-virale* & *Octo-virale*. Quinque-virale, Rectoris scilicet & 4. Procuratorum; illudque antiquum: quod Facultatum superiorum accessu & consociatione factum est hoc seculo *Octouirale*. Est autem etiamnum hodie idem *Quinque-virale* in Artium Facultate, quale fuit in antiqua Vniuersitate. Nam Rector cum Procuratoribus administrat quæ Facultatis Artium sunt, specialemque habet & exercet in omnes Nationales, seu vt solemus loqui, in omnium Nationum supposita iurisdictionem. Idemque quæ sunt totius Vniuersitatis; cum iisdem Procuratoribus & Decanis curat & administrat. Tale est consilium in Vniuersitate Viennensi teste Lazio l. 3. c. 5. Commentarij rerum Viennensium. *Ad Consilia Rectoris & Conuenticulum Academiæ, quod Consistorium vocant, ex singulis quique Facultatibus Decani, & ex totidem Nationibus Procuratores conueniunt. Facultates autem 4. sunt: Nationum item 4. genera sunt.*

Huius Senatus seu Consilij publici Princeps *est Rector*, qui & totius est Academiæ caput, vt alibi sæpe docuimus: de cuius antiquitate fusè in Synopsi 1. Seculi. Nunc de eius electione, instructione, dignitate pauca dicenda.

ELECTIO RECTORIS

Assumitur semper Rector è Nationibus, eligiturque à Magistris Facultatis Artium, nec vllius potest vllius Facultatis superioris aut Rector eligi, aut Rectoris electioni suffragium dare. Hinc ab Alexandro IV. *Rector Artistarum* vocatur, quod ex illo Ordine semper assumatur. Vnde verò istud? conueniunt omnes Scriptores ab initio fundationis repetendum, primamque fuisse Facultatem Artium à Carolo M. institutam; cæteras Facultates & disciplinas ei deinde successu temporum accessisse. Retulimus in eam rem quæ scripta inuenimus à Belforestio & Brolio. Addamos & M. Ioannis [illegible]ilesaci Facultatis Theologiæ quondam Syndici authoritatem, qui postquam [illegible]uâ potuit diligentiâ Facultatis suæ originem antiquitate[illegible]e perscruta[illegible] fa[illegible]etur non ante tempora Philippi Augusti adoleu[illegible] con di[illegible] ab nepotibus S. Ludouici, Facultati verò Artium [illegible] bit [illegible] & Rectoris idcirco electionem. *Re-[illegible]ynouus, in[illegible] Natalitio & festo Annunciatione [illegible] Mariæ, esto Ioan[illegible] [illegible]toribus 4. Nationum ex [illegible]osophis & Artium Mag[illegible] [illegible]roli Magni sola hac Facultas est recepta.*

Crediderim & id factum ob aliam rationem prudenter, [illegible]nitio fuisse etiam Theologos, ne processu temporis, si Theologi Rectores Aca[illegible]iæ forent, imperiosius præessent: at concessâ Magistris Liberalium Artium præficiendi Rectoris authoritate, hoc temperamento æquata est Facultas Artium Superioribus, licet inferior sit ratione disciplinæ quam profitetur.

Eligebatur autem antiquitus Rector à 4. Procuratoribus 4. Nationum concorditer aut maxima ex parte conuenientium, vel si conuenire non possent, à 4. earum Magistris iuratis: idque cautum statuto mensis Octob an. 1249: Ex quo intelligimus Nationem Gallicanam, forte quia cum numerosior esset, plures de

suo gremio Rectores profudisset, electionis eiusmodi sibi potestatem omnem diu ante arrogasse, non legitimè & contra statuta antiqua, maxime verò contra illud Conuentum quod à 4. Nationibus an. 1206. factum legimus.

Anno 1280. approbata est à Nationibus in eligendo Rectore inuentio Conclauis, paulo ante à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi an. 1274. ad electionem summi Pontificis introducta, vt facilius tollerentur ambitiones & interregna quibus Resp. Christiana vacante sede conturbabatur; vetuit enim ingressuros in Conclaue Cardinales prius egredi, quàm de certo Pontifice conuenissent. Visa est igitur Vniuersitati percommoda hæc inuentio, & statuto 8. Ian. confirmata. Hinc Quatuor-viri Electores, *Intrantes* dici cœperunt. Qui antequam conclaue subeant, ex veteri illo statuto iurant apud Rectorem se electuros eum bona fide, quem Academiæ vtiliorem putauerint. Talis autem est iuramenti formula.

VOS IVRABITIS QVOD ELIGETIS BONA FIDE ALIVM A PRÆDECESSORE IN RECTOREM VNIVERSITATIS ILLVM QVEM SECVNDVM VESTRAM CONSCIENTIAM CREDETIS VTILIOREM OFFICIO RECTORIÆ NON MOTI RATIONE ALICVIVS DISCORDIÆ, NEC MOTI AMORE VEL ODIO VEL PVDORE ALICVIVS NATIONIS; NEC-NON AMORE VEL ODIO, HONORE VEL VTILITATE ALICVIVS PERSONÆ, SED MOTI DVNTAXAT PROPTER COMMVNE BONVM VNIVERSITATIS.

Porro cum ex veteri statuto possent Procuratores ipsi Nationum Quatuor-virorum seu Intrantium munere defungi in electione Rectoris, ob idque frequentes orientur rixæ & dissensiones, contumeliæ & opprobria in Magistratus iacerentur, die 3. Octob. an. 1435. statuto cautum est à Natione Gal. ne deinceps id fieret, idque à cæteris Nationibus comprobatum.

Ingressi ergo Conclaue Quatuor-viri post inuocatum S. Spiritus auxilium deliberant de prorogandis fascibus Rectoriis antiquo Rectori, vel de nouo eligendo; remque refert & proponit Quatuor-vir Gallicanus, Picardus primus mentem aperit & suffragium fert, cæteri suo ordine, & Gallicanus rem concludit. Prior autem è quatuor egreditur, qui Rectorem suæ Nationis dicturus & relaturus est; puta Normanus, si Normanum, Picardus si Picardum. Tum si prorogat fasces, Rector antiquus hæc solum habet verba si consentit; *Quandoquidem igitur vultis me denuo Rectorem, secedite in Nationes vestras & de hac prorogatione deliberate.* Secedunt Nationes, & si prorogatio placuerit, ita placuisse & placere referunt per suos Procuratores, quorum voluntati acquiescens Rector, concludit his verbis. *Quandoquidem igitur vobis placet prorogari nobis fasces Rectorios, ita vobiscum concludo.* Sic disceditur.

Si verò nouus Rector eligitur, iuramentum præstare tenetur assumptâ prius veste seu togâ rubrâ Quatuor-viri à quo renunciatus est; ad eumque hæc habet verba antiquus Rector. IVRABITIS QVOD FIDELITER EXERCEBITIS OFFICIVM RECTORIÆ AD HONOREM ET VTILITATEM VNIVERSITATIS ET FACVLT[illegible]RTIVM. E[illegible] sacrosancta tangens Euangelia IVRO. Tum Antiqu[illegible] se[illegible]bir[illegible] capiti imponit, claues & sigillum tradit. Quo fa[illegible]us e[illegible] orationem ad Nationes habet & gratias agit: deduciturque [illegible]igiosorum [illegible] in ædes su[illegible] ibi que antiquitus distribuebat Comitantibus [illegible], [illegible] tum [illegible]bantur, *Vinum & species*: quod hodie fieri [illegible]euit. Antiquus [illegible]liter in æd[illegible] suas eodem comitatu reducitur: & [illegible] atiis vtrinque actis disceditur.

Cæterum in ea nominatione seu electione nullam habent partem Superiores Facultates, nec eorum Decani; & qui Rector ita nominatus, renunciatus & à Nationibus confirmatus est, eadem ipsa die, acceptis Rectoriis insignibus, om[illegible] agit: nec vlteriori eget confirmatione.

Notauit id Rebuffus in tractatu Nominationum Quæst. 1. ibique n. 18. & 19. agit præsertim de Nominationibus Rectorum, & Quæstionem hanc proponit, an nominatio Rectoris ius tribuat perfectum, ab eoque possit appellari. Et respon-

det apud Montempessulanum Rectoris electionem non tribuere ius perfectum; ab eaque posse appellari si iure non fiat: *ut si nominatus Rector sit de Facultate Artium & debeat esse de Facultate Canonica vel Theologia.* Parisiis vero aliam esse rationem subiungit his verbis. *Nominatio alia est qua tribuit ius perfectum sine confirmatione: ut in Rectoris nominatione qua in hac Parisiensi Vniuersitate fit, & alibi in Francia, vbi non eget confirmatione. Tunc nominatio facta à Facultate* (cuius est eligere & nominare) *facit electionem & confirmationem*, sicut in Decreto Decurionum. Barrol in l. 1. §. solent FF. quando appellandum sit. Feli. in C. eam te. col. 3. vers. 4. extende, de Rescript.

Idem Rector ita nominatus per Apparitorem seu Bedellum ad Decanos Facultatum & Procuratores Nationum schedas mittit sigillo seu signeto Rectorio munitas, quibus mandat vt adsint postridie apud Mathurinenses *ad instructionem*, hoc est vt ab ipsis edoceatur & instruatur de rebus agendis. Quibus in eo loco congregatis, ipse sedens in angulo Comitii rogat se edoceri de negotiis Vniuersitatis, ad quæ conficienda postulat consilium, auxilium & fauorem. Tum Antiquus, quid facto sit opus edocet, quæ negotia vrgeant, deinde Decani & Procuratores suo singuli de more pollicentur opem consiliumque & auxilium: & his peractis discedunt.

Antiquitas instructionis ab incunabulis proculdubio repetenda est, & ita esse demonstrat eiusdem necessitas: quippe omnino necesse est nouum Rectorem de rebus agendis instrui & informari, de quibus gestis ei necessitas incumbit reddendæ rationis. Extant multa Instructionis eiusmodi exempla. Vnum legitur inter acta 28. Martii anno. 1484. vbi sic scribit Procurator Nat. German. *Anno Domini* 1484. die vero 28. mensis Martii D. Rector fecit conuocari in Mathurinensi » vt moris est, super articulo qui erat ad informandum & instruendum eum, quid » agere deberet in rebus Vniuersitatis, ab his conuocatis (Decanis & Procuratori- » bus) consilium petens. Deliberauit super isto D. meus D. Rector antiquus, & in- » formabat Rectorem alium præsentem super quibusdam articulis. Similiter & D. » Cancellarius insignis Ecclesiæ Parisiensis (*qui tunc erat Decanus Theologiæ*) D. De- » canus de Vacaria, D. Decanus Facultatis Medic. & Procurator venerandæ Na- » tionis Franciæ. Vt peruentum est ad me, steti in deliberatione Dominorum meorum prædeliberantium.

Item Procurator Nationis Gall. sic de eadem instructione scribit ad diem 8. Octob, an. 1521. *Super instructione D. Rectoris fuerunt conuocati & congregati DD. Deputati* Vniuersitatis. D. antiquus Rector recitauit super quibus fuerat in- » structus. Item recitauit quæ occurrerunt tempore suæ Rectoriæ, & antequam » præmissa recitaret, orta fuit quæstio de loco & modo sedendi inter M. Rober- » tum du Gast sedentem pro Decano Facultatis Decretorum, & ipsum D. Anti- » quum: super quo DD. Decani aliarum superiorum Facultatum & DD. Procu- » ratores Nationum deliberauerunt. Et sic conclusum extitit per D. Rectorem » Modernum, quod sederet Antiquus in loco consueto prope ipsum D. Recto- » rem. Plura abstineo referre. Ex historia res patebit.

DIGNITAS RECTORIS. Restat vt de *Dignitate Rectoris* agamus: de qua in Synopsi primi voluminis iam plurima. Breuiter hic repetimus tantam olim fuisse non apud Nos & Christianos modo, sed apud Ethnicos quoque & apud exteras Gentes, quanta potuit esse maxima. Hinc cum Hebræi *Archiereum* & *Archisynagogum* & *Scholæ Dominum* vocant; Indi & Persæ *Archimagum*, Latini *Musarum sacerdotem* vocarunt, nos *Caput*, *Capitale*, *Regem* Vniuersitatis, & communiter *Rectorem*. Peguini, si vera sunt quæ de eo referuntur, tanta est dignitas, vt non possit esse maior, si vnum Regem excipias.

De Louaniensi præclara sunt quæ scribit Adrianus Barlandus Rhetor in suo de insignioribus Germaniæ Inferioris Oppidis libello. *Louaniensis vnum habet Caput seu Principem, cui omnes pareant necesse est, Rectorem vocant: cuius officium est ius dicere & maleficii reos Scholasticos pœnis afficere. Cum in publicum prodit, ante eum it Accensus, quem Bedellum recepto illic vocabulo appellant. Pone sequuntur famuli. Quantum autem honoris huic dignitati habeatur, hinc apparet quod Consules, Magistratus & Clarissimi quique viri, denique omnium Dignitatum Gradus Academiæ Principi assurgunt & decedant de via.* Similiter Nicolaus Euerardi in locis suis Legalibus loco 116. Quin

Rector Vniuersitatis sit Caput Vniuersitatis & non Episcopus loci vel Diœcesis, à cuius iurisdictione Rector & omnes de Vniuersitate per speciale priuilegium sunt penitus exempti. Et ex consequenti videtur D. Rector præferendus in Sessione etiam Episcopo loci vel Diœcesis, qui interest Actui celebrando in Vniuersitate non vt Scholaris, sed vt Episcopus. Et ita obseruari vidi si rectè memini, in quodam actu solenni tempore D. Ioannis de Horne, Episcopi dum vixit Leodiensis.

Hermannus Coringius dissertatione 5. de antiquis Academiis. *Louanii ne Nuncio quidem* (Apostolico) *cedit Rector, nisi is fuerit simul Legatus à latere, seu vulgò appellamus. Sed vbiuis fere locus proximus Principibus aut Patronis Rectori Academico solet vltro tribui. Prudentissimus Senatus Venetus Patauinæ scholæ sua Rectori non purpurâ tantum, sed & aureâ stolâ induere se permittit: & Magistratu abeuntem cùm Doctoris titulo exornat, tum torque aureo donatum Ordini Equitum S. Marci inserit.*

Nihil dicimus de Academia Coloniensi, Cracouiensi: nihil de cæteris Gallicanis, quæ si quid habent splendoris & dignitatis, ab vna Parisiensi se fatentur desumpsisse. In qua 1. Rector *Regem* repræsentat, vt alibi diximus. Vnde & Reges & Pontifices in litteris Bullisque suis eum se super prænominant Gregorius IX. vetat excommunicari Rectorem & Procuratores. Clemens IV. an 1269 cum de Prouisoris Sorbonici institutione loquitur, *Rectorem* tanquam *Caput* Vniuersitatis nominat. Clemens VI. Bulla data 30. Iulii an 1309. *Dilectos filios Rectorem Magistrorum & Scholarium Parisius studentium.* Philippus Augustus in Priuilegio an. 1220. Rectorem vocat *Capitale Scholarium*. Ante ipsum Nicolaus I. Pontifex Ioannem Scotum *Capital studii Parisiensis* vocauerat. Cæteri Reges si quid Vniuersitati mandatum volunt, *Rectori* litteras inscribunt, *Decanis, Procuratoribus & suppositis.* Cuius rei exempla sunt prope infinita.

3. Rector olim ad Consilia Regni aduocabatur; fuitque tempus, cum in administratione publica Regni nihil fieret eo inconsulto.

4. Præcedit quoscunque Prælatos etiam Nuncios seu Legatos Apostolicos in Actibus Vniuersitatis. Notauit Belforestius. *Mais qu'est-ce à dire que l'authorité du Recteur soit si grande en l'Escole*, qu'es actes publics de quelque Faculté que ce soit, il precede Euesques & Cardinaux, & fussent-ils Pairs de France? Et ne souffriroit-on que le Nonce du Pape, ne Ambassadeur de Prince du monde eust cet auantage de le preceder. Notauit Coringius loco supra laudato. *Quid ad Academiæ authoritatem conciliandam splendidius possit constitui, quàm vt hoc vno exemplo vtar, quod Parisiis Vniuersitas primogenita Regis filia audiat, & in solennibus conuentibus Rectori primus locus præ ipso Nuncio Apostolico concedatur?* Hinc accidit, vt cum Legatus Apostolicus Parisios veniebat, eum Rector adigeret iurare se nihil quod Vniuersitatis Priuilegia labefactare posset, attentaturum. Id quoque animaduertit Belforestius. *Quant le Legat du Pape Apostolique vient à Paris*, le Recteur aussi (non pas qu'il sorte de la Ville pour le bienueinner, car il ne doit cet honneur qu'à son Roy & aux Papes en personne) se presente à luy & le fait iurer qu'il n'alterera en sorte que ce soit les Priuileges donnez par les Papes à l'Vniuersité.

5. Idem habet in pompis solennibus quibuscunque locum honorificentissimum: qua de re etiam Belforestius. *Es mariages des Rois le Recteur auec ses Supposts est introduit auec egal honneur que la Cour de Parlement;* & a son siege & rang comme celuy qui represente la fille bien-aimée des Roys de France. Au Sacre des Rois à cause qu'il se fait hors de Paris, le Recteur n'assiste point, entant que hors cette Ville ses droits sont sans force quelconque, puis que son authorité s'estend simplement sur le lieu où est l'Eschole. Or les Roys estant decedez & durant que pour la ceremonie & appareil des funerailles & enterrement du Corps du defunct on s'achemine de Nostre Dame de Paris pour porter le corps à S. Denys, on void l'Euesque de Paris d'vn costé de la ruë & le Recteur de l'autre adextrant le corps, lequel est entre ces deux Magistrats spirituels. Ayant voulu les Roys anciens de tant auancer le Chef de leur Eschole, que de l'égaler aux plus Grands de leur Royaume. Mais pourquoy ne seroient soigneux les Roys de ce corps public de l'Vniuersité, puis que c'est de luy que sortent ceux qui ont charge de la Republique de France & qui manient les affaires de plus grande consequence.

6. Rectoriæ Dignitati nulla est in Vniuersitate dignitas quę non cedat: imò tanta est, vt vni sigillo seu signeto Rectoris Reges nostri plus adhiberi fidei voluerint quàm quibusuis publicis Instrumentis. Cum Philippus Valesius vectigal imposuisset vinarium Ciuibus Parisiensibus Vniuersitatemque ab eo exemisset sub hac lege, vt quæ ipsius vina essent, testaretur Rector Signeto, addito quoque Cancellarii Parisiensis sigillo, obstitit Vniuersitas huic nouitati, & Rex pro tribunali sedens concessit *quod ad simplex signetum Vniuersitatis Paris. Financiarii seu Impositores vinorum deinceps deberent Magistris & Scholaribus studii Paris. absque impositione vel aliqua vexatione vina deliberare. Et ad hoc vocatis personaliter Impositoribus coram Rege & Vniuersitate præcepit Rex per os Cancellarii Franciæ districtè Impositoribus quod de cætero absque dilatione viso signeto Rectoris studentibus deliberarent.* ita legitur in libro antiquo Rectoris.

Hæc exterius. At intra ipsam Vniuersitatem quæ Rectoris dignitas? 1. Præest toti Vniuersitati, eique tanquam Domino & Capiti omnes Academici cuiuscunque gradus existant, tenentur in licitis & honestis obedire. Gouletus de populosa Artium Facultate verba faciens. *Alia*, inquit, *longè aliis numerosior dicitur præclara Artium Facultas omnium aliarum basis mater & nutrix. Hæc enim Rectorem qui totius Vniuersitatis est caput, Decanum habet, qui per solam ipsam Artium Facultatem modo inferius scripto eligitur & confirmatur: cuique omnes cuiuscunque Facultatis Magistri, Scholares & indifferenter omnia ipsius Vniuersitatis supposita, Officiarii aut famuli iurant obedire ad quemcunque statum deuenient. Ad cuiusque solius mandatum non solum ipsa Facultas Artium, sed & tota Vniuersitas est congreganda.* Multa paucis Gouletus. Rector talis est in Vniuersitate, vt licet à Facultate Artium quæ ordine postrema est, eligatur & confirmetur, quemadmodum à cæteris Facultatibus sui Decani toti tamen Vniuersitati præsit: quod nulli superiorum Facultatum Decano competit. Itaque pudet referre quàm pravè nonnulli spurii Magistri & Pseudo-academici verba Gouleti, cum ait Rectorem esse *Facultatis Artium Decanum*, detorqueant ad alienum sensum, ita vt 4. Nationes prædictæ Facultatis per vnum ipsius organum loquantur, quod absurdissimum est: cum ipsemet Gouletus satis clarè mentem explicet verbis sequentibus, quibus, quasi rationem reddit quamobrem Decanus illius dici possit, quia *scilicet ab ipsa sola eligitur & confirmatur*, quemadmodum à suis Facultatibus alii Decani: sed in hoc aliis superior est, quod non modo ipsi Artium Facultati, sed & toti præsit Vniuersitati.

2. Omnium Academicorum, Officiariorum, Ministrorum, Scholarium iuramenta excipit: nec vllus est qui à præstando obedientiæ sacramento eximatur, qui Vniuersitatis vt vocant suppositum esse velit. Nec ad congregationes Vniuersitatis admittebantur olim Doctores Theologi, Decretistæ & Medici, si non incepissent in Artibus, qui iuramentum apud eum non præstitissent de seruandis iuribus & statutis ipsius Vniuersitatis. Quam in rem extat hæc formula in lib. Procuratorum Nat. Gall. *Vos iurabitis quod obseruabitis priuilegia, statuta, iura, libertates, & consuetudines laudabiles Vniuersitatis, ad quemcunque statum deueneritis.* Item *quod non reuelabitis secreta Vniuersitatis.*

Hæc de Rectore impræsentiarum sufficiant, de quo plura singulari volumine si Deus dederit, vbi de disciplina Scholastica & administratione Vniuersitatis accuratius differemus. Iam de Decanis.

Decani nomen à militia sumptum, in qua teste Vegetio *Militibus sub vno papilione degentibus vnus præerat Decanus qui caput contubernij nominabatur.* Hinc ad militiam Ecclesiasticam traductum vocabulum; sicque Ecclesiarum Collegiatarum & Cathedralium Decani Capitulo & Canonicis præsunt, licet plures sint quàm decem.

Ita & in re Academica *Decanus* dicitur qui in singulis Facultatibus superioribus omnibus Magistris præest, Congregationes indicit, refert seu proponit & concludit veluti Consilii Præses. In singulis verò varius est & varia obit munera.

In Theologica quidem qui Gradu Doctorali est aliis antiquior & secularis, Decanus est absque vlla electione. *Secularis* inquam, quia Regularis seu Religiosus Decani vices obire nequit iuxta illud effatum *Monachus non Decanizat.* De ea quoque re sic Filesacus ex vtroque codice M.S. Theol. *In qua Facultate, à fun-*

datione, statuto & consuetudine semper præsidet antiquior Magister secularis, qui vocatur Decanus, qui habet primum locum, & præsidere conuocare & concludere in singulis tractandis per Facultatem. Præter eum verò eligi consueuit singulis bienniis *Syndicus* qui res communes procurat.

In Facultate Decretorum duplex est Decanus, vnus Honorarius & ille quoque nascitur antiquitate Gradus: alter Onerarius, qui similiter eligitur quotannis, & iste Congregationes Facultatis indicit, non honorarius. Gouletus sic de vtroque. *Secundum locum tenet ipsa consultissima Decretorum Facultas, in cuius Congregationibus Decanus praest; non quem Gradus antiquitas proponit, sed qui à Doctoribus illius Facultatis aut à pluralitate eorundem electus est. Singulis enim annis die Iouis proximâ festo Beatissimi Martini Doctores ipsius Facultatis simul conuenientes vnum ex sua concione ad illud Officium pro supportandis oneribus Facultatis eligunt: quem in finem anni quandoque non semel sed pluries continuant.* Et sic in illa Facultate duo *sunt Decani, vnus scilicet Honoris qui aliis est Gradu prior: alius verò Oneris; ille videlicet sic per communitatem assumptus.*

In Facultate Medicinæ similiter duo sunt Decani, vnus ætatis & honoris: & ille nascitur; alter oneris & procurationis, qui eligitur. Et iste Congregationes indicit, refert & concludit. De his quoque Gouletus. *Tertia Facultas Saluberrima dicitur Medicorum, qui pro rebus suis pertractandis vnum similiter de sua Congregatione Sabbati proximo post festum S. Martini deligunt in Decanum. Et sic apud eos duo adinstar Decretistarum sunt* Decani, *vnus oneris & alius honoris, quem pari modo quandoque continuant.*

Restat dicendum de *Procuratoribus* 4. Nationum. Suæ singuli præsunt, Congregationes indicunt, referunt, Consilio Vniuersitatis intersunt: neminemque ad Magisterii in Artibus Gradum admittunt, quem cum æstimant Bursas, non adigant sacramento obedientiæ Rectori Vniuersitatis & sibi præstandæ. Talis autem formula legitur in lib. Nat. Gall. ITEM OBEDIETIS RECTORI VNIVERSITATIS ET PROCVRATORI VESTRÆ NATIONIS AD QVEMCVNQVE STATVM DEVENERITIS.

Apud eosdem iurant minores Officiarij, Censores, Quæstores, seu Receptores, Examinatores, Nuncij Maiores & Minores. Et de singulis iuramentis conscriptæ leguntur in vetustis Nationum libris formulæ.

Eliguntur autem *Procuratores*, sed diuersimodè & diuerso tempore, prout cuique Nationi visum est commodum. Singulæ enim suas habent leges, sua statuta, sua Comitia, suos Officiarios, ministros & famulos independenter ab aliis: suntque omnes dignitate & authoritate pares, licet gradu & præcessione dispares. Olim Procuratorium munus menstruum aut bimestre tantum erat, quia cum nemo ad illud assumeretur nisi Regens actu, longéque frequentiora essent quàm nunc sint Comitia, tum Vniuersitatis, tum Facultatis Artium, tum Nationis, visum est necesse esse onus partiri in plures. Postea factum trimestre. Postremo annuum in Gallicana, Picardica & Normanica. In Anglicana verò seu Germanica quadrimestre.

In Gallicana Quinque-virorum seu Intrantium à singulis Tribubus electorum suffragio Procurator eligitur. In Picardica, quæ similiter in quinque Tribus seu Prouincias diuisa est, à Quinque-viris eligitur. In Normanica singuli viritim suffragium ferunt in creando Procuratore. In Germanica quæ & Anglicana antiquitus dicebatur, seruantur vices inter duas Tribus seu Prouincias ex quibus constat, quæ sunt Insularium & Continentium, quæque alternis Procuratores eligunt.


Iam verò vt ad Consilium Vniuersitatis redeamus, ex dictis intelligitur quæ sit quoad hanc partem inter *tres Facultates* quæ Superiores vulgò dicuntur, & *Artium Facultatem* differentia. Nam cæteræ habent quidem pro Præfecto *Decanum* aut *Syndicum* vt Nationes pro suo *Procuratorem*, at nullum habent certum Consilium; nec Consilij quod pro arbitrio componunt, *Præsidem Rectorem* quemadmodum Nationes. Vnde profectò Nationum antiquitas siue prioritas adhuc confirmatur.

Item illatum nulla suo Consilio quidquam decernere, statuere, pacisci aut transigere potest quod Vniuersitatem liget: at Rector rite monitis & vocatis Decanis si abfuerint aut contumaciter interesse recusarint, multa facit cum Procu-

ratoribus quæ sunt totius Vniuersitatis, & facere tenetur in publicum commodum, ne quid detrimenti patiatur Vniuersitas. *Salus enim populi*, hoc est publica vtilitas & tranquillitas, *suprema lex esse debet*. Neque idem facere posset cum vno Decano aut cum vna Facultate absentibus cæteris.

Cæterum Consilium & prædictum Vniuersitatis non quemadmodum in Monarchia Imperium habet aut pro imperio Iudicat, & definit absolutè loquendo, sed vt in Democratiâ consulit, tractat refert, & exequitur statuta; Vniuersitas vero statui: & iubet ac proinde à Consistorio Academico seu à Consilio Rectoris appellatur ad ipsam Vniuersitatem, non contra. Notanda sunt in hanc rem verba cuiusdam Iurisperiti vitia repræsentantis compositionis inter Abbatem San-Germano-Pratensem & Vniuersitatem factæ, ex eo præsertim quod non facta fuisset in Comitiis Centuriatis aut conuocatâ congregatâque tota Vniuersitate, sed per Deputatos tantummodo. Sic ergo ille. *In compositione dicitur hoc factum fuisse mediantibus vel interuenientibus* Deputatis, *cum tamen de antiqua consuetudine in arduis negotiis maximis Vniuersitas non consueuit dare Deputatos nisi ad tractandum vel referendum, non ad definiendum aliquid*.

Notanda quoque sunt verba, quæ in quodam Tractatu MS. S. Victor. an. 1398. de schismate Benedicti leguntur: comparat enim author Consilium Academicum & Comitia Vniuersitatis cum Consilio Papæ & Concilio Generali Ecclesiæ: atque contendit eo modo Concilium Ecclesiæ supra Consilium esse Papæ, quo modo ipsa Vniuersitas superior est Consilio Academico seu Deputatorio. *Deputati ab aliquo* Collegio, puta ab Vniuersitate Parisiensi nullo modo possunt per consuetudinem & per viam discretionis obtinere aliquam potestatem faciendi & ordinandi eorum authoritate in factis tangentibus corpus Vniuersitatis. Concesso illo non sequitur quod Rector Vniuersitatis cum Deputatis habeat potestatem iudicandi de factis Vniuersitatis, licet Vniuersitas sit superior & possit ab eis ad eam appellari. Modo, sicut se habet Congregatio generalis Vniuersitatis Parisiensis ad Deputatos cum Rectore, ita tota Congregatio Vniuersalis Ecclesiæ ad Collegium Ecclesiæ cum Papa, qui est Vniuersalis Rector Ecclesiæ, quæ propter commodum commisit Collegio Ecclesiæ Rom. cum Papa iurisdictionem Concilii Generalis ad euitanda infinita dispendia quæ fierent si semper in singulis factis arduis & aliis Ecclesiæ deberet fieri Concilium Generale. Ex ista similitudine arguitur magis oppositum. Quia quotiescunque fit dissensio & dubium in Congregatione Deputatorum Vniuersitatis cum Rectore vel circa electionem Rectoris, non est recursus nisi ad Congregationem Generalem, nec est Iudex immediatior ibi: igitur nec in proposito alius Iudex est quàm Concilium Generale.



DISSERTATIO VI.

DE OFFICIARIIS VNIVERSITATIS.

IAm de Officiariis agendum: & primum de numero, deinde de Electione. Officiarii generatim loquendo duplicis sunt generis; alii communes toti Vniuersitati: alii Speciales & proprii singulorum Ordinum. Rursum alii Primarii & Maiores: alii secundarii & Minores. Postremò alii Extranei Vniuersitati nec ad eius regimen aduocantur: alii interni & ad ipsius regimen conferunt operam, laborem & ministerium.

Omnium verò Officiariorum cuiuscunque sint generis, Princeps & caput est *Rector* qui veluti Rex est Vniuersitatis, vt alibi diximus. Inde fit vt quicunque ab Vniuersitate admittitur, Rectori iuramentum præstare teneatur, se eidem honorem, reuerentiam obedientiamque exhibiturum, ad quemcunque statum peruenerit.

Communes Officiarii Maiores & Primarii sunt duo Cancellarii & duo Conserua-

tores

tores Priuilegiorum Apoſtolicorum & Regiorum. Et iſti extranei ſunt ipſi Vniuerſitati, nec ad interius ipſius regimen aduocari ſolent.

Communes ſecundarii & Minores ſunt hi tres, *Procurator Generalis*, ſeu *Syndicus*, Scriba & Quæſtor ærarii publici. Et iſti interni ſunt Miniſtri, & ad interius regimen Vniuerſitatis neceſſariò aduocantur.

Communibus adhuc accenſendi ſunt, quaſi in tertio ordine conſtituti, Conſiliarii iurati Vniuerſitatis, Patroni ſeu Aduocati in Prætorio & Senatu Pariſienſi, Notarii, Nuncii Maiores & Minores, Librarii, Chartarii ſeu Papetarii, Pergamenarii, Compactores, vulgò Religatores librorum, Miniatores ſeu Illuminatores. Quibus etiam addendi Officiarii Curiæ Conſeruationis. Hæc breuiter de numero communium Officiariorum, qui qualemcunque operam, miniſterium officiumque præſtant toti Vniuerſitati.

Speciales & proprij ſunt quoque duplicis generis. Alii Primarii & Maiores: quales ſunt in Facultatibus Decani & Syndici, in Nationibus Procuratores. Alii Minores & Secundarii.

Et hi rurſum duplicis ſunt generis: alii officiarii propriè dicti & quaſi medii inter maiores & infimos: quales ſunt in Facultatibus & Nationibus Cenſores, Scribæ, Quæſtores; quibus annumerandi Examinatores Candidatorum. Alii deniquè infimi, qui miniſterialem ſeruilemque præſtant operam, vnde & *Seruitores Seruienteſque* propriè dicebantur antiquitus, quales ſunt Apparitores ſeu Bedelli ſingularum Facultatum & Nationum.

Quod verò ad electionem Officiariorum eiuſmodi ſpectat, non vna eſt; ſed pro vario eorum genere varia & multiplex. Atque vt à Communibus ordiamur, hoc mihi videtur præmittendum, conſiderandam eſſe ſcilicet Vniuerſitatem ſub duplici ratione. 1. quatenus ab alio pendet vt ſit & conſeruetur, & quatenus in ſe eſt & per ſe ſubſiſtit. Cum ergo illa Corpus ſit politicum ſtudioſorum ad Reipub. Chriſtianæ bonum & vtilitatem Regnique Gallicani commodum, ſplendorem & honorem inſtitutum, Priuilegiis Pontificiis & Regiis ornari munirique debuit & debet, duplicique authoritate, Eccleſiaſtica ſeu Pontificia & Regia niti & ſubſiſtere.

Cum autem Reges & Pontifices ipſi per ſe eius adminiſtrationi & conſeruationi adeſſe & incumbere non poſſent, neceſſe fuit vt Officiarios præponerent, qui ei rei intenderent. Hinc proculdubio Carolus M. Inſtitutor & fundator Scholæ ſuæ Rectorem de numero Magiſtrorum præfecit, qui Scholarium regimen & diſciplinæ haberet, ſimulque Priuilegiorum Conſeruatorem dedit, qui authoritate ſua iniurias propulſaret, ciuiumque & extraneorum vim iniuriaſque à Magiſtris & Scholaribus arceret: qualis fuit initio *Apocriſiarius* ſacri Palatii ſeu *Archicapellanus*: deinde verò *Præpoſitus Pariſienſis*, vt in Synopſi 2. ſeculi, ſatis fusè docuimus.

Et quia plurimum intereſt Reipub. Chriſtianæ, vt qui admittuntur ad docendum, idonei ſint & orthodoxi; authoritate quoque Eccleſiaſticâ inſtitutus eſt Cancellarius, qui Magiſterii candidatos examinaret & docendi licentias impertiretur docere volentibus. Item quia ſummi Pontifices ſtudii fructum vtilitatemque conſiderantes, Priuilegiis illud ſuis decorare voluerunt, eorundem Conſeruatores dederunt, qui & ſecundum ea ius dicerent, & Academicæ quietis turbatores authoritate ſua comprimerent, contumaceſque cenſuris illigarent.



CANCELLARII.

IAm igitur vt certa ab incertis ſecernamus, liquet Cancellariorum Creationem & Electionem non pendere ab Vniuerſitate, imo nec ab ipſis ſummis Pontificibus, ſed Pariſienſem quidem ab Epiſcopo & Capitulo: San-Genouefianum verò ab Abbate & Conuentu propter eas quas diximus rationes in Synopſi primi ſeculi.

Verum quidem est summos Pontifices iis viris tanquam Ministris suis & Bullarum Executoribus vsos fuisse, si quid Vniuersitati mandatum vellent: iisdemque potestatem attribuisse concedendæ licentiæ docendi non Parisiis tantùm, sed vbique terrarum: at constat in eorum creatione nullam omnino partem vnquam habuisse.

Crediderim quoque antiquitus non fuisse necessarium Vniuersitatis in receptione Cancellariorum consensum, approbationem & confirmationem. At postquam illi authoritate potestateque suâ abuti cœperunt, pecuniam exigendo pro licentiis, & dignis indignisque, imo non examinatis easdem impertiendo, quod accidit præsertim hoc & superiori seculo, sũmi Pontifices auditis ea de re querelis Vniuersitatis, in cuius vergebant hæc grande dedecus, statuerunt vt in sua creatione priusquam quod erat muneris sui exercere possent, Vniuersitati iuramentum præstarent. Idque Gregorius IX. an. 1231. expressè cauit de Parisiensi in Bulla quæ incipit *Parens scientiarum*: quod & an. 1238. confirmauit Bulla data Viterbii 7. id. Septemb. an. vndecimo, cuius est initium *Quia adhoc potissimum*. Et similiter consecuti Pontifices; idque deinceps obseruatum, vt patet ex pluribus actis, quæ in decursu historiæ passim referentur. Placet vnum hic adscribere quod est an. 1349. Magister enim Ioannes de Assiaco Cancellarius Parisiensis in Claustro Basilicæ solenne & solitum præstitit iuramentum die 26. Octobris, *coram Rectore Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium Parisius studentium Deputatisque ipsius Vniuersitatis ad hoc specialiter conuocatis: videlicet vno Magistro in Theologia, vno in Decretis & Procuratoribus 4. Nationum Facultatis Artium nomine dictæ Vniuersitatis.*

Similiter M. Du Viuier in Capitulo parisiensi an. 1580. coram Rectore & duobus Theologis iuramentum præstitit, vt scribit Ioannes Boucherius Rector. *Nec vero id prætermittendum* quod omissum pene fuerat, D. Du Viuier Antonii Viuarii
" nuper dum viueret Cancellarii Paris. ex fratre nepotem ac Regis in supremo Se-
" natu Consiliarium in defuncti patrui locum suffectum, iuramenta ad id præ-
" stari solita in Capitulo Paris. coram Rectore & duobus Theologis Doctoribus
" præstitisse 24. Decemb. 1580.

Similiter Cancellarius San Genouefianus ab Abbate loci electus præsentatur Rectori & Procuratoribus in Comitiis 4. Nationum solitumque præstat iuramentum. Huiusce præsentationis extant exempla plurima. Anno 1476. die penultima Ian. Abbas supplicauit Rectori vt vellet conuocare Facultatem Artium *ad recipiendum nouiter electum Cancellarium*, vt scribit M. Theodoricus Cerarii Procurator Nationis Gallicanæ. In Commentariis verò Nationis Germanicæ ad an. 1490. in Comitiis Facultatis Artium die 18. Ian. habitis. *2. Artic. fuit super acceptatione noui Cancellarii examinis B. Genouefæ ad solita præstanda iuramenta, in dicto nouo Cancellario.* Receptus autem Cancellarius tenetur nominare. ProCancellarium qui sit in Artibus Magister vel in Theologia Doctor: vt legitur in Actis Comitialibus Facult. Artium 15. Iulii an. 1540.



CONSERVATORES.

Conseruatores Priuilegiorum eadem prope ratione recipiuntur ab Vniuersitate: Regius quidem, nempe Præpositus Parisiensis à Rege creatur: creatus verò proximâ die Dominicâ aut sequenti in aliqua Ecclesia coram Deo & Sanctis Rectori & Vniuersitati iuramentum præstabat. Et primus eum huic legi adstrinxit Philippus Augustus an. 1200. cuius Priuilegium in Historia retulimus: estque illud sæpe à Regibus successoribus confirmatum. Philippus Pulcher in suis litteris sic loquitur.

" Philippus Dei Gratia Francorum Rex omnibus Præpositis, qui pro tempore
" Parisius fuerint constituti, salutem. *Mandamus vobis quatenus, si nos absentes esse contigerit tempore institutionis vestræ, iuramentum quod tenemini facere Vniuersitati Scholarium Parisiensium Dominica scilicet prima vel secunda, postquam exinde submoniti*

fueritis ab eisdem, in vnu Ecclesiarum Parisius coram prædictis Scholaribus, prout in ipsorum Priuilegio continetur, faciatis. Donec verò iuramentum præstitisset, locum nullum habere poterat in Comitiis Vniuersitatis Quade re sic Guil. Dauidson Procurator Germanicæ Nationis ad 8. id. Maii an. 1556. *Insuper Conseruatorem Priuilegiorum Regiorum non esse audiendum, nec locum in Comitiis & Congregationibus Vniuersitatis vllum habiturum, nisi prius fidem & iuramentum Rectori & Academiæ præstiterit.*

Conseruator Apostolicus erat olim incertus, & hic modò, modo ille à Papa nominabatur; at quia sæpe hoc erat incommodum Vniuersitati habere Conseruatorem negotiis aliis impeditum, aut longè habitantem, obtinuit à summo Pontifice vnum è tribus Episcopis propinquioribus vrbis Parisiensis, Meldensem, Beluacensem aut Siluanectensem, eiusque quem è tribus vellet, eligendi potestatem. Atque ita nominatio & electio Conseruatoris Apostolici ad Vniuersitatem translata est. Cuius rei insigne monumentum extat in litteris Simonis Cardinalis an. 1266. Quippe Facultati Artium concedit impetrationem Conseruatoris interueniente 4. Nationum consensu. *Fiant in licitis casibus ipsius* (Facultatis) *statuta*, & interdicantur domus & Scholæ: ac *impetretur eius nomine Conseruator* communi & expresso cuiuslibet Nationis interueniente consensu.

Et hoc est proculdubio *Antiquum statutum*, cuius meminit Ludouicus Seruinus causarum Regiarum Patronus, cum in Curia quæstio verteretur an. 1614. inter tres Facultates superiores & Facultatem Artium de electione Samuelis Daccole, in Quæstorem Ærarii Academici ab ipsa electi; cum illæ alium nominauissent. Dixit enim Seruinus Facultates niti articulo Reformationis factæ an. 1598. Facultatem vero Artium *antiquo statuto* & argumento Beneficiorum. Quo verò statuto antiquo expressiore & clariore quam isto, quo indulgetur Artium Facultati impetratio, ac proinde Nominatio & Electio Conseruatoris Apostolici, Officiarii communis & Primarii Vniuersitatis, *expresso 4. Nationum interueniente consensu*? Vnde proculdubio euincitur Primarium ius quod est electionis, nominationis & præsentationis Nationum esse, secundarium vero tantummodo Facultatum superiorum, quod est approbationis & confirmationis.

Neque hoc omittendum, quod si Conseruator semel electus & iuratus ad aliam sedem transferebatur, Conseruatoriam eiurare tenebatur & gratias agere Vniuersitati in Comitiis generalibus: cuius rei exemplum extat illustre in Cōmentariis Nat. Gall. in quibus legitur quod cum an. 1432. die 7. Octob. ageretur de officio Conseruatoris, excusauit se vt moris erat & gratias egit in Vniuersitate Reuerendus in Christo Pater & DD. Episcopus Beluacensis de ipso Officio Conseruatoriæ Priuilegiorum Apostolicorum Vniuersitatis & de honoribus in ipso susceptis. Et dicebat se esse translatum de Ecclesia sua Beluacensi ad Ecclesiam Lexouiensem, & sic non poterat amplius exercere ipsum Officium Conseruatoris eum non caueatur in Bulla de Episcopo Lexouiensi, sed solum Beluacensi, Siluanectensi & Meldensi. Et requirebat ipse D. Beluacensis vt ipsa Vniuersitas vellet in loco eius ponere & instituere præfatum Reuerendum in Christo Patrem & D. Meldensem; quoniam à primæuo suæ ætatis fuit enutritus & tandem graduatus in ipsa Vr[illegible]ersitate. Et tandem vellet eum assumere in suum Conseruatorem, vt dictum est. Quæ quidem Natio Franciæ & etiam tota Vniuersitas exonerauit ipsum D. B[illegible]uacensem de huiusmodi Officio Conseruatoriæ suorum Priuilegiorum cum gr[illegible]tiarum actionibus. Et benignè suscepit renunciationem eius. Et iuxta requestam ipsius, D. Episcopi Beluacensis posuit loco eius, instituit & suscepit in suum Conseruatorem Priuilegiorum suorum Apostolicorum præfatum Reuerendum in Christo Patrem & D. D. Episcopum Meldensem. Qui ipsum officium acceptauit iuramentis solitis in plena Vniuersitate præstitis.

Porro isti Officiarii tam Regii quā Ecclesiastici secundarios eligebant Ministros, quos deinde Vniuersitati præsentabāt. Cancellarii, Examinatores vtriusq; examinis. Conseruatores, Regius quidem suos Apparitores, quos *Hostiarios* vocant, & *Seruientes*. Apostolicus, eos omnes qui Curiæ Conseruationis necessarii erant & vtiles, *Promotorem, Procuratores, Notarios, Scribam &c.* Qui quidem Ministri Vniuersitati quoque ipsi tenebantur præstare iuramentum, ab eaque pendebant om-

nino quoad receptionem & confirmationem. Hæc de Officiatiis communibus extraneis. Nunc de internis agendum.

Tres sunt, vt dictum est, Officiarii secundarii, intimi ipsi Vniuersitati, & sine quibus ipsa vix stare potest, *Syndicus, Scriba & Quæstor seu Receptor*. Hinc vt ait Caius Iure-Consultus. *Quibus permissum est Corpus habere Collegii, societatis siue cuiusque alterius eorum nomine, iisdem proprium est ad exemplum Reipub. habere Res communes, arcam communem & Actorem siue Syndicum, per quem tanquam in Repub. quod communiter agi fierique oporteat, agatur & fiat.* Cũ igitur Vniuersitas Parisiensis abipsis incunabulis Corpus siue Collegiũ composuerit, vt fusè alibi demonstratũ est, necesse est etiam eam habuisse præfatos Officiarios, quos proinde Robertus Goulletus Doctor olim Sorbonicus vocat *Præcipuos & intimos*. Officiarii, inquit speciali cap. *ipsius Vniuersitatis præter illos qui iam sunt nominati, quibusque concessum est à Christianissimis Regibus, priuilegiis, honoribus, franchisiis gaudere hi sunt & inter illos præcipui & intimi qui perpetui & fiscales dicuntur Officiarii, videlicet Procurator qui & sollicitator est Vniuersitatis, Scriba & Receptor.* Et certè nullum est Collegium quod res non habeat seu negotia litesque, quibus proinde procurandis necesse est præfici aliquem Syndicum: nullum, quod obuentiones aliquas aut reditus non percipiat: quibus recipiendis cum non possit ipsa Societas Collegiumque vacare, necesse quoque est eam rem alicui concredere. Nullum denique, quod ad sui rerumque suarum conseruationem Comitia non habeat statuta legesque condat, & quæ statuta sunt, scripto commendare non curet. Quam in rem *Scriba* necessarius est.

An verò fuerint ab initio certi Magistri hisce muneribus obeundis addicti, quemadmodum hodie, an Commissi mandatique nomine, vt fieri solet cum vrgent negotia, an vnus idemque plura eiusmodi officia exercuerit, meritò dubitari potest. Ego sic existimo, non fuisse initio distinctos eiusmodi Officiarios, licet muneta semper distincta fuerint, nec fuisse aliquos qui ea Muneris seu Officii nomine tituloque exercerent, sed vnum eundemque plura eiusmodi munia obire consueuisse, nisi aliud exigeret temporis necessitas. Quod vt clarum fiat, considerandæ sunt res Vniuersitatis in dupliciſtatu; ordinario & extraordinario. In statu Ordinario ita mihi videtur factum antiquitus: Procuratores suæ quemque res Nationis procurasse, Rectorem totius Vniuersitatis, atque ita Syndicum & Actorem egisse: at si grauiora negotia exurgerent, quæ ab vrbe & à studio Parisiensi auocarent, tum Mandatarios seu Commissarios necesse fuisse deligere, qui ea curarent & expedirent. Vt cum contra Stephanum Parisiensem Episcopum causam egit Vniuersitas apud Henricum Archiepiscopum Senonensem an. 1132. cum ad Concilium Turonense an. 1163. litem detulit contra Monachos San-Germano-Pratenses, & contra eosdem Romam ad Cœlestinum III. an. 1192. ob interfectos scholares: & ad Honorium III. contra Cancellarium Parisiensem an. 1218.

Item si quid in Comitiis Magistrorum decerneretur, quod consignari memoriæ & posteritati necesse esset, aut ad disciplinæ obseruationem, id quoque solebat Rector libro seu commentario suo conscribere: qualia sunt multa statuta Vniuersitatis quæ in libro Rectoris leguntur: at si cum extraneis pacisci & transigere opus foret, aduocabatur Tabellio seu Notarius, qui instrumentum publicum conficeret, idque non est difficile in historia obseruare.

Postremo distinguenda est quoque pecuniarum coactio seu collectio duplex, ordinaria & extraordinaria. Ordinaria quidem erat certa pecuniola, quam quisquis Vniuersitati apud Rectorem iuramentum præstabat, soluere tenebatur: & hanc Rector colligebat, eiusque rationem reddebat ipsi Vniuersitati. Extraordinaria, cũ in impensas alicuius litis contribuendũ erat: vt si Nuncii Romam mittendi essent, vt ad Honorium III. missi sunt contra Cancellarium an. 1218. tunc cum à singulis pecunia illa exigenda esset, necesse erat alium à Rectore ei negotio præficere.

Igitur quemadmodum Romæ Consules initio Senatum cogebant, exercitus ducebant, iuri dicundo præerant, postea verò crescente bellorum & negotiorum mole necesse fuit plures Magistratus instituere qui ea curarent: ita etiam & in Vniuersitate Parisiensi factum crediderim: nempe initio Rectores plura eiusmodi

munia obiuisse, processu verò temporis ob negotiorum multitudinem creatos & institutos fuisse Officiarios prædictos, qui eis gerendis & procurandis incumbe-tent. Quando nam verò instituti sint, non est ita facile dictu.



PROCVRATOR FISCI.

Certè factus fuisse videtur Syndicatus perpetuus & ordinatius circa an. 1200. eiusque instituendi non tam potestatem impetrauit Vniuersitas ab Innocen-tio, quàm potestatis confirmationem. Sic enim ille rescripsit. *Quia in causis quæ contra vos & pro vobis mouentur, vestra Vniuersitas ad agendum & respondendum commodè interesse non potest, postulastis à nobis vt Procuratorem instituere super hoc vobis de nostra permissione liceret. Licet igitur de iure communi hoc facere valeatis, instituendi tamen Procuratorem super his authoritate præsentium vobis concedimus facultatem.* PROCVRATOR FISCI.

Neque, licet subsecutis temporibus nulla sit in Actis instrumentisque publicis mentio Syndici, existimandum est munus illud Officiumque fuisse suppressum & abrogarum. Imo tam necessariam eius operam fuisse conicimus ex infra dicendis, vt sine Syndico nullum negotium quod alicuius esset momenti, transigi & confici posse crederetur. Et reuera cum Vniuersitas circa an 1292. ortam de platea quadam litem cum Abbate & Monachis San-Germano-Pratensibus composuisset repugnantibus plurimis Magistris & Scholaribus, rescindendi Pacti ratio vna inde petita est, quod ad illud faciendum non fuisset vsa Syndico. Sic enim legitur in quadam membrana Tabularij publici. *Præterea nec ex dicta compositione apparet quod Vniuersitas egerit istum Contractum per Actorem, Syndicum vel Defensorem vel alios Deputatos in Compositione nominatos, vel electos à duabus partibus Magistrorum Vniuersitatis, vel omnibus, quod fieri debet.* Vnde patet Vniuersitatem tum habuisse Actorem seu Syndicum, eum tamen ad transigendum cum Monachis non aduocasse.

Quod si Maiores nostri tam curiosè soliciteque curassent acta sua memoriæ consignare quàm posteri ab an. circiter 1400. haberemus hodie luculentum omnium Officiariorum Catalogum, quorum pleri que Vniuersitatis simul & Curiæ Conseruationis conuenientia munera exercebant. Hinc idem Syndicus in Commentariis, variis hisce nominibus designatur, *Procurator Vniuersitatis*, *Promotor*, *Syndicus*, *Procurator Fiscalis*, *Promotor Curiæ Conseruationis*. In statuto an. 1328. hæc verba leguntur *Promotores siue Procuratores Curiæ Conseruationis*. In libro Rectoris antiquo ad annum 1366. 16. Septemb. vbi de M. Ioanne de Trelon Rectore. *Habuit laborem immensum pro Inhibitionibus factis Conseruatori, Rectori & Promotori ex parte Regis & DD. de Parlamento.*

In immatriculatione litterarum de Fundatione Capellaniarum Sauoisianarum hæc verba leguntur. *Lectæ & publicatæ fuerunt litteræ præscripta præsente Procuratore Vniuersitatis Parisiensis & hoc consentiente 24. Nouemb. an. 1406.* Tum erat opinor Fisci Procurator M. Hebertus Camus; cui an. 1430. successit M. Iacobus Galet, Promotor quoque Curiæ Conseruationis: sed ad senium tam decrepitum peruenit, vt munera ista exercendi impotens euaserit. Galeto successisse videtur M. Radulphus Barnesse Nationis Galliæ. diœcef. Remensis, qui & Promotor & Procurator Vniuersitatis simul fuit, vt legimus in actis prædictæ Nationis, in quibus sic legitur ad 13. Iun. an. 1442. 4. *Supplicauit M. Radulphus Barnesse Promotor pro adiunctione Nationis habenda contra Nonnullos qui Officium Promotoriæ sibi auferre nitebantur, asserentes Officium Procuratoris & Promotoris se in eodem compati non posse.* Subscripsit Natio eius postulationi: nec videtur res vltra processisse. Nam M. Guill. Fichet in Comitiis Nationis Gall. 10. Nouemb. an. 1466. arripuit occasionem expostulandi, quod duo illa munera ab eodem homine exercendi consuetudo inualuisset. *Et quoniam antiquitus erat Procurator quidam Communis totius Vniuersitatis etiam præter Promotorem, placuit Nationi quod D. Rector congreget Vniuersitatem ad eligendum huiusmodi Procuratorem, & etiam Promotorem si sit opus: propterea quod D. Promotor hodiernus senio fractus officio nequit suo satisfacere.*

successit tandem M. Franciscus du Monstier Ambianensis an. 1651 qui diu rexerat in Artibus in Regia Nauarra.

Denique Monsterio in exilio Turonensi fatis functo M. Petrus Lengletius Bellouacus, Rhetor Plessæo-Sorbonicus & Rector Vniuersitatis substitutus est habitis in eam rem apud Mathurinenses Comitiis die 8. Augusti anno 1661.



SCRIBA.

SCribæ officium sic describit Robertus Gouletus. *Eius Officium* est in omnibus Congregationibus Vniuersitatis assistere, litterasque, si quæ ad Vniuersitatem transmissæ sunt, legere. Conclusiones & acta ipsius Vniuersitatis in scriptis redigere, Nominationes, litteras testimoniales pro tempore studii, maximè pro his qui in Facultate Artium proficiunt, scribere, aut describi facere & suo signeto manuali munire Registraque omnium præcedentium custodire

Antiquitatem Scribæ necessitatemque ex supradictis intelligere licet. Et munus illud etiam olim exercuisse Rectorem omnino credibile est, in scribendis saltem actis ordinariis & statutis Facultatis Artium atque Vniuersitatis. Non enim per Procuratores officium eiusmodi exerceri decuisset, qui cum Nationibus addicti essent, non potuissent effugere suspicionem gratiæ aut odii. Quæ suspicio in Rectorem cadere non poterat, vt pote qui rei publicæ & communis erat Gubernator & Moderator.

Processu verò temporis huic obeundo muneri speciatim præfectus est Magistrorum aliquis: at quandonam primùm, non est facile asserere. Vnum certum est ex immenso statutorum Actorumq; vetustorum numero testate saltem nobis aliqua ab an. 1200. quæ necesse fuit conscribi: ergo vel à Rectore conscripta sunt, vel ab alio Magistro, cui id muneris datum est. Quod à Rectore conscripta non sint ab an. 1200. facit vt credam multiplicitas Actorum seu Registrorum. Nam singuli Procuratores suum, seu suæ quisque Nationis habebant. Rector suum, Facultas Artium & Vniuersitas pariter suum.

In statuto mensis Octob. an. 1355. Natio Picardica ita loquitur. *Tenebitur dictus Procurator alios Magistros quibus Claues distribuit, inscribere in papyro Nationis, statim & in præsentia Nationis.*

Artium quoque Facultatem seu 4. Nationes suum habuisse patet ex statuto 1. April. an. 1288 in quo sic loquuntur. *Vt autem hæc omnia* valeant inuiolabiliter obseruari, fide corporali præstitâ in manu Rectoris nostræ Facultatis nos omnes & singuli Magistri iurauimus & nos omnes adhoc spontanèe concessimus adstringendos. In cuius rei memoriam hoc idem statutum in REGISTRO NOSTRÆ FACVLTATIS sub eisdem verbis scribi fecimus ac etiam ordinari.

Nec dubium quin Vniuersitas habuerit quoque suum seu seorsim à Facultate Artium seu idem cum ipsius Regesto vt nostris temporibus obseruatur. In libro antiquo Rectoris ad an. 1326. sic legitur. *Istud præcipuè est inscriptum Registro Vniuersitatis & Capituli Parisiensis.*

Denique certum est Rectorem suum quoque habuisse, in eoque nomina præsertim Incorporatorum, Officiariorum, simulque & Bursarum æstimationem inscripsisse. In statuto Facultatis Artium an. 1288. sic habetur *Volumus* insuper quod Rector adhoc adstringatur, vt Procuratores singularum Nationum aut vices ipsorum gerentes, nec non diem electionis earundem *suo Registro* inscribat, ne ex hoc defectus aliquis, vt aliàs visum est, in compoto generali Rectoris *oriatur*. al. eligatur. In antiquo Rectoris libro ad annos 1379. 1380. & 1381. patet Rectores singulos in Rectoriæ Registro scripsisse quæ scribenda forent. Ad an. 1381. Hæc verba leguntur *Patent in Registro seu Papyro Rectoria.*

Certum est igitur hoc seculo ab an. 1200. ad an. 1300. fuisse Commentaria seu vt vocant, Registra & Nationum singularum & Facultatis Artium & Vniuersitatis & Rectoris: ac proinde fuisse aliquos qui Scribæ communis munere fun-

gerentur erga saltem Facultatem Artium & Vniuersitatem. Vnde conuincuntur erroris qui existimant an tantum 1316. institutum fuisse Scribam: nam eo anno reuera institutus est Notarius publicus, qui rogatus adfuturus esset Comitiis Vniuersitatis, instrumenta si quæ conficienda essent in publicam formam redacturus. At falsum est Notarium illum fuisse ordinarium Scribam Vniuersitatis, aut non fuisse ante an. 1316. aliquos, qui Scribæ munere fungerentur.

Quinam verò illi fuerint, nemo dixerit, cum omnia Acta antiqua perierint, nihilque nobis ex immenso eorum numero testet præter pauca in libris Rectoris & Procuratorum contenta. Ex quibus qui tunc Rectores, Procuratores, Officiarii ve fuerint, non potest intelligi. Acta quippe illorum temporum secundum vsum communem nulla eorum nomina præferunt. Postea verò inualuit vsus, vt Scriba Vniuersitatis quemadmodum & Notarius actis & instrumentis nomen suum apponeret.

Ab anno quidem 1400. ad hæc vsque tempora, hoc est ad an. 1666. quo scribimus, constans est & nullatenus interrupta Scribarum series, quam hisce nostris Annalibus placet inserere.

SCRIBARVM CATALOGVS. Primus ergo cuius nomē hactenus inuestigare potuerimus, est *M. Ioannes de Rinello* Clericus Tullensis, ab an. circiter 1400. quippe in quibusdam instrumentis eū subsignatum legimus, vt in eo quod confecit nomine Caroli VI. Regis 26. Ap. an. 1402. In Decreto Ecclesiæ Gallicanæ. 7. Ian. 1406. ipse ita scribit. *Et Ego Ioannes de Rinello Clericus Tullensis diœcesis Publicus authoritate Apostolica & Imperiali & Vniuersitatis Parisiensis Notarius & Scriba.*

2. M. *Iacobus Isambard* Metensis, Baccalarius in legibus, à quo M. Ioannes Gerson sibi dari & describi postulauit instrumentum, seu vt vulgò loquimur, *actum publicum* eorum quæ dixerat apud Carolum VI. contra erroneas propositiones Ioannis Parui: sic enim in instrumento 6. Septemb. an. 1413. scribitur, *Publicus Notarius & almæ Vniuersitatis Parisiensis Scriba.* Et in alio 25. Octob. an. 1414. *Ego Iacobus Ysambardi Clericus Metensis publicus Apostolica & Imperiali authoritatibus Notarius, in Legibus Baccalarius, ac almæ Vniuersitatis Parisiensis prædictæ Scriba, prædictis dum sic agerentur, interfui.*

3. Est *M. Michael Hebert* Magister in Artibus Nationis Normanicæ Diœces. Rothomag. à quo M. Guill. Erardus Procurator honorandæ Gallorum Nationis instrumentum postulauit nomine suæ Nationis iuxta conclusionem factam in Comitiis mensis Iunii 1425. Idem an. 1431. attestatus est Instrumentum publicum Vniuersitatis iussu confectum in negotio Puellæ Aurelianensis. *Et me*, præsente, *Michaele Heberti Clerico Rothomagensis Diœcesis Magistro in Artibus Apostolica & Imperiali authoritatibus ac almæ Vniuersitatis Studii Parisiensis publico Notario & Scriba. sig. Hebert.*

Ille cum esset senio grauis nec posset commodè officio Scribæ fungi, petiit resignationem muneris ab Vniuersitate admitti an. 1448. sed eo tandem mense Augusto an. 1449 defuncto substitutus est M. Guillelmus Nicolay Magister in Artibus Nationis Gallicanæ, quem reperio determinasse an. 1415. Idem factus est Procurator suæ Nationis 21. Octob. an. 1450. & Rector 23 Martii an. 1464. Idem anno 1456. cum Rectore ad Regem ab Vniuersitate legatus est. D. *Rector exposuit vt M. Guill. Nicolay Scriba Vniuersitatis secum ad sollicitandam suppositorum prouisionem mitteretur.*

5. Eidem M. Guillelmo successit *M. Ioannes Simon* an. 1475, Magister in Artibus Nationis Gallicanæ & Tribus Parisiensis, qui officium illud exercuit ad annum vsque 1484.

6. *M. Petrus Mesnart* Nationis quoque Gallicanæ Tribus Parisiensis, de cuius electione legitur in Reg. Nat. Picard. *An. Domini 1484. Decemb. die 10. fuit alma Parisiensis Vniuersitas apud S. Mathurinum per D. Rectorem congregata super noui Scribæ Vniuersitatis electione vacantis per mortem M. Ioannis Symonis, cuius Deus misereatur. Placuit Nationi acquiescere supplicationi M. Petri Mesnart*, eum in Scribam Vniuersitatis eligendo & nominando. Ille Petrus instrumentum appellationis ab Innocentio VIII. nomine Vniuersitatis confecit 13. Septemb. 149. *Et ego Petrus Mesnart Clericus Parisiensis in Artibus Magister & in Decretis Baccalarius, publicus authoritatibus*

tatibus Apostolica & Imperiali, *venerabiliumque* Curiarum *Conseruationis Priuilegiorum Apostolicorum* Vniuersitatis *& Episcopatus Parisiensis Notarius iuratus, ac eiusdem Vniuersitatis Scriba.*

7. M. *Simon le Roux* Beluacensis Magister in Artibus idibus Iunii 1502. receptus est ex resignatione Petri Mesnart. De quo sic legitur in Commentariis Nationis Picardicæ. *Natio generosa* suis suffragiis ad posita in medium, resignationem dicti officii Scribæ Vniuersitatis ad vtilitatem disertissimi & litteratissimi Simonis le Roux Beluacensis Diœcesis admittit, concedit, & quouis modo vacet, confert gratias agens ipsi resignanti & omnibus Nationibus & Facultatibus concedentibus huic nostro alumno.

8. *M. Antonius Guibert* emeritus Professor antea Scriptor Vniuersitatis, defuncto absque resignatione Simone substitutus est die 6. Iunii an. 1537. non sine tamen contestatione Facultatum: nam M. Arnulpho Monart Syndico pro munere vacante supplicanti subscripserunt duæ Facultates Theologiæ & Medicinæ: *alia vero duæ Facultates elegerunt in Scribam* M. *Antonium Guibert, virum probum & honestum vxoratum*, vt legitur in Commentariis Facultatis Medicinæ. Ille Rectore M. Nicolao de Bris soluit Bursas & solita iuramenta præstitit an. 1537. sic enim legitur in libro Rectoris.

Sequuntur nomina Officiariorum. M. *Antonius Guibert Diœcesis Beluacensis Parisius commorans iuratus Scriba tam Almæ Vniuersitatis quàm Facultatis Artium.*

9. M. Guillelmus Laffilé Parisiensis Magister in Artibus præstitit sacramentum 22. Ian. 1551 Officiumque exercuit ad an. 1556. quo defuncto in Comitiis Mathurinensibus 4. Nouemb. 1556. M. Cordonnier Notarius Apostolicus & M. Simon Laffilé defuncti frater pro eo munere supplicarunt: at Simon electus est: de quo sic scribit Langeus Procurator Nat. German. 4 *Nouemb. eiusdem anni ad ædes Mathurinenses conuenit* Vniuersitas *super eligenda Scriba & Actuario publico; vbi electus fuit* M. *Simon Laffilé Scriba eiusdem Vniuersitatis, frater Scribæ defuncti qui Scribatum tenuit ad an. 1588.*

10. M. *Guillelmus Duual* Magister etiam in Artibus, per eiurationem prædicti Simonis Rectore M. Leonorio de Saint Leu iuramentum præstitit, an. 1588. vt legitur in eius Rectoria Fol. 57. recto. *Guillelmus Duual Notarius Apostolicus receptus est in officium Scribæ Vniuersitatis & Facultatis Artium per eiurationem Simonis Laffilé vltimi possessoris.* Obiit verò an. 1622.

11. M. *Nicolaus Quintaine* Procurator Nationis Normanicæ & litterarum humaniorum in Harcurio Professor substitutus est an. 1622. Sed in eius electione grauis controuersia surrexit inter Decanos trium Facultatum, Theologiæ, Iuris Canonici & Medicinæ, qui M. Guillelmi resignationem in gratiam M. Petri filii admiserunt; & Procuratores trium Nationum Franciæ, Picardiæ & Germaniæ, qui cum Rectore prædictum Quintaine elegerunt die 21 Ian. A qua electione appellarunt tam ipse Duual quàm Decani. Sed re à Senatu discussâ Arrestum obtinuit prædictus Quintaine 9. Martii 1622. secundum nominationem Facultatis Artium. In quo hæc verba leguntur Talæi Patroni Catholici concludentis. *Talon pour le Procureur General du Roy a supplié la Cour de maintenir le Recteur, Supposts & Procureurs de l'Vniuersité, à ce qu'aucun preiudice ne leur soit fait, & qu'ils pourront pourueoir & nommer à tous les Offices qui sont à pourueoir en l'Vniuersité.*

In Commentario seu Registro Nationis Germanicæ scribente, M. Philiberto Pathena Procuratore eiusdem Nationis & Gymnasiarcha Marchiano hæc verba leguntur. *Die 9. Martii 1622. Senatusconsultum factum est secundum præclaram Facultatem Artium aduersus Decanos superiorum Facultatum temere sibi ius arrogantes nominandi & constituendi Scribæ Vniuersitatis ex æquo paribusque suffragiis cum amplissimo D. Rectore & DD. Procuratoribus, quos quatuor in vnam volebant cogere sententiam, seque adeo tres numero potiores esse atque secundum plures debuisse censere & concludere Rectorem amplissimum, quod contra factum est. Nam Senatusconsulto probatus Quintaine, nominatus atque creatus in Scribam à DD. Procuratoribus Nationum & ampliss. D. Rectore. Licere autem iisdem Decanis, Petro Du Val ab iisdem nominato in Scribam & D. Grangerio Intercessoribus ampliationum litem prosequi interim.*

12. *M. Cæsar Egassius du Boulay* Cenomanensis emeritus Eloquentiæ Professor in Regia Nauarra, cum Rector esset Vniuersitatis & diem indixisset 19. Decemb.

an. 1661. ad eligendum & substituendum prædicto Nicolao Quintaine successorem, qui in Harcuriano decesserat die 17. eiusdem mensis, vnanimi 4. Procuratorum voce & consensu rogatus est illud munus accipere in partem præmii laboribus suis debiti: quod ille reclamantibus licet tribus Decanis, qui ad quindecim dies nominatum voluerunt Memmium Taffin Facultatis Theologicæ minorem Apparitorem, munus accepit quod per M. Nicolaum Souchet Baccalaureum in Theologia exercuit, donec Rectoratu abiret.



QVÆSTOR ÆRARII PVBLICI.

Restat vt de Quæstore seu Receptore ærarii publici agamus, *cuius officium est*, inquit *Gouletus*, *bursas incorporandorum seu iuratorum & alia quæ ad ipsam Vniuersitatem spectant, recipere, Registrumque de receptis facere, & quasdam Bulletas suo signo pro certificatione recepta ab incorporando Bursæ per eundem incorporandum D. Rectori mittere, quas quilibet Rector seruare tenetur & ad computum Receptorum (quem semel ad minus in anno tenetur facere) afferre, vt fidelis iuratorum in Registro Rectorum & ipsius Receptoris inuentorum fieri possit collatio.*

Hoc quoque munus exercebat initio Rector Vniuersitatis: quod vt clarum fiat, hæc pro certis habenda. 1. quod licet Historici nonnulli & inter alios Carion, existiment Carolum M. immensis reditibus suam dotauisse Vniuersitatem, vix tamen dici potest qui fuerint & vbi fuerint assignati. Ærarium Vniuersitatis vnicum diuturnis temporibus prope fuit ius quoddam Bursæ communis & incorporationis, quod soluere tenebantur quicunque nomen dabant Vniuersitati, seu inter Scholares, seu inter Graduatos, seu inter Officiarios, præter quod, si non sufficeret pecunia publica expediendis negotiis communibus, extraordinaria fiebat exactio à Magistris & Scholaribus.

Igitur Contributio pecuniæ communis duplex erat. Vna Ordinaria, altera extraordinaria. Ordinaria fiebat ab omnibus iuratis, à Determinantibus, Baccalariis, Inceptoris, Magistris & aliis Graduatis: quam pecuniam recipiebat Rector partim ab ipsis iuratis, partim à Procuratoribus Nationum, Quæstoribus eorundem, & Examinatoribus Determinantium: quamque ille postea post acceptæ redditas rationes vel reponebat in arca communi, vel successori tradebat, si ita placeret Vniuersitati. Epigraphe statuti Facultatis Artium an. 1258. huius rei fidem facit. *Statutum Facultatis quod à Determinatoribus & Bachelariis inceptaris non capiantur vadia, sed pecunia numerata; & quæ refundenda est Rectori, ad eius primam citationem refundatur.* [*Insuper quod Rector communem pecuniam non alienabit, nisi ad expeditionem negotiorum communium sub debito iuramenti.* Statutum retulimus ad an. 1258. quod multa in hanc rem continet scitu digna.

Quælibet igitur Natio per quotquot habebat incorporatos & incorporandos contribuebat in rem communem: vnde quæ plures habebat, plus etiam contribuebat quàm quæ pauciores. Quod cum olim noluisset Natio Gallicana facere ob idque secessisset à cæteris, decreto Simonis Legati an. 1266. iussa est & coacta refundere totam pecuniam quam acceperat, in vsum communem. Questæ sunt enim aliæ quod illa pecunia quæ ipsi obuenerat, dum erat in consortio aliarum Nationum refundere vel restituere *siue in communia 4. Nationum ponere*, sicut est hactenus consuetum, indebitè contradicebat. *Simon verò sic statuit.* De refusione prædictæ pecuniæ arbitramur & ordinamus, quod tam ipsa Natio Gallicorum quàm aliæ singulæ pecuniam, quæ ab ipsis Baccalariis, Incipientibus & Determinantibus obueniet in futurum vnione durante ad requisitionem Rectoris electi concorditer sine diminutione refundat...... Illam autem petitionem quam fecit eadem Natio Gallicana de non refundendo in posterum, nec contribuendo in solutionem debitorum & expensas Vniuersitatis, plus quam aliqua aliarum, non duximus admittendam, Ordinantes quod super hoc seruetur in posterum quod hactenus extitit obseruatum.

In eandem rem eadem Facultas statutum fecit 14. Ian. an. 1288. quod legitur in

Codice Nationis Gall. sub hac Epigraphe. *Statutum Facultatis super Refusione Officialium.* ET QVOD ELECTIONES PROCVRATORVM RECTORI DENVNCIENTVR. ET QVOD RECTOR NOMINA PROCVRATORVM IN SVO REGISTRO INSCRIBAT. ET QVOD RECTOR RECEPTA SVO SVCCESSORI IN EXITV SVI OFFICII INTEGRE REFVNDAT.

Cum anno 1466. inter Facultates superiores & Facultatem Artium lis quædam emersisset, quidam Officialis qui pecuniam communem acceperat, refundere distulerat, sed tandem *eo audito ordinauerunt DD. Deputati quod prædictus Magister penes quem residua erant dicta pecunia de publico ærario daret Matri Vniuersitati decem scuta aurea, & ea reciperet D. Rector; eo quod Ærarium publicum recipere habet ex ordinatione Vniuersitatis.* Ita scribit M. Simon Caynet Procurator Nationis Gallicanæ.

Cuilibet autem Rectori debebatur certum Salarium pro iure receptionis, vt intelligimus ex plurimis actis, quæ continentur in libro Computorum Rectoriorum ab an. 1478. ad an. 1482. in quibus hæc verba passim leguntur. *De qua summa* (reliqua) *habuit idem D. Antiquus pro stipendiis sua recepta summam 40. solidorum Paris.* Hæc verò constans est fere omnium computorum formula. Anno D.. die.... D. Antiquus N. in præsentia DD. Deputatorum Vniuersitatis Parisiensis videlicet DD. Decanorum superiorum Facultatum & 4. Procuratorum Facultatis Artium de Bursa super incorporandis & semibursa super omnibus aliis per ipsam Vniuersitatem impositis & institutis compotum reddidit, per quem compotum compertum extitit quod recepta ascendebat ad.... ex qua summa defalcata est, &c.

Quod ad contributionem verò extraordinariã attinet, ea fiebat certis de causis ad expeditionem occurrentium negotiorum, vocabaturque *Contributio & Collecta.* Et huic recipiendæ præficiebatur Magister aliquis de Artium Facultate, qui pro iure receptionis certum quoque Salarium habebat. Plurima extant exempla contributionis huiusmodi extraordinariæ. an. 1218. missus est ad Honorium III. Nuncius ab Vniuersitate contra Cancellarium Parisiensem, & ob id *Collecta* opus fuit. *Cum sine Collecta Vniuersitas non haberet expensas,* Magistri Liberalium Artium se ac suos discipulos adstrinxerunt ad seruandum quod super hoc à suis Procuratoribus contingeret ordinari. Cumque Procuratores iniunxissent eisdem vt *ad expensas* Nuncii destinandi contingentem tribuerent portionem, &c.

Cum aduersus Dominicanos missi sunt ab Vniuersitate Romam Legati ad Innocentium & Alexandrum IV. opus fuit Collectâ eiusmodi & contributione: quâ de re Mathæus. *Congregati Scholares collectam fecerunt & contribuerunt*: scilicet quilibet secundum posse suum. Et cuiuslibet Communia hebdomadis abbreuiata est. Et alibi. *Collecta sunt eis ex Vniuersitate Viatica.* Quia verò nonnulli contribuere nonnunquam recusabant, obtinuit Vniuersitas à Martino V. Pontifice Bullam anno 1283. cuius authoritate contumaces cogere posset. De huius autem collectæ necessitate sic ipse. Sanè didicimus quod in expensis necessariis quas pro Vniuersitatis vestræ commodis ex iusta & rationabili causa fieri contingit interdum, nonnulli ex vobis contribuere pro sua voluntate recusant; propter quod inter vos materia dissensionis & scandali crebrius suscitatur. Quia igitur in expensis huiusmodi singuli vestrum contribuere iustitia exigente tenentur, & ad vestram spectare dignoscitur honestatem, vt super hoc non ingeratur à vobis aliqua difficultas, Vniuersitatem vestram rogamus & hortamur at[illegible]entè per Apostolica vobis scripta mandantes, quatinus singuli vestrum qui duos solidos Parisienses in communi Bursa cum sociis in hebdomada ponitis, super Contributione huiusmodi facienda sic promptè ac liberaliter vos geratis, vt dissensionis prædictæ materia tollatur.

Quia ergo exactionis eiusmodi causa contingens erat & Extraordinaria, extraordinariè quoque, saltem initio eligebatur *Collector* qui & *Contributor* dicebatur. Initio, inquã, quia tandẽ Ordinarius factus est, & nescio an nõ ante an. 1400. Quippe legimus in Cõmentariis Gall. Nationis *Quæsturam* eiusmodi fuisse munus Vniuersitatis quod *Officium Contributionis* propriè vocabatur, conferebaturque ab Vniuersitate seu à Deputatis alicui Magistro Nationario; neque enim vllus vnquam in

vlla Facultate Doctor assumptus ad id muneris fuisse legitur. Nonnunquam tamen si re vrgente aliqua Natio pecuniam repræsentaret, ius habebat nominandi Contributoris: qui deinde à singulis taxatam exigebat summam, & ad solutionis testificationem singulis expediebat Apocham sigillo speciali, quod *sigillum Contributionis* appellabatur, munitam. Hæc omnia facilè intelliguntur ex actis diei 28. Iunii an. 1414. scribente M. Ioanne de Templis Procuratore Nationis Gallicanæ.

Quantum ad 5. artic. supplicauit M. Petrus Parui Licenciatus in Theologia, " quatinus Natio conuocaretur specialiter ad conferendum *Officium Contributionis*, pro eo quod vice ista spectabat ad Nationem Franciæ, & ipse daret *sigillum contributionis* sibi per præcedentem Contributorem in deposito siue custodia datum, illi qui tunc per Nationem ad illud officium exercendum eligeretur, & non M. Ioanni Fabri, quia non fuit rite ad illud officium electus, cum iuxta statuta vt dicebat, non esset Natio ad hoc specialiter conuocata.

" Ad oppositum verò supplicatum fuit pro parte M. Ioannis Fabri adhoc in die electionis Rectoris electi per Nationem propter necessitatem Officii de quo disponendum est pariter cum Rectore. Super quo deliberauit Natio pro parte dicti M Ioannis Fabri Magistri in Artibus & Baccalarii in Theologia de Venerabili Collegio Nauarræ, ratam habens electionem ipsius factam Attento quod illud Officium non est propriè officium Nationis, sed magis Vniuersitatis, commissum pro hac vice, Nationi; & ideo non tenet naturam aliorum Officiorum *Nationis*. Considerans insuper Natio necessitatem prouidendi tunc ipsi Officio & certis aliis de causis in ipsa congregatione factis, voluit quod dictus M. Petrus redderet dicto M. Ioanni *Sigillum contributionis* præfatæ, & pacificè gauderet amodo dicto officio: quod & fecit.

" Erat autem huic officio certum Salarium attributum, vigesimi scilicet denarii: in quo ne fraudem Contributor faceret, apponebatur Inspector, quem *Contra-rotulatorem* appellabant, cum mercede trigesimi denarii. Ita in actis diei 6. Aug. an. " *1446.* legimus electum fuisse *Receptorem Bursæ* imponendæ M. Petrum de Vaucello *cum Salario Vigesimi denarii*; & M. Gaufridum Normani Inspectorem seu Contrarotulatorem cum Salario trigesimi denarii: qui ambo erant Nationis Gallicanæ, eiusdemque ambo Procuratores fuerant.

Anno 1450. M. Ioannes Escombart Nat. Gall. *Receptor Bursæ communis* fuisse legitur, quæ Bursa quatuor erat solidorum & semibursa duorum. Quod Bursæ genus cum frequentius exigeretur pro necessitate negotiorum, illud omnino supprimi voluit Natio Gallicana, aliumque ærarii publici modum proposuit, prout scribit M. Ioannes de Martigniaco Procurator ad 29. Decemb. anno *1451.*

Quo ad modum habendi pecunias pro agendis Vniuersitatis, Natio ex tunc ad" uisauit alium modum quàm per impositionem Bursæ, Videlicet quod qualibet " Facultas & Natio sibi prouideret Ambassiatori, vel quod fieret thesaurus com" munis hoc modo: videlicet quod quilibet nouiter veniens, volens iurare, vo" lens priuilegiis, immunitatibus atque libertatibus Vniuersitatis gaudere, in " sua intronizatione solueret vnum scutum tam diues quam pauper: aut quili" bet secundum qualitatem & exigentiam sui status: Nobilis videlicet, Abbas, " Prælatus & quilibet in quacunque dignitate constitutus, vnum Nobile aureum, " Mediocres vnum scutum, Inferior siue pauper medium scutum, & quod tales " compellerentur iurare antequam reputarentur Parisius pro promotione tempus " acquirere, sicut fit in aliis Vniuersitatibus Andegauensi, Aurelianensi, Colonien" si, Louaniensi. Et de hoc fieret edictum commune singulis mensibus per Vniuer" sitatem tam in sermonibus, lectionibus & aliis actibus, quàm scripto vbilibet pu" blicandum.

Huiusce Bursę communis suppressio videtur valde fuisse cordi prædictæ Nationi: nam die 5. Ian. sequentis voluit omnibus Collegiis & Scholis per schedam Procuratoris quasi per edictum sigillo Procuratoriæ munitum significari. Nihilominus non tam citò suppressa fuit: quippe ad annos sequentes legimus quæsitas propositasque varias vias rationesque Ærarii publici, alias quàm per Bursam.

Anno 1459. die 20. Octob. successit in prædicto Quæsturæ Officio M. Ioanni Escombart M. Ioannes Pluyette vir Procuratorius & Nationis Gallicanæ. Et

an 1460. 26. Septemb. deliberauit Natio Gall. vt pecuniæ per eum receptæ reponerentur in ærario publico.

Cæterum licet eligi ſolerent *Quæſtores* ſeu *Receptores* eiuſmodi *Burſæ Communis*, Officium tamen iſtud *Rectorium* omnino eſſe credebatur, itaut eſſe videretur veluti pars auulſa à toto, & membrum à ſuo corpore reſecatum : quippe Rectores naſcebantur quodammodo *Receptores* : ſed cum eiuſmodi ſeparatio munerum abiiſſet aliquatenus in conſuetudinem, à nonnullis Rectorem increpitum fuiſſe legimus anno 1462. quod ærarium publicum curare ſategiſſet ; Natio tamen Gallicana id iuris ipſi aſſeruit : vt conſtat ex Actis 17. Nouemb. *Rector ſupplicuit contra quendam Magiſtrum volentem D. Rectorem increpare ex eo quod recipiebat ærarium publicum, voluitque Natio quod ipſe D. Rector reciperet, prout & fecerunt ſui prædeceſſores.* Ex Actis 16. Nouemb. 1464. *fuit concluſum quod D. Rector haberet cogere omnes ſuos prædeceſſores ad compota reddenda de pecunia recepta per eos pro Ærario publico.* Et ex Actis 27. Nouemb. 14 66. *Vt ea ſcuta reciperet D. Rector, eo quod Ærarium publicum recipere habet ex ordinatione Vniuerſitatis.*

Verum ita tandem tranſactum eſt, vt tam Quæſtor ſeu Receptor communis Vniuerſitatis, quàm Rector certas pecunias reciperet nomine ærarii publici. Itaque conſequentibus annis ſæpe legimus & Rectores & Receptores acceptæ pecuniæ communis ſuas Vniuerſitati reddidiſſe rationes, donec tota receptio ad Receptores omnino tandem tranſlata eſt.

Vt verò Caralogũ Quæſtorum ſeu Receptorum quem cœpimus, contexere pergamus, M. Ioanni Pluyette defuncto ſub finem menſis Maii. an. 1480. ſubſtitutus eſt in ſucceſſorem Muneris M. Ioannes le Gendre vir Procuratorius & Nationis Gall. Et ille in Comitiis 6. Feb. 1482. ſupplicauit ſtatui ne Rector vllum admitteret ad iuramentum donec ſigno ſuo teſtaretur ſatisfeciſſe pro Burſis. At Natio Gallic. concluſit Rectoris eſſe Burſas illas Iuratorum recipere, & earum rationem in fine Rectoratus reddere.

Quæſturam poſt eum geſſit *M. Ioannes Riuole* Nationis Gallicanæ cuius Procurator fuerat an. 1474 & 1475. tunc verò Grammaticorum Collegii Nauarrici Proprimarius : cuius celebratur ex fundatione quotannis obitus. Obiit autem ſi bene memini an. 1516.

Riuolio ſucceſſit M. *Ioannes Nicolas*. Et iſti *M. Robertus Raulin*, aliis Carlin, de qua electione hæc verba leguntur in Commentariis Vniuerſitatis ad diem 12. Iunii an. 1524. *Congregatio Vniuerſitatis* extitit facta apud S. Mathurinum ſuper 2. Artic. Primus ad prouidendum de Receptore Ærarii publici Vniuerſitatis vacante per obitum defuncti M. Ioannis Nicolai vltimi poſſeſſoris eiuſdem. M. Robertus Raulin ſupplicauit pro dicto officio. Et ab omnibus admiſſus eſt. Sed eo poſt annum fatis functo, habitiſque de Succeſſore deligendo 21. Nouemb. an. 1525. non ſine clamore ei ſuffectus eſt M. *Wleanus* ſeu *Waldequinus Thyuet* Carnotenſis Nationis Gall. Procurator factus die 27. Aug. an. 1510. Cauſa clamoris fuit, quod cum duo poſtulaſſent prædictus Thyuet & M. Renatus de Campis, 4. Procuratores Renato adhæſerunt, tres verò Decani Waldequino, cum quibus concluſit Rector contra morem : quippe cum munus illud eſſe putarent ſuum Nationes, ſeque primarium ius in electione Quæſtoris habere, nempe nominationem ſeu præſentationem, ægrè ferebant Rectorem à Procuratoribus diſceſſiſſe. Hinc in Commentariis Medicæ Facultatis. *Artium humanarum claſſis de Campis iam adhæſerat multo cum clamore & tumultu.*

In Reg. verò Vniuerſitatis ſic ea de re legitur 6. art. *Super electione Receptoris Vniuerſitatis vacantis per obitum defuncti M. Roberti Raulin vltimi Poſſeſſoris.* M. Renatus de Campis ſupplicauit pro dicto officio Receptoris & allegauit diligentias per eum factas pro Vniuerſitate & obtulit facere quæ ſunt facienda M. Valdequinus Thyuet etiam dictum officium Receptoris ſibi conferri fecit ſupplicationem magnam, & obtulit facere quæ ſunt facieoda. *Præclara Artium Facultas.* confert officium Receptoris M. Renato de Campis tanquam capaci & idoneo, Saluberrima Medicorum Facultas de Officio Receptoris confert W. Thyuet. Conſultiſſima Decterorum Faculras... de Officio Receptoris confert W Thyuet Sacra Theol. Facultas de officio Receptoris à maiori parte pro Thyuet concluſit, Vniuerſitas de Officio Receptoris à tribus Facultatibus concluſo confert M.

Waldeguino Thyuet præſtitis iuramentis & cautione data.

Contrariũ accidit 5. Martii an. 1544. nam cũ idem Thyuet ſupplicaſſet in Comitiis Mathurinenſibus admitti factam à ſe reſignationem officii Quæſtorii in gratiam M. Simonis Doutreleau, eiuſque ſupplicationi ſubſcripſiſſent Decani ſuperiorum Facultatum, quatuor Procuratores quibus cum concluſit M. Ludouicus Charpentier Rector illam omnino reiecerunt. A qua ſententia prædictus quidem Thyuet appellauit, ſed incaſſum. De hac re Vincentius Munſtelius Decanus Facultatis Medicinæ Reg. 6. F. 4. *D. Rector concluſionem elicuit non à ſententia trium Facultatum prædictarum, ſed à ſola ſententia Facultatis Artium: à qua concluſione protinus appellauit D. Walcanus Thyuet tanquam abuſiuâ & falsâ ſententiâ.*

Verum in Comitiis habitis 14 Martii eiuſdem anni receptus eſt prædictus Doutreleau & iuramentum præſtitit.

Simoni ſucceſſit *M. Ludouicus Bonneau* Cenomanenſis, vir Procuratorius & antiquus Regens, iuramentumque præſtitit 5. Iunii an. 1560. ſponſoremque dedit Stephanum Meſnart Piſtorem in ſuburbio S. Marcelli die 12. eiuſdem menſis & anni. Sed paulo poſt eiuratâ Quæſturâ tranſiit ad Theologorum ordinem, Doctoralemque lauream ſumpſit.

Ludouico Bonneau ſuffectus eſt *M. Nicolaus Pelletier* Licentiatus in Theologia 16. Septemb. an. 1564. ſic enim in Reg. German. Nat. *Omnium Ordinum conſenſu M. Nicolaus Pelletier Quæſtor Vniuerſitatis deſignatus fuit & in locum D. Bonneau ſubſtitutus.* Hunc excepit M. Ioannes Litteralis ſeu Litteratus, an. 1575. præſtititque iuramentum Rectore M. Clemente Iacob: vt legitur in Codice Rectorum *D. & M. Ioannes Litteratus receptus eſt ad officium Quæſtoris Generalis Academiæ die 8. Martii (an. 1575.) per eiurationem ſimplicem Peletarii.*

Anno 1582. die 18. menſis Aprilis ſuffectus eſt *M. Iacobus Geruais* Procurator Collegii Iuſtitiani: de cuius electione ſic ſcribit M. Alexander Hamilton in Reg. German. Nat. An. 1582 18. die menſis April. apud Mathurinos 3. Facultatum Decani cum 4. Procuratoribus Facultatis Artium vnanimi conſenſu elegerunt D. Iacobum (*Geruais*) Procuratorem Collegii Iuſtitiæ in publicum Academiæ Quæſtorem loco defuncti Quæſtoris D. Ioannis Litteralis.

Eiuſdem admiſſa eſt reſignatio in gratiam *M. Germani Gouffé* 3. Septemb. an. 1585. vt ſcribit Ioannes Pometaulx Procurator Nat. Germ. *3. Septemb.* (an. 1585.) *Vniuerſa Artium Facultas aliæque ſuperiores Facultates apud Mathurinenſes admiſerunt D. Gouffé in Academiæ Quæſtorem per reſignationem.* Idem an. ſequenti nempe 25. Septemb. 1586. Nationis Gallicanæ Procurator electus eſt, & Quæſturam deinde exercuit vſque ad an. 1614. quo vita functus eſt.

Habitis vero ad ſucceſſoris deſignationem Comitiis die 11. April. an. 1614. orta eſt contentio inter Decanos Facultatum & Procuratores Nationum: Decani Claudium Chauuin; Procuratores Samuelem Daccole; vtrumque in Curia Parlamenti Procuratorem elegerunt: &, malè vtraque pars, quæ ſpecioſo & apparenti deluſa commodo Procurationis litium, contra conſuetudinem homines extraneos ad ærarii ſui procurationem admiſit. Nec caruit reprehenſione orante Seruino Patrono Catholico (res quippe ad Senatum delata eſt) dixit enim publicè melius ſibi conſulturam fuiſſe Vniuerſitatem, ſi Magiſtrum aliquem Academicum elegiſſet, cuiuſmodi erat *Germanus Gouffé* & alii Prædeceſſores.

De hacce contentione Petrus Valens tum Procurator Nat. Germ. teſtis oculatus. *Die 11. April.* (an. 1614.) [illegible]um Rectore & Procuratoribus ad Mathurinos venimus, ibique Rector ob[illegible] D Decanis 3. Facultatum ſuperiorum D. Daccole Procuratorem Curiæ, vt eum Quæſtorem Academiæ recipere vellent in locum demortui D. Gouffé. Sed illi ius nominandi ſeu deſignandi ſibi arrogantes, quendam alium Procuratorem quoque Curiæ nomine Chauuin ſupplicantem ibi pro eodem Officio nominarunt, elegerunt, ſiue crearunt. Facultas Artium quæ mordicus tenet penes ſe ab omni æuo eſſe ius deſignandi & offerendi, illorum tantum confirmandi, D. Daccole, quem ſupplicantem pro eodem officio idoneum cenſuerunt Decani, non admiſerunt tamen vt Rectori & Procuratoribus ius ſuum eriperent: ſed 4. Procuratores eum ſuis ſuffragiis (vt puta qui illud officium à Rectore & 4. Procuratoribus impetrauerat) receperunt, munuſque illud habere iuſſerunt. Quod Rector concluſit, Decani verò interceſſerunt.

Re ergo delatâ ad Senatum prædictus Samuel Daccole electus, nominatus & præsentatus à Rectore & Procuratoribus nominationis confirmationem Senatus-consulto obtinuit 9. Aug. an. 1614. Quo munere functus est pacificè ad an. vsque 1660. quo obiit, factâ prius & admissâ eiusdem Officij resignatione in gratiam M. Samuelis Daccole filij, Causarum Patroni in Curia Parlamenti.

Atque hinc maximè origo repetenda est contentionũ & dissidiorũ, quæ deinde Vniuersitatem turbarunt & turbant etiamnum. Prima verò radix mali in Decanis cupido pecuniæ quam Rector pro media parte & Procuratores pro altera ex fortuitis prouentibus vacantium Officiorum sibi habere consueuerant. Nec omiserunt Decani partem quoque sibi vindicare apud Senatum, cum in iis quæ communis essent reditus, partem haberent. Ne viderentur tamen lucri causâ quietem Academiæ turbasse, nominationem prædicti Chauuin ratam esse debere contenderunt, vtpote trium Facultatum suffragiis ac proinde pluribus factam. Et quoad vtramque rationem à Senatu ampliatum est, quia non liquebat.

Contra Rector & Procuratores suas esse obuentiones fortuitas ex Munerum eiusmodi vacationibus : idque à Maioribus ita obseruatum ; & plurimorum Officiariorum omnis generis testificationibus confirmabant. Nec verò hîc agi præcipuè de suffragiorum pluralitate , quam à se quoque omnino esse contestabantur, sed potissimum de iure electionis, quod sibi vindicabant ex multiplici capite. 1. Quidem ex veteri statuto Simonis Cardinalis an. 1266. quo ius nominandi Conseruatoris Apostolici Nationibus attribuit. 2. Ex iure Prioritatis, cum Facultates à Nationibus, non à Facultatibus Nationes fuissent in societatem admissæ.

3. Ab exemplo Rectoriæ electionis quæ Nationum erat omnino absque vlla confirmatione Facultatum : suum autem esse illud munus, nempe Rectorium citra controuersiam ; & sua proinde tria supradicta Syndici, Scribæ & Quæstoris, quæ fuerant olim Rectoris, quæque fuerant à corpore quod suum erat, quodammodo auulsa & distracta.

4. Ex conditione & ordine personarum ad eiusmodi munera assumendarum, quas constat fuisse semper Facultatis Artium : ac proinde longè conuenientius esse vt nomineut ipsæ Nationes & præsentent Vniuersitati, quos voluerint è suis assumere , quàm vt à Facultatibus eligantur, quibus non tam noti esse possunt.

Postremo pluralitatem suffragiorum si de ea quæstio sit, euinci vel ex vnico Beneficiorum argumento ; quorum dispositio & præsentatio ad singulos Decanos & Procuratores ex æquo & vicissim pertinere dignoscitur. Hæc de Officiis Academicis dixisse sufficiat, de quibus fusius in priuato volumine, si vitam Deus protraxerit.



DISSERTATIO VII.

DE FORO VNIVERSITATIS ET CVRIÆ Conseruationis.

Res seu lites Vniuersitatis duplicis sunt generis. [illegible]liæ inter Magistros & Scholares seu inter supposita ipsius Vniuersitatis de re aut disciplina Scholastica oriuntur. Et harum Iudex est Vniuersitas, vel qui ab ea Iudicio præficiuntur. Aliæ sunt cum Extraneis, & harum antiquitus Iudices erant Conseruatores priuilegiorum. Ita duplex forum Vniuersitatis constituere necesse est, quemadmodum olim Romæ duplex erat Tribunal Iudiciorum, vnum Prætoris Vrbani qui lites ciuium audiebat & dirimebat : alterum Prætoris Peregrini, qui Ciuium cum Peregrinis & extraneis litigantium iudicia exercebat.

Leges ferre, statuta condere & ex illis iudicare Vniuersitatem posse tam est certum quàm quod certissimum. Quibus enim Princeps aut Respub. Collegij seu Corporis constituendi potestatem dederunt, iisdem αὐτονομίαν seu licentiam

statuendi quæ ad sui conseruationem necessaria essent, concesserunt; inter quæ non est dubium esse legum lationem iudiciorumque exercendorum potestatem.

Camillus Borellus tractatu de Magistrat. Academ. l. 1. c. 8. refert ex Ioachimo Stephani *Collegia Philosophorum* habuisse olim *Primicerium veluti* Rectorem tam Romæ & Constantinopoli quàm in Prouinciis, qui iurisdictioni Scholasticæ præerat; eamque fuisse separatam à iurisdictione vrbis Romæ, Constantinopolis & Prouinciarum. Hanc verò munificentiam Imperatorum Orientalium imitatos & secutos postea fuisse Occidentales, præcipuè autem Carolum M. & alios Principes, qui cum Scholarium Collegia constituerunt, non solum eis dotes assignarunt, sed & immunitatibus ac iurisdictione confirmarunt.

Cum Sophocles Amphiclidæ filius legem Athenis tulisset, ne quis Philosophus scholæ præficeretur absque Senatus Populique authoritate & decreto, Theophrastus qui tum erat Scholæ Rector cæterique Magistri ex vrbe excesserunt, donec anno sequente abrogata lege & illi redierunt; & Theophrastus Scholam atheniensem vt ante regere permissus est. Hac de re Diogenes Laertius in Theophrasto.

Cum esset huiusmodi (hoc est Scholasticus seu Rector Academiæ) *secessit ad tempus & ipse & Philosophi reliqui. Quippe Sophocles Amphiclida filius legem tulerat vti nequis Philosophorum praesset schola, nisi id senatus ac plebs decreuisset: ei qui secus faceret, capitis supplicium indici. Verum sequenti anno denuo reuersi sunt cum à Solone Sophocli dies dictus esset. Quo tempore Athenienses eâ lege abrogatâ Sophoclem talentis quinque multarunt, decreueruntque Philosophis reditum, vt & Theophrastus remaneret, Scholamque vt antea regeret.*

Fridericus 1, cognomento Barbarossa Bononiensis Academiæ statum reformans authentica *Habita* concedit tres iudices quos Scholares conuenire possint, *Rectorem*, quem per excellentiam Dominum vocat, *Magistrum* proprium & *Episcopum* Ciuitatis. *Veruntamen*, inquit, *si litem eis quispiam super aliquo negotio mouere voluerit, huius rei optione datâ Scholaribus eos coram* DOMINO, VEL MAGISTRO SVO, VEL IPSIVS CIVITATIS EPISCOPO, *quibus hanc iurisdictionem dedimus, conueniat. Qui vero ad alium iudicem eos trahere tentauerit, etiamsi causa iustissima fuerit, à tali conamine cadat.*

Ex his liquet apud omnes gentes fuisse semper aliquem Iudicem Scholarium reique Scholasticæ de numero Magistrorum. Nemo enim melius iudicat quæ sunt artis alicuius, quam qui eam artem profitetur. Vnde solent etiam Iudices seu Magistratus causarum eiusmodi discussionem ad peritos remittere, aut eos in consilium adhibere, vt facilius & certius iudicare possint.

Non est autem dubiũ, quin Parisiis Rector cum Procuratoribus, seu ipsæ Nationes ante accessionem Facultatum Theologiæ, Iuris Canonici & Medicinæ statuta condiderint & secundum ea iudicarint. Huiusce rei exemplum illustre retulimus ad an. 1210. ex Decretali Innocentii III. ex qua intelligimus Magistrum G. Vniuersitatis consortio & Priuilegiis fuisse priuatum ob contumaciam, vixque restitutionis beneficium obtinuisse.

Prætereo plurima statuta Vniuersitatis, Facultatis Artium & singularum Nationum & Facultatum, ex quibus liquet ipsas Nationes & Facultates in sua supposita, Facultatem Artium in omnes sibi subditos, Vniuersitatem in quoscunque Magistros & Scholares tam per se quam per Rectorem & Procuratores aliosque Deputatos iudicium exercuisse. Id quoque notauit Robertus Gouletus Cap. de Iurisdictione cuiuslibet Nationis aut Facultatis in sua supposita, & similiter ipsius Vniuersitatis. Sic autem habet.

Vnaquaque Natio similiter & Facultas in sua supposita de concernentibus factũ Nationis vel Facultatis iurisdictionem habet, atque pro suis agendis [illegible] siue Notarium scilicet in superioribus Facultatibus & Nationibus maiorem Bidellum, nisi de consensu partium, quando in Nationibus plures sunt Competitores, alius adducitur. In Facultatis verò Artium Actibus & Conuentionibus Scriba Vniuersitatis semper habetur. Vnde à Nationis sententia licet grauato ad ipsam Artium Facultatem appellare. Qua in illo casu in aliis tribus consistit Nationibus: & à sententia vnius Facultatis ad ipsam Vniuersitatem qua similiter consistit in aliis 3. Facultatibus, sed ab ipsa Vniuersitate nullo modo appellare

lare licet nisi forte ab ipsa Vniuersitate minus bene congregata ad ipsam melius congregandam. Certum est igitur primariam primigeniamque Iurisdictionem in Vniuersitate, in Facultate Artium atque in singulis Facultatibus & Nationibus congregatis residere: quemadmodum olim Romæ Iudicia penes populum erant, ab eoque legitimè ferebantur.

Sed quia non semper vacat aut commodum est habere Comitia, ideo Maiores nostri per Iudices delegatos lites disceptari & iudicia exerceri voluerunt. Fuit autem Tribunal Academicum duplex, vnum verus, alterum recentius. Verus quidem Rectoris & 4. Procuratorum: Recentius, eorundem cum tribus Decanis Superiorum Facultatum: quemadmodum supra de Consilio & Consiliariis Vniuersitatis diximus. Tribunal quidem Rectoris cum Procuratoribus videtur fuisse statum & ordinarium: alterum verò Deputatorium tantummodo & extraordinarium. Patet vel ex vnico statuto an. 1310. quod legitur in Codice Membranaceo Picardicæ Nationis, cuius talis est inscriptio.

STATVTVM VNIVERSITATIS, QVOD CORAM RECTORE ET PROCVRATORIBVS, VEL DEPVTATIS VNIVERSITATIS NVLLVS CITETVR NISI BIS; NISI IN CAVSIS FAMAM TANGENTIBVS IN QVIBVS QVATER CITANDVS EST.

Item in alio statuto eiusdem Vniuersitatis, quod in Comitiis Generalibus apud Mathurinenses factum est an. 1315. disertè notantur duo illa Tribunalia. *Quia nonnulli in causis motis coram Rectore & Procuratoribus Vniuersitatis Paris. prædictæ, seu coram Deputatis ab eadem... Statuimus & ordinamus vt quicumque de cætero ab ipsis Rectore & Procuratoribus ad Vniuersitatem ipsam ex quacunque causa coram ipsis mota appellauerit, primitus & ante omnia cautionem quinque solidorum dicto Rectori qui pro tempore fuerit, præstet....Statuimus insuper & ordinauimus quod Quicumque ex nunc in futurum à Deputatis ab Vniuersitate prædicta in aliqua causa datis seu dandis ad ipsam Vniuersitatem appellauerit, præstitâ ab ipso appellante cautione decem solidorum ante omnia in manu ipsius Rectoris, in eius appellatione admittatur.*

Ex quibus verbis videtur euidenter colligi alterum horumce Tribunalium Ordinarium Primigeniumque esse ac legitimum; alterum verò quod Deputatorum erat, subsidiarium tantummodo & datum ab Vniuersitate prout causæ ratio exigebat. Patet id insuper ex Statuto an. 1322. in quo sic legitur. *Ad nos fuit relatum quod cum super causis coram Nobis ortis, per Nos soleant dari Deputati qui de meritis causarum earumdem se informent, &c.*

Cæterum Rector ordinariam illam Iurisdictionem ter in hebdomada exercebat, diebus scilicet Lunæ, Mercurij & Veneris, vt notauit Gouletus in cap. *de Iurisdictione Rectoris & Procuratorum*, sicque habet. *Præter hæc D. Rector cum Procuratoribus tribus diebus in hebdomada, scilicet Lunæ, Mercurij & Veneris iurisdictionem exercet & cognoscit de omnibus materiis scholasticis. Vbi omnes Primarij, Regentes, & non Regentes, Scholares & Officiarij Vniuersitatis: & etiam ratione ipsorum alij non subditi possunt conueniri, vt puta pro iuribus Primariorum, Regentium & Bidellorum, pro locatione domorum in quibus Scholastici morantur; tam pro illo qui alteri locauit, quàm qui ab altero conduxit. Item ibidem discussio fit de Scholaribus discurrentibus de Collegio ad Collegium, de pergameno, de papyro, libris, scripturis, religationibus, illuminationibus & cæteris huiusmodi ad scholaritatem pertinentibus. Et à sententia ibidem data non licet appellare nisi ad Vniuersitatem, sicut dictum est prius.*

Tam iusta autem tamque sancta reputabatur esse sententia quam Rector tulerat, vt ab eo appellare nefas & periurio simile esse putaretur. Cuius rei extant exempla plurima in Historia. Vnum est quod omittere non possum, de quo sic scribit M. Ioannes Asperi Procurator Nat. Gall. *Anno 1468. die 21. Febr. conuocata Vniuersitate Paris. apud S. Mathurinum super 2. Art. Primus ad aduisandum modum procedendi contra M. Io...nem Bouardi qui sui iuramenti immemor traxerat vnum viâ appellationis à Curia D. Rectoris ad Parlamentum... Quibus per D. Rectorem.... in Veneranda Nat. Gall. fuit omnium voto discussum super 1. Art. M. Ioannem præfatum fore periurum & priuatum, ac pro tali ab omnibus reputandum, vnamque requestam debere fieri ex parte Vniuersitatis Dominis Parlamenti de remissione causæ ad gremium Vniuersitatis. Quod factum est.*

Et ad an. 1470... Sept. sic scribit Antonius Morellus Procurator eiusdem Nat.

„ Die Veneris... fuit ab honorando D. meo D. Rectore Paris. Vniuersitas in S.
„ Math. conuocata super 2. Art. Primus fuit super quodam Magistro qui appel-
„ lauerat à Sententia D. Rectoris ad Parlamentum: qua de re implorauit ipse
„ idem D. Rector vt alma Vniuersitas vellet apponere remedium, cum hoc tan-
„ geret priuilegia eiusdem... Quoad primum Art. extitit conclusum per honoran-
„ dum Dominum meum D. Rectorem in facie Vniuersitatis, quod talis Magister
„ appellans citaretur coram Vniuersitate responsurus causas propter quas: quod si
„ non vellet comparere, quod eum priuabat & expellebat è gremio eiusdem Vni-
„ uersitatis.

In Comitiis Deputatorum Vniuersitatis ad instructionem M. Nicolai Martimbos Rectoris habitis conquesti sunt Decani de multitudine litium pendentium in Senatu & alibi remediumque afferri postularunt. *Et D. quidem Roullier Doctor Medicus pro Decano Facultatis Medicinæ sedens dixit nonnullos Praeceptores ac Officiarios dictæ Vniuersitatis tam ad supremum Senatum, Praefectum Parisiensem, quàm ad alium Iudicem, iurisdictione & authoritate D. Rectoris, DD. Deputatorum & Vniuersitatis neglectâ in prima instantia litigare quotidie non erubescere in maximum dedecus atque praeiudicium eorundem* D. *Rectoris*, DD. *Deputatorum & Vniuersitatis, eorumque authoritate & praeminentia, sibi videri propterea huic morbo medendum esse. Quibus sic recitatis & audito* D. *Ministro Conuentus* D. *Mathurini ibidem pro Decano Facultatis Decretorum sedente maturaque deliberatione inter eos ac Picardia & Normania Nationum Procuratores, censuerunt multandos esse illos qui causas in prima instantia, de quibus cognitio spectat ad* D. *Rectorem vel* DD. *Deputatos aut Vniuersitatem, in supremo Senatu agant.*

Item in Comitiis Vniuersitatis habitis die 6. Iulij eiusdem anni, quartus articulus deliberationis fuit *de Suppositis Vniuersitatis & his qui neglecta Vniuersitate adeunt supremum Senatum quoties inter eos lites & controuersiæ oriuntur.* Rector verò exponens causam congregationis *dixit nonnullos Praeceptores & Supposita eiusdem Vniuersitatis cum inter ipsos oriuntur lites & controuersiæ, solitos quamprimum adire supremum Senatum, priusquam Rector & Vniuersitas de re siue controuersia eorum cognoscat, & inde grande damnum toti Vniuersitati & eius Suppositis generari....* His in medium adductis Facultas Artium ita censuit, *vt nulli pro Controuersiis & litibus adeant supremum Senatum, priusquam per* D. *Rectorem aut Vniuersitatem de eorum controuersia statutum fuerit. Alioquin contrafacientes priuabuntur, & ex nunc priuantur priuilegiis & libertatibus dictæ Vniuersitatis.* Ita quoque censuerunt Medicinæ, Decretorum & Theologiæ Facultates, secutaque hæc conclusio, *vt nulli pro Controuersiis in prima instantia adeant supremum Senatum, alioquin priuabuntur priuilegiis.*

In Reformatione totius Vniuersitatis an. 1598. art. 20. Appendicis ad reformationem Facultatis Artium sic habetur. *Sit penes Rectorem ex Consilio Decanorum superiorum Facultatum & Procuratorum Nationum potestas cognoscendi & iudicandi de controuersiis inter Gymnasiarchas, Praeceptores, Pædagogos & Magistros de re scholastica ortis. Is primum adeatur. Si causa grauior, ab eo sit prouocatio.*



CVRIA CONSERVATIONIS.

Restat vt de Curia Conseruationis agamus, de qua quærendum quid sit & quid ab antiquo fuerit, quotuplex sit, quo in loco exerceretur, & quos Officiarios haberet. Imprimis igitur Curia Conseruationis est Tribunal Conseruationis ad quod conueniri possunt tam extranei quàm Academici de litibus ad priuilegia Academiæ pertinentibus. Quo fit vt cum Vniuersitas Parisiensis duplicis generis Priuilegia possideat, Regia & Pontificia, duplicem quoque Conseruatorem obtinuerit, Regium qui Præpositus est Parisiensis, & Pontificium seu Apostolicum, qui Episcopus est Meldensis, Siluanectensis aut Beluacensis. Regius quidem à Rege instituitur, sed præstat Vniuersitati iuramentum, vt ante dictum est; Apostolicus verò ab ipsa Vniuersitate eligitur iuxta statutum an. 1266. eidemque præstat sacramentum de administratione Iudiciorum iuxta Sta-

tuta & priuilegia. De vtroque sic scribit Gouletus in cap. *de Conseruatoribus Priuilegiorum.*

Pro tuendis autem ipsius Vniuersitatis & suorum Officiariorum iuribus instituti sunt duo Conseruatores, scilicet Conseruator Apostolicus & Conseruator Regius. Coram quibus ipsius Vniuersitatis Supposita quascunque personas sibi Reas & in aliqua re obligatas faciunt conuenire. Conseruator enim Regius est Præpositus Parisiensis aut eius locum tenens, qui tenetur ipsi Vniuersitati iuramenta præstare de tuendis & conseruandis Priuilegiis ipsius Vniuersitatis iuxta formam in libro Rectoris & Procuratorum scriptam.

Conseruator autem Apostolicus assumitur per Electionem ipsius Vniuersitatis: cuius Officii tres sunt capaces, scilicet Episcopus Beluacensis, Episcopus Siluanectensis & Episcopus Meldensis: alter enim istorum sic assumptus tenetur iuramenta ipsi Vniuersitati præstare de tuendis priuilegiis ipsius Vniuersitatis & de administranda iustitia Suppositis. Item potest dare Vicegerentem quem tenetur præstare ipsi Vniuersitati, qui tenetur similiter iurare in præsentia Vniuersitatis. Paucæ sunt Vniuersitates in quibus non sint duo eiusmodi Conseruatores; cuius institutionis triplicem necessitatem affert Gregorius Tolosanus lib. 19. de Rep. c. 10. Nempe vt Vniuersitatem tueantur ab insultibus impetiti vulgi, ab inuidorum malignitate, & à Principum secularium vi & impotentia. *Egent*, inquit, *Vniuersitates* Studiorum Defensore vel maximè 1. Quod Vulgus quadam nescio quanta corruptelâ infectum solet odio prosequi studiosos & illis infestum esse; quanquam ex eorum assiduitate vbertimos colligat aunuatim fructus & reditus: & quamuis eâ releuetur impensâ, ne cogatur aliò filios erudiendos mittere cum periculo & discrimine fortunarum, vitæ aut morum eorundem. Et tamen est inimicitia & contrarietas inter ignorantiam & rusticitatem seu barbariem morum & scientiam, peritiam & studia virtutis, vt se vix compati sine aliqua lite possent. 2. Sunt & inuidi vulgares & plebeij felicitatis litterarum, vt quanquam sine illis bene esse nequeant, tamen fulgore & splendore illarum & doctrinæ obcœcentur, aut pari radios eius facile nequeant 3 Sunt & Principes successores Antecessorum qui non eodem animo fauent studiis, quo Fundatores Antecessores fuerunt, & leni de causa vel spe augendarum quodammodo opum, vel decepti inuidia & malicia Aulicorum conuellere priuilegia concessa moliuntur. Proinde & Conseruatores sunt seculares qui secularibus mediis vulgi iniurias repellere & castigare possint: & Spirituales seu Ecclesiastici, qui contra Principes ipsos intercedere censura spirituali, & potestate Pontificiâ vti possunt, & generaliter sartam tectam & illæsam Academiam sua protectione conseruent.

Non pigebit referre quæ in hanc fere rem scribebat Lupus Ferrariensis sub initia Academiæ Parif. *Amor litterarum*, inquit Ep. 1. ad Eginhartum, *ab ipso fere initio pueritiæ mihi est innatus: nec earum vt nunc à plerisque vocantur superstitiosa otia fastidio sunt.... per famosissimum Imperatorem Carolum, cui litteræ eousque deferre debent, vt æternam ei pareant memoriam, cœpta reuocari aliquantum quidem extulêre caput, satisque constitit veritate subnixum præclarum Ciceronis dictum* HONOS ALIT ARTES ET ACCENDVNTVR OMNES AD STVDIA GLORIA. *Nunc oneri sunt qui aliquid discere affectant, & velut in edito sitos loco studiosos quosque Imperiti vulgo aspectantes, si quid in eis culpa deprehenderint, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum assignant. Ita dum alij dignam sapientiæ palmam non capiunt, alij famam verentur indignam, à tam præclaro opere destiterunt.*

Ex his igitur intelligimus quæ fuerit necessitas instituendi Conseruatoris. Vnde etiam eiusdem antiquitas colligitur: siquidem ab initio fuerunt impetiti & maleuoli qui litteratos odio prosequebantur & litibus fatigabant. De Conseruatore Regio cuius antiquitas longè maior est, diximus 1. vol. in dissertatione 3. fol. 265. & 266 Apostolici autem institutio ad quem Pontificem sit referenda, non planè constat. Certè Alexander III demandauit Petro Cardinali S. Chrysogoni curam virorum litteratorum; & Guillelmo Remensi prouinciam reformandæ quodammodo Vniuersitatis vt ad seculum 4. retulimus. Consecuti Pontifices singularem quoque Academiæ nostræ curam habuisse videntur, eique priuilegia nonnulla indulserunt, quorum Conseruatores & Executores mandatorum suorū voluerunt esse, modò Episcopos, modò Abbates aliosque pro suo arbitrio & vo-

luntate. Donec tandem eorum eligendorum facta eſt ipſi Vniuerſitati poteſtas an. 1266. per Cardinalem Simonem. Tum igitur cœpit certus eſſe Conſeruator & inſtituta Curia Conſeruationis.

Qualia fuerint autem iuramenta quæ Conſeruator præſtabat, intelligimus ex formula quæ legitur in lib. Rectoris quæ quidem poſt Reformationem Cardinalis Tuta-villæi conſcripta eſt. Talis autem eſt.

" *Iurabitis quod conſeruabitis Reformationem & ſtatuta D. Cardinalis de Toute-* " *wille* concernentia Curiam Conſeruationis Priuilegiorum Apoſtolicorum " ipſius Vniuerſitatis, & quod huiuſmodi Reformationem per Officiarios eiuſdem " Curiæ inſtitutos & inſtituendos ſeruari facietis, illamque ſingulis annis ad minus " die primo placitabili poſt vacationes vindemiarum in PrætorioCuriæ Conſeruationis publicè legi & iurari facietis.

" Item *quod Officiarios eiuſdem Curiæ Conſeruationis* eligetis idoneos & ſufficien- " tes, & illos Vniuerſitati præſentabitis ſupplicando & *requirendo quod ipſa Vni-* " *uerſitas dignetur eos recipere & admittere*, nec pro huiuſmodi officiis aliquid exi- " getis.

" Item quod dictum *Officium Conſeruatoris* per vos vel vices veſtras gerentem " de conſenſu ipſius Vniuerſitatis recipiendum bene & fideliter exercebitis, & " contenta in litteris ApoſtolicisConſeruatoris ſub pœnis in eiſdem contentis pro " poſſe ſeruabitis & ſeruari facietis.

" Item *quod Priuilegia* iura, franchiſias, libertates, ordinationes & conſuetu- " dines ipſius Vniuerſitatis conceſſas & concedendas, factas & faciendas conſer- " uabitis. Priuilegiatos in eorum priuilegiis manu tenebitis, nec non mandatis & " ordinationibus Vniuerſitatis parebitis.

" Item quod ipſi Vniuerſitati in ſuis negotiis & agendis pro poſſe auxilium, con- " ſilium & fauorem præſtabitis.

" Conſeruator autem tactis ſacro-ſanctis Euangeliis, vel manu pectori appoſita ſic publicè iurabat.

Ita ivro. Sic me Devs adivvet.

Locvs Conservationis. Locus Curiæ Conſeruationis idem ac locus Comitiorum Vniuerſitatis, nimirum Capitulum Mathurinenſium: in cuius medio ad parietem ex aduerſo Pulpiti Rectorii veluti cathedra eſt. In qua ſedebat Conſeruator ſeu vices eius gerens. In eadem ſedere ſolet Rector eum habentur apud Mathurinenſes Comitia DeputatorumVniuerſitatis: à dextra verò & læua aſſident Decani Facultatum & Procuratores Nationum.

In actis an. 1467. 27. April. Sic legitur. *Lucidè explanauit præfatus D. Rector* " quod ex parte D. noſtri Regis à ſurpadictis ſuis Officiariis ſeu Commiſſariis coram " ſolemnibus Deputatis, præſentibus 4. Procuratoribus in aula S. Mathurini, in " qua ſolet ſedere pro tribunali iudex *Curiæ Conſeruationis* dictæ Vniuerſitatis ex- " plicata atque patefacta fuere. Et in actis 10. Feb. an. 1475. *poſt præſentationem* " litterarum D. Regis & expoſitionem credentiæ earundem per D. Confeſſorem " congregati Deputati Vniuerſitatis per D. Rectorem *in loco Conſeruationis* præ- " ſente D. Confeſſore.

Reſtat vt qui fuerint Officiarii Conſeruationis, exponamus. De his autem ſic Gouletus loco ſupra citato. *Officiarij Conſeruationis* qui debent per ipſum Conſeruatorem inſtitui & ipſi Vniuerſitati præſentari, & recipi ad iuramenta, ſunt " Vicegerens Conſeruationis, Promotor Vniuerſitatis, duodecim Notarii Con- " ſeruationis, Graffarius commiſſionum & appellationum à Conſeruatore interie- " ctarum. Et hi omnes Officiarii Vniuerſitatis habentur.



DISSERTATIO VIII.

DE PATRONATV VNIVERSITATIS IN dispositione Beneficiorum.

PAtronatus ius est nominandi Clerici idonei qui sacri ministerii curationem habeat. Cœpit autem hoc seculo Vniuersitas esse Patrona Beneficiorum Ecclesiasticorum variis de causis fundatorum. Sunt verò illa duplicis generis, Capellaniæ & Curiæ Parochiales. Capellaniæ plurimæ fuerunt, quanquam 12. tantum Gouletus commemorat, quarum aliquæ fundatę sunt hoc seculo aliæ seculis sequentibus. Curiæ tres quæ sunt S. *Andreæ de Arcubus*, SS. *Cosmæ & Damiani*, *& S. Germani Veteris*, Academici iuris factæ an. 1345. & 1368.

Capellaniarum plurimæ ab interfectoribus Scholarium aut Magistrorum ad expiationem sceleris Vniuersitati fundatæ sunt, & viginti singulæ libellis dotatæ; vt ex iis liquet quæ scripsimus ad an. 1286. 1289. & 1298. Qualis sit autem Vniuersitatis Patronatus in Beneficiis eiusmodi, & qualiter eum exercere soleat, hic locus est inquirendi.

Patronatus omnis secundum Iureconsultos & Canonistas est Ecclesiasticus aut Laicus. Ecclesiasticus quidem competit iure Ordinario ratione Ecclesiæ Episcopis, Ecclesiarum Collegiis seu Capitulis, Abbatibus & aliis Clericis Ecclesiastico Ministerio addictis. Laicus vero ratione personæ Laicis sacrarum ædium constructoribus, instauratoribus & dotatoribus conuenit & competit, imò & successoribus eorum, etiam Clericis; adeo vt Episcopus absque eorum nominatione conferendi beneficii ius nullum habeat. Quod quidem non solum Canonibus Pontificiis sed iure etiam Ciuili constitutum est. Sicut enim, inquit Duarenus l. 5. de sacris Eccl. Ministris ac beneficiis, c. 4. *institutum eius merito commendatur* qui pio affectu religiosoq; ductus, de sententia consilioque antistitis sui rem suam " consecrat Deo eiusdemque propterate amissâ, ita æquum visum est eum aliquid " ius retinere quod pietatis ipsius singularisque in Ecclesiam voluntatis perpetuum " monumentum esse possit. Nec multum refert vt hoc ius quis retineat, an Basili- " cam fundauerit in suo que solo aut extruxerit ab initio, aut dirutam collapsam- " que restituerit, an vero ædificii ministrorumque tutelam, reditum ei vectigalque " certum largitus fuerit. Hæc Duarenus. "

Patronis autem Laicis Beneficiarii nominandi tempus 4. mensium est, Ecclesiasticis verò sex.

Iura verò hæc potissimum 4. vt Clericũ in Officio peccantem apud Episcopum deferant: vt in egestatem lapsi, ex prouentu beneficii ali possint: vt ius suum donare permutare ve possint, vendere tamen non possint: denique ius nominandi in hæredes ita transeat, vt & in solidum Patroni sint, & Vniuersi tamen nominandi ius habeant: vt communiter tradunt Decretistæ.

Iam vero qualis est Patronatus Vniuersitatis? Ecclesiasticusne an Laicus? Certè videtur esse Ecclesiasticus, quia licet Vniuersitas non sit Corpus ex Clericis solummodo constans, & Ministerio Ecclesiastico omnino destinatis, habet tamen omnia fere priuilegia Ecclesiasticorum. Vnde inter rationes quæ afferebantur contra compositionem factam inter ipsam Vniuersitatem & Monachos San-Germano-Pratenses an. 1292. pro platea quadam quæ à M. Radulfo de Albussone legata fuerat, hæc potissimum afferebatur, quod ipsi liceret eam reuocare, quasi factam perperam de loco quem alienare non poterat, siquidem priuilegiis gaudebat Ecclesiasticorum, quibus non licet alienare, aut si quid alienatum, datur facilis regressus. Sic autem in membrana continetur quæ in Tabulario Vniuersitatis seruatur. Quantis Priuilegiis gaudeant Vniuersaliter omnes " Scholares & studia, leges Imperatorum & leges Canonicæ declarant, & specia- "

„liter authent. *Habita* C. ne filius pro Patre. Sed quantâ prærogatiuâ priuilegio„rum Vniuersitas Parisiensis emineat in comparatione aliarum Vniuersitatum, Ec„clesiarum & venerabilium locorum omnium declarant Priuilegia Vniuersitati „Parisiensi à Rom Pontifice & Rege concessa. Quod ergo est licitum personis „Ecclesiasticis vel aliis personis venerabilium locorum, hoc etiam Vniuersitati „magis viderur esse licitum. Et quod eis de iure est prohibitum de rebus mobili„bus alienandis,& Vniuersitati Parisiensi videtur esse prohibitum. Hoc confirma„tur per verba authenticæ de non alien. reb. Eccles. coll. 2. c. si minus § Et „hoc valere volumus in omni Ecclesia omnique Monasterio &c. subditur & „in omni absolutè collegio quod actio pia constituit. Ex quo verbo ad Vni„uersitatem Parisiensem se extendit ista lex, & specialiter quantum ad plateam „quæ relicta est publicis causis scilicet *pauperibus Scholaribus Parisiensibus.*

2. Eidem Vniuersitati plurima priuilegia concesserunt summi Pontifices, iisque defendendis & custodiendis Conseruatores Constituerunt sicut & Cancellarios, qui authoritate Apostolicâ docendi in omnibus Facultatibus licentias impertiuntur.

3. Si spectentur omnia eiusdem Vniuersitatis Corpora seu singulæ Facultates aut sunt fuerunt ve illæ omnino Ecclesiasticæ aut certè magna ex parte, ex viris Ecclesiasticis Clericalique militiæ adscriptis constant vel constiterunt. Nam vt à Theologica ordiamur, neminem ad Doctoratum admittit, qui non fuerit ante Presbyter ordinarius. Facultas Decretorum Theologicæ si non est hodie omnino conformis in hac re, fuit certè alias & adhuc esse potest. Facultas Medicinæ, quæ hodie ex Laicis & vxoratis fere constat, ante reformationem Tutauillæam per Clericos exercebatur. Denique in Facultate Artium totidem sunt Clerici quot, Laici. Vnde consequens esse videtur Patronatum Vniuersitatis omnino esse Ecclesiasticum, ipsamque Vniuersitatem esse corpus Ecclesiasticum: siquidem Panormitanus respondens ad hanc Quæstionem, *Quomodo cognoscatur an Collegium sit Ecclesiasticum vel seculare? sic ait. Sic quod si plures sint ibi Clerici, est Ecclesiasticum: si plures Laici, est seculare.*

Alii tamen aliter sentiunt, & non modo Patronatum Vniuersitatis Laicum, sed & ipsam quoque Vniuersitatem Laicum corpus esse contendunt. 1. à definitione Patronatus: nam Ecclesiasticus ratione Ecclesiæ talis dicitur, Laicus ratione personæ & patrimonii, vt docet Rebuffus in notis ad Concordatum. § *Præfatique ordinarii.* Vbi sic ille. *Patroni Ecclesiastici hi sunt, quibus ius præsentandi competit ratione suæ Ecclesiæ, siue quando ipsa Ecclesia vel Vniuersitas seu Collegium Religiosorum vel Clericorum habet ius Patronatus.* Patroni Laici, quando ius præsentandi eis "competit ratione sui Patrimonii. Gloss. in verbo præsentare. *Idem. Si Clericus* "fundauerit aliquam Ecclesiam ex suo Patrimonio vel fundatori successerit, quia "dicitur ius Patronatus Laicum & per omnia regitur vt Laicum. Et in Tractatu no"minationum Quæst. 8. n. 22. *Dicitur Patronus Ecclesiasticus*, quando ius Patro"natus spectat ad Ecclesiam seu personam Ecclesiasticam intuitu Ecclesiæ. Si verò "spectat ad Laicum siue ad personam Ecclesiasticam ratione personæ, vt pote quia "Clericus successit Patri vel consanguineo, dicetur Patronus Laicus.

" Constat autem pleraque Beneficia, quorum patrona est Vniuersitas, dotata fuisse patrimonio ipsius Vniuersitatis, aut certè ex pecunia multatitiâ ob interfectos Magistros & Scholares, quam in patrimonium suum conuertere potuisset. Quales sunt veteres Capellaniæ, de quibus in Historia dictum est, & Sauoisianæ de quibus suo loco.

Patronatus vero Curiatum Parochialium SS. Cosmæ & Damiani, & S. Andreæ de Arcubus, quem habet à Monachis San-Germano-Pratensibus, fundamentum sumit ex platea quadam M. Radulfi de Albussone, ab ipso Vniuersitati legatâ seu testamento relictâ; cuius deinde dominium transtulit Vniuersitas interposito pacto summæ annuæ 14. libellarum, quam Monachi pendere tenebantur ipsi Vniuersitati. Ob quam per 52. annos non solutam ortâ inter partes lite grauissimâ, tandem pro bono pacis ita conuenerunt an. 1345. vt Monachi in platea prædictâ possent liberè domos extruere si vellent & 14. libellas 4. anni temporibus pensitarent. Præterea iidem Monachi vinculo pacis desiderantes Vni-

uersitati coniungi, prædictarum Ecclesiarum Patronatum ad ius Vniuersitatis transtulerunt. Quod conuentum pactumque Clemens Pontifex an. 1346. probauit & confirmauit, vt suo loco referetur.

Item Patronatus S. Germani Veteris fundamentum quoque sumit ex patrimonio Vniuersitatis, quæ non modo Capellæ S. Martini de Ordeis ad muros Abbatiæ San-Germano-Pratensis sitæ, cuius erat patrona, destructionem & demolitionem fieri concessit, sed & duo agri sui iugera decemque virgas Prati Clericorum Monachis addixit ad fossæ latioris & profundioris sui tuendi ergo excauationem. Vicissim verò Monachi in eandem Vniuersitatem ius transtulerunt Patronatus S. Germani Veteris. Quam permutationem Vrbanus VI. approbanit an. 1369. vt suo quoque loco dicemus.

Ex his ergo liquet eiusmodi Patronatum Vniuersitati non obuenisse ob Ecclesiam quam possederit aut possideat, sed ratione patrimonii aut quasi patrimonii permutati ac proinde omnino esse Laicum. Nec est quod quis opponat pactum illud videri Simoniacum: nam ius Patronatus est quidem aliquid spirituali annexum, sed spiritale non est; secundum omnes fere Iure consultos præter Panormitanum. Vnde & transferibile est ad hæredes & permutabile: imo secundum aliquos vendibile iuxta vulgatos hos versus.

Iura Patronatus transire facit nouus hæres,
Res permutata, donatio venditioque.

Et certè Forgetus Tract. de personis & rebus Ecclesiasticis c. 38. n. 10. refert sanctioris Consilii Decretum seu Arrestum 2. Iunii an. 1507. quo venditio Patronatus confirmata est, tanquam legitima nec Simoniaca, siquidem ille qui ab emptore præsentatus fuerat ad beneficium, illud Regis & Consilii authoritate retinuit. Quanquam Communis sententia est, eiusmodi venditionem Canonibus aduersari, maximè si Patronatus sine fundo vendatur.

Demus autem Vniuersitatem fundum suum aut fundi partem cum Ecclesiarum prædictarum Patronatu permutasse, in eo contractu nihil actum fuisse videtur contra Canones & leges Ciuiles. Quia Patrimonia aut quasi Patrimonia permutata sunt tantummodo. Si quid verò peccatum est, illud toleratum & à rigore Canonum authoritate Pontificiâ intuitu boni publici, & pacis inter Vniuersitatem & Monachos firmandæ causâ dispensatum.

Iam verò Vniuersitas nullatenus dici potest esse Corpus Ecclesiasticum, siue Institutorem seu Fundatorem spectemus, siue Rectorem qui & caput ipsius est: siue membra partesque ex quibus constat & componitur, quas vulgo appellamus *Facultates* Theologiæ, Iuris Canonici, Medicinæ & Artium. De Institutore certè dubitari non potest; siquidem nemo est tam parum sciens rerum Vniuersitatis, qui ignoret Carolum M. aut aliquem è successoribus Regibus, non vllum Pontificem Ro. aut Episcopum eam instituisse, erexisse & fundasse.

Eiusdem Rector nulli quoq; Clericaturæ gradui astrictus est, sed quilibet Laicus qui rexerit in Artibus, aut qui in superiori Facultate Baccalaureatū obtinuerit, Rector esse potest. In omnibus quoq; Facultatibus præterquā in Theologica, sunt indiscriminatim Clerici & Laici, nec vlla lex est quæ alterutrum genus expellat. Imo si numerus ineatur omnium Magistrorū, longè certè maior comperietur esse Laicorū quàm Clericorum. Extant plurimæ reformationes tam Regiæ quàm Pontificiæ diuersorū temporum, nec vlla earum est quæ Professores vllius Facultatis Clericaturæ legibus adstringat. Imo cum inualuisset consuetudo & ex consuetudine vetus statutum, quo coniugati à Facultate Medicinæ prohibebantur, Tutanillæns illud omnino abrogauit tanquam impiū & irrationabile, sic statuens. *Vetus statutum* quo coniugati à Regentia in Facultate Medicinæ prohibentur, „ impium & irrationabile reputantes, cum ipsos maximè ad eam Facultatem docendam & exercendam admitti deceat, corrigentes & abrogantes sancimus deinceps coniugatos, si docti & sufficientes appareant & morum grauitate decenter „ ornati, ad regendum in dicta Facultate admittendos, nisi eos leuitas aut vitium „ aliquod reddat indignos: *super illo iudicium & correctionem relinquimus Facultati.* „

Restat igitur Theologiæ Facultas, quæ licet hodie neminem admittat ad Doctoratum qui non fuerit ante Presbyter ordinatus, antiquitus tamen nullâ ele-

ricaturæ lege tenebatur: imò plurimi Doctores Theologi coniugium postea contraxerunt: adeovt ab omni æuo liberum fuerit vnicuique in alterutro statu esse Laicorum aut Clericorum.

Verum demus illam Facultatem omnino Clericalem esse & Ecclesiasticam, non efficiet tamen vt Vniuersitas dici debeat Corpus Ecclesiasticum aut Patronatum habere Ecclesiasticum: siquidem alternis vicibus singulæ Facultates Nationesque singulæ Patronæ sunt & ad Beneficia vacantia præsentant, ita vt vices sint septem, seu vt legitur in commentariis publicis, *septem sint turni* pro numero trium Facultatum & 4. Nationum. Nulla autem Facultatum, nulla Nationum Clericaturæ adstringitur: itaq; longè maior pars Vniuersitatis extra Clericatum est aut esse potest. Vnde fit vt rectè à nonnullis doctoribus Vniuersitas *Corpus mixtum* appelletur; siquidem tam Laicos quam Clericos admittit indiscriminatim, quemadmodum Senatus Parisiensis tam Clericos quàm Laicos & vxoratos complectitur, quem nemo propterea dixerit esse Corpus Ecclesiasticum aut Clericale. Imo nec tale diceret, etiamsi vna eius Camera ex Clericis tota constaret.

3. Vniuersitas Patronorum Laicorum Priuilegiis iuribus & conditionibus vtitur, præsertim quoad nominationes, & ad tempus nominandi. Quoad nominationes quidem, quia ius habet actiuum nominandi & præsentandi Collatoribus, at non grauatur onere recipiendæ nominationis ab alio factæ, sicut nec Patroni Laici. Cuius rei extat instrumentum authenticum & Papale. Nam cum Clemens VII. Aymerico S. Eusebii Presbytero Cardinali tunc Episcopo Parisiensi facultatem dedisset reseruandi donationi suæ in Diœcesi Parisiensi Beneficia Ecclesiastica 20. Personis quas duceret eligendas conferenda, ad cuiuscunque vel quorumcunque collationem, præsentationem ve pertinentia, ille verò vacantem Ecclesiam S. Germani veteris quæ ad Patronatum Vniuersitatis Paris. pertinebat, M. Ioanni Toupet Clerico Diœcesis Beluacensis contulisset, apud eundem Clementem conquesta Vniuersitas factam sibi fuisse iniuriam & ius antiquum imminutum, concessionis prædictæ interpretationem obtinuit an. 1393. Bulla enim data Auenione nonis Decemb. Pontif. an. 15. fatetur nunquam *intentionis suæ fuisse,*
" *quod concessio ipsa ad Beneficia Ecclesiastica* in ciuitate & Diœcesi prædictis consisten-
" tia quorum collatio, prouisio seu præsentatio ad dictos Vniuersitatem pertinebat,
" se extenderet. Insuper idem Clemens concessit, *quod sub quacumque generali gratia*
" *cuicunq; seu quibuscunque personis in posterum de Beneficiis huiusmodi in ciuitate & Diœcesi prædictis forsan facienda*, Beneficia ad collationem prouisionem, præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem dictorum Vniuersitatis pertinentia, *nullatenus nisi de dicta Vniuersitate in gratia huiusmodi specialis & expressa mentio fieret, comprehenderentur: decernens irritum & inane, si secus super iis à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan erat tunc, vel contingeret in posterum attentari.* Hanc concessionem Benedictus successor Clementis, quia ad Vniuersitatem nondum peruenerat, an. 1394. speciali diplomate confirmauit vt ad illum annum Deo dante referemus.

Ex his autem verbis planum est Clementem & postea Benedictum agnouisse differentiam Iuris Vniuersitatis à Iure Patronorum Ecclesiasticorum, idque ab Aymerico Cardinale quod à nullo fuerat antea, fuisse attentatum, secus non habuisset ipsa causam conquerendi.

Vnde non videtur posse dubitari, quin ad vacantia sua Beneficia sublata omni præuentione nominaret, resignationesque ipsa per se admitteret. Idque vsus perpetuus omnino comprobat, vt ex infra dicendis constabit.

Iam verò quod Vniuersitas tempus habeat præfinitum 4. mensium intra quos præsentare debet, quod habet etiam commune cum Patronis Laicis, patet ex Decre. Senatus an. 1573. die 5. Septemb. lato aduersus M. Mathutinum Longum qui Cappellaniæ cuiusdam apud S. Andream de Arcubus fundatæ collationem spretâ Vniuersitate Patronâ obtinuerat. Cuius litis occasione constituit Senatus quod quotiescunque prædicta Capellania vacaret seu per obitum seu per resignationem aut alio quouis modo, Rector & Vniuersitas ad eam præsentarent intra 4. menses. Tale est Senatus consultum.

" Entre les Recteur & Vniuersité de la Ville de Paris ioints auec M. Michel
" Aubourg Principal du College de Lizieux fondé en ladite Vniuersité appellans
comme

comme d'abus de l'execution de certaine prouision de Cour de Rome faite de la Chapelle Nostre-Dame deseruie en l'Eglise de S. André des Arcs à Paris, & deffendeurs à l'entertiement de certaines lettres Royaux en forme *de pacificis possessoribus* d'vne part : & Mathorin Loogus intimé & demandeur à l'entretinement desdites lettres d'autre. Veu par la Cour l'Arrest donné entre lesdites parties le 18. iour d'Avril 1570. par lequel apres que Choart pour les appellans, Theroulde pour l'intimé & du Faor pour le Procureur General du Roy auroient esté ouys, la Cour tant sur l'appel comme d'abus que lettres auroit appointé les parties au Conseil & ordonné qu'à cette fin elle verroit la fondation de ladite Chapelle & titres des parties pour le tout veu leur faire droit. la fondation de ladite Chapelle, titres, plaidoyers & productions desdites parties. TOVT CONSIDERE, dit a esté en tant que touche ladite appellation comme d'abus, que ladite Cour a mis & met les parties hors de Cour, & ayant esgard ausdites lettres, ladite Cour a ordonné & ordonne que ledit Longus iouira de ladite Chapelle, le tout sans despens, dommages & interests & pour cause. *Et neantmoins auenant vacation d'icelle Chapelle soit par mort, resignation ou autrement sera pourueu à icelle dans 4. mois apres la vacation auenuë à la presentation du Recteur de ladite Vniuersité, d'vn Docteur en Theologie, deux Docteurs de la Faculté de Decret, vn Docteur en Medecine & des 4. Procureurs des 4. Nations d'icelle Vniuersité suiuant ladite fondation. Et à ladite Cour ordonné & ordonne que le present Arrest sera enregistré és Registres de ladite Vniuersité. Prononcé en Parlement le 5. Septemb. 1573.*

Ex his ergo liquet Vniuersitatem, si non est corpus omnino Laicum, nec esse pariter omnino corpus Ecclesiasticum : sed ad summum mixtum, quod & Laici & Ecclesiastici priuilegiis & iuribus gaudere potest. Liberum verò esse debet vti priuilegiis cum non nocent. Maximè autem damnosum esset Vniuersitati Ecclesiastici Corporis legibus adstringi & cogi nominationes extraneas admittere: quippe cum omnis nominatio sit delectus alicuius personæ capacis & idoneæ ad ministrandum Ecclesiæ, ipsa autem Vniuersitas in suo gremio tam multas eiusmodi contineat, quæ potest iniuria maior illi fieri, quàm si earum delectum habere vetetur, earumque personarum nominationem admittere cogatur, quæ summo Pontifici nomine tenus & ex Procuratorio tantum Tabellionis Apostolici notæ sunt?

Quid porro minus rationi consentaneum quàm trium Beneficiorum Patronatu Vniuersitatem priuare velle, cui tam summi Pontifices quàm Reges nostri tertiam omnium Franciæ Beneficiorum ab Ecclesiasticis Patronis dependentium partem addixerunt & quodammodo manciparunt? Ergo, si diis placet, adiget Pontifex omnes Episcopos & Abbates Nominatis absque vlla restrictione ab Vniuersitate Magistris Beneficia concedere: ipsam verò Vniuersitatem trium Curiarum patronatu spoliabit, aut suo iure vti prohibebit? Id certè ita absonum est, ita contra omnem consuetudinem vsumque omnem seculorum, vt intra 300. annos vnum tantummodo reperire sit Claudium Versorium, qui spretâ Vniuersitate apud Romanam Curiam Beneficium suum resignarit. Vt ex infra dicendis patebit.

Iam ergo facile est respondere ad eorum argumenta, qui censent Vniuersitatem esse Corpus Ecclesiasticum ac gaudere priuilegiis Ecclesiasticorum, ac proinde cæterorum eiusmodi corporum legibus adstringi debere, quibus est in dispensatione Beneficiorum summo Pontifici parendum. Nam ex dictis constat eam ita liberum esse corpus, vt nullâ vnquam lege Pontificiâ aut Regiâ constricta & coarctata sit ad hoc vel illud vitæ genus amplectendum. Et si quæ Facultas legem sibi dixit & imposuit, eadem ipsam pari facilitate potest abrogare.

Nec obstat 1. quod priuilegiis gaudeat Ecclesiasticorum, nam cum omne priuilegium gratia sit specialis in commodum & vtilitatem eius cui conceditur, eo liberum esse debet vti quandiu commodum est, aut non vti, si incommodum. Quippe cessante causâ priuilegii cessat priuilegium aut cessare existimandum est. Causa vero priuilegii est vtilitas: quotiescunque igitur de Priuilegio agitur concesso homini alicui priuato, vel corpori, collegio, seu Vniuersitati, ante omnia perpendendum est, an operæ pretium fuerit indulgeri, aut eo vti necesse sit.

Nec obſtat 2. quod in Concilio Conſtantienſi & in Comitiis trium Ordinum Regni Gallicani Vniuerſitas Pariſ. adiuncta fuerit Corpori Eccleſiaſtico. Id enim factum ſpecie decori, non vllâ neceſſitate: nam inter Eccleſiaſticum & Militarem Ordinem conſtituta, ſi non faciat ipſa medium corpus, magis decet & conuenit, vt Clericis ſeu Eccleſiaſticis accenſeatur, quàm Militibus.

Item in Comitiis trium Ordinum, Eccleſiaſtici, Militaris & Plebeii, decentius eſt eam adiungere Eccleſiaſtico, quàm Militari & Plebeio propter litterarum commercium.

At eiuſmodi ſeſſio inter Eccleſiaſticos non mutat ipſius naturam, non Facultatum ordinem, non perſonarum ſeu membrorum ex quibus conſtat, qualitatem.

Nec obſtat 3. quod Patronatus prædictarum Curiarum qui nunc eſt Vniuerſitatis, fuerit olim Monachorum S. Germani ac proinde Eccleſiaſticus. Nam falſum eſt patronatus qualitatem ſumendam eſſe ab origine qualiſcunque ſit. Cum enim ſit alienabilis & permutabilis ex vſu comuni, denominationem deſumit, non ab is à quibus transfertur, ſed ab iis ad quos tranſit. Alioquin ſequeretur Patronatum Laicum non poſſe ad Eccleſiaſticos transferri, nec viciſſim Eccleſiaſticum ad Laicos, aut eandem ſemper retinere conditionem: quod falſum eſt. Valet enim in hoc negotio axioma vulgatum. *Mutatione perſona mutari conditionem rei*. Non enim eſt Patronatus res ſpiritualis vt vocant, & inalienabilis, ſed temporalis & transferibilis, vt quotidianâ conſtat experientiâ. Paucos habet Eccleſia Patronatus qui non fuerint illi à Laicis Principibus dati & conceſſi: at quis dicat illos nunc eſſe Laicos? Similiter dubium non eſt, quin ab Eccleſiaſticis ad Principes Laicos multarum Eccleſiarum Patronatus tranſlati ſint, vt & ab his ad eos tranſierunt: & quis putabit eſſe (quatenus etiam à nobilibus poſſidentur, Eccleſiaſticos?

Denique non obſtat quod Aymericus Cardinalis, Epiſcopus Pariſienſis Curiam S. Germani Veteris vacantem authoritate Clementis VII. ſpretâ Vniuiuerſitate contulerit. Nam 1. forte diſtulerat Vniuerſitas præſentare aut præuenta fuerat: quam præuentionem putare potuit Aymericus eſſe Canonicam. 2 Factum improbauit Clemens, declarauitque nunquam *intentionis ſuæ fuiſſe* vt conceſſio Aymerico facta, ad Beneficia *quorum collatio, proniſio ſeu præſentatio ad Vniuerſitatem pertinebat*, ſe extenderet. 3. demus Curiam ipſam Rom. Beneficium vacans contuliſſe, aut eiurationem ſeu reſignationem aliquam admiſiſſe, ignorare potuit id eſſe iuris Academici, aut ſi agnouit, quis neſcit illam omnia eiuſmodi poſtulata admittere, ſuoſque fines ampliare & extendere quantum poteſt & quando poteſt, omneſque extinctos velle Patronatus Laicos; vnde tam ſæpe de illa conqueſti ſunt Hiſpani, Angli Germani & Galli, quod iuri Patronatus Laici derogaret.

» Couarruuias in Quæſt. c.16. *Derogationes*, inquit, iuris Patronatus Laicorum in » his Hiſpaniarum Regnis minimè admittuntur. Et ſi apud ſedem Apoſtolicam fue» rit facta permutatio Beneficiorum & eius cauſa fuerit facta collatio à Rom. Ponti» fice obtenta ſine conſenſu Patroni Laici, poteſt Patronus Laicus conqueri ratio» ne tacitæ vel expreſſæ derogationis. Imo ſuprema Regis Tribunalia, & qui Regio » nomine illic Iuſtitiæ miniſterio præſunt, ſtatim litteras Apoſtolicas examinan» tes, propter publicam vtilitatem, earum executionem ſuſpendunt, earundem » vſum grauiſſimis pœnis & comminationibus interdicentes, quemadmodum apud » Gallos.

» Ludouicus IX. quanquam Romano Pontifici impensè addictus, non tulit tamen æquo animo præuentiones eiuſmodi & Collationes à Clemente IV. factas. Carolus VI. & VII. omnes eiuſmodi impetrationes declararunt irritas & inanes. Item Carolus V. Imperator Conuentu Nurembergenſi an. 1522. inter cætera curiæ Rom. grauamina, attenuationem profert *iuris Patronatus* his verbis. *Cum per mortes poſſeſſorum pro tempore Beneficia vacare incipiunt*; quorum ius Pa» tronatus ad Laicos ſpectat ſeu Eccleſiaſticos, tum conatur Papalis ſanctitas & eius » Oratores vel Legati iuri huic derogare hoc modo vt conferantur Beneficia va» cantia Curtiſanis aut aliis quibuſcunque libuerit: ita vt Patronis ipſis ius ſuum » præſentandi adimatur. ac interim hoc prætexitur à ſede Apoſtolica, quaſi præuen-

tioni hac in re sit locus, vt qui prior Beneficium illud contulerit, quod teneat hæc Collatio; licet Patroni tempus quoddam habeant, intra cuius metas Beneficia sua liberè & à nemine præuenti conferre possunt. Eam ob rem Patronis Laicis exfictitia hac præuentione multa oritur iactura.

Cum ergo constet non posse præueniri Patronum Laicum; constet verò Vniuersitatem Paris. non posse dici Collegium seu Corpus Ecclesiasticum, sed aut Laicum, aut certè mixtum, Nemo est sanæ mentis qui eiurationem omnem aut collationem eâ spretâ factam non reputet illegitimam, inanem & irritam.

Quod vt amplius pateat, placet insuper ex modo quem obseruat Vniuersitas in nominationibus ad Beneficia, confirmare, nec esse, nec dici posse Corpus Ecclesiasticum.

DE MODO NOMINANDI ET PRÆSENTANDI ad Beneficia Vniuersitatis.

TRiplex omnino videtur fuisse ratio modusque nominandi & præsentandi ad Beneficia, nempe per ipsam Vniuersitatem congregatam, per Deputatos ipsius, & per singulas Facultates Nationesque seruatis alternis vicibus, seu vt vocant, institutione turni, Primus modus naturalis, sed incommodus & turbis obnoxius. 2. commodior sed non expers ambitionis. 3. commodissimus tandem compertus est. Post institutum ergo acquisitumque Patronatum, non est dubium quin Vniuersitas ipsa initio ad nominandum præsentandumque à Rectore conuocaretur, quemadmodum & ad deliberandum de aliis omnibus rebus conuocari solebat. Postea verò mos inualuit ipsa etiam Vniuersitate aut volente aut conniuente, vt Rector cum Decanis & Procuratoribus negotium istud conficeret. Solennis fuit Testamenti M. Ioannis de Thelu Decretorum quondam Doctoris clausula, quâ fundatæ à se Capellaniæ Capellanum Episcopo Parisiensi præsentari voluit. *per Venerabiles & discretos viros antiquiores Magistros dictæ Vniuersitatis Regentes & Parisius præsentes, videlicet vnum in Theologia, duos in Decretorum, vnum in Medicinæ Facultatibus, nec non & dictæ Vniuersitatis Rectorem & 4. Procuratores 4. Nationum.* Id factum an. 1308. Et hæc duplex agendi ratio dubitandi locum fecit, an ipsius Vniuersitatis congregatæ: an Deputatorum esset præsentare ad Beneficia nomine Vniuersitatis: vt intelligimus ex actis an. 1325. 26. Aug. occasione cuiusdam Capellaniæ vacantis & conferendæ. Et tunc Rectori, Decanis & Procuratoribus ius illud adscriptum. Ea de re confectum sequens instrumentum, quod legitur in vetusto codice Nationis Gall.

« In Nomine Dei Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum pateat Vniuersis, quod anno eiusdem 1325 indictione 8. 26. die mensis Augusti Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac D.D. Ioannis diuina Prouidentia Papæ in mei M. Stephani de Lingonis Rectoris Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium Paris. Notariique publici ac testium subscriptorum præsentia. In Capitulo B. Mathurini Paris. in generali congregatione dictæ Vniuersitatis, quibusdam factis & negotiis per Nos Rectorem prædictum ibidem propositis & in deliberatione positis. Et inter cætera videlicet vtrum Collatio Capellaniæ, quæ nuper fuerat defuncti M. Heruæi de Racha fundatæ super Thesauro Regio, pertinebat ad totam Vniuersitatem vel ad Decanos & Rectorem dictæ Vniuersitatis. Item & vtrum illi qui essent deputati ab Vniuersitate ad litteras concedendas Scholaribus & audiendas causas ipsorum, signarent litteras signis suis, & transirent sub signis eorum; & vtrum Deputati adhoc qui comparerent, possent Scholares expedire aliorum absentiâ non obstante. Habitaque deliberatione in qualibet Facultate in dicta Vniuersitate fuit ibidem ex parte cuiuslibet Facultatis super præmissis deliberatio dicta seu relata in hunc modum.

« 1. Nos Rector prædictus deliberationem Facultatis Artium retulimus in hunc modum. Videlicet quod Vniuersitas daret Deputatos ad conferendam dictam

Capellaniam secundum deliberationem duarum Nationum. Aliæ autem duæ Nationes deliberauerunt quod audirentur Decani ad informandum Vniuersitatem si habeant ius conferendi dictam Capellaniam, vel non si vellent; alioquin quod darentur Deputati ad conferendum dictam Capellaniam. Item quod tota prædicta Facultas deliberauerat, quod Deputati ad litteras concedendas signarent litteras& transirent subsignis eorum & quod illi Deputati qui comparerent, transirent litteras aliorum absentia non obstante. Item quod quoad Collationem dictæ Capellaniæ Facultas prædicta deputabat Rectorem & 4. Procuratores.

Deliberationem verò Facultatis Medicinæ retulit Decanus eiusdem in hunc modum: videlicet quod idem Decanus & Facultas prædicta deputabant loco sui quoad collationem dictæ Capellaniæ M. Petrum de Florentia Regentem in Medicina, quod Deputati ad litteras concedendas signarent & transirent sub signis eorum: & quod præsentes expedirent Scholares aliorum absentiâ non obstante.

Deliberationem verò Facultatis Decretorum retulit M. Ioannes de Villa Rosæ sub hac forma, videlicet quod Facultas prædicta deputabat eundem M. Ioannem ad conferendam dictam Capellaniam, si debeatur Decano, vt ex parte Decani, si Vniuersitati, vt Deputatus ex Facultate prædicta. Item quod Deputati ad litteras concedendas signarent illas signis suis, & quod præsentes expedirent Scholares, aliorum absentiâ non obstante.

Deliberationem verò Facultatis Theologiæ retulit M. Guillermus de Narbona actu Regens in Facultate prædicta in hunc modum, videlicet quod Collatio dictæ Capellaniæ pertinebat ad Vniuersitatem, & quod ipsa Facultas deputabat ipsum M. Guillermum ad conferendam dictam Capellaniam, & quod Deputati signarent litteras, & quod illi Deputati qui comparerent, expedirent Scholares aliorum absentia nõ obstante. Acta fuerunt hæc in Capitulo B. Mathurini prædicto parum post horam 3. dictæ diei, indictione, mense & Pontificatu prædictis. Præsentibus viris venerabilibus & discretis viris MM. Petro de Vastis Doctore in Theologia, Ioan. Bostol. & Io. Violette in Medicina, Ioan. Tricot, Odone de Lanus & Alano de prope Pontiu in Artibus & pluribus aliis testibus ad hoc vocatis & rogatis. In cuius rei testimonium Sigillum dictæ Vniuersitatis vnà cum sigillo & subscriptione publici Notarii infra scripti præsẽribus est appensum. Datum anno, indictione, mense & Pontificatu prædictis. Et Ego Heruæus de Insula Clericus Leod. Diœcesis publicus authoritate Imperiali Notarius relationibus prædictarum deliberationum & aliis præmissis vna cum dictis testibus præsens interfui, eaque manu propria scripsi & in hanc publicam formam redegi, hicque me subscripsi, signumque meum vnà cum sigillo dictæ Vniuersitatis hic solitum apposui requisitus. Inter Lineas in illo vocabulo, *scilicet suis*, approbo quia feci, & mihi constat.

Ex his ergo intelligitur ius illud, seu potius nominandi præsentandique modum fuisse tunc adscriptum Rectori, Decanis & Procuratoribus. Dico tunc: nam aliàs sæpe consecutis temporibus ipsamet Vniuersitas cõuenire voluit & præsentare, donec tandem modũ quem *Turnũ* vocant, introduxit. Causa verò introducendi fuisse videtur, species quædam inuidiæ Facultatum superiorum: quippe videbant Facultatem Artium 4. Nationibus contentam, alterutro modo fieret nominatio, semper præualere: nec promoueri vulgo solere, nisi quos ipsa calculis suis promouisset, numero certè præualens vocum atque suffragiorum pro numero 4 Nationum & 4. earundem Procuratorum. Neque vero alios ad vacans Beneficium nominare & pręsentare solebat, quàm quos in Academiæ iuribus tuendis strenuos, in operâ præstandâ assiduos, in Magisterio seu Artium professione constantes; vno verbo nisi quos de se deque tota Academia bene meritos nouerat. Is ergo delectus pepérit inuidiam, nouique modi excogitandi causam dedit.

Atque cum an. 1417. Capellania quædam de Patronatu Vniuersitatis vacauisset, habitis ad præsentandum Comitiis Vniuersitatis postularunt Facultates Decretorum & Medicinæ *modum Turni* introduci: quâ de re sic legitur in Actis Nat. Gall. *Die Iouis penultimâ mensis Decemb. Vniuersitate in S. Mathurino super 3. Art. congregatâ* 1. fuit ad determinandum de præsentia irrotulandorũ. 2. fuit ad conferendam

quandam Capellaniam Vniuersitatis vacantem per obitum M. Petri de Trecis. „
3. fuit super supplicationibus & iniuriis. Et quia iste 3. art. & 1. tangunt & Nationem & Facultatem Artium, ideo ibi notantur acta illius Congregationis. Quoad 1. Art. est concordia habita, & illi erunt præsentes qui fuerunt per primam maiorem partem Ordinarii incipientis in festo B. Dionysii an. 1417. Et etiam illi erunt præsentes, qui erunt per maiorem partem dicti Ordinarii, siue sit prima siue secunda dum tamen fuerint per 3. menses alterius Ordinarii anni præcedentis 1416.

Quoad 3. art. supplicarunt 1. Facultas Medicinæ quod haberet præsentare, & iam præsentauerat vnum de sua Facultate, & supplicabat quod qualibet Facultas per Gyrum suum haberet præsentare beneficia Vniuersitatis vacantia. Et ad idem supplicabat Facultas Decretorum. Quæ supplicatio per Facultatem Artium fuit interempta, & in casu quo fieret talis ordinatio, dicta Facultas Artium se opponebat & protestabatur de appellando. Quoad Capellaniam, supplicauerunt MM. Ioannes de Rouuray, & Petrus Forgeti Rector. Et non est tunc illa die habita concordia.

Anno 1420. rursum mota est illa Quæstio instantibus Turno Facultatibus superioribus, & renitentibus semper 4. Nationibus Facultatis Artium. Cui difficultati vt Natio Gallicana modum quendam & temperamentum afferret, die 25. Feb. habitis Comitiis, ad ea Magistros in Theologia, Decretis & Medicina qui de suo gremio exierant, conuocari voluit. Et re maturè agitatâ quædam modificationes conscriptæ & Facultatibus propositæ: sed tunc nondum acceptæ approbatæque fuerunt: ea de re sic habetur in actis eiusdem Nationis scribente M. Petro de Credulio Procuratore.

Anno D. 1420. die 25. mensis Feb. apud S. Math. hora 8. de mane fuit celebrata Cōgregatio Nationis Franciæ sup. 3. art. in qua quidē congregatione fuerunt conuocati Magistri in Theologia, Decretis, Medicina & omnes alii Magistri de Natione. Primus Art. fuit super aliquibus tangentibus honorem & vtilitatem Nationis. 2. fuit ad disponendū de pecuniis Nationis. 3. super suppl. & iniuriis. Quantum ad 1. Art. explicui in Natione, quod venerabilis & circunspectus M. Guillel. Erardi Magister in artibus & Baccalarius in Theologia tunc Rector in Vniuersitate Paris. fuerat requisitus per Facultates Theologiæ, Decretorum & Medicinæ, & per Nationes Picardiæ, Normaniæ & Angliæ, quod ipse poneret in deliberatione Vniuersitatis & faceret articulum specialem de modo ponendi ordinem in Collatione Beneficiorum spectantium ad dispositionem Vniuersitatis; & explicui in Natione quod hoc facere esset in præiudicium Facultatis Artium; quia sunt plura supposita in ea, quàm in toto residuo Vniuersitatis. Hoc etiam esset in præiudicium Nationis Franciæ, quia sunt quinque Prouinciæ Parisiensis, Senonensis, Remensis, Turonensis & Bituricensis: in quarum qualibet fere sunt tot supposita quot sunt in aliqua aliarum Nationum. Et iam patres nostri temporibus retroactis nihil in hoc innouauerunt, sed remansit collatio, præsentatio & omnimoda dispositio istorum Beneficiorum ad totam Vniuersitatem. Quare quo ad hoc concorditer conclusit Natio se opponere in casu quod D. Rector aut Vniuersitas vellet ponere Ordinem; & protestabatur de appellando & in hoc capere casum nouitatis. Verum vt semper seruetur vnio & concordia inter Nationes & Facultates, aduisatæ sunt quædam modificationes: quibus concessis per Vniuersitatem, de facili condescendet ad velle poni ordinem in Beneficiis, alias non.

Quarum modificationum. 1ª. Est quod quælibet Natio æquipolleat Facultati, ita quod vbi Facultates superiores haberent tria Beneficia, Facultas Artium haberet quatuor.

2ª. Quod ex parte Vniuersitatis deputentur septem, de qualibet Facultate & Natione vnus, qui iurabunt in præsentia Vniuersitatis præsentare illum Vniuersitati quem secundum conscientiam suam scient esse pauperiorem, magis indigentem & magis idoneum in illa Facultate aut Natione, cuius debebit esse ordo vel turnus.

3. Quod ille sic præsentatus iuret quod nec in patrimonio nec beneficio habet ad exponendum vltra summam 40. librarum in portatis.

4. Si contingeret Rectorem qui tunc esset tempore vacationis Beneficii, esse pau- „

perem, nullum aut modicum Beneficium habentem, illi 7. Deputati præſentabunt ipſum Vniuerſitati ſaluo turno vel Ordine Facultatis aut Nationis.

5. Quod nullus & idem poſſit habere ſimul aut ſucceſſiuè duo Beneficia collata ſibi per Vniuerſitatem.

6. Eſt quod ſi contingat aliquem de Facultate Artium habentem Beneficium Vniuerſitatis, tranſire ad aliam Facultatem ſuperiorem, eo tunc illa Facultas ad quam tranſit, priuabitur ſuo turno. Et quia Vniuerſitas non conceſſit has modificationes, nec Natio conſenſit adhoc quod poneretur ordo; nec ſibi videbatur rationabile.

Anno 1429. menſe Aprili vacarunt duo Beneficia ad Vniuerſitatis præſentationem ſpectantia per obitum M. Guill. Pinguis-auis, nempe Curia S. Germani Veteris & vna Capellaniarum in Caſtelleto fundatarum. Hac occaſione reuocatus eſt in contentionem præſentandi modus, & de turno rurſus quæſtio mota. M. Ioannes de Gomonte tunc Rector poſtulauit à Natione Gallicana cuius membrum erat, vt quando de Curia prædicta ageretur, ſui meminiſſet. Obiit ergo M. Guillelmus, congregata eſt Vniuerſitas, nec habita fuit concordia. Natio Gallicana à M. Guill. de Longolio Procuratore congregata eſt 20. April. vt de turno maturè deliberaret toties in quæſtionem adducto, toties reiecto. Acta diei ſic habent.

Die 20. prædicti menſis congregaui Nationem Franciæ Matrem meam ſuper
» 2. Art. Primus ad pacificandum quandam controuerſiam motam in Natione ra-
» tione turni. 2. communis.
» Quantum ad 1. *Expoſui Nationi, qualiter vacabant duo Beneficia in præſentatione Vni-*
» *uerſitatis*, videlicet Cura S. Germani Veteris, & vna Capellaniarum in Caſtelle-
» to fundatarum: & quod ratione huiuſmodi præſentationis *quædam Facultates vo-*
» *lebant habere turnum, alia non: ideo* feci cõgregari Nationem ad aduiſandum ſi expe-
» diens eſſet conſentire quod fieret turnus, *non obſtante quod aliàs Vniuerſitas &*
» *etiam Natio noluerit conſentire & de facto appellauerit*. Collectis vocibus Magiſtro-
» rum, à maiori parte concluſi quod non fiat turnus, niſi ſub iſta modificatione,
» quod vbi fieret, *Natio erit libera in præſentatione, & quod nominabit illum de Natione*
» *quem ſibi placuerit*.

Occaſione ergo huiuſmodi vacationis tres Facultates ſuperiores Turnum conſtitui voluerunt, quibus acceſſit Natio Germanica: cæteræ verò Nationes nondum conſenſerunt. Vt autem libentius ad conſentiendum inducerentur, Facultates Acta quædam ſeu Inſtrumenta confecerunt in eam rem, & tam ſibi inuicem quàm Nationibus communicarunt. Extat Theologiæ tale inſtrumentum & Decretum.

» Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis Decanus & Facultas Theologiæ in al-
» ma Vniuerſitate ſtudii Pariſ. Salutem in Dom. ſempiternam. Cum præfata V-
» niuerſitas ad prouidendum de Beneficiis nuper vacantibus per obitum bonæ
» memoriæ defuncti M. Guillelmi Pinguis-auis ſacræ Theolog. Profeſſoris & in
» in perpetuum quoquomodo vacaturis eiuſdem Vniuerſitatis diſpoſitionem ſpe-
» ctantibus pluries & vicibus repetitis conuocata & congregata fuit, nullaque ſu-
» per hoc potuerit haberi concordia; hinc eſt quod Nos timentes ne per longam
» moram, aut aliàs diſpoſitio huiuſmodi Beneficiorum ſicut præmittitur, vacantium,
» in præiudicium & damnum non modicum dictæ Vniuerſitatis ad alienas ma-
» nus deuolueretur, & ad vitandas diſcordias & diuiſiones quæ exinde oriri poſ-
» ſent, de Iuriſperitorum conſilio habitâ prius per nos ſuper præmiſſis deliberatio-
» ne maturâ concluſimus & per præſentes concludimus & conſentimus, quod Be-
» neficia nunc vacantia & in poſterum vacatura ad diſpoſitionem Vniuerſitatis
» ſpectantia de cætero per modum turni per ſingulas Facultates & Nationes eiuſ-
» dem Vniuerſitatis alternatis vicibus diſponantur; ſicque quod quælibet Facul-
» tas & quælibet Natio in turno ſuo habeat nominare Vniuerſitati perſonam ſuffi-
» cientem & idoneam: & Vniuerſitas habeat eidem perſonæ ſic ſufficienti & ido-
» neæ de Beneficio, quod in illo turno vacabit, prouidere; dum tamen huiuſmodi
» turnus à noſtra Theologica Facultate inchoetur, & habeat dicta noſtra Facultas
primum locum ſiue turnum Facultas Decretorum 2. Facultas Medicinæ 3. Et

Facultas Artium 4. secundum ordinem 4 Nationum. Voluimusque & volumus quod ista Conclusio siue Ordinatio in perpetuum per nos & per singulas Facultates & Nationes inuiolabiliter obseruetur. Promittentes nos & singuli dictam Facultatem facientes & repræsentantes hanc præsentem Ordinationem super turno antedicto tenere, complere & in perpetuum obseruare per Nos & nostros Successores. Volentes insuper & consentientes quod si in contrarium & contra dictam ordinationem aut conclusionem aliquid fuerit attentatum aut innouatum, quod hoc nullius sit roboris vel efficaciæ; & quod super hoc fiant instrumenta publica siue litteræ patentes sigillis singularum Facultatum & Nationum dictæ Vniuersitatis.

In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum sigillum præfatæ Facultatis nostræ præsentibus litteris duximus apponendum. Datum Parisius in nostra Congregatione generali apud S. Mathurinum solenniter celebrata an. Dom. 1429. die 11. mensis Iunii præsentibus Venerabilibus & circunspectis viris MM. Thoma Hobbe, Rolando Barquenel, Ioanni Pulcri-Patris, Ioan. Darques, Iacobo Textoris, & Thoma Monachi Magistrorum in Theologia. Sign. Pontrelli cum Syngrapha.

Extat quoque in eandem rem Decretum seu Conclusio Nationis Anglicanæ his verbis. *Facta fuit Congregatio Nationis* Anglicanæ an. D. 1429. mense Iulio in S. Cosma post vesperas in vigilia Visitationis B. Mariæ super prouisione Beneficiorum vacantium per obitum piæ memoriæ M. Guill. Pinguis-auis ad collationem Vniuersitatis spectantium. Nulla concordia haberi potuit in Vniuersitate super Beneficiis prædictis conferendis. Quia aliqui voluerunt ea conferre simpliciter: alii viâ turni. Tres Facultates, scilicet Theologiæ, Decretorum & Medicinæ descenderunt in turnum & ipsum concluserunt: & de illo confecerunt instrumenta: quæ instrumenta prædictæ Facultates obtulerunt se communicaturas vna alteri & similiter Nationibus. Et volebant turnum incipere a Facultate Theologiæ & consequenter descendendo per singulas Facultates & Nationes, ideo ad nos. *Concordans cum prædictis Facultatibus conclusit Natio conformiter ad illas turnum, & ipsum incipiendo à Facultate Theologiæ, & descendendo. Et de hoc voluit conficere instrumenta ad tradendum aliis Facultatibus & Nationibus, in casu quo nobis traderent instrumenta conformiter de Turno.*

Iuxta Decreta ista & Conclusiones trium Facultatum & Nationis Anglicanæ, Theologica Facultas turnum incipiens nominauit M. Guillelmum de Cella Decanum suum præsentauitque ad Curiam seu Ecclesiam Parochialem S. Germani veteris vacantem per obitum prædicti M. Guill. Pinguis-Auis. Verum non consenserunt cæteræ Nationes: quò factum est, vt sæpe adhuc consecutis annis eadem Quæstio in deliberationem reuocata fuerit.

Anno quidem 1431. Facultas Artium apud S. Iulianum congregata re in deliberationem adductâ, omnibusque maturè pensatis & consideratis decreuit & statuit, non posse nec debere subscribere præallatæ viæ turni, quæ magno sibi foret cunctisque Nationibus præiudicio. Vt acta testantur die 19. April in Reg. Nat. Picard.

Anno Dom. 1432. fuit Alma Artium Facultas apud S. Iulianum Pauperem solenniter congregata super 2. art. primus ad inueniendum modum conferendi Beneficia ad Collationem Vniuersitatis spectãtia. Secundus erat communis super supplicationibus. Quantum ad 1. art. narrauit D. Rector rixas & discordias vigentes inter Facultates & Nationes super Collationibus huiusmodi Beneficiorum. *Nam tres Facultates superiores volebant huiusmodi Beneficia conferri per turnum: ita quod qualibet Facultas & qualibet Natio suo ordine conferret. Sed quia hoc visum est Nationibus & etiam toti Facultati vergere in grande præiudicium eiusdem, ideo conclusit præfata Natio & etiam tota Facultas, quod nullo modo placebat huiusmodi collatio per turnum; sed casu quo cæteræ Facultates vellent uti turno, se opponebat & appellabat. Quantum ad 2. supplicauit venerabilis Procurator Nationis Franciæ, videlicet M. Gerardus Gehe, quatenus Facultas dignaretur suum intentum continuare, videlicet ipsum præsentando ad Beneficium Curatum SS. Cosmæ & Damiani. Quam supplicationem vniformiter concessit Natio, ipsum præsentando ad dictam Curiam sicut aliàs iteratiuicibus factitatum.* Si tamen haberi non possit concordia in Vniuersitate super modo conferendi, placuit quod de qualibet Facultate & Natione eligeretur vnus

notabilis Magister vnà cum Rectore, qui huiusmodi Beneficia haberet e conferre, scilicet quod temporibus retroactis factitatum extitit. Acta fuerunt hæc anno prædicto 19. mensis April. præsentibus venerabilibus MM. Ioanne de Ponte Receptore Nationis, Iac. Galet Procuratore Vniuersitatis, Horatio Dam-Iean & multis aliis præfatæ Nationis suppositis. Sig. Danchy cum Syngrapha.

Quemadmodum ergo Facultas Theologica turnum incipiens M. Guill. de Cella an. 1429. nominauerat in Curionem Ecclesiæ Parochialis S. Germani Veteris; ita & hic Nationes nominant M. Gerardum Gehe in Curionem Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani. Et vtraque nominatio substitit pro bono pacis, donec certior concordiæ via foret. Sed nec an. 1434. erat adhuc id firmatum; quanquam Natio Anglicana à Sororibus discedens cum Superioribus Facultatibus consensisset. Testantur ipsius Acta.

Anno D. 1434. facta fuit Congregatio Nationis apud S. Mathurinum die 2. Aug. super 2. art. Primus erat ad videndum & deliberandum *super modo disponendi de Beneficiis, ad Collationem vel præsentationem Vniuersitatis spectantibus; quantum ad interesse Nationis, vtrum videlicet esset de eiusdem Beneficiis prouidendum per modum turni vel aliàs.* Secundus erat communis. Quantum ad primum, placuit Nationi quantum ad suum interesse, concorditer ad venerandas Facultates Decretorum & Medicinæ disponere de Beneficiis supradictis per turnum; vt videlicet Beneficia, quorum Collatio, vel præsentatio pertinet ad Vniuersitatem dum vacarent, præsententur personæ aptæ & idoneæ per modum turni, *incipiendo à Facultate Theologiæ & consequenter per Ordinem 3. sequentium Facultatum, scilicet Decretorum, Medicinæ & Artium. Et quod in Facultate Artium seruetur ordo Nationum, primò incipiendo à Natione Franciæ, & consequenter descendendo ad singulas Nationes ordine suo.* Et hæc Ordinatio visa est vtilis *propter supposita Nationis, quæ vix aut nunquam ad talia Beneficia promoueri possent nisi per hunc modum.*

Eadem Natio quæ hactenus distulerat scripto tradere Decretum suum de turni institutione, tradidit tandem Decanis Facultatum; vt patet ex Actis diei eiusdem mensis 26. *Anno Dom. 1434. facta fuit Congregatio apud S. Math.* in crastino B. Ludouici ad deliberandum & concludendum super Prouisione Beneficiorum, de qua actum est in duabus Congregationibus proximis. *Vnde placuit Nationi prouidere & ordinare quantum ad suum interesse de Beneficiis, quorum Prouisio quouis modo pertinet ad Vniuersitatem, per Turnum.* Voluitque & conclusit sic „ deinceps obseruari. Et super hoc ordinauit vt tradantur DD. Decanis Decreto„ rum & Medicinæ litteræ patentes sub magno sigillo Nationis, casu quo ipsi vice„ versa tradant Nationi litteras consimiles de obseruatione eiusdem turni sub sigil„ lo suarum Facultatum.

Ergo ex una parte tres Facultates superiores & Natio Anglicana pro turno, tres aliæ Nationes contra turnum pugnabant: Natio inquam Anglicana à Sororibus transfuga suæ rei causâ: quippe videbat turno instituto securam se fore septimi Beneficii, seu septimæ nominationis; cuius stante veteri consuetudine ratò compos erat aut esse poterat. Tres ergo reliquæ, Gallicana, Picardica & Normanica restiterunt adhuc aliquandiu: nec legimus omnimodam fuisse concordiam ante an. 1438. Ex eo vero tempore constans fuit alternatio Nominationis. Itaque quæ Natio aut Facultas sua vice gaudet, Vniuersitati personam designatam & electam nominat; Vniuersitas vero archidiacono Paris. præsentat, archidiaconus Episcopo repræsentat, vt exempla demonstrant quæ ad probandum Vniuersitatis Patronatum infra referimus. Nominationis formulam veterem habemus in Reg. Vniuersitatis ad an. 1480. in persona M. Ioannis Helle nominati à Natione Picardica ad Capellaniam vacantem per obitum M. Iacobi Aubry Curionis S. Germani Veteris.

Nominationis Formula. Venerabilibus & Doctissimis viris DD. Rectori & Vniuersitati famosissimi studii Parisiensis Procurator & Natio Picardiæ in dicta Vniuersitate Paris. Salutem. Notum facimus quod Nos apud S. Iulianum Pauperem Parisius per iuramentum " congregati ad dispositionem de altera Capellaniarum in Castelleto Paris. fun" datarum & ad collationem dictæ Vniuersitatis spectantium, nunc libera & " vacante per obitum defuncti M. Iacobi Aubry Decretorum Doctoris, ipsius vl" timi possessoris, venerabilem & discretum virum M. Ioannem Helle Presbyte-

rum in

rum in Artibus Magiſtrum & in Iure Canonico Licentiatū ad huiuſmodi Capellaniam ſeu Perſonam Scholaſticam obtinentem, ſi & in quantum Nominatio ſeu præſentatio ipſius ad nos ſpectat & pertinet pro turno noſtro ſaluo iure cuiuſlibet, tanquam ſufficientem & idoneum nominauimus, eundemque M. Ioan. Helle vobis per præſentes nominamus & præſentamus, vos rogantes quatenus huiuſmodi Nominato ſeu Præſentato noſtro dictam Capellaniam conferre, ipſumque in poſſeſſionem ponere & inducere ſeu poni & induci mandare velitis & dignemini. Datum Pariſiis ſub ſigillo Procuratoris dictæ Nationis an. Dom. 1580. die menſis Iulij 29. ſic ſig. de Buſto. Tales verò litteras expedit Vniuerſitas.

Rector & Vniuerſitas Magiſtrorum & Scholarium Pariſius ſtudentium Dilecto noſtro M. Ioanni Helle Preſbytero in Artibus Magiſtro & in Decretis Licentiato Salutem in Domino. Alteram Capellarum ſeu Capellaniarum in Caſtelleto Pariſ. fundatarum, quam nuper obtinere ſolebat Venerabilis vir & diſcretus M. Iacobus Aubry Decretorum Doctor, ad Collationem, prouiſionem & omnimodam diſpoſitionem noſtram pleno iure ſpectantem, nunc liberam & vacantem per ipſius Aubry obitum ſeu mortem, veſtrorum meritorum intuitu contulimus & conferimus ac de eadem prouidemus, &c.

Præſentationis verò ad Eccleſiam Parochialem formula talis fuit antiquitus, eaque hodie etiamnum vtimur: *Venerabili viro D. Archidiacono de Ioſayo in Eccleſia Pariſ. ſeu eius Vicario Rector & Vniuerſitas Sudij Pariſ. Sal. in Dom.* Ad Curam ſeu Parochialem Eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani Pariſ. cuius occurrente vacatione præſentatio & nominatio ſeu ius nominandi & præſentandi ad Nos, Repræſentatio autem & inthronizatio ad vos, Collatio verò, prouiſio & quæuis alia diſpoſitio ad Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum D. D. Ep. Pariſ. reſpectiuè ſpectant & pertinent, liberam nunc & vacantem per mortem ſeu obitum defuncti M. N. illius vltimi Rectoris & immediati poſſeſſoris pacifici, Dilectum noſtrum M. N. Diœceſis N. Doctorem (Baccal. Magiſtrum in Artibus) tanquam ſufficientem capacem & idoneum ad dictam Curam ſeu Parochialem Eccleſiam obtinendam, regendam & gubernandam harum ſerie litterarum præſentamus, vos rogantes quatenus præſentatum noſtrum præfato Ill. & Reuer. D. Ep. Pariſ. repræſentare velitis & dignemini, ſeu velit & dignetur veſtrum alter deſuper requiſitus adhibitis ſolennitatibus aſſuetis iure cuiuſlibet ſaluo. Et ad præmiſſorum fidem & teſtimonium ſigillum noſtrum magnum præſentibus litteris duximus apponendum. Datum Pariſ. in noſtra Congregatione Generali apud S. Mathurinum ſolenniter celebrata an. Dom.

Quid eſt porro quod tandiu tenuunt Nationes ſeptemplicem Nominationum vicem admittere, quâ poſitâ & admiſſâ earum ſingulæ ſingulis æquabantur facultatibus? duplex mihi videtur ratio proferri poſſe. 1. Quia retentâ veteri conſuetudine quotieſcumque vacabat aliquod Beneficium de Patronatu ipſius Vniuerſitatis, poterant alicui è ſuis gratificari, aut bene de ſe deque Vniuerſitate meritum Doctorem in Theologia, Decretis aut Medicina nominare & præſentare; numero quippe vincentes, & præualentes. At vero ſtabilitâ vice ſeptemplici ſeptenis quibuſque vacationibus ſemel tantum ſua ſuffragia & vota conferre poterant.

2. Quia priori modo retinebant quodammodo vnionem animorum, omniumque concordiam Magiſtrorum & certam tam ſuperiorum quàm inferiorum membrorū connexionem & colligationem Quippe nemo erat qui gratiam ſeu beneficium aliquod ſperare poſſet ab Vniuerſitate abſque earum conſenſu & conſpiratione: & quicunque ſperabat, ſuis illud meritis, officiis, aſſiduitate, ſtudioque & amore ſe obtenturum ſperabat. Vnde in Hiſtoria legimus plurimos ad ſuperiores Facultates à Nationibus conuolantes, ab iiſdem poſtulaſſe, vt quoties ſe daret occaſio, ſui meminiſſent. Et reuera meminiſſe ſolebant, tum eiuſmodi gratificationibus, tum litteras commendatitias quàm honorificentiſſimas, ſi non aliud poſſent, cum opus erat, concedendo. At poſteriori modo, quia Nationes benè de ſe deque tota re Academica merentibus raram mercedem retribuere ſe poſſe videbant, raros etiam opinabantur fore qui de ſe bene mereri ſolicitè curarent. Et probauit euentus: vt ex hiſtoria liquebit.

Sed tandem poſt continuatam 20. & amplius annis contentionem alternas il-

las vices admittere coactæ ſunt tres ſupradictæ Nationes, Gallicana, Picardica & Normanica, tum ne perpetuam fouere diſcordiam viderentur: tum ne numero iam impares futuræ ſingulis quibuſque vacationibus à tribus Facultatibus & Natione Anglicana ſimul iunctis ſuffragiorum pluralitate vincerentur, ſicque incaſſum reniterentur.

Sed de his ſatis. Ad Patronatum Vniuerſitatis redeamus, quem vt inuiolabiliter ipſi aſſeramus, operæ pretium duximus ex perpetua & non interruptâ Curionum ſerie, quorum nullum reperire eſt qui ſpretâ Vniuerſitate impune Romam adierit, ius antiquum confirmare.



PATRONATVS CVRIÆ SS. COSMÆ ET Damiani.

PRimus Curio ab Vniuerſitate præſentatus videtur fuiſſe M. Albertus de Saxonia, quem in Comitiis apud Mathurinenſes die 1. Septemb. an. 1361. ſupplicaſſe legimus, eiuſque rei extat memoria in Actis Vniuerſitatis his verbis. *Anno Dom. 1361. die 1. Septemb. ſupplicauit M. Albertus de Saxonia pro Eccleſia Parochiali SS. Coſmæ & Damiani infra muros Pariſ. qua ab omnibus nullo contradicente erat ſupradicto Magiſtro ab Vniuerſitate data.*

2. M. Rigaudus ſeu Itergaudus, Nationis Gallicanæ: at quo tempore nominatus fuerit, non apparet. Certè videtur ante an. 1408. fuiſſe præſentatus: quippe ex eo tempore extant acta publica in quibus nihil ea de re: veriſimile autem non eſt, id ſi poſt annum 1408. factum fuiſſet, prætermiſſuros fuiſſe Procuratores qui omnium Comitiorum acta in Commentarios publicos referebant non indiligenter. Hoc ſolum de eo legimus, an. 1422. conqueſtum fuiſſe apud Vniuerſitatē, quod Adminiſtratores Noſocomii publici Pariſienſis iura Parochialia ſibi perſoluere denegarent, cōtendentes domos Parochorū quæ ipſius Noſocomii eſſent, ab eiuſmodi iuribus immunes & liberas eſſe. Qua de re ſic ſcribit Petrus de Villaribus Procurator Nationis Gall. *Die menſis Martii. an. 1422. 2. Supplicatio fuit M. Rigaudi (vel Itergaudi ſeu Stergaudi) pro Cura SS. Coſmæ & Damiani: & conceſſit Natio quod ex parte Nationis in Vniuerſitate proponeretur, quod dicta Mater Vniuerſitas haberet videre vtrum Domus Dei Pariſienſis habeat talia priuilegia, quod habitantes in Domibus eorum qua ſunt in Parochiis alienis, ſicut de S. Coſmo, non debeant iura Parochialia dictis Curatis. Et pro proponente ex parte Nationis in Vniuerſitate petiit M. Guill. Erardi. Et ita fuit concluſum.*

3. M. Girardus Gehe eiuſdem Nationis Gall. perfunctus omnibus muneribus, qui cum iterum eiuſdem Procurator eſſet an. 1432. 19. April. vacantem Curionatū poſtulauit & obtinuit. Et ea de re ſic in actis legitur. *Anno Domini 1432. fuit Alma Artium Facultas apud S. Iulianum Pauperem ſolenniter congregata ſuper 2. artic. 1. ad inueniendum modum conferendi beneficia ad collationem* Vniuerſitatis ſpectantia. 2. erat communis ſuper ſupplicationibus... Quantum ad 2. ſupplicauit *Venerabilis Procurator Nationis Franciæ videlicet M. Gerardus Gehe*, quatenus Facultas dignaretur ſuum intentum continuare, videlicet ipſum præſentando ad *Beneficium Curatum SS. Coſmæ & Damiani: quam ſupplicationem* vniformiter conceſſit Natio, ipſum præſentando ad dictam Curam, ſicut aliàs iteratis vicibus factitatum: ſi tamen haberi non poſſit concordia in Vniuerſitate ſuper modo conferendi, placuit quod de qualibet Facultate & Natione eligeretur vnus notabilis Magiſter vna cum Rectore, qui huiuſmodi Beneficia haberent conferre, ſcilicet quod temporibus retroactis factitatum extitit. Acta fuerunt hæc an. prædicto 19. Menſis Aprilis.

Idem Gehe in Acta Procuratoria acceptum à Natione Beneficium refert his verbis. *Anno Domini 1433 die Mercurii craſtino S. Ludouici 26. Aug. fuit facta congregatio Nationis in Capitulo S. Mathurini ſuper 2. artic. Regratiatus ſum eidem Nationi de præfato officio Procuratorio, pro eo quod obtinui præſentari per Vniuerſitatem ad Eccleſiam Parochialem SS. Coſmæ & Damiani Pariſienſis.*

Vir ille quem videmus fuiſſe ingentis famæ & meriti, cum electus fuiſſet Re-

ctor Vniuersitatis 10. Octob. 1436. in Comitiis 29. Nouemb. eiusdem anni retulit ad Vniuersitatem omnino decere vt dies SS. Germani & Cosmæ, quemadmodum & S. Andreæ festiui haberentur, ita vt iis diebus in Vniuersitate non legeretur: vel ob hoc quod Vniuersitas Curiarum illarum Patrona esset. Sic se habent acta Narionis Gall.

Ad perpetuam rei memoriam. Anno quo supra, die 29. Nouemb. in vigilia scilicet S. Andreæ Apostoli Vniuersitate Matre nostra tunc per M. Gerardum GeheRectorem *eiusdem, Curatum* SS. *Cosmæ & Damiani Par s.* in S. Mathurino super nonnullis ipsius Vniuersitatis agendis conuocata, supplicatum extitit per ipsum D. Rectorem, vt attentis solennitatibus festorum dictorum SS. Cosmæ & Damiani qui Medici sunt & corporis & animæ, & quibus præcipuè indigemus in hac Ciuitate propter pestes quæ aliquando vigent, ac etiam attentâ solennitate S. Germani Veteris Episcopi quondam Paris. *Ob reuerentiam quorum sanctorum duæ sunt Curæ Paris. situatæ & ordinatæ, quarum & ad quas præsentatio spectat præfatæ Matri Vniuersitati, vellet ipsa Vniuersitas statuere, deliberare & ordinare quod propter causas præmissas amodo in festis dictorum SS. Cosmæ & Damiani & S. Germani Veteris non legeretur in dicta Vniuersitate.* Quæ quidem Vniuersitas per singulas Nationes & Facultates ita conclusit statuit & ordinauit, supplicationi dicti D. Rectoris annuendo: quod amodo scilicet in solennitatibus & festis dictorum SS. Cosmæ & Damiani ac etiam S. Germani Veteris non legatur in Vniuersitate, aut aliqua Facultate. Et hanc conclusionem voluit & præcepit ipsa Vniuersitas inscribi & inseri in singulis libris cuiuslibet Nationis & Facultatis.

Idem an. 1437. postulauit multari Bedellos, propterea quod S. Germani festum non proclamassent. *Die Veneris vlt. Maij* (1437.) *similiter supplicauit M. Gerardus Gehe Curatus SS. Cosmæ & Damiani, quod Bedelli punirentur aut redarguerentur quia non publicauerant in vico Straminis festum B.* Germani *Veteris. Et similiter quod in libro Nationis dictum festum scriberetur de Littera rubea. Et Natio conclusit quod scriberetur littera rubea. in libro Nat. & casu quo anno sequenti Bidelli non pronunciarent, punirentur.*

4us. Curio fatis functo Gerardo substitutus est M. Guillel. Munier præsentante Facultate Medicinæ cuius vices teentteebant. *An. D. 1461. die 24. Decemb. conuocata fuit alma Paris. Vniuersitas apud S. Math. super collatione Curæ SS. Cafmæ & Damiani. Præsentauit Facultas Medicorum vnum, cui Vniuersitas contulit.* Quis ille vnus ex actis Nationis Gall. intelligitur, in quibus sic habetur. *Die penultima eiusdem mensis* (Decemb.) *anno quo supra* 1461. *vocata fuit alma Paris. Vniuersitatis per prouidentissimum D. Rectorem super Prouisione seu præsentatione facienda Reuerendo in Christo Patri D. Episcopo Paris. pro Parochiali Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani Paris cuius præsentatio Vniuersitati spectat: pro torno autem cadebat in Facultate* Medicinæ quæ Facultas præsentauit M. Guill Munier in Medicina Doctorem & præfatæ Facultatis Decanum. Placuit autem almæ Vniuersitati eum recipere ad præsentationem nemine reclamante. Et ita conclusit D. Rector. 1461.

5us. M. Ioannes Normani à Theologiæ Facultate nominatus fuit. Et ea de re sic legitur in Actis eiusdem Nat. Gall. die 7. mensis decemb. an. 1466. congregatâ Natione specia iter propter generalem congregationem Vniuersitatis super 2. Art. 1. fuit auditio obligationis Vniuersitatis & translatio ærarii in commoditatem Narionis Franciæ.... 2. *fuit ad præsentandum Episcopo Parisiensi M. Ioannem Normani Doctorem eximium Theologalem in turno Theologorum nominatum Parochialem* SS. *Cosmæ &* D*amiani: quod & placuit, egitque gratias Natio longè multas Theologorum Facultati, quæ tam egregium Patrem Nationis nostræ alumnum nominauerat præsentandum.* 1466

Iste M. Ioannes Normani Curiam prædictam resignare voluit an. 1481. sed nescio quâ occurrente difficultate admissa tunc non fuit resignatio, sed triennio tantum post. Acta Nat. German. sic habent. *An. 1481. Feb. congregata fuit alma Vniuersitas Paris. Apud S. Math. tribus super Art. 1. Art. fuit super resignatione Ecclesiæ Parochialis SS. Cosmæ & Damiani... Quantum ad 1. placuit Nationi dare Deputatos ad resignationem illius Curæ.*

Et ad an. 1484 sic eadem habent *Anno 1484.* die vlt. mensis April. congregata fuit alma Vniuersitas Paris. tribus super Art. 1. fuit super visitatione supre- 1484.

mi D. nostri Regis. 2. *fuit super resignatine seu permutatione Curæ SS. Cosmæ & Damiani..quantum od 2. præfata Natio admisit illam permutationem seu resignationem, dum non transiret in præiudicium Vniuersitatis.*

6us. ergo Curio fuit M. Ambrosius le Sagę Canonicus Ecclesiæ S. Reguli Siluanectensis mediante permutatione, quæ ab Episcopo Parisiensi admissa fuit: vt habetur in Reg. Episcopi.

» Die 4. Maii 1484. Collatio Parochialis Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani Pa-
» ris. in & de patronatu ac præsentatione Venerabilium ac scientificorum DD.
» Rectoris & Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium Parisius studentium, exi-
» stentis vacantis per resignationem Venerabilis viri M. Jacobi Luillier sacræ
» Theolog. Professoris, *Procuratoris litteratorię fundati Venerabilis viri M. Ioannis*
» *Normani etiam Theologiæ Doctoris nouissimi eiusdem possessoris*, causa Ecclesiæ Col-
» legiatæ S. Reguli Siluanectensis & ad eiusmodi Canonicatum & Præbendam in
» manibus Domini factam & admissam, facta est dicto Sapienti præsenti præstitis
» hinc inde solitis iuramentis.

1492. Cum Ambrosio isto litem exercuit M. Ioannes Foliot Doctor Theologus M. Petri Foliot Curionis S. Germani nepos, Iure ne Caducario an alio, non apparet. Sed cum post obitum prędicti Ambrosii supplicasset sibi non dari Competitorem, liberamque relinqui Curię possessionem, non obtinuit.

Iraque 7. Curio ab Vniuersitate præsentatus est an. 1492. M. Ioannes aliàs Guillelmus Cappel Doctor Theologus, eiusdemq; Facultatis Decanus. De hac pręsentatione sic habetur in actis Nat. Germ. *Anno quo supra 1492. 27. die Mens. Octob. conuocata fuit veneranda Almanorum Natio; nec non alma Parisiorum Vniuersitas apud*
» *S. Math. super 2. Art. 1. erat de dispositione vnius Curæ Ecclesiæ S. Cosmi & Damiani:*
» cuius autem Collatio spectat ad Vniuersitatem, iam in turno Francię dandæ 2. Erat
» communis super supplicationibus & iniuriis. Quantum ad 1. placuit venerandæ
» Nationi nec non Vniuersitati, vt illa Capella disponeretur, vt moris est, circa il-
» los in quorum turno erat. Quantum ad 2. supplicuit Procurator venerandæ Fran-
» ciæ Nationis, quomodo Collatio illius Capellæ pro nunc spectabat ad Nationem
» eius: & sic die præcedenti conuocata fuit Francorum Natio & dedit siue donauit
» hanc Curam prædictam via Spiritus S. M. Ioan (Guill.) Cappel, & propterea ro-
» gauit vt velint ipsum habere ratum in illa electione. Cuius supplicationi Natio
» annuit in forma. Item supplicuit quidam Doctor sacrę Theolog. M. Ioan Foliot,
» ut Vniuersitas velit sibi dare adiunctionem in suo processu quem habebat de vna
» Cappella in S. Germano contra M. Eligium. Cui supplicationi annuit in forma.
» Item supplicuit M. Eligius contra prędictum Foliot, cuius supplicatio non fuit concessa, imo pro nihilo habita. *Item supplicuit M. Ioannes vt Vniuersitas non velit sibi dare competitorem super ista Cappella Cosmi & Damiani: ex quo longo tempore habuit processum cum Curato illius defuncto: cuius supplicatio non fuit concessa.*

1596. 8. Guillelmus Versoris Guillelmi insignis Patroni Vniuersitatis in Prætorio Vrbano seu Castelleto filius, & Ioannis Versoris Nationis Normanicæ viri magnæ scientiæ & probatissimæ vitæ, qui an. 1449. Rector fuerat electus, nepos, anno 1526. ex resignatione M. G. Cappel: qui approbatione & confirmatione ab Vniuersitate obtenta Collationem à summo Pontifice ipsi Guillelmo impertauit. De qua resignatione Ioannes Collineus Procurator Nationis Gall. sic scribit ad an. 1524. *Die Martij 21. an. 1524. conuocata est Vniuersitas apud S.* Mathurinum *super 3. art..... 3. Supplicationes & iniurias concernebat. Supplicauit ibidem* D. Decanus *Theologiæ* D. *Cappel, vt sibi liceret per Vniuersitatem resignare Curam S. Cosmæ. Cuius supplicationi annuit Natio.* Imo & tota Vniuersitas, vt *scribit* M. *Robertus du Gast* Decanus Facultatis Decretorum. At ille Versorius, dubium quamobrem non ab Episcopo Parisiensi sed à summo Pontifice institutionem Canonicam & collationem postulauit & impetrauit. Nam in Reg. Episcopii Paris. sic habetur. *Die 17. April. an. 1525. ante Pascha pro parte* Guillelmi Versoris Clerici Parisiensis Curati Ecclesiæ Parochialis SS. Cosmæ & Damiani Paris. medio resignationis sibi factæ
» de eodem per M. Guill. Cappel præsentatæ & insinuatæ fuerunt Domino litteræ
» Apostolicæ D. nostri Clementis Papę VII. & Moderni super prouisione dictæ Pa-
» rochialis Ecclesiæ eidem Versoris concessæ cũ processu super eisdem litteris Apo-
» stolicis fulminato. *Quas præsentationem, insinuationem & notificationem* præfatus

Dominus ratas & gratas habuit iure alieno *in omnibus semper saluo*. In iis ergo litteris Pontificiis, mentio facta est præsentationis Academicæ. Nã quod resignationem illã prius admiserit Vniuersitas, patet insuper ex iis quæ habentur in Reg. Vniuersitatis ad diem 22. Septemb. an 1540. quippe M. Petrus le Clerc postulans admitti resignationem Curiæ S. Andreæ sibi factam à Nicolao patruo per mutationis causã, vtitur exemplo Cappelli & Versoriorum, vt probet sibi non debere gratiam illam denegari, quę concessa fuerat DD. Cappel & liberis D. Versoris, qui successiuè resignauerant, aiens *eandem Vniuersitatem similem consensum præstitisse, dum Magister noster Cappel Parochialem Ecclesiam S. Cosmæ & Damiani, & post cum alii ex liberis D. Versoris successiuè resignassent.*

10. Claudius Versoris successit Guillelmo fratri, qui vt legitur in Reg. Vniuersitatis accessit supplex petiitque resignationem admitti *ex causa permutationis cum Parochiali Ecclesia S. Ioannis de Nouauilla & non aliàs cum M. Claudio Versoris in Decretis Baccalaureo & supplicauit his verbis.* Cum primum per resignationem *vacauerit, dictus Claudius habeatur pro præsentato. Cui supplicationi sacratissima Theologiæ Facultas fauore patris Guill. Versoris Patroni Vniuersitatis in Castelleto annuit.* 1532.

Ille autem Claudius prædicta Curia 53. annos potitus est, nempe à 22. Feb. an. 1532. quo admissa est resignatio, ad annum vsque 1585. quo communi fato functus est. Sed cum ille Curiam Romanam permutationis causâ cum M. Petro Tenrier adiisset an. 1582. 10. Maii, eamque approbari curasset, liti magnæ causam dedit. Nimirum ille cum prædicto Tenrier Parocho S. Martini de Longo-iumello Curiam S. Cosmæ permutauit non adito Patrono, nempe Vniuersitate. Tenrier verò litteras Apostolicas die vltima Decemb. an. 1582. in Reg. Episcopi Parisiensis referri curauit; vt constat ex iis quæ sequuntur.

Die vltima Decemb. 1582. iuxta correctionem anni... solaris visa per D. Petrum Dreux Vicarium Generalem Reuerendissimi Perri de Gondy Parisiensis Episcopi signaturâ Apostolicâ super permutatione Parisiensis Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani in Vniuersitate Paris. M. Petro Tenrier Clerico Diœcesis... in Artibus Magistro faciendę vacantis per resignationem M. Claudii Versoris nouissimi & immediati illius Rectoris & possessoris pacifici, seu eius legitimè constituti Procuratoris in manibus Sanctissimi in Christo Patris & D. nostri D. Gregorii diuinâ prouidentiâ Papæ XIII. & moderni sponte & liberè causâ tamen permutationis de eadem Parochiali Ecclesia suisque iuribus & pertinentibus vniuersis factæ seu faciendæ cum eodem Tenrier, & ad Parochialem Ecclesiam S. Martini de Longo-Iumello Paris. Diœcesis factam & per eum admissam sub data Romæ apud S. Petrum 7. Kal. Iunii Pontificatus eiusdem sanctissimi D. nostri Papæ an. 11. Signarum. *Concessum vt petitur* in præsentia D. nostri Papæ. A Cardinalis Carafa. Cum clausula *per diligentem*; commissa, expedita. Quia dicto D. Vicario constitit huiusmodi signaturam esse veram, dictumque Tenrier bonis moribus præditum, dictam Parochialem Ecclesiam, vt præfertur vacantem eidem Tenrier sufficienti & idoneo contulit dictus D. Vicarius præsentibus MM. Petro de l'Abbesse & Thoma Vincent, Ecclesiæ Parisiensis Canonicis testibus.

Continuit occuluitque litteras istas toto triennio & amplius Petrus Tenrier, & prædictus Claudius Versoris Curia sua potitus est aut potiri visus est, ad diem vsque 25. Aug. 1585. quo obiit. postridie Germanica Natio, cuius erant vices nominandi, nominauit M. Ioannem Hamiltonem Natione Scotum, vt scribit M. Simon Simson eiusdem Nat. Ger. Procurator. 26. *mensis Aug. eiusdem anni habitis apud Mathurinenses maioribus Nationis Comitiis, à quibus nemo abfuit, vnanimi omnium sententiâ electus est à Natione* M. *Ioannes Hamilton Scotus in Curatum Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani Parisiensis. Quod beneficium vacanit per obitum M. Io. Versoris,* Claudii, *& qui mortuus est pridie ante & sepultus in dicta Ecclesia, quæ tunc spectabat ad Nationem Germanicam ratione turni: quare à nobis Academiæ præsentatus beneuolè est admissus & aduersus omnes defensus: idque nostrâ maximè operâ & labore.*

11. ergo Curio prædictæ Curiæ rite nominatus & pręsentatus est ab Vniuersitate M. Ioannes Hamilton D. Archidiacono de Iosayo & die 29. eiusdem mensis & anni, præsentationis & admissionis litteras obtinuit à D. Mesnilio Episcopi Paris. Vicario, eademque die Curiæ possessionem iniit: cui prædictus Tenrier intercessit. Hinc orta lis, quæ ad Prætorium Vrbanum statim defertur, & paulopost 155

ad supremum Senatum euocatur. Antonius Loiselius Tenrerii causam orauit, conatusque est ostendere Vniuersitatem Corpus Ecclesiasticum esse, ac proinde eâ inconsultâ posse à supremo Pontifice resignationes & permutationes admitti. Ludouicus Seruinus pro Hamiltone dixit, ostenditq; Vniuersitatem Corpus esse Laïcum, aut saltem mixtum : & ad eundem ruendum accessit Vniuersitas. Tandem verò Senatus quoad causæ primariæ decisionem, ampliauit, *Vindicias verò Hamiltoni* dedit Senatus-consulto lato 12. Aug. sicque ius suum sartum tectumque seruauit Vniuersitas. Hæc quia publica sunt & typis excussa, abstineo pluribus referre.

1495. 12. Hamiltoni propter incapacitatem mortemque ciuilem eiecto substitutus est à Natione Picardica vicibus suis tum gaudente M Rolandus Hebert an 1595. de cuius nominatione sic habetur in Reg. Vniuersitatis. D*ie Sabbati 18. mensis Martij an. 1595. apud* S. *Mathurinum solenniter vt moris est horâ solitâ matutinâ congregata extitit alma Vniuersitas Paris. super 3. art. Quorum prior est super publicis supplicationibus* D. *Ioannis Galland ad ædem* D. *Augustino sacram indictis. Posterior super præsentatione Parochialis Ecclesiæ* SS. *Cosmæ &* D*amiani vacantis per mortem ciuilẽ, incapacitatem & inhabilitatẽ M. Ioannis Hamilton, vltimi & legitimi possessoris pacifici.. Maturis deliberationibus super præmissis prahabitis Vniuersitas ipsa de rebus in medium adductis ita censuit. Primùm approbat ea omnia quæ gessit* D. *Rector tempore sui Magistratus.... Approbat nominationem* D. *Rolandi Hebert à fidelissima Natione Picardiæ factam, & illum præsentat dignissimo* D. *Archidiacono de Iosayo in Ecclesia Paris.* Et in fastis Rectoriis. *M. Rolandus Hebert Baccalaureus Theologus successit M. Ioanni Hamiltoni in Curionatum SS. Cosmæ & Damiani.* Hoc actum Rectore Ioan. Gallandio. In Reg. verò Episcopi Parisiensis sic legitur D*ie 19. mensis Martij 1595.*

» Collatio Ecclesiæ Parochialis SS. Cosmæ & Damiani Paris cuius quoties vacat,
» præsentatio seu ius præsentandi ad Rectorem & Vniuersitatem Studij Paris. re-
» præsentatio autem ad D Archidiaconum de Iosayo in Ecclesia Paris. Collatio
» verò, prouisio & alia quæuis dispositio ad D. Paris. Episcopum respectiuè spe-
» ctant & pertinent, vacantis per incapacitatem, inhabilitatem & mortem Ciui-
» lem M. Ioannis Hamilton illius vltimi possessoris pacifici, aut aliàs quouis modo,
» facta est per Illustrissimum & Reuerendissimum D. D. Petrum Cardinalem
» Gondium Paris. Episcopum *M. Rolando Hebert Clerico Bellouacensis Diœcesis in*
» *Theolog. Baccalaureo sufficienti, capaci & idoneo, per dictos Rectorem & Vniuersitatem*
» *præsentato*, & per eundem D. Archidiaconum eidem Illustrissimo D. Cardinali
» vel dicto D. Vicario litteratoriè repræsentato, præsentibus ibidem Venerabili-
» bus viris M. Siluio à Petraviua (Vicario Gen.) & Io. Filesac Doctoribus Theo-
» logis testibus.

1607. 13. Curio prædictæ Curiæ fuit M. Philippus Hebert secundæ Classis Præfectus in Collegio Becodiano ex resignatione patrui sui Rolandi, & præsentatione Vniuersitatis, vt legitur in Codice membranaceo Rectorum fol. 113. ad an. 1607. in quo hæc verba leguntur. D*ie Octobris vltimo* D. *Franciscus Places Rector in Capitulo Mathurinensium consentientibus* DD. *Decanis & Procuratoribus præsentauit Parochiam SS. Cosmæ &* D*amiani* D. *Hebert Præfecto 2. Ordinis in* C*ollegio Becodiano, quæ resignata erat abs illius patruo* D. *Hebert* D*octore Theologo & Facultatis Theologiæ Syndico.*

Post paucos dies idem Philippus collationem eiusdem Ecclesiæ obtinuit ab Episcopo Parisiensi, & ita eadem re legitur in Reg. ad prædictum an. 1607. *Die 7. mensis Nouemb. 1607. Collatio Ecclesiæ Parochialis SS. Cosmæ &* D*amiani Paris.*
cuius quoties vacat, præsentatio seu ius præsentandi & nominandi ad Rectorem
» & Vniuersitatem studij Paris. repræsentatio autem ad D. Archidiaconum de
» Iosayo in Ecclesia Paris. Collatio verò, Prouisio & alia quæuis dispositio ad D.
» Parisiensem Episcopum respectiuè spectant & pertinent, vacantis per resignatio-
» nem M Rolandi Hebert illius vltimi possessoris pacifici, hodie in manibus D.
» Siluii à Petra viua Vicarij Generalis & per M. Petrum le Gay Clericum eius
» Procuratorem ad id eo specialiter constitutum, purè liberè & simpliciter fa-
» ctam & per eum admissam, facta est per dictum D. Vicarium M. Philippo Hebert
» Clerico Paris. in Artibus Magistro, sufficienti, capaci & idoneo per DD. Recto-
» rem & Vniuersitatem Studij Paris. præsentato, & per præfatum D. Archidiaco-

tum eidem Reuerendiſſimo Patri ſeu dicto D. Vicario litteratoriè repræſentato præſentibus ibidem MM. Renato Chaſteau Diœceſis Pariſ. Roberto Godehault Clerico Pariſiis commorantibus teſtibus.

14. Rolandus Hebert eiuſdem Philippi Patruus, Eccleſiæ Pariſienſis Pœniten- 1609.
tiarius admiſſâ per Vniuerſitatem pro more reſignatione. Cuius rei meminit Thomas Deys Procurator Nationis Germanicæ ita ſcribens. 23. *Iulij* (an. 1609.) *Academia legitimè conuocata ad ædes D. Mathurini acceptauit reſignationem M. Philippi Hebert Paſtoris* SS. *Coſmæ & Damiani factam in fauorem Patrui ſui* D. *Philippi* (Rolandi) *Hebert Pœnitentiarij, dictumque Philippum* (*Rolandum*) R. D. *Pariſienſi præſentauit omnibus calculis.*

Extat quoque in Reg. Epiſcopii Pariſienſis memoria Collationis factæ per Magnum Vicarium his verbis. *Die 29. Iulij 1609.* Collatio Eccleſiæ Parochialis SS. Coſmæ & Damiani Pariſ. cuius quoties vacat, præſentatio ſeu ius præſentandi & nominandi ad Rectorem & Vniuerſitatem Studij Pariſ. repræſentatio autem ad D. Archidiaconum de Ioſayo in Eccleſia Pariſ. Collatio, verò prouiſio & alia quæuis diſpoſitio ad D. Pariſienſem Epiſcopum reſpectiuè ſpectant & pertinent, vacantis per reſignationem M. Philippi Hebert illius vltimi poſſeſſoris pacifici hodie in manibus D. Siluii à Petra-viuâ Vicarii Generalis & per M. Petrum le Gay Clericum eius Procuratorem ad id ab eo ſpecialiter conſtitutum purè & ſimpliciter factam & per eum admiſſam facta eſt per dictum D. Vicarium D. Rolando Hebert Presbytero Diœceſis Bellouacenſis Facultatis Theol. Pariſ. Doctori, ſufficienti, capaci & idoneo per Rectorem & Vniuerſitatem Studii Pariſ. præſentato, & per præfatum D. Archidiaconum eidem D. Pariſ. Epiſcopo ſeu dicto D. Vicario litteratoriè repræſentato, præſentibus ibidem Magiſtris Antonio Ballin & Dionyſio Daman in Eccleſia Pariſ. Beneficiatis teſtibus.

15. Natalis de Brix Presbyter Sagienſis in Artibus Magiſter admiſſâ per Vni- 1622.
uerſitatem prædicti Hebert reſignatione ſucceſſit, vt legitur inter acta Vniuerſitatis. *Anno* D. 1622. *die* 22. *Martij in Mathurinenſi.* Vbi relatum eſt Nationem Gallicanam nolle ſuas vices accipere, tum quod Sacerdotium SS. Coſmæ & Damiani videretur *vacare per reſignationem* D. *Hebert Pœnitentiarij Pariſ.* quæ vt ferunt, non facit turnum; tum vel maximè quod Academia Primario Principi de Studiorum Vniuerſitate optimè merito velit gratificari. D. Rector vbi gratulatus eſt Nationi Gall. quod Academiæ poteſtatem prouidendi reliquerit, fecit ſupplicandi poteſtatem. M. Natalis de Brix Presbyter Diœceſis Sagienſis Artium Magiſter in Vniuerſitate Pariſ. ſupplicauit Curiale Sacerdotium SS. Coſmæ & Damiani ſibi conferri. Sacri Theologorum Ordinis Decanus annuit ſupplicationi dicti de Brix, modò integritatis morum & religionis Catholicæ fidem faciat. In eius ſententiam deſcenderunt Decani Decretorum & Medicinæ. Procurator Galliæ D. de Brix non mediocriter de re litteraria meritum, Rectorem Eccleſiæ Parochialis SS. Coſmæ & Damiani declarandum cenſet, modo fideliſſimos probitatis & religionis orthodoxæ teſtes adhibeat, nullumque in ſuis vicibus detrimentum patiatur Natio Gallicana. De hac re idem cenſuerunt Procuratores Picardiæ, Normaniæ & Germaniæ. Tandem concluſit Rector placere Vniuerſitati ſuffici M. Natalem de Brix, in locum D. Hebert Exomologetis ſeu Pœnitentiarii nuper Archiepiſcopi Bituricenſis deſignati *Saluo iure Nationis Gallicanæ.*

Vniuerſitatis ergo litteris munitus Collationem Beneficii ab Epiſcopo Pariſienſi facile obtinuit: quam in rem legitur in Reg. Epiſcopii hoc inſtrumentum. *Die 2. Maij* 1622. *Collatio Eccleſiæ* Parochialis SS. Coſmæ & Damiani in Ciuitate Pariſ. cuius occurrente vacatione præſentatio & nominatio ſeu ius præſentandi & nominandi ad D. Rectorem & almam Vniuerſitatem Pariſ. repræſentatio autem ad D. Archidiaconum de Ioſayo in Eccleſia Pariſ. Collatio verò prouiſio & quæuis alia diſpoſitio ad Illuſtriſſimum & Reuerend. in Chriſto Patrem & D. D. Henricum diuina miſeratione S. R. Eccleſiæ Cardinalem de Rets nuncupatum Pariſ. Epiſcopum ratione Epiſcopalis Pariſ. dignitatis ab antiquo ſpectare & pertinere reſpectiuè dignoſcuntur prout ſpectant & pertinent, vacantis per reſignationem *Venerabilis viri* D. *Rolandi Hebert Presbyteri*, Sacræ Theol. Facultatis Pariſ. Doctoris, illius vltimi poſſeſſoris pacifici hodie in manibus D. Siluii à Petra-viua Doctoris Theol. inſignis Eccleſiæ Pariſ. Epiſcopi per M. Girardum de Co-

„ ten Clericum Gandensem eiusProcuratorem ad id ab eo specialiter constitutum „ purè, liberè & simpliciter factam & per eum admissam, facta est per præfatum „ D. Vicariũ *GeneralemM.Natali Bry Presbytero* Sagiensis Diœcesis in Artibus Ma- „ gistro, sufficienti, capaci & idoneo per Rectorem & almam Vniuersitatem præ- „ sentato, per eundem D. Archidiaconum de Iosayo eidem D. Vicario Genera- „ li repræsentato litteratoriè, præsentibus ibidem DD. Petro de Sene & Claudio „ Belot insignis Ecclesiæ Paris. Canonicis testibus.

Idem autem de Bry prædictæ Curiæ functus est Officiis ad an. vsque 1665. quo beneficii ab Vniuersitate accepti immemor, illud M. Ioanni Lizot Vicario apud CuriamRom.nõ obtentis, non petitis à Matre & muneratrice sua præsentationis litteris resignauit. Vniuersitas verò M. Dionysium Dessira Parisinum Doctorem Theologum è societate Regia Nauarrica, sibi à Tribu Continentium Nationis Germanicæ pro iure alternationis legitimè nominatum D. Archidiacono Paris. canonicè præsentauit die 3. aug. 1665. Hinc orta lis inter contendentes, quæ pendet in Senatu Paris.



PATRONATVS CVRIÆ S. ANDREÆ DE Arcubus.

QVi fuerint S. Andreæ Curiones ab instituto Patronatu ad an. vsque 1450. incuria maiorum facit, vt ignoremus. Verum ex iis quæ supra retulimus de Patronatu SS. Cosmæ & Damiani, satis intelligitur idem obseruatum in nominatione & præsentatione Curionum S. Andreæ.

Primus igitur se nobis offert M. Thomas de Courcelles insignis Theologus, multis Legationibus pro Academia Parisiensi functus suo tempore à Decretorum Facultate nominatus, & ab Vniuersitate præsentatus. Qua de re sic legitur in actis Nationis Picardicæ. *Anno Dom. 1450. die 27. Ian.* fuit alma Mater Vniuer-
1450. sitas Paris. apud S. Mathurinum hora 8 solenniter conuocata super collatione „ Curæ S. Andreæ vacantis per mortem nobilissimi viri M... cuius animæ parcere „ dignetur omnipotens. DD. Doctores de veneranda Facultate Decretorum ad „ quos de iure, secundum turnum Facultatum incumbebat collatio, præsenta- „ tio & omnimoda dispositio, *præsentauerunt magni consilii, eloquentiæ scientiæque vi- „ rum M. N. M. Thomam de Courcellis Professorem sacræ Theologiæ*, qui postea adiit „ Nationem suam Picardiæ, cui porrexit perhumilem supplicationem istam, sci- „ licet vt Natio dignaretur Collationem factam eidem per DD. de FacultateDe- „ cretorum per Ordinem turni acceptare gratam; cuius supplicationi Natio an- „ nuebat simpliciter, optans præfatam Curam fore Episcopatum. Gratias agebat „ etiam Facultati Decretorum quæ dignata est præsentare virum tantarum virtu- „ tum ac excellentiæ, & consimiliter omnibus qui dignati sunt eundem accep- „ tare.

1470. 2. M. Ioannes Huë ingentis quoque famæ Theologus multisque Legationibus Vniuersitatis nomine functus, cuius honorabilem mentionem faciunt omnia Acta istius temporis. Decessit tandem an. 1488. cique à Decretorum Facultate substitutus est M. Ambrosius de Cameraco ipsius Facultatis Decanus, qui cum eo „ de Cancellariatu Ecclesiæ Parisiensis contendebat. Quâ de re sic legitur in Reg. „ Episcopii. *Die Sabati vltima* Feb. 1488. Dominus contulit pleno iure Venerabi- „ li & circumspecto viro M. Ambrosio de Cambray *Decretorum* Doctori Cancella- „ riam Ecclesiæ Parisiensis sueipius in ea prætensum per defunctum M. Ioannem „ Huë, dum viueret, sacræ Theologiæ Professorem, ad præsens per ipsius decessum, „ aut aliàs quouis modo vacantem.

1488. 3. ergo Curio 27. Feb. an. prædicti 1488. substitutus est Ambrosius, vt legitur „ in Commentariis Germanicæ Nationis. *Anno* 1488. die 27 Feb. conuocata fuit „ apud S. Mathurinum alma Parisiorum Vniuersitas 3. super Artic. Quorum „ primus erat super apertione Rotuli *& præsentatione colendissimi D. nostri* D. *Cancellarij*

cellarii nominati per consultißimam Facultatem Decretorum *ad Curam Ecclesiæ S. Andreæ.* Quantum igitur ad primum placuit Nationi vt Rotulus aperiretur more solito, vt puta 2. Martii. *Placuit etiam Nationi vt Magister noster Ambrosius de Cameraco præsentaretur, dummodo turnus ille pertineat ad* Decretistas.

Eadem die expeditis litteris Vniuersitatis se contulit ad Episcopum Parisiensem & Collationem obtinuit, vt habent Reg. Episcopii. *Die 27. Feb. 1488.* Collatio Paroch. Ecclesiæ S. Andreæ de Arcubus Paris. de præsentatione Rectoris & Vniuersitatis Parisiensis. existentis ad præsens *per mortem siue obitum defuncti M. Ioannis Huë*, dum viueret, sacræ Theol. Professoris vltimi eiusdem possessoris, vacantis facta est Venerabili & circunspecto viro *M. Ambrosio de Cambray* Decretorum Doctori, Ecclesiæ Paris. Cancellario & Canonico per consultissimam Decretorum Facultatem, in turno pro hac vice existentem præfatis Rectori & Vniuersitati nemine discrepante nominato, *& per dictos Rectorem & Vniuersitatem* Archidiacono de Iosayo præsentato, & per eundem Archidiaconum *in vim dictæ præsentationis* Domino nostro repræsentato facta est eidem de Cambray.

4. Successit M. Robertus la Longue an. *1496.* de quo similiter habenturquæ 1496.
sequuntur in prædictis Reg. Episcopii. Die 26. *Mensis April. 1496.* Collatio Parochialis Ecclesiæ S. Andreæ de Arcubus Paris. de præsentatione Rectoris & Vniuersitatis Paris. existentis vacantis *per mortem defuncti M. Ambrosii de* Cambray *facta est Venerabili viro M. Roberto la Longue Presbytero & in Artibus Magistro, qui iurauit.*

5 Pariter ex præsentatione eiusdem Vniuersitatis admissaque per eam resigna- 1519.
tione & permutatione collationem obtinuit M. Nicolaus le Clerc an. 1519. vt legitur in iisdem Episc. Reg. *Die vltima Aug. 1519.* Collatio Parochialis Ecclesiæ S. Andreæ de Arcubus Paris. de præsentatione DD. *Rectoris & Vniuersitatis Paris.* existentis vacantis per resignationem Venerabilis viri M. *Roberti le Longue*, Presbyteri nouissimi eiusdem possessoris pacifici causâ permutationis faciendæ cum Venerabili & scientifico viro M. *Nicolao le Clerc* Presbytero in Artibus & in Theologia Magistro, Curato Paroch. Ecclesiæ de Brolio & Bertaudi-curia, & ad huiusmodi Paroch. Ecclesiam facta est eidem le Clerc repræsentato.

6. Eadem ratione substitutus est M. Petrus le Clerc Nicolai nepos factâ cum
patruo permutatione, quæ ab Vniuersitate similiter accepta & admissa est, vt le- 1540.
gitur in Reg. Nomenclaturæ Rectorum, tum Rectore M. Nicolao Martimbos. *An.* D. 1540. die 22. Septemb. *Concessit Vniuersitas permutationem*, quam fecit aut facere intendebat M. *Nicolaus le Clerc* Theolog. Doctor de *Parochiali Ecclesia S. Andreæ de Arcubus cum* Petro *le Clerc Iuris* Canonici *Doctore*, de Personatu de Enguino Morinensis Diœcesis, & permisit dictam permutationem fieri posse & perfici à quocunque habente potestatem.

At in Reg. Vniuersitatis fusè negotium istud habetur conscriptum ad prædictam diem 21. Sep. an. 1540. fol. 15 recto & vers. D. *Rector exponendo causam Congregationis dixit* D. *le Clerc* Theologum sacerdotium S. Andreæ de Arcubus obtinentem ægrotum fuisse: illum tamen nunc conualescere, cupientem in dicto Sacerdotio eius *nepotem videlicet Vice-conseruatorem* huiusmodi sufficere, propterea petiit vt Vniuersitas super præmissis deliberare vellet. *Comparuit* M. *Petrus* le *Clerc Iuris Canonici* Doctor actu in præclarissimo Paris. Gymnasio Regens, qui recitauit infirmitatem & conualescentiam antedicti D. Nicolai le Clerc, qui à tempore suæ iuuentutis in hac Vniuersitate enutritus fuerat, sua sponte certos Procuratores ad eius nomine & pro eo Paroch Ecclesiam S. Andreæ de Arcubus Paris. quam obtinet, in manibus Collatoris Ordinarii, aut cuiusuis alterius ad hoc Canonicam potestatem habentis, causâ tamen permutationis de eadem fiendæ cũ eodem exponente, & ad personatum de Enguino Diœcesis Morinensis quem obtinet & nõ aliàs aliter nec alio modo resignandum constituerat & ordinauerat passaueratque Procuratoriũ. Propterea supplicuit idem M. Petrus le Clerc, quatenus Vniuersitas permutationi huiusmodi consentire suumque consensum & assensum ad effectum plenum dictæ permutationis agendæ & perficiendæ præbere velit & dignetur, *dicens aliàs eandem Vniuersitatem similem consensum præstitisse, dum M. noster Cappel Parochialem Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani, & post eum alij ex liberis* D. *Versoris successiuè resignassent.* Postquam de re proposita singulæ Facultates de-

liberarunt, secuta est Vniuersitatis conclusio in hunc modum. *Vniuersitas ex prædictis deliberationibus, præmissis attentis & omnibus consideratis ac contemplatione meritorum vtriusque permutantis, permutationi* horum Beneficiorum & requisitioni præfatæ, sine tamen præiudicio turni, vt aiunt, annuit & consentit. *Et ito organo D. Rectoris conclusum extitit.*

Similiter in Reg. Episcopii Paris. eiusdem rei mentio est his verbis. *Die 23. Septemb. anno 1540.* Collatio Ecclesiæ Paroch. S. Andreæ de Arcubus Paris. *de*
„ *præsentatione almæ Vniuersitatis Paris.* repræsentatione D. Archidiaconi de Iosayo
„ in Ecclesia Paris. collatione & omnimoda alia dispositione D. Reuerendissimi Car-
„ dinalis Episcopi Paris. existentis vacantis per resignationem antea factam M. Phi-
„ lippi Bryault Procuratoris fundati Venerabilis viri M. Nicolai le Clerc eiusdem
„ Ecclesiæ vltimi possessoris pacifici, causâ tamen permutationis de eadem factæ
„ seu fiendæ cum discreto viro M. Petro le Clerc Persona Personatus de Anguino
„ Morinensis Diœcesis, suaque iura & pertinentia vniuersa & non aliàs facta est
„ apud Orgiacum Paris. Diœcesis per D. Ludouicum du Bellay Vicarium Generalem D. Reuerendissimi Cardinalis Episcopi Paris. prædicti *Petro le Clerc presbytero Parisiensi.*

1557. Post decessum prædicti M. Petri le Clerc vehemens orta est in Vniuersitate contentio de iure nominationis & nominandi vicibus. Contendebant Medici suas esse; cæteræ Facultates & Nationes Theologorum Ordini suas rediisse vices contestabantur, quia Medicorum erat ad prius vacantem Capellaniam nominasse. Hac de re sic legitur in Commentariis Germanicæ Nationis Blacuadæo Procuratore scribente.

6. Kal. Augusti habitis apud Mathurinos Comitiis D. *M. Petrus Hodicq Theologus primi Ordinis successit Curionatui* S. *Andreæ de Arcubus* per decessum Petri le
„ Clerc Conseruatoris viri prudentissimi non sine satis magno tumultu, præsertim
„ cum Medici dicebant hunc Curionatum in suas vices cadere: qui tamen, vt par-
„ erat habuerunt nisi Capellaniam prius vacantem. *Reseruata est Decano Theologiæ* à
„ prædicto Curionatu pensio, & sic conclusum.

Facultas verò Medicinæ nominauit M. Ioannem de Froydeual: sed cum Vniuersitas, quia M. Petrum de Hodieq præsentauerat, præsentare noluit. Vterque Episcopũ adiit, & collationem obtinuit. Et de prædicto quidem Hodicq sic legitur in Reg Ep. ad 25. Iulii. *Die 25. Iuly anno Domini 1557.* Collatio Parochialis Ecclesiæ S. Andreæ de Arcubus Paris. *Cuius præsentatio ad Rectorem & Vniuersita-*
„ *tem Paris.* præsentatio ad Archidiaconum de Iosayo, Collatio ad D. Paris. Epis-
„ copum respectiuè pertinent, *vacantis per obitum defuncti M. Petri le Clerc*, illius vl-
„ timi Rectoris & possessoris pacifici, facta est pleno iure per Reuerendum Patrem
„ D. Eustachium du Bellay Paris. Episcopum Reuerendissimi D. Cadinalis Bellay
„ nuper Paris. Episcopi Vicarium, venerabili *viro* M. *Petro de Hodicq Clerico Paris.* in
„ Artibus & in Theologia Baccalaureo formato, litteratoriè repræsentato præsenti-
„ bus Venerabili viro Io. de Bamain Presbytero in Ecclesia Paris. habituato testi-
„ bus.

„ Similiter M. Ioannes Froideual petito denegatæ præsentationis libello colla-
„ tionem obtinet die 29. eiusdem mensis Iulii. *Die 29. Iulii anno Domini* 1557. *Col-*
„ *latio Paroch. Ecclesiæ* S. *Andreæ de Arcubus Paris.* cuius præsentatio ad Rectorem &
„ Vniuersitatem Paris. repræsentatio ad Archidiaconum de Iosayo & Collatio ad
„ D. Paris. Episcopum respectiuè pertinent, vacantis per obitum defuncti M. Pe-
„ tri le Clerc illius vltimi Rectoris & possessoris pacifici, siue alias quouis modo
„ & ex quauis causa seu persona vacet, facta est per Reuerendum Patrem D. Eu-
„ stachium du Bellay Paris. Episcopum, Vicarium Reuerendissimi D. Cardinalis
„ Bellaij nuper Paris. Episcopi venerabili viro *M. Ioanni de Froydeual Clerico, Docto-*
„ *ri Medico & Ecclesiæ Paris. Canonico* per dictum Archidiaconũ de Iosayo littera-
„ toriè repræsentato *in recusationem seu delationem dictorum Rectoris & Vniuersitatis*
„ qui eidem de Froideual per Facultatem Medicorum eiusdem Vniuersitatis in
„ turno ad Beneficia ad collationem, prouisionem, præsentationem siue nomina-
„ tionem ipsius Vniuersitatis pertinentia, vt prætendit eadem Facultas, existentis ad
„ huiusmod. Paroch Ecclesiam eisdem Rectori & Vniuersitati nominato, dicto ar-
„ chidiacono de Iosayo præsentare renuerunt præsentibus nobili ac scientifico vi-

vito M. Antonio Dolyeu in Curia Parlamenti Paris. Consiliario & M. Petro Bony in Claustro dictæ Ecclesiæ Paris. commorantibus testibus.

Dissidium tandem istud vtroque iussuum ad M. Franciscum le Court transferente compositum est 9. Kal. Martias in Comitiis Mathurinensibus. Sic enim M. Desiderius Robert Procurator Nat. Germ. scribit. *9. Kal. Martias alma Parisiorum Vniuersitas in ædibus Mathurinorum sacris... admisit præsentationem Francisci Daultre* (le Court) *viri optimi & de litteris bene meriti ad Parochialem Ecclesiam S. Andreæ de Arcubus quæ tunc vacauit per resignationem seu potius iuridicam cessionem duorum* Magistrorum *Ioannis de Froydeual* Doctoris *Medici & Petri de Hodicq in Theolog. Licentiati.* Vtriusque cessio admissa est ab Episcopo Paris. vt legitur in iisdem Reg. Episcopalibus. Prior verò cessit prædictus Froydeual nimirum 21. Feb. eiusdem anni. *Eadem die 21. Feb. an. D. 1557.* Collatio *Paroch. Ecclesiæ S. Andreæ* de Arcubus Paris. de præsentatione Rectoris & Vniuersitatis Paris. repræsentatione Archidiaconi de Iosayo & Collatione D. Paris. Episcopi respectiuè, existentis vacantis per resignationem M. Ioan. de Froidoual illius vltimi Rectoris, seu iuris quod in illa vel ad illam nuper habebat & prętendebat idem de Froideual cessione hodie in manibus D. Ioannis Moreau Ecclesiæ Paris. Cantoris, Reuerendissimi D. Cardinalis Bellaii nuper Paris Episcopi Vicarii, per venerabilem virum M Philippum Boynault dictæ Ecclesiæ Paris. Canonicum eius Procuratorem sponte & liberè pro inito, seu pro complemento tamen & ad effectum certæ concordiæ inter venerabilem *M. Franciscum le Court & dictum Froydeual* ac M. Petrum Raoul Clericum Ambianensis Diœcesis nuper initæ & Apostolica authoritate approbatæ factam & admissam, facta est per dictum D. Vicarium *Prænominato* M. *Francisco le Court* Clerico Paris. Iuris Canonici Doctori litteratoriè repræsentato præsentibus Magistris Oliuerio Estienne Ecclesiæ Cenoman. Canonico & Ioan de la Fontaine in dicta Ecclesia Paris. Capellano in claustro eiusdem Ecclesiæ commorantibus testibus.

Admissa quoque est cessio M. Petri de Hodicq in gratiam eiusdem le Court 10. mensis Iunii an. 1558. vt in iisdem Reg. habetur. *Eadem die 10. Iunii 1558* Collatio Paroch. Ecclesię S. *Andreæ de Arcubus* Paris. seu ius quod in illa vel ad illam habebat & prætendebat M. Petrus de Hodicq, cuius pręsentatio ad Rectorem & Vniuersitatem Paris. repræsentatio ad Archidiaconum de Iosayo & Collatio ad D. Paris. Episcopum respectiuè pertinent, vacantis per resignationem seu iuris cessionem dicti M. de Hodicq hodie in manibus Reuerendi Patris D. Eustachii du Bellay Paris. Episcopi, Reuerendissimi D. Cardinalis Bellaij nuper Paris. Episcopi Vicarii per M. Marinum Bouder Clericum Cenoman. Diœcesis eius Procuratorem pro inito & complemento & ad effectum certi concordati inter eundem de Hodicq & M Franciscum le Court Clericum Paris. nuper initi & authoritate Apostolica confirmari & approbari causâ permutatioois de dictâ Parochiali Ecclesia S. Andreæ de Arcubus seu iure huiusmodi, factæ seu faciendæ cum eodem M. Francisco le Court, & ad Prioratum S Nicolai de Cauda Ordinis S Bened. Diœcesis Andegauensis quem obtinebat seu nuper obtinere solebat, suaque iura & pertinentia vniuersa, & non alias aliter nec alio modo factam & admissam, facta est per dictum Reuerendissimum patrem pręnominato M. *Francisco le Court* Iuris Canonici Doctori litteratoriè repręsentato absque præiudicio iuris sibi in dicta Paroch. Ecclesia iam acquisiti, præsentibus MM. Petro Droüin Presbytero in Ecclesia Paroch. S. Eustachii Paris. habituato & Io. Pollus Clerico in Claustro Paris Ecclesiæ commorantibus Cenomanensis & Parisiensis respectiuè diœcesis testibus.

Ita ergo vtriusque præsentati iuribus munitus Franciscus le Court liberè & pacificè Curiæ onera subiit & exercuit ad annum vsque 1576. quo per Procurato- 1576.
rem Vniuersitati supplicauit, vt vellet admittere resignationem suam in fauorem & gratiam M. F*rancisci Dampmartin*, causâ tamen permutationis cum eodem faciendæ: cuius supplicationi annuit Vniuersitas die 24. Iunii an. 1576. vt legitur in Reg. ipsius Vniuersitatis.

Die Martis 19. Iunii 1576. congregata Vniuersitas super eiuratione Paroch. Ecclesiæ S. Andreæ de Arcubus D. de la Croix Doctor Iuris Canonici Procurator & nomine Procuratorio D. Francisci le Court Curati Ecclesiæ Paroch. S. Andreæ de Arcubus resignauit huiusmodi Curam in fauorem D. Francisci Damp-

„ martin Doctoris Theologi cauſâ permutationis cum eo factæ de Prioratu B. Ma-
„ riæ d'*Aluys* Diœc. Carnotenſis.
„ Artium Facultas probat eiurationem Sacerdotii D. Andreæ de Arcubus factæ
„ per D. le Court in fauorem D. Dampmartin cauſâ permutationis, ſaluo iure
„ Turni.
„ Medicorum Ordo cenſet & probat eiurationem D. le Court, ſiue permuta-
„ tionem Eccleſiæ Paroch. D. Andræ de Arcubus cum Prioratu, modo id fiat ſal-
„ uo turno Facultatis cui debetur Turnus. *Iuris Collegium* ratam & gratam habet
„ eiurationem & eam approbat, nominat & præſentat D. Epiſcopo Pariſ. D.
„ Franciſcum Dampmartin ſine præiudicio Turni Nat. Gallic. Ex his D. Rector.
„ probatis eiurationem factam Paroch. Eccleſiæ D. Andræ & Arcubus in fauorem
D. Dampmartin.

Extat ſimiliter in Reg. Epiſcopi Pariſienſ. monimentum Collationis eadem
de cauſa factæ M. Franciſco Dampmartin Doctori Theologo, his verbis.
„ *Die 19. menſis Iunij an.* 1576. Collatio Paroch. Eccleſiæ S. Andreæ de Arcubus Pa-
„ riſ. cuius præſentatio ſeu ius præſentandi ad Rectorem & Vniuerſitatem Studii
„ Pariſ. repræſentatio autem ad D. Archidiaconorum de Ioſayo in inſigni Eccle-
„ ſia Pariſ. Collatio verò & alia quæuis diſpoſitio ad Reuerendum D. Pariſ. Epiſ-
„ copum ratione ſuæ Epiſcopalis dignitatis ſpectare & pertinere reſpectiuè dignoſ-
„ cuntur, vacantis per reſignationem diſcreti *viri M. Franciſci le Court* Preſbyteri
„ nouiſſimi & immediati illius Rectoris & poſſeſſoris pacifici hodie in manibus D.
„ Petri Dreux dictæ Paroch. Eccleſiæ Canonici, Reuerendiſſimi in Chriſto Patris &
„ D. D. Petri de Gondy Pariſ. Epiſcopi Generalis Vicarii per M. Marinum Ogier
„ Curiæ Epiſcopalis Pariſ. Notarium eius Procuratorem ab eo ſpecialiter conſtitu-
„ tum ſponte & liberè, cauſâ tamen permutationis de eadem Paroch. Eccleſia ſuiſ-
„ que iuribus & pertinentibus Vniuerſis facta ſeu facienda cum Venerabili viro, M.
„ Franciſco Dampmartin Preſbytero in Sacra Theol. Facultate Doctore & ad
„ Prioratum B. Mariæ de Aluya Ord. S. Bened. Carnotenſis diœceſis ſuaque etiam
„ iura & pertinentia vniuerſa & non alias aliter aut alio modo factam & per eum
„ admiſſam facta eſt per dictum D. Dreux Vicarium *præfato M. Franciſco Dampmar-*
„ *tin* ſufficiente & idoneo, dictoque Reuerendiſſimo Domino, ſeu eidem. D. Vica-
„ rio *mediante præſentatione eorundem Rectoris & Vniuerſitatis Pariſ.* literatoriè repre-
„ ſentato præſentibus Venerabilibus viris MM. Petro de Fontenay & Io. Flament
„ dictæ Pariſ. Eccleſiæ Canonicis teſtibus.

1583. Anno 1583. obiit prædictus Dampmartin nullâ facta Curiæ reſignatione. Na-
tio verò Normanica, cuius recurrebant vices, ei ſubſtituit M. Chriſtophorum
Aubry virum Theologum, rogauitque Vniuerſitatem in Comitiis Mathurinen-
ſibus 18. Maii 1583. ſuam nominationem confirmari. Quâ de re ſic in Actis le-
„ gitur. *Die* Martis 18. Maii 1583. apud S. Mathurinum ſolenniter vt moris eſt ho-
„ râ ſolitâ congregata extitit alma Pariſ. Vniuerſitas. De prouiſione Curionis Ec-
„ cleſiæ Paroch. S. Andreæ de Arcubus in locum demortui venerabilis & ſcien-
„ tifici viri M. Franciſci de Dampmartin Doctoris Theol. nouiſſimi & immediati
„ dictæ Eccleſiæ *Curati pacifici; nec non ſuper ſupplicationibus & iniuriis.* Et poſt-
„ quam M. Françoys Rector cauſam Comitiorum expoſuit deditque lo-
„ cum ſupplicandi. *M. Rodulphus Du Til Procurator Normaniæ expoſuit Nat. Norman.*
„ *congregatam, & ad eandem pertinere* (Turnum) *& in Curionem Eccleſiæ Parochialis*
„ *S. Andreæ de Artibus in locum demortui Franciſci Dampmartin elegiſſe ſcientificum vi-*
„ *rum M. Chriſtophorum Aubry virum Theologum.* Quæ Nominatio omnium Ordi-
„ num ſuffragantibus calculis comprobata & confirmata eſt. Sicque Rector con-
„ cluſit. *Vno conſenſu nominationem D. Aubry viri Theologi comprobatis*, &c.

In faſtis quoque Rectoris inter Officiarios Vniuerſitatis M. Claudii Francæi
Rectoris tempore receptos mentio fit prædicti Aubry his verbis. *Eiuſdem Rectoratus tempore Magiſter noſter Obry ſucceſſit Magiſtro noſtro Dammartin pro Cura S. Andreæ.*

1589. Anno 1595. prædicto M Chriſtophoro Aubry morte Ciuili damnato Natio
Gallicana, cuius tunc erant ſubſtituendi vices, deſignauit concordibus votis M.
Adrianum Damboyſe ſummum Regiæ Nauarræ Moderatorem, habitis in eam
rem apud Mathurinenſes Comitiis ſolennibus die 11. Feb. & eundem Vniuerſita-

ti nominauit 14 eiusdem mensis: qua de re sic habetur in Reg. Vniuersitatis ad diem 14. Feb. 1595. *Hodie apud S. Math. solenniter vt moris est, hora solita matutina congregata extitit alma Vniuersitas Study Paris.* super 3. artic. quorum prior est super præsentatione Paroch. Ecclesiæ S. Andreæ de Arcubus vacantis per incapacitatem, inhabilitatem & mortem ciuilem M. Christophori Obry illius vltimi possessoris pacifici, insequendo nominationem factam ab honoranda Natione Gall. in Turno existente Venerabili & scientifico viro D. Adriano Damboyse Doctori Theol. summo Regiæ Nauarræ Moderatori... *Maturis deliberationibus super præmissis prahabitis Vniuersitas ipsa approbat nominationem D. Damboyse à Natione Gall. factam & illum præsentat dignissimo D. Archidiacono de Iosayo in Ecclesia Paris.* In fastis Rectoriis. *Adrianus Damboyse Nauarreorum Archididascalus admissus est in locum D. Aubry ad Curionatum Diui Andreæ de Arcubus.* Id actum Rectore M. Ioan. Gallandio.

In Reg. quoque Episcopalibus mentio habetur præsentationis Vniuersitatis, & collationis factæ prædicto Damboyse his verbis. *Die 15. mensis Feb. 1595.* Collatio Ecclesiæ Paroch. S. Andreæ de Arcubus Paris. *Cuius quoties occurrit vacatio, præsentatio seu ius præsentandi ad Rectorem & Vniuersitatem Study* Paris. repræsentatio autem ad D. Archidiaconum de Iosayo in Ecclesia Paris. Collatio autem ad D. Reuerend. Episc. Paris. respectiuè spectant & pertinent, vacantis per incapacitatem, & mortem ciuilem M. Christophori Obry vltimi possessoris pacifici aut aliàs quouis modo, facta est per Illustriss. & Reuerend. D. D. Petrum Cardinalem Gondyum Paris. Episcopum M. Adriano Damboyse Presbytero Paris. Doctori Theologo, actu Parisiis regenti, sufficienti, capaci & idoneo per Rectorem & Vniuersitatem Studij Paris. præsentato & per præfatum D. Archidiaconum eidem Illustriss. D. Cardinali litteratoriè repræsentato, præsentibus ibidem nobili viro Francisco Boisleau Secretario Regio & M. Ioan. Brouet Curiæ Episcopalis Paris. Promotore testibus.

Anno 1604. cum prædictus M. Adrianus Damboyse Henrici IV. singulari beneficio ad Episcopatum Trecotensem assumptus fuisset, Curiam S. Andreæ consentiente Vniuersitate resignauit M. Carolo Loppé Doctori Theologo Diœcesis Cœnomanensis: quâ de re sic habetur in actis Germanicæ Nationis. *6. Non. Martias in peruigilio Cinerum Amplissimus Rector D. Iacobus Lethe conuocatis omnibus & Decanis & Procuratoribus almæ Vniuersitatis Paris. proposuit*, an sapientissimus Magister in Theologia M. Carolus Loppé esset præsentandus Reuerend. D. Episcopo Paris. ad gubernationem Curionatus S. Andreæ de Arcubus vacantis per cessionem & liberam resignationem sapient. Mag. in Theologia Adriani Damboyse Magni Magistri apud Regiam Nauarram præsentati à Rege in Episcopatum Trecotensem, prout instrumento publico & procuratore legitimo N. Paucet Apparitore Theologico palam & publicè omnibus paruit. Re propositâ, æquè librarâ maturéque deliberarâ pro iure nominandi & præsentandi quod in illud Beneficium habet Academia, in gratiam Beneficiorum quæ à dicto D. Loppé accepit, eundem D. Episcopo Paris. nominandum & præsentandum duxit, nominauit & præsentauit. Et sic ab ampliss. D. Rectore est conclusum.

Similiter in Reg. Episcopii Parisiensis ad diem 2. Maii eiusdem anni sic legitur. Eadem die 2. Maii 1604. Collatio Ecclesiæ Paroch. S. Andreæ de Arcubus Paris. *Cuius quoties vacat, præsentatio seu ius præsentandi & nominandi ad Rectorem & Vniuersitatem Paris.* repræsentatio ad D. Archidiaconum de Iosayo, Collatio verò, prouisio & alia quæuis dispositio ad D. Parisiensem Episcopum respectiuè spectant & pertinent, vacantis per resignationem M. Adriani Damboyse illius vltimi possessoris pacifici hodie in manibus Reuerend. in Christo Patris & D. D. Henrici de Gondy, Dei & S. Sedis Apost. gratiâ Paris. Episcopi per M. Ioan. Huë Presbyterum eius Procuratorem ad id ab eo specialiter constitutum purè liberè & simpliciter factam & per eum admissam facta est per dictum D. Paris. Episcopum M. Carolo Loppé Presbytero Diœcesis Cenoman. Doctori Theologo sufficienti capaci & idoneo *per Rectorem & Vniuersitatem Study Paris.* præsentato & per præfatum D. Archidiaconum eidem Reuerend. Patri litteratoriè repræsentato, præsentibus ibidem Venerab. viro D. Siluio à Petra-viua Doctore Theol. Abbate Monasterii B. Mariæ de Insula Nigri Monasterii, insignis Ec-

" cleſiæ Pariſ. Canonico & M. Guill. du Val Curiæ Epiſcop. Pariſ. Notario &
" Procuratore teſtibus.
" Anno 1632. idem Loppæus Curiam prædictam eiurauit in gratiam M. Antonii
" de Breda Doctoris Theol. & Socii Sorbonici, permutationis tamen cauſâ: id-
" que ab Vniuerſitate poſtulauit approbari & confirmari, vt legitur in Reg. ipſius
" Vniuerſitatis. *Anno Dom. 1632. 22. Maij in Mathurinenſi.* Ampl. D. Rector cau-
" ſam Congregationis ſolennibus verbis aperuit & ſupplicandi poteſtatem fecit.
" Expoſuit M. Antonius de Breda Doctor Theol. & Socius Sorbonicus M. Caro-
" lum Loppé Doctorem item Theol. Magnum Magiſtrum Regiæ Nauarræ &
" Paſtorem Eccleſiæ Paroch. S. Andreæ de Arcubus in ſui gratiam eiuraſſe can-
" dem Eccleſiam Paroch. ſeque viciſſim Canonicatum Eccleſiæ S. Sepulchri Pariſ.
" orauitque vt eius Eccleſiæ Paroch. eiuratio *quia eſſet ex ſacerdotiis Vniuerſitatis*,
" admitteretur. Placuit inſtrumentum permutationis à me perlegi: quo perlecto
" Procurator fiſci rem aperuit & merita vtriuſque maximè commendans conclu-
" ſit poſtulationi D. de Breda annuendum. Omnes & ſinguli Ordines non modò
" permutationem illam comprobarunt, ſed habitâ ratione meritorum eiuſdem
" D. de Breda Eccleſiæ prædictæ præſtitis iuramentis & de nouo obſtrictâ fide
" vno conſenſu præfecerunt, ſaluo tamen iure viciſſitudinis vulgo *Turni* honoran-
" dæ Nationis Gall. Et ſuper D. Rectorem concluſum extitit.



PATRONATVS CVRIÆ SANCTI GERMANI Veteris.

REſtat vt Patronatum Curiæ S. Germani Veteris exequamur, qui poſtremus acceſſit Vniuerſitati an. ſcilicet 1368. ex permutatione factâ cum Abbate & Conuentu Monaſterii San-Germano-Pratenſis, Patronatûs Capellaniæ S. Martini de Ordeis *cuius Collatio præſentatio & omnimoda diſpoſitio ad Rectorem & Vniuerſitatem* pertinebat, & S. Germani Veteris, cuius ſimiliter præſentatio Abbatis erat & Conuentus. Quam quidem permutationem approbauit Vrbanus VI. Pontifex data Bullâ Romæ 16. Kal. Decemb. an. 1369. quæ Inſtrumenta ſuo loco referentur. Sufficiat in præſentiarum hæc verba Bullæ Pontifi[illegible]æ apponere. *Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ* (Officiliali Eccleſiæ Pariſ. ſuam Bullam dirigit) *per Apoſt. ſcripta mandamus, quatenus ſi ita eſt, eiſdem Abbati & Conuentui, Rectori, Magiſtris, Scholaribus & Vniuerſitati permuta[illegible] [illegible]uicem huiuſmodi iura, quæ in Eccleſia & Capella prædictis habent, vt præfert[illegible] [illegible]te Apoſtolica licentiam largiaris.*

Initio autem huius Patronatus turbata eſt Vniuerſitas hoc mo[illegible] [illegible]emens VII. qui relictâ Italiâ Auenionem ſeceſſerat an 1378. vt ſibi demereretur Aymerieum de Maignaco Epiſcopum Pariſ. virum eximium & magnæ apud Carolum V. Franciæ Regem auctoritatis quem poſtea fecit Cardinalem tit. S. Euſebii, indulſit ei poteſtatem reſeruandi 20. Beneficia vacatura qualiacunque, tam cum cura quàm ſine cura, eaque conferendi *viginti perſonis*, quibus vellet. Accidit autem vt Curia S. Germani Veteris vacaret, eamque ille inter reſeruara numerans Beneficia, contulit Ioanni Tonpeto Clerico Beluacenſi. paulo ante 1384. quo anno defunctus eſt. Quâ ratione ſua iura turbari tulerit Vniuerſitas, & an alium Curionem Toupeto illi oppoſuerit, non conſtat. Credibile tamen eſt litem ſuo nomine intentaſſe, & ſi latâ ſententiâ aut alio quouis [illegible] [illegible]lo coacta eſt pati iurium ſuorum diminutionem pro ea vice abſque tamen eorundem præiudicio in poſterum, ne ſimile quidquam aliàs attentaretur, apud Curiam Rom. expoſtulaſſe, vt ipſe Pontifex declararet quæ ſua mens fuiſſet, eum prædicto Aymerico poteſtatem fecerat 20. Beneficia qualiacunque vacatura reſeruandi. Declarauit enim Clemens nunquam *intentionis ſuæ fuiſſe, quod Conceſſio ipſa ad Beneficia Eccleſiaſtica in Ciuitate & Diœceſi prædictis conſiſtentia, quorum collatio, prouiſio ſeu præſentatio ad Vniuerſitatem pertinebat, ſe extenderet.* Quam declarationem, quia expreſſâ Bullâ morte præuentus ſignificare non potuit, Benedictus XIII

Clementis successor an. ipso primo sui Pontificatus patentibus litteris nutum esse voluit, quæ tales sunt.

Benedictus Episcopus Seruus Seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Rationi congruit, & conuenit honestati, vt ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt licet eius præueniente obitu, litteræ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa VII. prædecessor noster bonæ memoriæ Aymerico S. Eusebii Presbytero Cardinali, tunc Episcopo Paris. reseruandi ea vice authoritate Apostolica donationi suæ, pro viginti personis quas duceret eligendas, viginti Beneficia Ecclesiastica cum cura vel sine cura ad Episcopi Paris. pro tempore existentis vel cuiuscunque seu quorumcunque aliorum collationem, prouisionem, præsentationem seu quamuis aliam dispositionem communiter vel diuisim pertinentia, si qua in ciuitate & Diœcesi Paris. vacabant, vel cum vacarent, conferenda; singula videlicet eorum singulis eisdem personis per suas litteras concesserat facultatem, & deinde per eũdem prædecessorem accepto quod idem Cardinalis tunc Episcopus vnum ex beneficiis huiusmodi pro dilecto filio Ioanne Toupeti Clerico Beluac Diœc. donationi suæ dictarum litterarum vigore reseruauerat; *Cuius quidem reseruationis vigore idem Parochialem Ecclesiam S. Germani veteris Paris. tunc vacantem, & ad præsentationem dilectorum filiorum Vniuersitatis Studii Paris. pertinentem, vt asserebatur, acceptauerat, & de illa sibi prouideri fecerat*; idem prædecessor vt super concessione huiusmodi suæ mentis clarius intentio pateficret, declarauit scilicet nonis Decembris, Pontificatus sui an. 15. suæ, tempore ipsius concessionis, intentionis fuisse *quod concessio ipsa ad Beneficia Ecclesiastica in Ciuitate & diœcesi prædictis consistentia,* QVORVM COLLATIO, PROVISIO SEV PRÆSENTATIO AD DICTOS VNIVERSITATEM PERTINEBAT, *minimè se extenderet.* Et insuper idem prædecessor voluit, & eidem Vniuersitati concessit, *quod sub quacunque generali gratia cuicumque seu quibuscunque personis in posterum de Beneficiis huiusmodi in Ciuitate & [illegible] si prædictis forsan facienda, Beneficia ad collationem* PROVISIONEM, PRÆSENTA[illegible]NEM SEV QVAMVIS ALIAM DISPOSITIONEM DICTORVM VNIVERSITATIS PERTINENTIA, *nullatenus, nisi de dicta Vniuersitate in gratia huiusmodi specialis & expressa mentio fieret, comprehenderentur, decernens irritum & inane, si secus super iis, à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan erat tunc vel con[illegible] in posterum attentari.* Ne autem pro eo quod eiusdem prędecessoris super[illegible] litteræ Apostolicę super declaratione, voluntate, concessione & [illegible]iusmodi confectæ non fuerunt, de illis valeat hæsitari, Volumus & A[illegible]câ authoritate decernimus, quod declaratio, voluntas, concessio & de[illegible]iusmodi perinde à dicta die non. Decembris, suum sortiantur effe[illegible]er illis litteræ Apostolicæ sub ipsius diei data confectæ fuissent pro [illegible]atur, quodque præsentes litteræ ad probandum plenè declaratio[illegible]m, concessionem & decretum prædicta vbique sufficiant, & ad id probationis alterius adminiculum minimè requiratur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Auenione 4. Id. Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

Seruatur hoc instrumentum in Tabulario Vniuersitatis sub hisce Characteribus C. B Z. Vnde patet Vniuersitati, si quid passa est in iuribus suis, detrimenti, abunde fuisse satisfactum. Ipsa ergo deinceps absque vlla cuiuscunque molestia aut ru[illegible]tione ad vacantem Curiam præsentauit, vt ex Curionum serie, iustitutionisque [illegible] is infra patebit

Primum ergo post tempora Clementis (obiit autem ille an 1294) quantum ex Commentariis Academicis coniicere licet, Curionem nominauit M. Guillelmum Pinguis auis Doctorem Theologum ingentis famæ virum eximiæque prædicationis: quo defuncto sub initium an. 14 9. (quo anno nominandi vices singulis Vniuersitatis Corporibus attribui cœperunt) Theologorum Facultas M. Guillelmum de Cella necanum suum nominauit non sine tamen altercatione & controuersia. quippe nondum consentientibus Nationibus, vt vacantia Benefi-

» ciâ alternis vicibus, quemadmodum iam pluries propositum fuerat conferren-
» tur. Iuuat ea referre quæ leguntur in antiquis Commentariis Nationis Gallicanæ,
» *Die 4. mensis April.* (an. 1429) *Facultate Artium congregata per* D. *Rectorem M.*
» *Ioan. de Gomonte* super 2. art. 1. ad audiendum iuramenta Magistrorum, Examina-
» torum & Baccalariorum Examinandorum. 2. communis. Nationibus ad par-
» tem retractis supplicauit D. Rector dictæ Nationi Franciæ, quatenus quando-
» cunque fieret mentio de collatione Beneficiorum vacantium, *videlicet de Cura S.*
» *Germani Veteris* & de altera Capellaniarum in Castelleto fundatarum, & specia-
» liter *de collatione prædicta Curæ*, quod Natio vellet supplicare Vniuersitati, quod
» ipsum præsentaret. Quam supplicationem concessit prædicta Natio nullo con-
» tradicente.

Die 8. eiusdem mensis vacauit prædicta Curia S. Germani: ortaque est controuersia in Vniuersitate, imò in ipsa Natione Gall. de modo nominandi, quibusdam alternas vices proponentibus, aliis reiicientibus. Ac proinde antequam in eam rem statueretur quidquam, M. Guill. de Longolio Procurator prædictæ Nationis eam conuocauit die 10. April. petiitque quid fieri placeret. *Collectis tandem vocibus Magistrorum à maiori parte* conclusit, *quod non fieret Turnus, nisi sub ista modificatione quod vbi fieret, Natio foret libera in præsentatione, & quod nominaret illum de Natione quem sibi placuerit.*

In ista altercatione mensibus aliquot elapsis, tandem nominatus est *M. Guill. de Cella* Theologicæ Facultatis Decanus: & ita videtur ab eo vicissitudo seu Turnus incepisse, Facultate scilicet Theol. nominante, cui primus locus in Ordine seu Turno Nominationum, si statueretur, non derogabatur. At illo post aliquot annos defuncto rursus agitata est quæstio Turni in successore deligendo. Hac de re sic scribit M. Eustachius de Molinis Procurator Nat. Gall. tum
» Rectore M. Olauo Magno Anglicanæ Nat. *Die 16. Nouemb.* (an. 1435) *nouus Re-*
» *ctor electus fecit duas supplicationes fieri consuetas quæ fuerunt concessæ. Et vnà cum hoc*
» *fuit requisitus per Nationem Franciæ, quod habitâ bonâ concordiâ de prouisione cuius-*
» *dam Beneficij Curati S. Germani Veteris tunc temporis vacantis per obitum bonæ memoriæ*
» *M. Guillelmi de Cella venerandæ Facultatis Theol. Decani, spectantis ad Præsentatio-*
» *nem Vniuersitatis habeat conuocare sæpe & sæpissime Facultatem ad inueniendum bonum*
» *modum concordiæ super Collatione seu præsentatione Beneficiorum Vniuersitatis, donec &*
» *quousque fuerit habita bona concordia de modo conferendi seu præsentandi vnà cum aliis*
» *3. Facultatibus maioribus.*

Quis fuerit tum substitutus successor, non habemus: sicut nec quo anno [illegible]natus sit ab Vniuersitate M. Iacobus Aubry Decretorum Doctor, cui [illegible]tas an 1471. die 13. Iulij contulit vnam è Capellaniis Castelleti; vt patet [illegible]is
Nat. Gall. Sabbati 13. mensis Iulij. Honorandus D. Rector M. Ioan. de [illegible]
» uocauit Vniuersitatem super 2 art. primus fuit super dispositione cu[illegible]
» pellaniæ fundatæ in magno Castelleto Parisiensi .. quantum ad 1. D. Rector ele-
» ganter narrauit in facie Vniuersitatis, quod prædicta Capellania vacauit per
» mortem bonæ memoriæ M. Petri Maugier. Et quod præsentatio illius Capella-
» niæ spectabat ad turnum Facultatis Decretorum. Ipsi præsentauerunt venerabilem
» Doctorem M Iacobum Aubry: quæ præsentatio placuit Nationi, egitque gratias
» longè multas Facultati Decretorum, quæ tam egregium Patrem & eximium Do-
» ctorem præsentauerat.

Eo sub finem mensis Maii aut initio Iunii an. 1480. defuncto vehemens orta est contentio in electione & nominatione successoris. Nam cum eodem tempore vna è Capellaniis in Castelleto fundatis & Curia S. Germani Veteris vacassent; Capellania quidem per obitum M. Io. Pluyette, Curia verò per obitum M. Iacobi Aubry, qui & Capellaniam quoque alteram de Castelleto possidebat, Imprimis dubitatum est inter Nationes Franciæ & & Picardiæ, vtrius esset nominare ad Capellaniam aut ad Curiam. In ipsa quoque Natione Gallicana, magna fuit controuersia: pars vna M. Dionysium Halligret tunc Rectorem Vniuersitatis, altera M. Petrum Donjan nominauit: Natio verò Picardica M. Eligium de Vaugermes, quia contendebat Capellaniam priore loco vacauisse, eo quod M. Ioannes Pluyette post resignationem factam non superuixisset 20. diebus. Ergo tres illi ita nominati petierunt præsentari. Ad cuius controuersiæ decisionem

pluries

pluries conuenit Vniuerſitas. Die 3 Iunii Recuperatores dedit ſeu reputatos, qui Nominatos Nominatorumque iura examinarent. Et illi poſt multas dilationes in Comitiis tandem 15. Iulii habitis vices fuiſſe Nationis Gallicanæ pronunciarunt, & M. Petrum Donian præſentandum eſſe cenſuerunt. Et ita concluſum ab Vniuerſitate, vt fusè habetur in Reg. publicis. Sed placet ea hic referre quæ leguntur in Commentariis Nationis Germanicæ.

Anno quo ſupra (1480) die verò 3. menſis Iunii congregata fuit apud S. Math. alma Pariſiorum Vniuerſitas duobus ſuper art. 1. fuit ſuper ratificatione Nominationis factæ per venerandam Nationē Francorum. 2. fuit communis ſuper ſupplicationibus & iniuriis. Quantum ad primum, honorandus vir M. Halligrer pro tunc Rector Vniuerſitatis ſe ſe nominatum per venerandam Nat. Gall. aſſeuerans petiit ratificari in ſua nominatione & D. Epiſcopo Pariſ. præſentari pro adeptione & legitima poſſeſſione Curæ S. Germani Veteris pro tunc vacantis. Similiter ex parte altera *M. Petrus Diuan (Donjan) ſe nominatum etiam ſub ſigillo Nationis affirmans* inſtanter ſupplicuit non præfatum D. Rectorem, ſed ſe nominatum haberi & D. Pariſ. Epiſcopo aut eius in ſpiritualibus Vicario præſentari, vt ſic prædictam Curam S. Germani cum ſuis iuribus poſſideret. Sic igitur his 2. Suppoſitis Nationis Gall. contendentibus aſſurrexit quidam M. Eligius nomine (de Vaugerme) venerandæ Nationis Picard proponens in facie Vniuerſitatis Nationem Picardorum & non Gallorum ius & turnum habere in præfato Beneficio: ſe autem per prædictam Nationem nominatum petiit ratificari & D. Pariſ. Epiſcopo præſentari. Contendentibus igitur hinc inde partibus concluſit Vniuerſitas neminem præſentare niſi prius diſcuteretur de turno, pro cuius diſcuſſione dedit Deputatos ex omnibus Facultatibus & Nationibus, viros ſcientia, & virtute conſpicuos. Vnum tamen adiunxit veneranda Natio Almaniæ Mater mea, quod nemo præſentaretur pro illa Cura, niſi prius etiam diſcuteretur de quadam Cappellania per mortem bonæ memoriæ M. Ioan. Pluyette, præfatæ Curæ immediati Rectoris, quoniam Curam & Capellaniam poſſidebat.

Videtur confundere Pluyette cum Aubry. Nam ex Reg. Vniuerſitatis clarum eſt prædictum Pluyette Capellaniam quam poſſidebat, reſignaſſe, ſed ante elapſos à reſignatione 20. dies obiiſſe: quæ erat materia diſſidii. Cōtendebat quippe Natio Picardica Capellaniam illam vacaſſe ante vacationem Curiæ, ac proinde Nationem Gal. vices ſuas in eiuſdem collatione adimplere debuiſſe. Clarum quoque eſt M. Iacobum Aubry Curiam ſimul & Cappellaniam alteram quæ Caſtelleti dicitur, poſſediſſe; vtramque verò per eius obitum vacaſſe, Curiam datam fuiſſe D. Donjan; Cappellaniam M. Ioanni Hele à Natione Picard. nominato. Sequuntur alia acta eiuſdem Commentarii Germanici.

Anno vt ſupra die 16. Iunii congregatā fuit apud S. Math. alma Vniuerſitas Pariſ. ſuper 2. art. Primus fuit ſuper auditione eorum quæ DD. Deputati fecerant in diſcordia Nationum & ſuppoſitorum dictorum ſuperius *& ad Curam S. Germani veteris contendentium*. 2. Fuit communis. Quantum ad 1. quoniam DD. Deputati nondum fuerant ad plenum informati, idcoque nihil aliud pro tunc dicere volebant, niſi quod ſingula Regiſtra viſitauerant, & ea quæ pro tunc haberi potuerunt. Sed quia obiectiones ſiue fundamenta iuriſdictionis partium, earum reſponſiones nondum proſpexerunt, licet iam in manibus D. Decani Th. repoſita eſſent, ideo placuit Vniuerſitati ad præfatos DD. Deputatos rem ipſam & diſceptationem remittere. Veneranda tamen natio Almaniæ mater mea ſe oppoſuit præſentationi cuiuſcunque ipſorum, niſi etiam fieret auiſamentum de turno Cappellaniæ ſupra memoratæ vacantis per mortem ſupradicti M. Ioannis Pluyette. Quæ quidem oppoſitio & proteſtatio facta eſt tam in facie Facultatis quàm Vniuerſitatis.

Item ad diem 8. Iulii ſic legitur. *Anno quo ſupra menſis* Iulii die eiuſdem 8 hora 7. congregata fuit apud S. Math. alma Pariſienſis Vniuerſitas ſuper 2. Art. 1. erat ad audiendum acta per DD. Deputatos *ſuper Cura S. Germani veteris vacante*. 2. erat communis. Quantum ad 1. Art. placuit Nationi quod DD. Deputati qui huc-vſque in iis rebus iuſte & ſanctè laboraſſent, inceptum laborem in honorem Vniuerſitatis in bonum finem continuarent.

Anno quo ſup. menſis Iulii die eiuſdem 15. congregata fuit apud S. Math. alma

„ Paris. Vniuersitas super 3. art. 1. erat super auditione DD. deputatorum de Cu-
„ ra S. Germani veteris.. Quantum ad 1. dixit Natio gratias immortales D.Recto-
„ ri & DD. Deputatis qui hanc rem magnâ diligentiâ tractauerunt; & super diffe-
„ rentia Nationis & Nationis, & super differentia suppositi & suppositi eiusdem, au-
ditâ relatione & opinione DD. deputatorum stat cum opinione DD. deputatorum
„ *& præsentat honestum virum M. Petrum Donjan D. Archidiacono.*

„ Secundum ergo hanc nominationem præsentatus est ab Vniuersitate D. Episcopo Paris. M. Petrus Donjan, qui 16. eiusdem mensis & anni collationem obtinuit, vt legitur in Reg. Epis. his verbis. *Die 16. mensis Iulii an. 1480. prædicto Collatio Paroch. Ecclesiæ S. Germani Veteris in Ciuitate Paris. vacantis per mortem defuncti M. Iacobi Aubry Decretorum Doctoris vltimi eiusdem possessoris, in & de Patronatu ac præsentatione Rectoris & almæ Vniuersitatis Paris.* existentis facta est M. Petro Donjan *presbytero in Artibus Magistro præsentato litteratoriè per dictos Rectorem & Vniuersitatem præstitis per eum solitis iuramentis.*

Nihilominus non destiterunt prædicti Alligret & Vaugermes Collationes pro suo iure obtinere, vt habetur in iisdem Reg. *Die 27. mensis Iulii 1480.* Collatio Pa-
» roch. Ecclesiæ S. Germani veteris in Ciuitate Paris. vacantis per mortem defun-
» cti M. Iacobi Aubry Decretorum Doctoris in & de Patronatu ac præsentatione
» Vniuersitatis Paris. existentis facta est venerabili viro M. Dionysio Alligret in
» vtroque Iure Licentiato asserenti se per Decanum seu Seniorem Prouinciæ Paris.
» & nonnullos alios venerabiles Magistros Nationis Franciæ maiorem & saniorem
» partem eiusdem Nationis vt dicebat, facientes & repræsentantes nominato in de-
» negationem siue recusationem sibi per Vniuersitatem factam.

Die 28. mensis & anni prædicti Collatio dictæ Paroch. Ecclesiæ S. Germani Ve-
„ teris, vt præmittitur vacantis facta est *M. Eligio de Vaugermes* in Artibus Magistro
„ per Nationem Picardiæ prætendentem ius nominationis dictæ Paroch. Ecclesiæ
„ ad se pro hac vice spectare, Vniuersitati Paris. litteratoriè nominato & in ipsius
„ *Vniuersitatis præsentationis denegationem & recusationem*, vt asserebat idem M. Eli-
„ gius, facta est eidem M. Eligio.

Verum licet prædictus Alligret diu contenderit & litem exercuerit per annos 23. & amplius, iusque prætérea quod prætendebat se habere, alteri resignasset, substitit tamen semper inconcussa præsentatio Vniuersitatis, & prædictus M. Petrus Donjan Curiam possedit ad mortem vsque: eo autem fatis functo communibus anno 1486. Facultas Theologica, cuius recurrerant vices, M. Petrum Foliot in successorem nominauit, eundemque vnanimi consensu præsentauit Vniuersitas D. Archidiacono Parisiensi: & collationem impertauit 24. Feb. eiusdem anni, vt legitur in Reg. Episc.

Eodem die (24. Feb.) *contulit D. Episcopus, Venerabili viro M. Petro Foliot sacræ Theolog.* professori Paroch. Ecclesiam S. Germani veteris in Ciuitate Paris. de
præsentatione almæ Vniuersitatis existentis vacantis per mortem defuncti M. Petri
„ Donjan nouissimi possessoris in turno ad præsens vt fertur, nominationis Facul-
„ tatis Theolog. Beneficiorum existentium ad præsentationem dictæ Vniuersitatis
„ existentis, *& per eandem Vniuersitatem seu maiorem & saniorem partem Facultatum*
„ *dictæ Vniuersitatis debitè præsentato* in recusationem siue denegationem Archidia-
„ coni Paris. seu eius Vicarii, qui eum ad huiusmodi Paroch. Ecclesiam licet debi-
„ tè per eundem Foliot requisiti, litteras repræsentationis denegarunt aut plus
„ æquo distulerunt.

Anno 1498. ad eandem Curiam per obitum prædicti M. Petri Foliot vacantem præsentauit Vniuersitas M. Nicolaum Dorigny in Iure Canonico Doctorem, suasque ei in eam rem litteras expediri præcepit. Extat Collationis memoria in Reg. Episcop. *Die 7. Septemb. anno 1498. Collatio Paroch. Ecclesiæ S. Germani veteris in Ciuitate Paris. vacantis per obitum defuncti M. Petri Foliot Presbyteri ræ S. Theol. Professoris facta est venerabili viro M. Nicolao Dorigny in Iure Canonico Doctori præsentato in vim litterarum præsentationis Vniuersitatis Parisiensis dictæ Ecclesiæ Patronæ.*

In iisdem Regestis legimus ad diem 15. Decemb. an, 1508. M Dionysium Alligret ius suum M. Guillelmo Guillemin resignasse, causâ tamen permutationis cum Paroch Ecclesia B. Martini in foro Meldensi, eamque resignationem seu

permutationem admissam *in recusationem Vniuersitatis quæ suæ præsentationis litteras eidem tradere recusarat & denegarat.* Verum irrita fuit & inanis collatio eiusmodi. Anno enim 1508. prædictus M. Nicolaus Dotigny resignauit Curiam illam M. Io. Pericard causâ permutationis, annuente & consentiente Vniuersitate, vt habetur in iisdem Reg. Episc.

Anno 1508 die 15. Iulii. Eadem die Collatio Paroch. Ecclesiæ S. Germani vete- 1508.
ris in Ciuitate Paris. de præsentatione almæ Matris Vniuersitatis Paris. existentis vacantis per resignationem venerabilis & circunspecti viri D. Nicolai Dotigny Decretorum Doctoris, D. nostri Regis in sua Parlamenti Curia Paris. Consiliarii, nouissimi eiusdem possessoris cum permutatione & non alias facienda cum venerabili viro M. Ioanne Pericard Clerico in Decretis Licentiato, ad Capellaniam SS. Petri & Pauli in Ecclesia S. Maturini Paris. fundata factam & admissam, facta est eidem Pericard præsenti, præstitis prius hinc inde solitis iuramentis.

Biennio post idem Pericard eandem Curiam resignauit de consensu Vniuersi- 1510.
tatis M. Petrarchæ de Magdalena Doctori Iuris Canonici causâ permutationis. Et ad eam rem est Collatio in iisdem Reg. *Die 10. dicti mensis* (Septemb. 1510.) *Collatio Paroch. Ecclesiæ S. Germani veteris Ciuitatis Paris. vacantis per resignationem M. Ioannis Pericard nouissimi possessoris causâ permutationis & non alias faciendæ cum venerabili & circunspecto viro M. Petrarcha de Magdalena* in vtroque Iure Doctore ad Capellaniam B. Mariæ de Balua-Regina vulgariter nuncupatâ in Ecclesia Paroch. de Bleteranco Bisuntinensis Diœcesis fundatam, facta est dicto de Magdalena per *DD. Rectorem & Vniuersitatem Paris. dictæ Ecclesiæ Patronos præsentato.*

Anno 1515. idem Petrarcha causâ quoque permutationis resignauit M. Domi- 1515.
nico Willemandel (alias le Citier) annuente & probante Vniuersitate. Cuius etiam rei seruatur memoria in prædictis Reg. Episcopalibus. Die 18. aug. 1515., Collatio Paroch. Ecclesiæ S. Germani veteris in Ciuitate Paris. *de præsentatione almæ Matris Vniuersitatis Paris. existentis vacantis per resignationem venerabilis viri M. Petrarchæ de Magdalena nouissimi eiusdem possessoris pacifici*, causâ tamen permutationis faciendæ cum discreto viro M. Dominico Willemandel Presbytero Canonico præbendato Ecclesiæ Carnotensis, & ad huiusmodi Canonicatum & Præbendam facta est eidem Villemandel præsentato.

Anno 1539. intellectum est in Vniuersitate prædictum M. Dominicum spreto Pa-
trono eiurasse sacerdotium suum apud Curiam Rom. in fauorem gratiamque cu- 1539.
iusdam nepotis sui Antonii, dicti le Citier. Natio verò Normanica, cuius tunc erant vices, existimans eo modo Curiam illam vacare, ad eam nominauit M. Simonem Vigor Diœcesis Ebroicensis, tunc suum Procuratorem. Sed viuente Dominico præsentare non potuit. Eius deliberatio & conclusio legitur in Reg. publicis Vniuersitatis ad diem 16 Aug. an. 1539. his verbis.

Sabbati 16 Augusti anno 1539 apud S. Maturini Paris. cœnobium, congregata extitit veneranda Natio Normaniæ in alma Vniuersitate Parisiensi, super prouisione seu præsentatione aut nominatione Parochialis Ecclesiæ S. Germani Veteris Paris. certo modo vacantis. D. Procurator exposuit causam congregationis, & dixit negotium adducendũ minoris non esse momenti, & hac de re non minus attentè audiendũ, quàm maturè consultandum: Etenim cum iam pridem M. Dominicus le Citier Doctor Theologus sancti Germani veteris sacerdotiu ipsius Vniuersitatis beneficio fuerit donatus, & qui eodem cedere, seu ius in alium transferre *Vniuersitate ipsa inaudita, vtpote ad quam ipsius sacerdotii prouisio spectat, non debuerit*: ille tamen in Romana Curia in cuiusdam sui nepotis fauorem cessit pariter & renunciauit, prout fide dignorum testimonio certior effectus fuit; cumque id sibi Vniuersitate spreta, *quæ gentilitio siue laïco, vt dicunt, patronatu gaudet, minime licuerit aut liceat, & hac ratione seu medio sacerdotium prædictum vacare censeatur, ad ipsamque Nationem quæ in turno Beneficiis* ad præsentandũ seu nominandum existit, Ecclesiæ huiusmodi prouidere spectet, petiit super hoc & an ad illud nominare seu præsentare voluerit necne, consultari? His sic in medium adductis, & in ipsa Natione pro more consultis, M. Nicolaus de Brix in sacra Pagina Baccalaureus dixit vacationis adductæ negotium minoris non esse momenti; quod si negligatur seu paruipendatur, in non solum Nationis, sed etiam Vniuersitatis iacturam non modicam cedere dignoscitur; cum sacerdotium huiusmodi qualitate

pensata distribui debeat : etenim cum idem le Cirier eadem Vniuersitate neglectâ cesserit, Vniuersitatis ius pessundari nemo est qui ignoret; & vt huic vulneri medela adhibeatur, ad eandem Ecclesiam modo præmisso vel aliàs quouis modo vacantem, *M. Simonem Vigorem Nationis prædictæ Procuratorem, sine tamen turni præiudicio nominauit seu præsentauit.*

Congregationi huiusmodi præsentes sententiæ prædicti D. Britij se conformauerunt, & eundem Vigorem ad dictam Ecclesiam modo prædicto aut aliàs quouis modo vacantem, sine tamen turni præiudicio nominauerunt seu præsentauerunt.

Natio ipsa consultationibus auditis, & de assistentium vnanimi consensu, *prædictum M. Simonem Vigorem ad huiusmodi Ecclesiam Parochialem, modo præmisso aut aliàs quouis modo vacantem obtinendam, sine tamen turni præiudicio nominauit seu etiam præsentauit*; & cum expressa protestatione per eandem Nationem facta, casu quo huiusmodi Ecclesia vacare minimè comperiretur huiusmodi præsentatio minimè eis obesse poterit *quominus in suo turno remaneat.*

Dixi intellectum in Vniuersitate prædictum Sacerdotium eiuratum à Dominico in gratiam Antonii le Cirier : sed non ita erat : neque resignatio vlla aut eiuratio apparuit, extititve vllibi. Sciebat enim Dominicus non posse fieri spreto Patrono & non consentiente Vniuersitate. Verum nescio quâ collusione cum Patruo Antonius apud Romanam Curiam prædictum sacerdotium iure Caduco seu vt vocant deuoluto obtinuit; item & ab Episcopo Paris. vt legitur in Reg. Episc.

Die 27. Feb. 1539. *Collatio Ecclesiæ Parochialis S. Germani veteris in Ciuitate Paris. facta est iure deuoluto, aut aliàs quouis modo vacet per Reuerendissimum Cardinalem Episcopum Paris. Antonio le Cirier Clerico Paris. Diœcesis.* Protinus ergo ille possessionem init. Dominico verò paulo post fatis functo, eadem Natio Normanica vice suâ adhuc gaudens eundem M. Simonem Vigor tunc Rectorem die vltima Ap. an. 1540. designauit in successorem, & sequenti die Vniuersitati nominauit. Extant in Reg. publicis Vniuersitatis ista monimenta.

Die Veneris vltima April. an 1540. apud S. Mathurinum congregata fuit veneranda Natio Normaniæ in Vniuersitate Parisiensi, super duobus articulis. Quorum prior est *super prouisione Parochialis Ecclesiæ S. Germani veteris Parisiensis per obitum defuncti M. Dominici le Cirier vacantis.* Secundus verò communis. D. Procurator exposuit causam congregationis & dixit die hesterna sibi nunciatum fuisse, D. & M. Dominicum le Cirier Doctorem Theologum non immeritum è viuis excessisse, qui Pastor & Curatus Ecclesiæ S. Germani veteris Parisiensis erat. *Quod sacerdotium ad ipsius Vniuersitatis præsentationem siue vt dicunt, patronatum, & secundum instituta maiorum, & Vniuersitatis ordinem siue turnum ad ipsam Nationem Normaniæ spectare dignoscitur.* Cuius mors quàm molesta fuerit Vniuersitati, nemo est qui in dubium reuocet : vt pote qui vir esset prudentissimus & omnibus numeris absolutus : nunc verò Nationi incumbat ex officio & iure, alium Pastorem deligere moribus & doctrinâ solertem, qui Ecclesiæ prædictæ præficiatur & populo commisso salutarem doctrinam pariter & cæleste illud viaticum & publicum suggerat; cui negotio prouidendum esse dixit. *D. & M. Simon Vigor huiusce Vniuersitatis Rector & Caput dixit, cum semper dictæ Nationis Normaniæ in eum collectam beneuolentiam expertus fuerit, hoc vnum ab eadem Natione addi & ad dictam Ecclesiam nominari supplicuit.*

His sic in medium adductis & in ipsa Natione de more maturè consultis.

D. & M. Rogerius Maribrasse dixit iam pridem præsens negotium in Natione fuisse agitatum : *& tunc Nationem D. Vigorem, nunc Rectorem nouissimè : & vt prius nouissima subsequantur, eumdem Vigorem, ad dictum Sacerdotium modo præmisso vacans aut aliàs quouis modo, quantum sua interest, præsentauit. Magistri Nicolaus de Briz, Richardus Fleury in sacra Theologia Licentiatus, Io. Hurtault, Nicolaus Martimbos, Io. du Hamel, Hernaus Fierabras, Guill. du Quesnay Quæstor, Io. de la Fosse, Io. Pontanus, Marinus Aublay, Michael du Garnier, Robertus Maillart Ludouicus de Hay, Robertus Dalome, Io. d'Orual, Io. Pamiot, Radulphus Daumois, Ægidius Cadouet, Guill. Chasse, Guill. Masseu, Robertus Greaulme, Henricus Bouquet, Ioa. du Puis, Carolus Gobert, Petrus Petiteur, Ioa. Legrand, Reginaldus Vigor, Guillel. Maçon, Ant. du Mesnil, omnes Normani Artium magistri in Vniuersitate Parisiensi commorantes, in*

dicta congregatione exiſtentes vnanimi conſenſu nominauerunt ſeu præſentauerunt eundem Vigorem ad dictam Parochialem Eccleſiam S. Germani veteris. Natio prædicta ex prælibatis deliberationibus, de omnium Præceptorum ſupra nominatorum ipſius Nationis vnanimi conſenſu, nominauit ſeu præſentauit eundem Vigorem ad dictam Parochialem Eccleſiam S. Germani veteris modo præmiſſo aut aliàs quouis modo vacantem, *ſine tamen præiudicio turni ipſius Nationis & alterius collationis* de dicta Eccleſia eidem Vigori forſan factæ. Et ſic cum dicta Natione D. Procurator concluſit.

Sequitur in iiſdem Reg. Nominatio eiuſdem M. Simonis Vniuerſitati facta die 1. Maii.

Sabbati 1. menſis Maii an. D. 1540. Apud S. Math. Pariſ. ædem congregata fuit ſolenniter alma Vniuerſitas Pariſ. ſuper prouiſione Paroch. Eccleſiæ S. Germani veteris Pariſiis per obitum M. Dominici le Cirier vacantis. D. Rector expoſuit cauſam congregationis. D. Procurator Nationis Normaniæ dixit, cum heſternis in dicta Natione Comitiis ſuper prouiſione dictæ Paroch. Eccleſiæ S. Germani veteris modo præmiſſo vacantis habitis conſuleretur, quia Natio in ordine ſiue turno ſtatuta Vniuerſitatis inſequendo ad Beneficiis prouidendum exiſtit, communi omnium aſſenſu Natio prædicta, *virum litteratum M. Simonem Vigorem huius almæ Academiæ Rectorem* & Caput in Paſtorem dictæ Eccleſiæ modo prædicto ſeu aliàs vacantis nominauit, & quem admitti, ac ad ſacerdotium prædictum modo præmiſſo ſeu quouis modo vacans per almam Vniuerſitatem præſentari ſupplicuit.

His ſic in medium adductis & in Facultates pro more conſultis comparuit M. Hieronymus Groſſame, qui petiit ſuper dicendis per eum audiri ac audientiam ſibi concedi, aliàs pro appellante ad ſupremam Parlamenti Curiam ob denegatam ſibi audientiam ſe gerere dixit, prout geſſit.

DD. Decani Superiorum Facultatum & Procuratores Facultatis Artium ſuper eo habito conſilio decreuerunt dictũ Groſſame, licet ſupplicationum tempore non ſupplicauerit nec ſe exhibuerit, eſſe audiendum, prout ita D. & M. Antonij Sarre Rectorio munere nouiſſimè functi organo cum Vniuerſitate ordinatum fuit, dictus M. Hieronymus Groſſame M. Antonii Cirier in Iure Canonico Baccalaurei Eccleſiæ Paroch. S. Germani veteris vt dicebat, Rectoris nomine cum eo exiſtentis dixit cum hac die D. Vigore inſtante & procurante hæc alma Vniuerſitas congregata fuerit, vt ad Eccleſiam S. Germani veteris idem Vigor per hanc Vniuerſitatem præſentetur, & id prælibatus M. Antonius le Cirier reſciuit, id impedire propoſuit. Nempe cum iampridem eodem Vigore in præſentia vt fertur, dictæ Vniuerſitatis Rectore dictam Eccleſiam vacare contenderet, ad illam præſentari procurauit, à qua præſentatione, Vniuerſitatis Concluſione & ſubſecutis præfatus M. Dominicus le Cirier ad ſupremum Senatum appellauit, in quo cauſa pendet indiſcuſſa. Exinde verò idem Antonius le Cirier Reſcriptum Regium in forma ſubrogationis obtinuit. Cuius auditio & cognitio D. Gayant Senatori fuit delegata, & Vigor coram eodem vocatus: ſuper poſſeſſorio verò coram Pariſ. Prætore lis mota eſt. Verum cum hanc Congregationem in dictæ appellationis & inſtantiarum huiuſmodi præiudicium fieri cognouit idem le Cirier, ipſi Vniuerſitati prædictas appellationem & inſtantias remonſtrare curauit, ne quid temere ſiue inconſultè ageret Vniuerſitas; hanc ob rem ne ad præſentationem procedat dicta Vniuerſitas in appellationis cauſâ in ſuprema Curia inſtantiarum coram prælibato D. Gayant ac Pariſ. Cenſore pendentis præiudicium contendit, eundem Vigorem ne aliquid in hoc negotio ordinare ſiue decernere præſumat, recuſando prout recuſauit. Super quibus primitus ſibi fieri ius petiit. Quod ſi ſecus fiat, ad ſupremum Senatum prouocare proteſtatus eſt, ſeu ad illum vel illos ad quem ſeu quos licebit.

Super præmiſſis inter DD. Decanos Superiorum Facultatum & Artium Facultatis 4. Procuratores conſilio habito, quatuor Facultates cenſuerunt hoc modo. Prædictus D. & M. Antonius Sarre nouiſſimè Rectoratu functus *loco D. Rectoris quia de ipſo agebatur*, aſtans dixit præclaram Artium Facultatem hoc modo conſulere. Admittit nominationem à Normanorum Natione de perſona dicti M. Simonis Vigoris nunc Rectoris factam, & quem ad dictam Eccleſiam ſine tamen præiudicio turni præſentat.

" D. Decanus Facultatis Medicinæ dixit Saluberrimum Medicorum Collegium
" hoc modo consulere: Gratam habet D. Rectoris huiusce Vniuersitatis vigilantis-
" simi præsentationem, & illum ad huiusmodi sacerdotium præsentat.
" D. Decanus consultissimæ Decretorum Facultatis dixit ipsam Facultatem su-
" per adductis in consultationem in hunc modum dicere: Negotium censet arduum
" maturèque consulendum; & priusquam aggrediatur D. Vigoreus Rector, priori
" iuri renunciet antequam secundò præsentetur.
" D. Decanus sacræ Facultatis Th. retulit ipsam sacram Facultatem approbare
" nominationem à Normanis factam, illumque D. Prælato ad quem decebit, ad di-
" ctam Ecclesiam præsentat.
" *Vniuersitas ipsa ex ipsis deliberationibus Nominationem personæ* D. Vigoris huius
" almæ Matris Rectoris diligentissimi à Normanis factam approbat, ipsumque ad
" Ecclesiam prædictam S. Germani præsentat. Et ita DD. Decani sacro-sanctæ
" Facultatis Theol. ad id ipsius Vniuersitatis communi assensu deputati organo
" cum ipsa Vniuersitate conclusum fuit. A qua conclusione M. Hieronymus Gros-
" same ad supremam Parlamenti Curiam tanquam ab abusu, seu ad illum vel il-
" los, ad quem seu quos decet, appellauit.

Die 3. Maii idem Vigor Collationem obtinet ab Episcopo Parisiensi, vt legi-
tur in Reg.

« *Die 3. mensis Maii anno 1540.* Collatio Ecclesiæ Paroch. *S. Germani veteris Paris.*
« *de præsentatione DD. Rectoris & Vniuersitatis Paris.* repræsentatione D. Archidia-
« coni Paris. Collatione verò & omnimodâ aliâ dispositione D. Reuerendissimi
« Cardinalis Episcopi Paris. existentis, facta est per D. Reuerendissimum Cardina-
« lem Episcopum Paris. apud locum *de Croissy M. Simoni Vigor Clerico* Ebroicen-
« sis Diœcesis. Signatum super plica *Ioannes Cardinalis Bellayus*, & super plicatum,
« De mandato præhibati Reuerendissimi D. Cardinalis; & propter absentiam Se-
« cretarii prædicti vsi fuimus sigillo accommodato.

Iterū verò idem Antonius le Cirier Collationem eiusdem Ecclesiæ quam viuo Dominico Patruo obtinuerat, eodem defuncto obtinet iure caducario, seu vt vocant deuoluto: quasi iamdiu Ecclesia illa Pastore caruisset. *Die 28. Iulii 1540. col-*
" *latio Ecclesiæ Paroch. S. Germani veteris* in Ciuitate Paris. facta iure deuoluto per
" D. Ioannem Iuuenalem Vrsinum Vicarium Generalem Reuerendissimi Cardina-
" lis Episcopi Paris. per diuturnam vacationem seu aliàs quouis modo vacet, *Anto-*
" *nio le Cirier* Clerico Parisiensi.

Interim possidebat & possedit le Cirier, quia prior possessionem inierat & se Senatus authoritate qui litem euocarat, tuebatur. Vigor obtentâ Vniuersitatis ad causam suam adiunctione Competitorem lite fatigauit per biennium & amplius, nec finis habitus. Eos tandem ad amicam compositionem adduxit M. Ludouicus Quercân Theologiæ Professor permutationibus & compensationibus Beneficiorum Curiam illam sibimet destinans. Imprimis igitur effecit vt prædictus le Cirier ius ad Curiam prætensum cum iure quod similiter M. Ioan. de Mondinot ad Canonicatum & præbendam Ecclesiæ Paris. prætendebat, consentiente Vniuersitate permutaret. Deinde Vigorem cum le Cirier interpositâ pactione & compensatione Beneficii, probante quoq; Vniuersitate coniunxit. Postremò prædicti Mondinot cessionem in gratiam sumet ipsius ab Vniuersitate probari & confirmari curauit. Quibus infra 4. menses actis Pacta Vigoris & le Cirier ad Romanæ Curiæ Tribunal detulit quò firmarentur: cessionem verò seu resignationem Mondinoti ad Episcopum Paris. à quo prædictæ Curiæ collationem obtinuit.

Anno igitur 1542. die Mercurii 2. Aug. in Comitiis Mathurinensibus [illegible] co-
degario à Quercu indictis obtinuit prædictus Ludouicus comprobationem [illegible] nu-
tationis iurium Antonii le Cirier & Ioannis Mondinot: qua de re sic habetur in
" Reg. Vniuersitatis. *Comparuit ibidem scientificus vir M. Ludouicus* [illegible]
" sacræ Theologiæ Professor, qui dixit notabilem & discretum virum M. Anto-
" nium le Cirier nunc Rectorem & Curatum Paroch. Ecclesiæ S. Germani vete-
" ris Paris. eandem Paroch. Ecclesiam resignare intendere scientifico viro M. Ioan-
" ni de Mondinot sigillifero Reuer. Patris D. Archidiac. Paris. causâ tamen per-
" mutationis de eadem faciendæ ad ius per dictum Mondinot in & ad Canonica-

tum & præbendam Ecclesiæ Parisſ. & quos in eadem obtinere solebat nunc defunctus D. Ioannes le Prestreau, prætensum & non aliàs. Supplicuit vt Vniuersitas resignationem huiusmodi ratam & gratam haberi, & eundem Mondinot præsentari vellet & dignaretur. Et si munus huiusmodi dicto Mondinot per eandem Vniuersitatem conferretur, illud perinde existimabat, ac si sibi impensum esset. Exhibuit Procuratorium dicti le Cirier.

Postquam verò omnes Facultates deliberarunt & supplicationi annuerunt, Vniuersitas D. Rectoris organo sic conclusit. *Vniuersitas resignationem sacerdotij S. Germani veteris Paris. modo quo supra fiendam fauore D. supplicantis ratam habet, eundemque Mondinot ad illam dum vacare contigerit, præsentat & litteras præsentationis sibi fieri decernit. Sine tamen præiudicio turni & iurium aliorum.*

Die 28. Nouemb. eiusdem anni Rectore M. Guill. Episcopo, in Comitiis Generalibus postulauit idem Quelain permutationem quam cum Ioanne Mondinot facere intendebat, item pactum & amicam compositionem MM. Simonis Vigor & Antonii le Cirier approbari & confirmari, priusquam ad Rom. Curiam deferretur, & obtinuit. Acta sic habent.

Martis 28. mensis Nouemb. an. 1542. apud S. Mathurini Paris. Cœnobium pro more congregata fuit alma Vniuersitas Paris. super 3. Art. Quorum prior est... 2. verò super præsentatione M. nostri M. Ludouici Quelain ad Paroch. Ecclesiam S. Germani veteris, dum illam medio cessionis M. Ioannis Mondinot vacare contigerit: nec non super admissione cessionis duarum Cappellaniarum ad dictæ Vniuersitatis collationem seu prouisionem spectantium. *D. Rector exposuit causam congregationis, & dixit M. Nostrum Quelain Theologum eximium quoddam sacerdotium quod obtinet, ad S. Germani veteris sacerdotium cuius præsentatio ad ipsam Vniuersitatem spectat, compermutare velle, quiripsius Vniuersitatis præsentationem implorat....*

D. & M. N. Ludouicus Quelain sacræ Paginæ Doctor supplicuit resignationem factam seu fiendam de Paroch. Ecclesia S Germani veteris Paris. causâ permutationis ad Ecclesiam S. Petri de Oratorio Ferrariæ, ratam & acceptam haberi, eum ad dictam Ecclesiam S. Germani quando illam vacare contigerit, & illum Reuerend. D. Paris. Episcopo dum illam vacare contigerit, per ipsam Vniuersitatem præsentari: necnon pacta occasione iuris in & ad eandem Ecclesiam S. Germani, inter MM. Simonem Vigor & Antonium le Cirier & denique ad malignantibus nocendi occasionem auferendam, cessionem seu resignationem de illa in Rom Curia factam per eandem Vniuersitatem laudari & comprobari supplicuit.

Quâ de re postquam singulæ Facultates deliberarunt, & consensum præstiterunt, Rector sic conclusit. *Vniuersitas ex ipsis deliberationibus ac præmissis auditis, imprimis supplicationi Magistri nostri Quelain modo & formâ, quâ prouisionem de dicta S. Germani Ecclesia sibi fieri petiuit, annuit, & illum ad eandem Domino Paris. Episcopo præsentat.*

Extat in Reg. Episc. Collatio eidem Quelain concessa die 30. eiusdem mensis.

Die 30. & vltima Nouemb. Collatio Paroch. Ecclesiæ S Germani veteris in Ciuitate Paris. de præsentatione Rectoris & Vniuersitatis Paris. Collatione verò & omnimoda alia dispositione Domini, existentis vacantis per resignationem Venerabilis viri M. Petri Cobus Procuratoris litteratorie fundati venerabilis etiam viri M. Ioannis Mondinot eiusdem Ecclesiæ vltimi & immediati possessoris pacifici, in manibus D. Ioannis Vrsini Vicarii D. Reuerend. Cardinalis Episcopi Paris. factam & per eum admissam, causâ tamen permutationis de eadem factæ vel fiendæ *cum venerabili & scientifico viro M. Ludouico Quelain Presbytero* Recto[illegible] Ecclesiæ Paroch. S. Petri de Oratorio Ferrariæ Paris. Diœcesis & ad huiusmodi Paroch. Ecclesiam de Oratorio suaque iura vniuersa, non aliàs nec ali[illegible]modo facta est per prædictum D Vicarium præfato M. Ludouico Quelain Presbytero sacræ Paginæ Doctori præsentato.

Anno 1548. Idem M. Ludouicus Quelain eandem Curã eiurauit in gratiã M Gerardi Chefdeville causâ tamen permutationis, quam ab Vniuersitate postulauit admitti in Comitiis die Lunæ 3. mensis Septemb. apud Mathurinenses. *Ibi præsens M. Gerardus Chefdeuille supplicuit se ab ipsa Vniuersitate præsentari ad Paroch. Ec-*

clesiam S. Germani veteris Paris. per resignationem de eadem faciendam per D. & M. Ludouicum Quelain causâ tamen permutationis cum ipso D. Chefdeville Curato Paroch. Ecclesia S. Martini de Ponte-Leuca Diœcesis Cenomanensis, & non alias.

Extat in iisdem Reg. publicis Vniuersitatis instrumentum eiusmodi admissionis atque approbationis.

„ Nouerint vniuersi & singuli quod anno Domini 1548. die 3. mensis Septemb. „ alma Vniuersitas vt moris est apud Cœnobium D. Mathurini congregata super „ nonnullis suis agendis, & inter cætera *super præstat one consensus resignationis Paroch.* „ Ecclesiæ S. Germani veteris in ciuitate Paris. ad præsentationem eiusdem Vni„ uersitatis existentis, quam venerabilis & scientificus vir D. & M. Ludouicus „ Quelain Presbyter sacræ Theol. Professor, modernus eiusdem Paroch Ecclesiæ „ Curatus intendebat de eadem facere, causâ tamen permutationis factæ seu fa„ ciendæ cum venerabili & discreto viro M. Gerardo Chefdeville Presbytero „ Paris. in Artibus Magistro Curato Paroch. Ecclesiæ S. Martini de Ponte Ceno„ man. Diœcesis, & ad dictam Paroch. Ecclesia de Ponte-Leuca & non aliàs. „ *Comparuit ibidem præfatus M. Gerardus Chefdeuille, qui eidem Vniuersitati exposuit* „ *quod præfatus D. & M. Ludouicus Quelain, vt præfertur, huiusmodi Paroch. Eccle*„ *siam S. Germani veteris* causâ antedictæ permutationis resignare cupiebat. Eapro„ pter humiliter supplicuit, vt ipsa Vniuersitas permutationi huiusmodi consenti„ re, suumque consensum ad effectum plenum dictæ permutationis agendæ & per„ ficiendæ præbere dignaretur. Quâ quidem supplicatione factâ maturaque deli„ beratione super præmissis habitâ ipsa Vniuersitas præmissis attentis & conside„ ratis, ac contemplatione dicti D. Quelain huiusmodi permutationi & requisitio„ ni præfatæ, sine tamen præiudicio turni annuit & consensit. Datum & actum „ in dicta Congregatione sub sigillo Rectoris Vniuersitatis præfatæ anno Domini „ & die prædictis.

Secundum præsentationem præfatam, idem M. Gerardus Chefdeville Collationem obtinuit eiusdem Ecclesiæ Paroch. S. Germani ab Episcopo Paris. vt habetur in Reg. Episcop. his verbis.

„ Eadem die 19. Septemb. anno 1548. Collatio Paroch. Ecclesiæ S. Germani ve„ teris in Ciuitate Paris. de præsentatione Rectoris & Vniuersitatis Paris. repræsen„ tatione Archidiaconi Paris. & collatione D. Paris. Episcopi, respectiuè existen„ tis vacantis per resignationem venerabilis viri M. Ludouici Quelain, illius vlti„ mi & immediati Rectoris seu Curati, de illa hodie in manibus D. Ioannis Vrsini„ Vicarii Reuerend. D. Ioannis Cardinalis Bellaij Episcopi Paris. causâ tamen „ permutationis de eadem factæ seu faciendæ cum M. Gerardo Chefdeville Cu„ rato Ecclesiæ de Ponte-Leuca Cenoman. Diœcesis, & ad huiusmodi Paroch. Ec„ clesiam de Ponte Leuca suaque iura & pertinentia vniuersa & non aliàs aliter „ nec alio modo personaliter factam & admissam, facta est per eundem D. Vicarium „ præfato M. Gerardo Chefdeville Presbytero Paris. Artium Magistro litteratoriè „ repræsentato.

Prædicto M. Gerardo an. 1566. fatis functo communibus, in Comitiis Generalibus 10. Maii eiusdem anni supplicauit Theologorum Facultas sibi licere pro sua vice Parochum designare, substituere & nominare, nominauitque M Antonium de Mouchy Doctorem Theologum: quam nominationem Vniuersitas admisit eumque D. Episcopo præsentauit, vt legitur in Reg. communibus eiusdem Vniuersitatis. Idemque postridie Collationem obtinuit, vt habetur in Reg. Episcop.

„ Die 11. mensis Maij 1566. Collatio Ecclesiæ Paroch. S. Germani veteris Paris. „ cuius *præsentatio seu ius Patronatus ad DD. Rectorem & Vniuersitatem Paris.* repræ„ sentatio ad Archidiaconum Paris. Collatio verò, prouisio & alia quæuis disposi„ tio ad Reuerendum Patrem & D. Paris. Episcopum respectiuè spectant & perti„ nent, vacantis per mortem seu obitum defuncti M. G. Chefdeville illius vltimi „ possessoris pacifici, facta est per Reuerendum Patrem D. Guill. Viole Paris. Episcopum *venerabili viro M. Antonio de Mouchy Presbytero Diœcesis Beluacensis, sacræ* „ *Theol. Doctori*, litteratoriè repræsentato, præsentibus venerabilibus viris M. Lu„ douico Bonneau etiam sacræ Theol. Doctore & Adamo Heurtelot Rectore de „ Campo-famoso Diœcesis Cenoman. testibus ad præmissa vocatis.

Idem

Idem M. Antonius triennio post eiurauit prædictum sacerdotium causâ tamen permutationis cum M. Iacobo Burle Doctore Theologo, eamque permutationem curauit ab Vniuersitate approbari in Comitiis die 18 mensis Iulii an. 1569. & ipse Burle præsentatus Episcopo seu Capitulo sede vacante die 20. eiusdem mensis collationem obtinuit, vt habetur in Reg.

Die 20. Iulij anno 1569. Collatio Paroch. Ecclesiæ S. Germani veteris in ciuitate Paris. cuius præsentatio seu Patronatus ad DD. Rectorem & Vniuersitatem studii Paris. repræsentatio verò ad D. Archidiaconum Paris. ratione sui Archidiaconatus, Collatio verò, prouisio institutio & alia quæuis dispositio ad Reuer. Patrem D. Paris. Episcopum pro tempore existentem, nunc autem ad dictum Capitulum dictâ sede Episcopali vacante spectant & pertinent, vacantis per resignationem M. Antonij de Mouchy Doctoris Theologi, illius vltimi possessoris hodie in manibus dicti Capituli per venerabilem virum M. Petrum Moriau insignis Ecclesiæ Paris. Canonicum eius Procuratorem ad id ab eo specialiter constitutum sponte & liberè causâ tamen permutationis de eadem suisque iuribus & pertinentiis vniuersis factæ seu faciendæ cum M. Iacobo Burle Presbytero Beluacensis Diœcesis, Doctore Theologo, Capellano Capellaniæ S. Annæ in Ecclesia Paroch SS. Innocentium Parisiis fundatæ & ad dictam Capellaniam suaque iura & pertinentia vniuersa & non alias aliter nec alio modo factam & admissam facta est per idem Capitulum præfato M. Iacobo Burle.

Anno 1573. die 9. Ian habitis apud Marhurin. Comitiis, Rectore M. Dionysio Hangart, idem M. Iacobus Burle Parochus supplicauit per M. Nicolaum Mulot Doctorem Theologum suum Procuratorem admitti resignationem & permutationem quam facere intendebat cum M. Nicolao Beuvart Doctore Theologo. Qua de re sic legitur in Reg. Vniuersitatis.

Die Veneris 9. Ianuar. 1573 apud Sanctum Marhurinum solenniter vt moris est horâ solitâ congregata extitit alma Paris. Vniuersitas super resignatione causâ permutationis Ecclesiæ Paroch. Sancti Germani veteris in Ciuitate Paris. per M. Iacobum Burle Doctorem Theol Diœcesis Beluacensis, faciendæ ad Capellaniam alterius portionis Capellæ seu Capellaniæ Sancti Dionysii fundatæ & deseruiri solitæ in Ecclesia Collegiata Sancti Germani Antissiodorensis Paris. quam obtinet M. Nicolaus Beuvart Doctor Theol. Diœcesis Remensis. Expositâ per D. Hangart Rectorem causâ congregationis... D. Nicolaus Mulot Doctor Theol. nomine procuratorio M. Iacobi Burle Doctoris Theol. Diœcesis Beluacensis Curati Ecclesiæ Paroch. S. Germani veteris in Ciuitate Paris. prout per Procuratorium signatum de Corbe Notarium Apostol. Curiæ Episcopalis Paris. de die 5. præsentis mensis Ian elegantem habuit orationem & plurimum commendauit eundem M. Iacobum Burle. necnon virtute dictæ Procurationis resignauit huiusmodi Paroch Ecclesiam S Germani veteris causâ permutationis ad Capellaniam alterius portionis Capellæ seu Capellaniæ S. Dionysii fundatæ & deseruiri solitæ in prædicta Ecclesia S. Germani Antissiodorensis Paris. quam obtinere solebat dictus M. Nicolaus Beuvart, eandemque resignationem admitti supplicauit & ad eandem Paroch. Ecclesiam eundem Beuvart D Archidiacono Paris. seu eius in spiritualibus & temporalibus Vicario vel Vicariis præsentari. Idem quoque M. Nicolaus Beuuart Doctor Theologus Diœcesis Remensis ibidem præsens supplicauit huiusmodi resignationem causâ permutationis admitti, & ad dictam Ecclesiam eidem Domino Archidiacono Paris. præsentari.

Postquam ea de re deliberatum est, postulauitque M. Claudius Palliot Nationis Gall. Procurator admitti resignationem saluo iure & sine præiudicio turni suæ Nationis, Rector ita conclusit. *Admittitis resignationem Eccl. siæ Paroch. S Germani veteris causâ permutationis saluo iure turni Nationis Gall.* Et ita vobiscum concludo.

Secundum præsentationem Vniuersitatis Collationem obtinuit prædictus Beuuartius die 11. eiusdem mensis: idque habetur in Reg. Episcopi. *Die 11. prædicti mensis* (Ian. an. 1573.) *Collatio Paroch. Ecclesiæ S. Germani veteris in Ciuitate Paris. cuius vacatione adueniente præsentatio seu ius Patronatus ad DD. Rectorem & Vniuersitatem Paris.* Repræsentatio verò ad D. Archidiaconum Paris. ratione sui

„ Archidiaconatus, Collatio autem, prouisio & alia quæuis dispositio ad D. Paris.
„ Episcopum ratione suæ dignitatis Episcopalis spectare & pertinere respectiuè
„ dignoscuntur, vacantis per resignationem M. Iacobi Burle, illius vltimi possesso-
„ ris hodie in manibus Reuerend. Patris D. Petri de Gondy Paris. Episcopi per M.
„ Nicolaum Mulot Doctorem Theol. eius Procuratorem ad id ab eo specialiter
„ constitutum sponte & liberè causâ permutationis de dicta Paroch. Ecclesia cum
„ M. Nicolao Beuuart presbytero Diœcesis Remensis in sacra Theol. Facultate do-
„ ctore factæ seu faciendæ & ad alteram portionem Capellæ seu Cappellaniæ S.
„ Dionysii in Ecclesia Collegiata S. Germani Antissiodorensis Paris. fundatam &
„ deseruiri solitam, pacificam & non litigiosam suaque iura & pertinentia vniuersa
„ & non aliter factam Nicolao Beuuart per D. Petrum Dreux Archidiaconum de
„ Iosayo ac Canonicum in Ecclesia Paris. Vicarium generalem prædicti Reuerend.
„ D. Paris. Episcopi præsentibus MM. Mathæo Peithuys & Egidio le Sermisit Ca-
„ nonicis S. Germani Antissiod. Paris. testibus.

Post septem menses idem Beuuartius sacerdotium eiurauit causâ tamen permutationis cum M. Egidio Sauant Curiæ Parlamenteæ Senatore Clerico: eamque eiurationem & permutationem postulauit ab Vniuersitate admitti, quæ die 9. mensis Augusti an. 1574. congregata solenniter per Iulianum Beræum Rectorem auditâ procuratione prædicti Beuuartii per M. Germanum Binoys allatâ, postulationi annuit & prædictum Sauantium ad iuramenta solita admisit. Hac de re sic legitur in Reg. Vniuersitatis.

„ Die Lunæ 19. Aug. 1574 apud S. Mathurinum solenniter vt moris est horâ so-
„ litâ congregata extitit alma Vniuersitas studii Paris. super permutatione Curæ
„ Paroch. Ecclesiæ S. Germani veteris in Ciuitate Paris. facienda cum nobili &
„ scientifico viro D. Egidio Sauant in supremo Senatu Paris. Consiliario, Canonico
„ præbendato insignis Ecclesiæ B. Mariæ Laudunensis, & ad huiusmodi Canoni-
„ catum & præbendam pacificos, nullaque pensione annuâ creatâ aut fructuum seu
„ locorum reseruatione grauatos suaque iura & pertinentia vniuersa, expositâ per
„ D. Iulianum De Bere Rectorem causâ congregationis & loco publicis supplicatio-
„ nibus & iniuriis accommodato, ibidem præsens Venerabilis & discretus vir M.
„ Germanus Bynois aduocatus in Curia Ecclesiastica, Procurator & nomine Procu-
„ ratorio venerabilis viri M. Nicolai Beuvart presbyteri Remensis & Doctoris
„ Theol. Rectoris seu Curati prędictæ Paroch. Ecclesiæ S. Germani veteris in Ci-
„ uitate Paris. commorans Parisiis in Collegio Sorbonæ, virtute Procuratorii per
„ eundem Beuuart coram M. Iacobo Raffelin Clerico Paris. publico authoritate
„ Apostolicæ Curiæque Episcopalis & Conseruationis priuilegiorum Apostol di-
„ ctæ Vniuersitatis Paris. Notario iurato & in Registris Episcopatus & Præposituræ
„ Paris. immatriculato de die 7. præsentis mensis Augusti *resignauit huiusmodi Pa-*
„ *roch. Ecclesiam Sancti Germani veteris in manibus D. Rectoris & Vniuersitatis vna cum*
„ *omnibus & singulis suis iuribus & pertinentiis vniuersis sponte & liberè causâ tamen*
„ *Canonica permutationis de huiusmodi Paroch. Ecclesia cum nobili & scientifico viro* D.
„ *Egidio Sauant in supremo senatu Paris.* Consiliario, Canonico præbendato insignis
„ Ecclesiæ Laudunensis & ad huiusmodi Canonicatum & præbendam pacificos
„ nullaque pensione annuâ grauatos suaque iura & pertinentia vniuersa & non
„ alias aliter nec alio modo factæ supplicauitque huiusmodi resignationem admit-
„ ti. Ibidem etiam prædictus Sauant tantundem supplicuit.
„ Auditis deliberationibus singularum Facultarum Rector ita concludit. *E...*
„ *matis admittendam resignationem & eiurationem factam in personam Clarissimi viri* D.
„ *Sauant Consiliarij Regis, neque existimatis esse cogendum vt adhibeat alios testes sua fidei*
„ *& Religionis quàm* D. *Decanum Theologia saluo tamen iure turni Nationis Gall. in tur-*
„ *no existentis.* Et ita concludo. Et ipse Rector in fine suæ Rectoriæ ita scribit D.
„ *Sauant Consiliarius Regius fuit constitutus Curatus Ecclesia S. Germani veteris per eiu-*
„ *rationem* D. *Beuvart.*

Secundum ergo hanc eiurationem idem Sauantius Collationem obtinuit ab Episcopo Paris. die 9. mensis Aug. vt habetur in sæpe memoratis. Reg. Episcopalibus.

„ Die 11. mensis Aug. 1574. Collatio Paroch. Ecclesiæ S. Germani veteris in
„ Ciuitate Paris. *Cuius præsentatio ad DD. Rectorem & Vniuersitatem studii Parisiensis*

repræsentatio autem ad D. Archidiaconum Paris. collatio verò & alia quæuis dispositio ad D Reuerendissimum patrem Episcopum ratione suæ dignitatis episcopalis respectiuè spectant & pertinent, vacantis per resignationem M. Nicolai Beuvart nouissimi & immediati illius Rectoris & possessoris pacifici, hodie in manibus D. Petri Dreux Ecclesiæ Paris. Canonici Reuerend. Patris D. Petri de Gondy Paris. Episcopi Vicarii per M. Germanum Binoys Presbyterum Curiæ Episcopalis Paris. aduocatum, eius Procuratorem specialiter constitutum, sponte & liberè causâ tamen permutationis de eadem, Paroch. Ecclesia suisq; iuribus & pertinentibus vniuersis pacifica & non litigiosa factæ seu faciendæ cum Venerabili viro M. Egidio Sauant Clerico Paris. in supremo senatu Paris. Consiliario & ad Canonicatum & Præbendam insignis Ecclesiæ Laudunensis etiam pacificos & non litigiosos nullaque pensione annuâ creatâ, aut fructuum aut locorum ab eisdem dependentium respectiuè oneratos suaque etiam iura & pertinentia vniuersa, & non alias aliter nec alio modo factæ & per eum admissæ, facta est per dictum D. Dreux Vicarium eidem M. Egidio Sauant sufficienti & idoneo, dictoque Reuerend. D. seu eius D. Vicario *mediante præsentatione eorundem Rectoris & Vniuersitatis litteratoriè repræsentato præsentibus* MM. Ioanne Gilbert dictæ Curiæ Episcop. Notario & Procuratore & Petro de Retz Clerico Catalaun. Diœcesis Parisiis commorantibus testibus.

Anno Domini 1589. prædictus Sauantius Curiam suam eiurauit in gratiam M. Nicolai du Mesnil Doctoris Theologi, eamque eiurationem petiit ab Vniuersitate admitti & approbari. Quam in rem extat instrumentum in Reg. Vniuersitatis his verbis conceptum.

Die 18. mensis Septemb. anno 1589. hodie apud S. Math. solenniter vt moris est hora 8. matutina congregata extitit alma Vniuersitas Studii Paris. super resignatione Parochialis Ecclesiæ S. Germani Veteris in Ciuitate Paris. Exposuit D. Ioannes Yon Rector causam Congregationis, & ita ait. *Audiuimus viri Sapientissimi* D. Sauantium Curatum Ecclesiæ Parochialis Sancti Germani veteris Parisiis hodie in manibus nostris purè liberè & simpliciter dictam suam Parochialem Ecclesiam eiurauisse. Itaque si qui sint supplicatori, supplicent.

Supplicuit D. Ancelin Procurator litteratoriè & sufficienter fundatus dicti D. Sauantii. Et dixit.

Viri ornatissimi habeo præ manibus puram, liberam & simplicem resignationem D. Sauantii.

Itaque quantum possum à vobis contendo, vt prædictam resignationem comprobare & D. Nicolaum du Mesnil Presbyterum, Doctorem Theologum, virum ornatissimum nominare & præsentare velitis & dignemini.

Maturis deliberationibus per singulas Facultates pro more habitis, præclara Artium Facultas approbat puram liberam & simplicem resignationem D. Sauantii: nominat quoque & præsentat D. du Mesnil ad dictam Parochialem Ecclesiam obtinendam saluo tamen iure vicissitudinis & sine præiudicio Nationis in turno existentis.

Medicorum Ordo approbat puram liberam & simplicem resignationem dicti D. Sauantii, & præsentat D. Nicolaum du Mesnil Doctorem Theologum, saluo iure vicissitudinis & sine præiudicio turni Nationis Gall. in turno nunc existen- tis.

...usCollegium approbat eiurationem puram liberam & simplicem D. Sauantii, nominatque & præsentat D Nicolaum du Mesnil Doctorem Theologum ad dictam Parochialem Ecclesiam S. Germani veteris obtinendam saluo iure vicissitudinis & sine præiudicio turni Nationis Gall. in turno existentis.

Sacratissima Theol. Facultas comprobat etiam prædictam puram & liberam simplicem resignationem D. Sauantii: nominat quoque & præsentat D Nicolaum du Mesnil, ea conditione vt intra 3. menses curet prouidere ad suam Parochialem Ecclesiam S. Dionysij Paris. & saluo etiam iure vicissitudinis & sine præiudicio turni Nationis Gall. in turno existentis.

Concordibus votis viri sapientissimi comprobatis eiurationem puram, liberam & simplicem D. Sauantii, & præsentatis D. Nicolaum du Mesnil Doctorem Theol. virum bene meritum saluo tamen iure vicissitudinis & sine præiudicio turni Na-

tionis Gall. in turno existentis. Et ita,per D. Rectorem conclusum extitit. Quo facto Procuta rorNationis prouocauit & appellauit abhuiusmodi conclusione.

Tunc comparuit D. Lucanus & ita ait. Cum Procurator ipse retineat ex consensu totiusNationis eiurationem puram liberam &simplicemD. Sauantii admittendam,secundum præsentationem D.du Mesnil quem admittit & nominat,ideo eadem Natio irritam habet prouocationem Procuratoris NationisGall.& de præmissis actum petiit. Maturis rursuspræhabitis deliberationibu sVniuersitas ipsa ex maturis omnium deliberationibus & studiis approbat puram & simplicem resignationem D.Sauantii, nominatque & præsentat D.Nicolaum du Mesnil iam dictum,non obstante appellatione & sine præiudicio illius & turni Nationis Gall. in turno existentis. Et ita per D. Rectorem rursus conclusum extitit.

Hoc facto adiit prædictus MesniliusD. Episcopum Paris. & præfatæ Curiæ collationem obtinuit ,vt habetur quoque in Reg. Ep. *Die.18. mensis Septemb. 1589. Collatio Ecclesiæ Paroch. S. Germani veteris Paris. cuius quoties occurrit vacatio, præsentatio seu ius præsentandi* ad Rectorem & Vniuersitatem Paris. repræsentatio autem ad D.Archidiaconum Paris. Collatio prouisio & alia quæuis dispositio ad Reuer. Patrem D.Paris. Episcopum respectiuè spectant & pertinent,vacantis per resignationem nobilis & venerabilis viri D. Egidii Sauant illius vltimi Rectoris & possessoris pacifici, hodie in manibus D. Ioannis Preuost Doctoris Theol. insignis Ecclesiæ Paris Canonici, Vicarii Generalis Reuerend. DD. Petri Cardinalis Gondii Paris. Episcopi perM. Ioan. Baudouyn Clericum Gandauensem eius Procuratorem ad id ab eo specialiter constitutum,purè liberè & simpliciter factam & per eum admissam ,facta est per dictum D.Vicarium *M.Nicolao du Mesnil Presbytero Remensis Diœcesis Doctori Theologo sufficienti & idoneo, per Rectorem & Vniuersitatem Paris. præsentato,& per eundem D. Archidiaconum eidem Reuerend.* D. Cardinali vel dicto D. Vicario litteratoriè repræsentato, præsentibus ibidem M. Dionysio Luquin & Io. Fortin in Theologia Baccalaureis testibus.

Anno 1616. defuncto M. Nicolao du Mesnil successit M. Franciscus Riolan Presbyter Diœcesis Parisiensis, præsentatusque est ab Vniuersitate , & secundum ipsius præsentationem ab Episcopo Parisiensi collationem obtinuit, vt legitur in actis Vniuersitatis & singularum Facultatum. *Die 26. Iunii 1616. Collatio Paroch. Ecclesiæ S.Germani veteris in Ciuitate Paris.* cuius occurrente vacatione præsentatio seu *ius præsentandi ad almam Vniuersitatem Paris.* repręsentatio autem ad D. Archidiaconum Paris. Collatio vero,prouisio & quæuis alia dispositio ad D. Paris. Episcopum ratione suæ Episcopalis dignitatis ab antiquo spectare & pertinere respectiuè dignoscuntur,prout spectant & pertinent , vacantis per mortem seu obitum defuncti M. Nicolai du Mesnil Doctoris Theol.illius dum viueret vltimi & immediati possessoris pacifici,facta est per Reuerend.D.Henricum de Gondy Paris. Episcopum M.Francisco Riolan Presbytero Paris. Artium Magistro sufficienti capaci & idoneo *per Rectorem & almam Vniuersitatem Paris. ad nominationem saluberrimæ Facultatis Medicinæ in turno existentis præsentato,* & per eundem D. Archidiaconum Paris. præfato D. Paris. Episcopo litteratoriè repræsentato præsentibus ibidem MM. Dionysio le Blanc Canonico Paris. & Nicolao Bellayo Doctore Medico testibus.

Riolanus Curionis officio functus est ad an vsque 1646. quo in Comitiis die 7. April. habitis ab Vniuersitate postulauit admitti sacerdotii prædicti eiurationem seu resignationem in gratiamM. Henrici Peignè presbyteri ex sorore nepotis. Cuius postulationi subscripsit quidem Vniuersitas ; sed statuto authentico & solenni cautum esse voluit,ne deinceps eiusmodi eiurationes seu resignationes admittetentur. Qua de re sic legitur in Reg. Vniuersitatis.

Septima Aprilis 1646. apud Cholettæos in solennibus Comitiis Rectoriis DD. Pierre Patronus Curię & Vniuersitatis , Pierre Doctor Medicus & D. Riolan Pastor sancti Germani veteris postularunt ab Academia , vti per ipsam liceret eidem D. Riolan eiurare sacerdotium in gratiam ex sorore filii M. Henrici Peigné Presbyteri Diœc. Paris. Licentiati in Decretis. Procurator Fisci postulauit,vt eiusmodi gratia fiat viris de Academia bene meritis, *imposterum verò abdicationes illæ planè explodantur*, hac de re decretum fiat ab omnibus & singulis Ordinibus Academiæ. *Omnes & singuli censuerunt ,vt imposterum eiusmodi eiurationes non admit-*

mittantur; gratia vero fiat viris illis, qui à 30. & amplius annis maxima in Academiam beneficia contulerunt. *De hoc statuto referendum ad Facultates & Nationes.*

Decima Aprilis 1646. Vniuersitas studiorum in Marhurinensi solennem habuit « Synodum, in qua de illius solitudine grauiter conquestus est M. Franciscus du « Monstier Rector, & censuit absentes graui pœnâ mulctandos, quæ ab iis grauius « repetatur, quod vt fiat, manum in iiciendam Iudicis authoritate in eorum censum « annuum; donec præsentem mulctam scilicet nummi aurei & superiores penitus « dissoluerint, nempe MM. Franc. Guilbert & Iac. Azan Cap. de Sauoisy, Ioan. « Haulremps, Cap. Castelleri Paris. Ioa. Fremin & Antonius Baye Cap. Thesauri « Regis & Ioa. le Gentil Cap. B. Mariæ in Ecclesia Parochiali S. Andreæ de « Arcubus: Erita censuerunt omnes & singuli Ordines. Tum M. Henricus Peigné « Presbyter Paris. Licentiatus in Decretis supplicauit pro sacerdotio S. Germani « veteris, cui præfuit per annos 30. M. Franc. Riolan auunculus, illud autem po- « stulauit sibi conferri, eiurante prædicto D. Riolan; cum præsertim ipsius auun- « culi nempe Perræi Patroni, & Medici clarissimi, & Riolani Medici pariter primæ « notæ de Academia sint quàm optimè meriti. «

De hac supplicatione omnes & singuli censuerunt habendam esse rationem meritorum « cum Petraeorum, tum Riclanorum, & ideò conferendum illud Sacerdotium eidem Peigné, vbi constiterit de Professoribus quibus operam dederit; *& æternâ ac ineluctabili lege sanciendum, ne imposterum eiusmodi eiurationes seu resignationes admittantur; ac ne cui liberum sit Academiam hac de causa rogare. Quod vt firmiùs stabiliatur, placuit hac de re à DD. Decanis & Procuratoribus cum ad Facultates superiores, tum ad Nationes referri, & Decretum fieri, quod proximis maioribus Comitiis in Matur. perlegatur. Et ita per D. Rectorem conclusum est.*

Ex iis autem quæ de prædictarũ trium Curiarũ Patronatu diximus, liquet toto trecentorum annorum spatio vnum inuentum duuraxat Claudium Versorium qui spretâ Vniuersitate munerarrice sua, cui fuerant omnes eius aui atauique addictissimi, sacerdotium SS. Cosmæ & Damiani apud Curiam Romanam eiurarit. Adeo persuasum semper habuerunt, quotquot eiusmodi Beneficia ab Vniuersitate acceperunt, talem esse Patronatum ipsius, vt nullâ authoritate Ecclesiasticâ impediri, nullâ præuentione ligari possit.

Omissa ad finem pag. 614. hic reponimus post ea verba, *vt scribit M. Robertus du Gast* Decanus Facultatis Decretorum in Reg. fol. 4. *Die*, inquit, 18. Martii « Mensis anno 1524. Postulauit prædictus DECANVS CAPEL, liceret sibi cum con- « sensu *Vniuersitatis* resignare *Rectoriam*, *& Ecclesiam Parochialem Sancti Cosmæ*, « Quæ est in PATRONATV VNIVERSITATIS. Quod eidem permissum sine præiudi- « cio Ordinis, & Turni Nostræ FACVLTATIS. Et ita conclusit idem DECANVS VACANTE Rectorali Dignitate.

Similiter ad pag. 615. sub initium, post ea verba *fauore Patris Guill. Versoris Patroni Vniuersitatis in Castelleto armati*. His adde quæ leguntur in Reg. Facultatis Medicinæ fol. 6. verso ex Decanatu M. Ioannis Vassæi ad an. 1532. *Die Sabbati* 22. (an. 1532.) vocata est Vniuersitas in locum Maturinorum super rotuli clausione, *resignatione Beneficij Curati SS. Cosmæ & Damiani* & super receptione 25. Librarii Vniuersitatis. Clausus est Rotulus Nominationum. *Admissa est resignatio sine præiudicio Turni, & permutationis causa:* admissus est 25. Librarius Gaufridus Torier dono Regio.

DISSERTATIO IX.

DE CONFLICTV ACADEMICORVM ET Mendicantium.

MVltiplex fuit materia Conflictus, variaque capita dissensionis de Mendicitate voluntaria, de vestiũ mollitie, de curialitate seu assiduâ frequentatio-

ne Palatiorum Regiorum & Imperialium, de Curiositate variorumque negotiorum à Religiosa Professione abhorrentiũ procurario, quam suscipiebant Mendicantes. Sed hasquæstiones omittimus, quia ad rem nostram minus pertinent. Tria præsertim illis obiiciebant Academici, ambitiosam Magisterii & Cathedræ Magistralis occupationem: Societatis Academicæ affectationem : & iurium Parochialium vsurpationem. Placet in hanc rem vtriusque Partis argumenta conferre. Academicorum Athletæ præcipui extiterunt Magistri Guillelmus de Sancto Amore, Laurentius Anglicus, Desiderius Longobardus, Girardus de Abbatis-Villa, qui suam sibi singuli materiam tractandam susceperunt. Girardus quidem librum edidit contra Paupertatem Mendicantium voluntariam, ostendens eos falsò sibi eam ob rem vindicare statũ Religionis perfectum: cuius tale erat initium. *Tantum sibi præsumptionis assumpserunt quidam homines.* Eandem materiam tractauit Desiderius Longobardus. Laurentius Anglicus duos libros contra eosdem scripsit : vnum sub hoc titulo, *Cauendum est à Pseudo-Prophetis* : alterum sub isto. *Defensio M. Guillelmi de Sancto Amore.* Guillelmus verò multa contra eosdem edidit opuscula, multasque conciones quæ extant.

E Mendicantibus multi quoque in arenam descenderunt, Albertus Magnus, Humbertus Prædicatorum quintus Generalis, Thomas Aquinas Dominicanus, & Bonauentura de Balneo Regio Franciscanus. Thomas Guillelmum certaminis principem sibi debellandum suscepit. Bonauentura Mendicitatis voluntariæ Apologiam defensionemque contra Girardum aggressus est.



ACADEMICORVM ARGVMENTA CONTRA ambitionem Magisterii & Cathedræ Magistralis.

GVillelmus multa passim scribit contra eiusmodi affectationem & ambitionem; sed maximè in CollectionibusScripturæ sacræ distinct. 4. de signis quibus Pseudo-Prædicatores à veris prædicatoribus possunt discerni. In 16. autem signo sic scribit.

Veri Apostoli scientes sibi dictum à Domino Math. 23. *Nolite vocari ab hominibus Rabbi*; & in eodem C. *Ne vocemini Magistri* Gloss. id. *ne appetatis vocari Magistri*: vt Euangelicam Christi doctrinam sectentur, magis cupiunt vocari discipuli quàm Magistri: & vbi necessitas non vrget officii, magis cupiũt audire, quã audiri, magis cupiũt discere, quàm velut Magistri docere, iuxta illud Iacob. 1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Ideo dicit Gregor. l. 23. Moral. Sanctæ Vniuersalis Ecclesiæ spiritualis quisque prædicator, si liceat, tacere appetit, cum multis silentium rutius esse cernit, eosque se feliciores putat quos intra S. Ecclesiam locus inferior per silentium occultat: vt dictum est supra dist. 1. § *Sed forte dicit*, vltra medium. Vnde Augustinus quamuis esset Episcopus & ex hoc Prædicator Apostolicus, nihilominus tamen ad Hieronymum in Ep. de Origine animæ ita dicit. *Me quidem audire potius quàm velut Magistrum delectat audiri.* Recolo enim quid eis Dominus dixerit, quos præ cæteris elegit, Vos inquit, *Nolite vocari ab hominibus Rabbi.* Item Seneca. *in hoc incumbe, vt libentius audias quàm loquaris.* Item Seneca in Ep 40. *Summa summarum hoc erit. Tardiloquum te esse iubeo.* Item super Psal. *Domine exaudi. Loquela sit in necessitate, taciturnitas in iocunditate.*

E contrario verò Pseudo-Apostoli, quorum plerique gulam sequuntur, semper autem arrogantes sunt & temporalem honorem quærunt, vt in cœnis plenius procurentur, & tam ibi quàm in Ecclesiis & in Conuentibus hominum amplius honorentur, desiderant habere authoritatem publicè docendi & publicè prædicandi, licet indebitè, & habere nomen Magistri, iuxta illud Math. 23. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas Cathedras in Synagogis.* Gloss. *quia mercedem suæ Religionis gulam sequuntur, & in publico gloriam quærunt.* Et salutationes in foro,

supple, amant, *& vocari ab hominibus Rabbi,id.* Magistri. Item propter arrogantiam suam semper vellent prædicare & docere, quia semper volunt loqui & nunquam tacere; ac si ad hoc per aliquem Spiritum cogerentur: per quod videntur habere spiritum Pythonicum non spiritum sanctum. Nam vt dicit Apost. 1. Cor. 14. *Spiritus Prophetarum* id. Prædicatorum subiecti sunt Prophetis. Gloss. id. *Spiritus sanctus*, qui vnus est in omnibus Prophetis, sed pluraliter dicitur propter plures Prophetas quos replet, vel propter plura eius dona, subiectus est prophetis, id. Prædicatoribus, vt quando volunt, tacere vel loqui possint, non enim cogit eos sicut spiritus Pythonicus, clamare aliqua vel tacere. Isti autem sempor volunt clamare & nunquam tacere. Item Hieronymus io prologo super Habacuc exponens sequens verbum Apostoli 1. Corinth. 14. *Non est enim Deus dissensionis sed pacis*, ita dicit. *Ex hoc intelligitur, cum quis voluntariè reticet, & alii locum dat ad loquendum, posse vel loqui vel tacere cum velit.*

Illi ergo Prædicatores extraordinarii, qui cum non sint Prælati, nec ab iis canonicè inuitati, nunquam tamen volunt tacere, vel ad loquendum alii locum dare, sed plebibus alienis etiam fastidientibus & inuitis quotidie prædicare, videntur non habere in potestate loqui quando velint vel reticere: & ideo videntur spiritum Pythonicum, non Spiritum Sanctum habere. Vnde non expectantes Canonicam missionem non cessant prædicando discurrere, &c.

Illi autem specialiter obligati videntur ad seruandum illam Euangelicam Doctrinam Math. 23. *Ne vocemini Magistri*, sicut & alia Euangelica, qui secundum Regulam B. Francisci vouerunt se seruaturos Euangelium I. C. in cuius Regulæ cap. 1. legitur in hunc modum. *Regula & vita Minorum Fratrum* hæc est. Scilicet Domini nostri I. Christi Euangelium obseruare. In fine verò eiusdem Regulæ continentur hæc verba. *Paupertatem & humilitatem & sanctum Euangelium Domini nostri I. C quod firmiter promisimus, obseruemus.* Constat enim quod omnes Christiani obligati sunt ad obseruandum Euangelium Christi quoad præcepta. Illi ergo qui specialiter prædicto modo vouerant se obseruaturos Euangelium Christi, videntur non solum ad Euangelica Christi præcepta obligari, verum etiam ad omnem Euangelicam Christi Doctrinam, cum specialitas huius voti aliquid debeat operari argumento Decretalis Extra de Priuileg. c. in his. & in Iure, indefinita æquipollet vniuersali, vt solet notari 1. q. 3. cap. Saluator, in fine. Et vbi actor Regulæ non distinxit, immò distinguendum prohibuit, prout in illa scriptura quæ ipsius Francisci dicitur Testamentum, plenius continetur; nec alius distinguere debet, vt solet notari 31. q. 1. cap. *Quod si dormierit.*

Item videtur quod omnes perfecti teneantur seruare, quantum humana permittit fragilitas, omnia consilia Christi. Nam vt dicit Aug. in l. de Vita Christiana. *Qui Christianus dicitur, Christum se habere Dominum profitetur*, & verè esset, id. perfectè esset, si ei in omnibus exequeretur & seruiret. Et post multa verba subiungit: *Christianus ille est*, supple *perfectus*, qui Christum in omnibus imitatur. Ecce quod Christiani perfecti debent Christo in omnibus non solum in præceptis, sed etiam in consiliis obsequi, & eum in omnibus quæ ad assumptam pro nobis eius humilitatem pertinent, quantum sibi possibile est, imitari, &c. Illi ergo Fratres qui se perfectos immò perfectiores aliis profitentur, ad obseruandum vt videtur totam Euangelicam Christi Doctrinam tam in consiliis quàm in præceptis, quantum humana finit fragilitas, obligantur. Si ergo desiderent & procurent se Magistros fieri, vel Magistros vocari, quod est contra Euangelicam Christi doctrinam prædictam, videntur facere contra suam perfectionem & regulam B. Francisci, & frangere votum suum: præsertim cum in cap. 10. eiusd. Regulæ expressè dicatur. *Non curent fratres nescientes litteras, discere litteras: sed attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini & sanctam eius operationem.* Ex quo Capitulo videtur, quod illi Fratres, qui post ingressum illius Ordinis curant discere litteras, quas antea nesciebant, manifestè faciant contra Regulam supradictam.

Sed dicit vir Regularis siue Monachus Cathedræ Magistralis amator, quod per illud Math. 23. *Nolite vocari ab hominibus Rabbi*, & *Ne vocemini Magistri*, non prohibetur quilibet appetitus Magisterij, sed appetitus Magisterii inordinatus vel indebitus: qualem appetitum non habent viri Regulares vt dicunt, cum

non appetant Magisterium nisi propter publicam vtilitatem, nec velint fieri Magistri Scholastici, nisi de consensu Prælatorum suorum licentientur ab illo *qui habet potestatem Magistros licentiandi.*

Sed quod appetitus Monachorum hac parte sit inordinatus, sic potest ostendi. Quicunque appetit quod ei non conuenit, inordinatè vel indebitè appetit illud. *Culpa enim est immiscere se rei ad se non pertinenti.* ff. de Regulis Iuris. L. Culpa. Officium publicè docendi vel publicè prædicandi, quod est Magisterium, Monacho in statu seu gradu Monachali existenti non conuenit, vt ostensum est supra dist. 1. §. Sed dato, & paragraphis sequentibus vsque ad illum §. Verum si Hierarchis, & maximè per B. Bernardum supra dist. 1. §. Secundum igitur prælibatam. Ergo Monachus in statu seu gradu Monachali existens, inordinatè & indebitè appetit illud. Redit ergo ista Conclusio, scilicet quod Monachus appetendo vel adipiscendo Magisterium facit contra doctrinam Christi Euangelicam prædictam. Et si vouit se Christi Euangelium seruaturum, videtur transgredi votum suum. Talem inordinatum vel indebitum Magisterij appetitum reprobat Dominus in Pharisæis hypocritis qui erant Religiosi Iudæorum, dicens Math. 23. *Amant primas Cathedras in Synagogis & vocari ab hominibus Rabbi.* Vnde Glossa ibidem. *Magistros primos sedere non vetat, sed eos arguit, qui hac habita vel non habita indebitè appetunt.*

Item obiicit vir Regularis amator Cathedræ Magistralis illud Hieronymi ad Rusticum Monachum, *Sic viue in Monasterio vt Clericus esse merearis:* multo tempore disce, quod postmodum doceas; & habetur 16. q. 1. cap. sic viue. Item eandem in seq. cap. Si Clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere. Ex quibus concludunt quod Monachi possunt discere & docere, & ex hoc vlterius concludunt, quod possunt Magistri Scholastici esse.

Ad quod dicendum est quod Monachi dum sunt in Monasterio, possunt discere, vt postmodum si fiant Clerici, id. Prælati Ecclesiæ, possint docere id. prædicare, non quod possint Magistri Scholastici esse. Et sic loquuntur Capitula supradicta, vt ostensum est supra dist. 1. §. sed forte dicet.

Item obiiciunt exempla quorundam Sanctorum, videlicet Gregorii, Augustini, Hieronymi: qui licet fuerint Regulares, tamen fuerunt præcipui Doctores Ecclesiæ. Ad quod dicendum est, quod postquam facti fuerunt Monachi siue Regulares, *non docuerunt Scholas regendo, sed libros scribendo & Scripturas exponendo.* Postea verò facti Episcopi vel Prælati, docuerunt publicè prædicando.

Sed obiiciunt de Gregorio Nazianzeno: qui licet Monachus esset, tamen adductus fuit Constantinopolim vt sacram Scripturam doceret, vt legitur, prout dicunt, in Ecclesiastica Historia. Similiter de Ioanne Damasceno, qui licet Monachus esset, tamen non tantùm in sacra Scriptura, verum etiam in *Liberalibus Artibus docebat Scholares*, vt legitur in lib. de Mirabilibus B. Virginis: quem librum non vidimus, nec credimus authenticum esse. Ad quod tamen dici potest quod hoc si verum fuit, factum fuit dispensatiuè propter vrgentem necessitatem Ecclesiæ, videlicet propter penuriam Magistrorum: vnde non est trahendum ad consequentiam. Quemadmodum factum fuit tempore Gelasii Papæ in Ecclesia Italica, quod Monachi facti fuerint Rectores Ecclesiarum Parochialium propter penuriam Clericorum, vt legitur 1. q. 7. §. nisi rigor. Et cap. seq. & dist. 60. Can. Priscis, vt ostensum est supra dist. 1. §. Cum igitur Ecclesia Christi. *Vrgens enim publica necessitas dispensationem inducit.* vt legitur 1. q. 7. Cap. Et si illa.

Item opponunt dicentes, Qui est idoneus ad maius, est idoneus ad minus. Monachus est idoneus ad Cathedram Episcopalem. Ergo multò fortius ad Cathedram Magistralem. Ergo Monachus potest esse Magister Scholasticus. Respondeo Monachus potest fieri Episcopus, quod est maius. Ergo potest fieri Archidiaconus vel secularis Canonicus, quod est minus. Quod est absurdum.

Item dicunt quod ad omne opus misericordiæ potest aliqua Religio institui. Vnde cum docere sit opus misericordiæ, quia inter eleemosynas computatur, ad officium docendi potest aliqua Religio institui: & ex hoc concludunt quod aliqui Religiosi possunt esse *Magistri Scholastici.* Ad quod dicendum est quod prima falsa est. Nam defendere pupillos & viduas & alias miserabiles personas in iudi-

cio

cio est opus misericordiæ, non tamen ad hoc potest Religio institui, quia tale Officium non possunt exercere Relig osi nisi dispensatiuè de mandato Episcopi, vtpote inconueniens suæ perfectioni, vt legitur in Concilio Calcedon. dist. 86. Can. Peruenit. & ostensum est supra dist. 2. in tract. de Curiosis. §. sed forte. Similiter nec conuenit publicè docere Monachali professioni, vt ostensum est multipliciter supra dist. 1.

Alia etiam argumenta inducunt plurima, quæ sunt responsione indigna. Sed certè multum desiderant honorem Cathedræ, qui per talia argumenta nituntur probare *Magistros Scholasticos & solemnes fieri se debere*. Item constat quod Monachi non possunt fieri solennes Magistri Scholastici nisi diu studuerint *in Studio Generali*. Sed dicit Gregorius quod nemo potest Ecclesiasticis, multò minus Scholasticis Officiis deseruire, & in regulâ Monachorum ordinatè persistere. 16. q. 1. cap. Nemo. Quomodo ergo viuet regulariter & ordinatè Monachus qui 20. annis in *Studio Generali* permanserit, & Officiis Scholasticis deseruierit propter Magistralem Cathedram quam se ascensurum sperauit? Item cum periculosum & illicitum existat Monacho in multitudine hominum diutius permanere, vt ostensum est supra dist. 1. §. Adeo enim. quomodo licitum erit ei diutius permanere *in Studio Generali*, vbi est tanta hominum multitudo? Hoc attendens B. Benedictus Monachorum Præceptor eximius, licet nondum esset Monachus sed animo tantum Religiosus, *cum in studio Generali Romæ studeret*, timens ne si forte propter multitudinem hominum & eorum frequentiam aliquid de scientia mundi attingeret, postmodum in immane præcipitium totus iret, idcirco potius eligens scientiâ litterarum carere, quàm in præcipitium ire, recessit à studio litterarum scienter nescius & sapienter indoctus, vt narrat de ipso Gregorius in Dialog 2.

Sed iterum obiiciet vir Regularis Cathedræ Magistralis amator, dicens: Nonne expedit Ecclesiæ Dei quod vir prædicare sciens licet Regularis existat, promoueatur ad Cathedram Magistralem, videlicet vt sit Magister Scholasticus in diuinis Litteris, & nomen Magistri habeat, vt per hoc eius prædicatio disertior reperiatur: & ob hoc libentius audiatur, & magis ei credatur; & sic magis proficiat docendo & prædicando, & etiam vt per hoc studium sacræ Scripturæ ardentius amplectatur, cum tanquam fructum laboris sui sperauerit se tandem Magistralem Cathedram ascensurum? Ad quod dicendum, est quod Magistrum esse vel Magistrum vocari nullam importat necessitatem profectus in prædicatione, sed forte magis prouocat curiositatem. Plus enim plerunque conficit simplex prædicatio viri modice litterati quam multorum Magistrorum prædicatio docta, vt ostensum est supra proximo signo. Sicut etiam patet in Arrio, Sabellio, Eutyche, Nestorio & aliis quàm pluribus: qui licet magni Magistri fuerint in diuinis litteris & magni nominis, tamen non profecerunt in Ecclesia Dei, sed magis defecerunt, quoniam Hæresiarchæ fuerunt.

Item vide exemplum Domini, qui cum inter Discipulos suos haberet quosdam Magistros, videlicet Nathanael qui fuit peritissimus Scripturarum, vt dicit Gloss. super illud Ioan. 1. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* & Nicodemum, cui dixit Dominus Ioan. 3. *Tu es magister in Israel*, tamen non legitur eos misisse ad prædicandum, nec fecisse Apostolos, sed potius misit piscatores & idiotas, quibus dixit Math. 10. *Ecce ego mitto vos Gloss. Discipulis missos vos facio*, vt dictum est supra dist. 1. § Verum si Dominus Papa. Constat autem quod si Magistri nomen vtile esset Prædicatori Ecclesiæ, Dominus potius misisset Magistros prædictos & Apostolos eos fecisset, quàm piscatores & idiotas. Sed placuit Domino per stultitiam prædicationis saluos facere credentes 1. Cor. 1. Gloss. id per prædicatores imperitos mundanæ sapientiæ, qui stulti videbantur. Et hoc ideo, ne eorum profectus attribuatur homini, sed Deo. Vnde super illud. 1. Cor. 2. *vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*, dicit Gloss. *id. non attribuatur homini sed Deo.*

Item esto quod Magisterium Diuinæ scripturæ vel Magistrum esse in Diuina scriptura vtile sit prædicationi, non tamen licitum est viris Regularibus, qui græcè Monachi appellantur, Magistros esse: cùm eis non liceat publicè docere, vel publicè prędicare, dum sunt in inferiori Ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ, id.

in statu Monachali subiecti, nisi fuerint ab Ecclesiarum Prælatis Canonicè destinati: quoniam ex hoc turbaretur & confunderetur Ecclesiastica Hierarchia, vt ostensum est supra dist. 1. ab illo § Sed dato, vsque ad illum §. Verum si Hierarchis & supra ead. dist. 12. signo §. Cum etiam Ecclesiastica Hierarchia.

Item. Illis qui statum humilitatis elegerunt, vt sunt Regulares viri, qui Græcè Monachi appellantur, prout ostensum est supra dist. 1. §. Item certum est, etsi fursan liceret iis publicè docere & Magistros Scholasticos esse, tamen non expedit animabus eorum quoniam in statu Doctorum frequenter periclitatur, quæ in statu auditorum seu discentium facilius conseruatur, vt ostensum est supra ibidem.

Item certum est quod Magisterium, seu publicè prædicandi officium, honor est fine Officium honoris & altitudinis, vt ostensum est supra dist. 1. §. non solum autem. Viri ergo Regulares qui pauperes spiritu se appellant, non debent se erigere ad altitudinem Magisterii, nec propter hoc discere vt fiant Magistri, alioquin pauperes spiritu non sunt, sed verius arrogantes & inaniter gloriosi. Nam sicut dicit Glossa super illud Math. 5. Beati pauperes spiritu. Pauperes spiritu ad nulla alta se erigunt, sed quæ timoris sunt & humilitatis excolunt.

Ad cognoscendum etiam arrogantiam Prædicatoris seipsum extollere vel ostentare volentis, notandū quod quidam ad sermonem prædicationis veniunt tanquā ad cantilenas audiendas, siue ad cantica Theatrorum, videlicet non vt faciant quæ dicuntur, sed vt in audiendo tantummodo delectentur. De quibus dicit Dominus Ezechiel 33. *Filij hominis audiunt sermones tuos & non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos & auaritiam sequitur cor eorum, & est eis quasi carmen musicum, quod suaui dulcique sono canitur.* Tales auditores etsi prædicationem semper laudent, tamen propter eam, vitam suam peruersam non mutant. Qui ergo talibus Auditoribus prædicare non cessant, non tam proficere quàm seipsos ostentare tanquam arrogantes desiderant. Vnde super illud Iob 31. *Si expaui ad multitudinem nimiam*, dicit Gregor. in lib. 22. Moral. *Quoties auditores nostri volunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua peruersa mutare, omnino taceamus.* Ne si ostentandi studio verba Dei loquimur, & illorum culpa, quæ erat esse non desinat, & nostra quæ non erat, fiat. Et infra. Dicet fortasse aliquis. Vnde nouimus quod corde quis audiat? sed multa sunt quæ audientis animum produnt, maximè si auditores nostri & semper laudant quæ audiunt, & nunquam quæ laudant, sequuntur.

Si vero dicatur quod Monachos prædicare scientes melius est publicè docere aut publicè prædicare quàm tacere, eo quod plus proficiunt publicè docendo aut prædicando quàm tacendo. Respondeodum est quod obstat eorum status & professio ac gradus quem tenent in Ecclesiastica Hierarchia, secundū quod illicitū est eis publicè prædicare aut publicè docere, vt ostensū est supra dist. 1. §. secūdum igitur prælibatam &c Obstat etiam authoritas Hugonis de S. Victore 10 lib. quem appellauit Didascalon lib. 5. c. 9. de Religiosis viris sic loquentis. *Liber à culpa non est qui alienum vsurpat officium.* Si Monachus es, quid facis in turba? si amas silentium, cur declamantibus interesse delectat? Tu semper ieiuniis & fletibus insistere debes, & tu philosophari quæris? simplicitas Monachi Philosophia eius est. Sed docere, inquis, alios volo: non est tuum docere, sed plangere. Si tamen esse Doctor desideras, audi quid facias. Vilitas habitus tui & simplicitas vultus, innocentia vitæ & sanctitas conuersationis tuæ docere debent homines. Melius fugiendo mundum doces quàm sequendo. Sed adhuc forte persequeris, & quid inquiens, Nonne saltem si volo, discere me licet? Supra dixi tibi. Lege & occupari noli. Exercitium tibi potest esse lectio, sed non propositum. Doctrina bona est, si incipientium est. Tu verò te perfectum fore promiseras: & ideo non tibi sufficit, si incipientibus coæquaris. Plus aliquid te facere oportet. Considera vbi sis, & quid agere debeas facile agnosces.

Obstat etiam exemplum cuiusdam Abbatis, qui vocabatur Pando, qui cum requisitus fuisset à fratribus suis, vt sermonem faceret Alexandrino Episcopo ad se venienti, respondit, *si in taciturnitate mea non ædificatur, non in sermone meo ædificabitur.* Ac si diceret. Qui in taciturnitate Monachi, quæ pertinet ad eius profes-

sionem, non ædificatur, multo minus in sermone Monachi ædificabitur, cum sermonem facere coram extraneis secularibus viris, præcipuè autem coram Clericis vel Prælatis qui sunt in superiori ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ, non conueniat Monachis qui sunt in ordine inferiori, vt ostensum est supra dist. 1. §. *secundum igitur prælibatum &c.* & supra dict. 2. §. Item *sunt quædam.*

Item boni Prædicatores & sancti qui ad prædicandum ex sola Charitate mouentur, etsi sciant vel credant se posse proficere prædicando, locum tamen prædicationis (cum sit locus honoris vt ostensum est supra dist. 1 §. *Non solum autem*, non ambiunt, sed inuitati vi Charitatis impulsi recipiunt iuxta illud Hebr. 5. Nec quisquam assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Quod si nullus necessitatem prædicandi eis imponit; tunc magis eligunt intendere veritati vacare, quàm publicè prædicare. Vnde super illud 1. Timoth. 3. *Si quis Episcopatum desiderat* dicit Gloss. *Locus superior, sine quo populus regi non potest* etsi ita teneatur & administretur vt decet, indecenter tamen appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit Charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas Charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur suscipienda est propter necessitatem charitatis. Item Augustinus. *Honor te debet quærere non tu honorem.*

Si qui ergo Prædicatores de quorum Canonica vocatione seu missione non constat, præcipuè Monachi siue Regulares viri existentes in gradu Monachali, ex more potius velint docere quàm discere, & audiri quàm audire: & ideo in studio diutius cõmorantes vel apertè vel cautè procurent se ad Cathedram Magistralem vocari; nec non statuta sibi faciant & ab Apostolica sede requirant, quod ex eis fiant publici ac solennes Magistri *in studio generali*: vel etiam cum se purgatos nesciant, nihilominus tamen non inuitati se ingerant, seu non requisiti se offerant prædicaturi plebibus alienis, quod est Officium honoris præcipuè in Conciliis & synodis & conuentibus magnis, nec non in Curiis Regum & Principum & Prælatorum, maximè vbi non apparet vitam Auditorum peruersam mutari, sed tantum Prædicatorum verba laudari, videntur se immiscere rei ad se non pertinenti seu officio quod eis non conuenit, contra Ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Videntur etiam amare primas Cathedras in synagogis & vocari ab hominibus Rabbi contra doctrinam Christi: videntur etiam magis appetere altitudinem quam humilitatem contra suam professionem. Videntur etiam velle docere aut prædicare magis ad ostentationem sui: quàm ad aliorum profectum contra doctrinam Apostoli. Et ideo non videntur esse verè Apostoli, sed potius suspecti haberi possunt, ne fiot Pseudo.



MENDICANTIVM ARGVMENTA PRO Magisterio & Cathedris.

HAs M. Guillelmi rationes plurimi è Mendicantibus confutare aggressi sunt, præsertim verò Bonauentura & Thomas de Aquino. Ille quidem breuiter in opusculo de tribus Quæstionibus ad Magistrum innominatum. Iste vero in libello contra impugnantes Religionem Placet vtriusque viri rationes conferre, vt discat posteritas quàm feruidè gestum sit totum istud negotium, quantisque rationibus hinc inde propugnatum. Sic igitur Bonauentura in opusculo prædicto. PRO CATHEDRA MAGISTRALI MENDICANTIVM.

Innominato Magistro Frater Bonauentura spiritum intelligentiæ & veritatis exoptat. Proponis Charissime, vt tibi tres articuli de Regula Fratrum Minorum absoluantur, de quibus te ostendis pluribus rationibus dubitare: scilicet de Paupertate, labore manuum, *& studio Scholarium & Magistrorum.* Cum enim Regula dicat, quod Fratres non recipiant pecuniam per se vel per interpositam personam, & rursum nec locum nec aliquam rem sibi appropriet, videntur tibi Fra- «

tres in hoc Regulæ contraire, cum tibi videantur pecuniam per interpositam personam recipere, libros habere & domos, cum non possint harum rerum quas habent, Dominos assignare. In labore etiam manuum sibi iniuncto, vt videtur sub præcepto, culpabiles tibi videntur, cum nec Laici laborent in operibus mechanicis, nec Clerici manu propria in libris scribendis, quin potius cum magnis sumptibus faciunt eos scribi, ac si apud se haberent Numismatum percussores. Postremo in studio & Magisterio Fratres condemnas, cum Regula dicat, quod non curent nescientes litteras, litteras discere; Fratres plerumque tam Clerici quàm Magistri, qui etiam in hoc seculo parum aut nihil de Philosophia audierunt, student, recitant, scriptitant, imò quod pluris est, laniant, dissipant, exædificant. Nec videtur tantæ humilitatis professoribus posse competere nomen Magistri, cum hoc videatur Dominus in Euangelio Mathæi suis Discipulis inhibere, quorum nos dicimur imitatores, tanquam professores Euangelij I. C. &c.

Tum postquam ad duas primas Quæstiones respondit, tertiam quæ est de Magisterio, sic aggreditur.

Sed quid dicemus de ascendentibus ad Cathedram, cum Regula dicat quod non curent nescientes litteras, litteras discere, &c. cum etiam Euangelium dicat, *quod nolimus vocari Magistri*. Dico ergo quod Regula non vetat studium litteratis, sed illiteratis & Laicis, Vult enim iuxta Apostolicum quod vnusquisque in ea vocatione quâ vocatus est, permaneat, vt ad Clericatum de Laicatu nullus ascendat, nec vult quod Clerici fiant Laici *Studium* recusando: alioquin ipse transgressor fuisset, qui cum paucas litteras sciret, postmodum in litteris profecit in Ordine, non solum orando sed etiam legendo. Vnde vt scias, quantum sibi placuerit studium S. Scripturæ, audiui ego à Fratre qui vidit, quod cum nouum Testamentum venisset ad manus suas, & plures Fratres non possent simul habere, diuidebat per folia, & singulis communicabat, vt omnes studerent, nec vnus alterum impediret. Clericos etiam quos recipiebat ad Ordinem, in summâ reuerentiâ habebat, & in morte mandauit Fratribus, vt Doctores sacræ Scripturæ in summâ reuerentiâ haberent, tanquam illos à quibus reciperent verba vitæ. Vnde cum nomen Doctoris veneraretur, intelligebat hoc Euangelium non vetuisse, alioquin Paulus Apostolus Euangelio contradiceret qui se 1. Epist. ad Timotheum *Magistrum Gentium* vocat: quod maioris impudentiæ videtur quàm si ab aliis vocaretur. Dico ergo quod secundum Euangelium pompa huius nominis condemnanda est & nullatenus appetenda, sed officium assumendum. Quos enim magis decet Euangelium docere, quàm qui Euangelium profitentur & seruant? Nam cum dicat Euangelium *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum*, quis sanæ mentis dicat, vt Magister & *Frater Alexander dines* (credo legendũ *De Ales*) debuerit prædicare & docere Beati pauperes spiritu, & pauper effectus debuerit reticere? Certè si Fratres decet addiscere & ruminare tanquam munda animalia verba Diuina, & sibi ipsis sufficiunt in docendo, quis tam stultus est vt dicat quod Doctrinam quam eos decet facere & docere, debeant à non facientibus mendicare? Condemno igitur tecum in Magisterio pompam, sed commendo officium. Damno Fratrem Minorem Pomposum, & dico eum Magisterio penitus indignum, sed commendo Studiosum, credens quod nulli magis quàm tali competat authoritas docendi Euangelium Christi.

Restat igitur vt de Philosophantibus aliquid subiungamus *Audi Charissime*, sicut in cæteris, sic in hoc pariter concordemus. Fateor displicent tibi Curiositates, displicent & mihi; & displicent Fratribus bonis & displicent Deo & Angelis suis. Nec defendo circa scripta puerilia mussitantes, sed detestor eos pariter tecum. Vnde & tibi & mihi consulo, vt habeamus zelum secundum scientiam, ne detestemur plus quam oportet. Fortassis enim inter peccata minuta & venialia computandum est. Vix enim grana absque paleis colligi possunt, & verba Diuina sine verbis humanis. Hæc autem omnia separantur per zelum compunctionis & fletum deuotionis, quæ faciunt triticum veritatis à verborum paleis separari. Et fortasse videntur aliqui Curiosi qui magis sunt studiosi. Si quis enim studeret in dictis Hæreticorum, vt eorum sententias declinando magis intelligeret, vt veritatem, nec Curiosus nec hæreticus, sed Catholicus esset, cum verba Philosophorum aliquando plus valeant ad intelligentiam veritatis & eorum confutatio-

nes, non deuiat à puritate in his aliquando studens, maximè cùm multæ sint conclusione fidei quæ sine his terminari non possunt. Vnde si velimus nimis strictè iudicare, fortasse ipsos Sanctos, quod impium est, iudicabimus Curiosos. Nam nullus melius naturam temporis & materiæ describit quàm Augustinus, inquirendo & disputando in libro Confessionum. Nullus melius exitus formarum & propagationem rerum, quàm ipse super Genesim ad litteram. Nullus melius Quæstiones de Anima & de Deo, quàm ipse in libro de Trinitate. Nullus melius naturam Creationis mundi, quàm ipse in libro de Ciuitate Dei. Et vt breuiter dicam, pauca aut nulla ponunt Magistri in libris suis, quin illa reperias in libris Augustini. Lege Augustinum de Doctrina Christiana, vbi ostendit quomodo non potest intelligi sacra Scriptura sine aliarum scientiarum peritia. Ostendit etiam quod sicut filii Israel asportauerant vasa Ægypti, sic doctores Theologi doctrinam Philosophiæ. Vnde multa quæ non didicimus per Philosophos, de dictis Philosophiæ didicimus per Sanctos. Ac per hoc non debet tibi esse mirū si minus fundati Intrantes, fiant in scientiâ in Ordine fundatiores. Sed esto quod ista sint reprehensibilia & purganda, non propter hoc retraharis, quia nullus ad hoc cōpellitur, sed is magis amatur, qui magis est talium aspernator. Nec Prælati talia præcipiunt, sed permittunt. Nec propterea aut quatuor vitiosos debet Magister contemnere innocentes. Et si aliqui abundent libris ad tempus, aliis plerisque multo plus indigentibus poterunt dispensari cum multo plures egeant quam abundent. Nec te moueat quod Fratres fuerunt in principio simplices & illiterati, immò magis debet hoc in te fidem Ordinis confirmare. Fateor coram Deo, quod hoc est quod me fecit vitam B. Francisci eligere, quod non fuit per hominum prudentiam inuenta, sed per Christum: & quia opera Christi non deficiunt, ostendunt hoc opus fuisse diuinum, dum ad consortium virorum simplicium etiam sapientes non sunt dedignati descendere, attendentes illud Apostoli, si quis est inter vos sapiens stultus fiat, vt sit sapiens. Rogo Charissime, vt non nimis abundes in sensu tuo: ne credas te prudentiorem nec meliorem omnibus quos Deus ad statum istum vocauit: & si vocauerit te, non recuses. Vale in Domino.

Similiter Thomas Aquinas opusculo contra Impugnantes Religionem c. 2. conclus. 1.

Patrum dictis Quidam peruersi nostri temporis abutuntur, ea indocti atque instabiles deprauantes, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem, « vt dicitur 2. Petr. vlt. 16. in tantum quod in contrarium errorem labuntur asserentes, quod non licet Religioso Doctoris officium exercere vel suscipere, & quod non debet ei iniungi. Quod quidem falsum esse primò ostendamus, postmodum ad eorum probationes respondentes. «

Primò ergo inducatur Ieronymi authoritas ad Rust. quæ habetur 16. q. 1. *Sic viue in Monasterio, vt Clericus esse merearis: multo tempore disce, quæ postmodum doceas.* 2. Item ad eundem in cap. seq. *Si Clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere.* Ex quibus accipi potest, quod Monachi possint suscipere docendi officium. 3. Hoc idem ostenditur exemplis Sanctorum, qui in Religione viuentes docuerunt, sicut patet de Gregorio Nazian. qui cum Monachus esset, Constantinopolim est adductus, vt sacram Scripturam ibi doceret, vt Ecclesiastica narrat historia. 4. Hoc etiam patet de Damasceno qui cum Monachus esset, scholares non solum docuit in sacra Scriptura, sed etiam in Liberalibus Artibus, vt patet in libro de miraculis Virginis. S. Ieronymus etiam in prologo Bibl. licet Monachus esset, doctrinam sacræ Scripturæ permittit Paulino Monacho scilicet, quod eum docebit: quem etiam ad studium sacræ Scipturę hortatur. De Augustino etiam legitur, quod postquam Monasterium instituit, in quo cœpit viuere secundum Regulam sub sanctis Apostolis institutam, scribebat libros & docebat indoctos. Hoc etiam patet de aliis multis qui Religiosi fuerunt & præcipui Ecclesiæ Doctores.

8. Hoc etiam rationibus ostendere facile est. Doctrina enim sacræ Scripturæ operibus comprobatur Act. 1. *cœpit Iesus facere & docere. Gloss. quod cœpit facere & docere.* bonum doctorem instruit, qui quod docet, facit. Doctrina autem Euangelica non solum præcepta, sed & consilia continet. Conuenientissimè ergo doctrinam Euangelicam docet qui non solum præcepta, sed etiam consilia seruat, cuiusmodi sunt Religiosi.

2. Illi maximè sunt idonei ad docendum, qui maximè diuina per contemplationem capere possunt. Vnde Gregor. in 6. Moral. Quieti *contemplantes sorbeant quod occupati erga proximos loquentes refundant.* Sed ad vacandum contemplationi, præcipuè Religiosi sunt deputati: ergo per hoc quod sunt Religiosi, redduntur magis ad docendum, idonei quàm impediantur.

3. Qui idoneus est ad hoc vt possit assumi ad id quod maius est, & in quo aliud includitur, idoneus debet reputari ad id quod minus est, & quod in maiori includitur: sed Religiosus etiamsi Religio eius non sit ad docendum instituta, potest assumi ad Prælationis officium, vt patet de Monachis per multa Capitula 16. q. 1. Cum ergo Prælationis officium simul habeat etiam personam adiunctam, non debet inconueniens reputari, si Monachus authoritate eius adquem spectat, ad prædictum doctrinæ officium assumatur.

4. Eiusdem est verbo præsentes & scripto absentes docere, vt habetur 2. Corinth. 10. 11. *Quales sumus verbo per Epistolas absentes, tales præsentes in facto.* Sed nullus dubitat quin Religiosi possint docere absentes scripto, cum omnia armaria plena inueniantur operibus siue libris, quos Religiosi fecerunt ad Ecclesiæ instructionem: ergo & præsentes possunt verbo docere. Hactenus Thomas.

His autem & aliis rationibus exactis respondet ad impugnationes Guillelmi 10. conclusionibus.

In 1. quidem respondet falsum esse dicere *Consilium esse Domini de Magisterio vitando*: idque septem rationibus probat. In 2. cum dicitur *nolite vocari Rabbi*, Magisterii elationem, non nomen interdici: quod duplici ratione demonstrat. In 3. Monachum Clericum non solum plangentis, sed & docentis & pascentis officium habere: quod euincit e doctrina Patrum & Decretorum. In 4. falsum esse dicere Magisterii officium esse contra Religionis votum: quod similiter 4. rationibus probat. In 5. falsum esse Religiosos vouere humilitatem, de obedientia. In 6. statum Monachorum poni à S. Dionysio vt distinctum à Diaconis, Presbyteris & Episcopis, quia non erant Clerici. In 7. Monachum legitimè essentialia Religionis posse seruare & Ecclesiasticis deseruire officiis. In 8. Religiosum in supradictis non se extendere vltra suam mensuram. In 9. iniquum esse docere duos non debere esse Doctores in vno Religiosorum Collegio. In 10. denique ostendit numerum Doctorum non magis interdici Regularibus quàm secularibus; nec aliud ex authoritatibus sacræ Scripturæ ab aduersariis euinci posse, nisi quod in vna Schola non possit esse nisi vnus Magister. Denique ex eo quod in uno Religiosorum Collegio multiplicantur plures Magistri, non excludi Seculares à Doctrina, quamuis sint multa Religiosorum Collegia. Quia non semper de quolibet Religiosorum Collegio inueniuntur plures ad docendum idonei. sicut nec aliquis à docendo impeditur propter hoc quod de qualibet diœcesi possint esse tot Magistri quot ad hoc inueniuntur digni, ratione eadem: vt si etiam multi inuenirentur idonei, de vtrisque essent magis idonei præeligendi, siue Religiosi siue Seculares sine personarum acceptione. Nec tamen ex multitudine Doctorum sacra Scriptura venit in contemptum, dummodo sint sufficientes, sed magis ex sufficientia, etiamsi sint pauci. Vnde non est conueniens determinatum numerum Magistrorum esse, ne hac occasione idonei à Magisterio repellantur.

ACADEMICORVM ARGVMENTA CONTRA Societatis affectationem.

1. PEtitur ex 16. q. 7. Ca. In noua actione, vbi dicitur, *In vno eodemque* officio non debet esse dispar professio: quod etiam in lege Diuina prohibetur dicente Moyse. *Non arabis simul in boue & asino.* id, homines diuersæ professionis in vno officio simul non sociabis. Nam cohærere & coniungi non possunt, quibus & studia & vota sunt diuersa. Cum ergo Religiosis & secularibus sit professio dispar, in vno docendi officio sociari non possunt.

2. Cum quilibet morem gerere debeat iis quibuscum viuit, secundum Augustin. inconueniens videtur, vt vnus & idem sit de Religioso & Seculari Collegio simul & semel, non enim potest simul vtrorumque actus imitari. Sic ergo Religiosus qui est de Collegio suæ Religionis, non potest esse de Collegio Secularium Doctorum.

3. Secundum Iuris ordinationem statutum est vt vnus & idem non sit in diuersis Collegiis secularibus, nisi forte per dispensationem: multò igitur minus Religiosus qui est de Collegio suæ Religionis, poterit esse de Collegio Secularium Magistrorum.

4. Quicunque sunt de Collegio aliquo, obseruare tenentur ea quæ ad illud Collegium spectant. Religiosi autem obseruare non possunt ea quæ competunt Collegio Doctorum & Scholarium secularium. Non enim possunt se obligare ad ea, ad quæ alii se obligant, nec iurare quæ alii iurant, vel alia huiusmodi seruare quæ alii seruant, cum non sint sui iuris, sed sub potestate alterius constituti.

Ex iis cuincebant, authoritate etiam Apostolica cogi non posse Academicos admittere ad suam societatem Religiosos 1. Quia secundū Iuris Ciuilis ordinationē nullus ad societatem compelli debet, cum societas voluntate firmetur. 2. Authoritas Apostolica non se extendit nisi ad ea quæ ad Cathedram pertinent. Vnde Apostol. dicebat 2. Corinth. 10. 13. *Nos autem non in immensum gloriabimur sed secundum mensuram regulæ quā mensus est nobis Deus.* Ad Cathedram autem non pertinet studentium societas, sed collatio Beneficiorum, administratio sacramentorum & alia huiusmodi. 3. Potestas Ecclesiæ Ministris collata est non in destructionem, sed in ædificationem, vt dicitur 2. ad Corinth. vltim. 10. Vnde cum in destructionem ordinetur societas Religiosorum & Secularium, compelli non possunt Seculares authoritate etiam Apostolica vt Religiosos ad suam societatem admittant. Hinc cum Anagniæ præsente Papa obiectum fuisset M. Guillelmo, quod dixisset non esse timendam sententiam D. Papæ quantum ad Deum, respondit se dixisse Scholaribus. *Quod ipsi bene defenderent ius suum secundum Deum & iustitiam, quia hoc credebat expedire successoribus eorum futuris.*

RESPONSIONES MENDICANTIVM.

THomas Aquinas ait in 1. Conclusione doctrinam eiusmodi derogare vnitati Ecclesiasticæ, charitati, profectui studiorū & fidei cōmunitati: ponitq; hoc fundamentum, quod communicatio scientiæ, hoc est docere & discere, docendoque & discendo proficere, tam competat Religiosis quàm Secularibus: nec obstare diuersitatem officiorum, propterea quod tam diuersa sint Officia in Ecclesiâ quàm diuersa membra in corpore. Sicut autem oculi sunt in corpore, ita Doctores sunt in Ecclesia. In corpore autem humano oculus omnibus membris prouidet indifferenter: Ergo & quicunque assumuntur ad officium docendi, debent omnibus cuiuscunque conditionis fuerint docendo proficere & Religiosi Secularibus & Seculares Religiosis. Ex his sic ad rem descendit.

Quibuscunque competit aliquis actus, competit admitti ad societatem illorum qui ordinantur ad actum illum, *cum societas nihil aliud esse videatur quàm adunatio hominum ad vnum aliquid communiter agendum.* Vnde & omnes quibus pugna re, licet, possunt communicare in eodem exercitu qui est societas ordinata ad pugnandum. Non enim videmus quod milites Religiosi repellant milites Seculares à suo exercitu, nec è conuerso: sed societas studii est ordinata ad actum docendi & discendi. Cum ergo non solum Secularibus sed etiam Religiosis liceat docere & discere, vt ex prædictis patet, non est dubium quod Religiosi & Seculares in vna societate studii esse possunt.

Ex eo autem quod societas est adunatio hominum ad aliquid perficiendum, ait quod secundum diuersa ad quæ perficienda societas ordinatur, oportet societates distingui & de eis iudicari, cum iudicium vnuscuiusque rei præcipue sumatur ex fine. Et inde est, inquit, quod Philosophus in 8. Ethic. diuersas communicationes distinguit, quæ nihil aliud sunt quàm societates quædam secundum diuersa officia, in quibus homines sibi inuicem communicant. Et secundum has communicationes, amicitias distinguit, sicut eorum qui simul nutriuntur, vel qui simul negotiantur, aut aliquod negotium exercent. Exinde etiam venit distinctio societatis, quæ distinguitur in publicam & priuatam.

Publica societas dicitur secundum quam homines sibi inuicem communicant in vna Repub. constituenda: sicut omnes homines vnius ciuitatis vel vnius Regni in vna Repub. sociantur. Priuata, quæ ad aliquod negotium priuatum exercendum coniungitur, sicut quod duo vel tres societatem ineunt, vt simul negotientur.

Vtraque autem dictarum societatum distinguitur in perpetuam & temporalem. Illud enim ad quod aliqua multitudo vel etiam duo vel tres obligantur, quandoque est perpetuum: sicut illi qui efficiuntur alicuius ciuitatis ciues, perpetuam societatem ineunt, quia mansio Ciuitatis eligitur ad totum tempus vitæ hominis: & hæc est *societas Politica.* Similiter etiam societas priuata, quæ est inter virum & vxorem, & dominum & seruum, perpetuò manet propter perpetuitatem vinculi quo colligantur: & hæc societas vocatur *Oeconomica.* Quando verò negotium ad quod multitudo congregatur temporaliter exercendum eligitur, non est societas perpetua sed temporalis: sicut quod multi negotiatores ad nundinas conueniunt, non vt ibidem perpetuò moretur, sed donec negotia expleant: & hæc est societas *priuata & temporalis.* De his ergo societatibus diuersimodè iudicandum.

Iam verò respondet ad obiecta. Et 1. ad illud, *quod in vno & eodem officio non debet esse dispar professio &c.* Sic esse intelligendum, quantum ad illud, in quo diuersificantur. Sicut quod Laici & Clerici socientur in his quæ pertinent tantùm ad Officium Clerici. Vnde ante prædicta verba præmittitur, *Indecorum est Laicum, Vicarium Episcopi esse & viros Ecclesiasticos iudicare.* Similiter etiam non potest Religiosus sociari Seculari in illo, in quo Secularis à Religioso diuersificatur, vt in negotiis seculi exercendis quæ sunt Religioso prohibita. 2. Ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Officium autem docendi & discendi est commune Religioso & Seculari, vt ex supradictis patet. Vnde nihil prohibet Religiosos Secularibus in vno officio docendi & discendi sociari: sicut diuersæ etiam conditionis homines vnum Corpus Ecclesiæ constituunt, secundum quod in vnitate fidei conueniunt. Ad Galat. 3. 28. *Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina, omnes enim vos estis vnum in Christo Iesu.*

Ad id quod 2. obiicitur, dicit quod sicut quædam sunt communia Religiosis & Secularibus: quædam autem sunt in quibus differunt, ita est quoddam Collegium quod est tantum Secularium, secundum quod adunantur quidam homines ad ea perficienda quæ ad Seculares tantum spectant. Aliquod autem est Collegium Religiosorum tantum, in quo scilicet aliquid agitur ad Religiosam vitam ducendam. Aliquod autem est quod est Religiosis & Secularibus commune: quia in illo adunantur homines ad hoc, in quo Religiosi à Secularibus non distinguntur: sicut Religiosi & Seculares communiter sunt de Collegio vnius Ecclesiæ Christi, in quantum in vna fide conueniunt, quæ Vnitatem Ecclesiæ perficit.

Similiter

Similiter quia docere & discere communiter Religiosis & Secularibus competit, Collegium Studii non debet censeri quasi Collegium Religiosorum, vel quasi Collegium Secularium, sed quasi Collegium in se comprehendens vtrosque.

Ad 3. Quod nullus potest esse de duobus Collegiis, respondet quod illa ratio tripliciter deficit. 1. Quia pars non ponit in numerum contra totum. Collegium autem priuatum pars est Publici Collegij, sicut Domus est pars Ciuitatis. Vnde per hoc quod aliquis est de Collegio alicuius familiæ, ex hoc ipso est de Collegio Ciuitatis quæ ex diuersis familiis constituitur, nec tamen est ex duobus Collegiis. Cum ergo Collegium Studii sit publicum Collegium, per hoc quod aliquis est de Collegio priuato aliquorum Studentium, sicut qui conueniunt ad conuiuendum in vna domo Religiosa vel Seculari, hoc ipso est de Collegio communi Studii, nec propter hoc est de duobus Collegiis.

2. Prædicta ratio deficit ex hoc, quod nihil prohibet aliquem esse de vno Collegio perpetuo publico vel priuato, & simul & semel esse de aliquo Collegio publico vel piuato temporali; sicut ille qui est de Collegio alicuius Ciuitatis, quandoque est ad tempus de Collegio commilitantium in vno exercitu, & qui est de Collegio alicuius familiæ, potest ad tempus aliquibus sociari in aliquo hospitio. Collegium autem Studii non est Collegium perpetuum, sed temporale. Non enim ad hoc homines ad Studium conueniunt, vt perpetuò ibi morentur, sed vadunt & veniunt pro suo libito. Vnde nihil prohibet eum qui est de Religioso Collegio perpetuo, simul esse de Scholastico.

3. Prædicta ratio fallit, quia illud quod est speciale, ad omnia extendit. Hoc autem quod vnus non possit esse de duobus Collegiis, intelligitur de Collegiis Ecclesiasticis: quia vnus non potest esse Canonicus in duabus Ecclesiis absque dispensatione vel causa legitima. Vnde dicitur 21. qu. 1. *Clericus ab instanti tempore non numeretur in duabus Ecclesiis.* In aliis autem Collegiis locum non habet. Vnde vnus & idem homo potest esse Ciuis in duabus Ciuitatibus. Vnde cum Collegium Scholasticum non sit Collegium Ecclesiasticum, nihil prohibet eum qui est de Collegio aliquo Religioso vel seculari, esse simul de Collegio Scholastico.

Ad id quod 4. obiiciebant Academici, dicit quod Religiosi non possunt esse de Collegio Secularium, nisi quatenus licet eis docere & discere: quod non possunt absque moderamine & licentia suorum Superiorum; ex quorum etiam licentia & iuramenta & Colligationes licitas & expedientes facere possunt, vt sic in Collegio Scholastico numerentur. Sciendum tamen quod cum perfectio totius consistat in partium adunatione, illud toti non expedit in quo partes conuenire non possunt, quia hoc perfectioni totius repugnat. Vnde & Ordinationes quæ in Repub statuuntur, tales debent esse, quæ omnibus qui ad rempubl. pertinent, coaptentur: magis verò essent remouendæ Ordinationes à Repub. quæ adunationem Ciuium impedirent, quàm aliqua scissura Reipub. toleranda: quia statuta sunt propter vnitatem Reipub. conseruandam, & non è conuerso. Similiter etiam in Collegio Scholastico non debent esse aliqua statuta, quæ non possint congruere omnibus qui ad Studium licitè conueniunt.

Ad id verò quod de potestate Apostolica obiiciebant Academici, respondet eos arguendo falsitatis & hæreseos. Quia vt dicitur in Decretis dist. 22. Ca. Omnes. *Qui Rom. Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur.* Et infra. *Fidem quippe violat, qui aduersus illam agit quæ est fidei mater.* Hoc autem priuilegium Christus Rom. Ecclesiæ contulit, vt omnes ei sicut Christo obediant. Vnde dicit Cyrillus Alexandrinus Epist 1. l. 2. Thesaurorum. *Vt membra maneamus in Capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontifice, à quo nostrum est quærere quid credere & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes pro omnibus, quoniam ipsius solum est reprehendere, corrigere, & loco illius ligare qui ipsum ædificauit; & nulli alij quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, & Primates mundi tanquam ipsi Domino I. C. obediunt.* Vnde patet quod quicunque dicit non esse obediendum his quæ per Papam statuuntur, in hæresim labitur.

Quod etiam obiiciunt quod nullus potest cogi ad societatem inuitus, vt lex dicit, patet quod intelligitur de priuata societate quæ consensu duorum vel trium constituitur. Sed ad societatem publicam quæ non potest constitui nisi ex superioris authoritate, aliquis compelli potest. Sicut Princeps qui præest Reipub. potest compellere Ciues, vt in sua societate aliquem recipiant: sicut etiam Collegium alicuius Ecclesiæ cogitur, vt aliquem recipiat in Canonicum vel in fratrem. Vnde cum *Collegium Studii Generalis* sit aliqua societas, ad eam aliquis induci potest authoritate superioris cogente.

Item ad id quod dicebant Academici coactionem eiusmodi non pertinere ad Cathedram, respondet hoc esse falsum. Quia ad eum qui regit Rempub. pertinet ordinare de Nutritionibus & adinuentionibus iuuenum, in quibus exerceri debeant, vt dicitur 10. Eth. Vnde & Politica, vt 1. Eth. dicitur ordinat quas disciplinas debitum est esse in Ciuitatibus, & quales vnumquemque oportet discere & vsquequo. Et sic patet quod ordinare de studio pertinet ad eum qui præest Reipub. Et præcipuè ad authoritatem Apostolicæ sedis, quâ Vniuersalis Ecclesia gubernatur, cui per Generale Studium prouidetur.

Vltimo respondet societatem prædictam non esse ad destructionem studii sed ad eius profectum, si Religiosi secularibus in studio socientur. Vnde, inquit, nulli dubium esse debet Seculares compelli posse authoritate Apostolica, vt ad societatem studii Religiosos admittant. Hæc Thomas.

Verum (quod tanti viri pace dixerim) non omnino satisfacere videtur Academicorum argumentis. Etenim non agebatur tantum de admittendis aut non admittendis ad societatem disciplinæ seu ad docendum & discendum Mendicantibus: sed insuper ad intimam Reipub. litterariæ gubernationem. Et præcipua difficultas erat de obseruatione statutorum Academicorum. Vetus erat Vniuersitatis consuetudo cessare à lectionibus, si non aliter habere posset reparationem iniuriarum. Nolebant parere Mendicantes, suorumque Superiorum præcepta aut interdicta Ordinisque sui Regulas obtendebant. Vnde non videbantur argui posse Academici, quod contumaces & rebelles ad societatem suam admittere nollent. Quippe eos hoc spiritu elatos, & priuilegiorum aut statutorum Ordinis religione sese tutantes aduersus Academiæ mandata, homines admittere nihil aliud erat, quàm hostes ad intimam rerum communium administrationem admittere; quod erat ad destructionem studii tendere & properare. Sicut si Imperator delectum faciens, milites conscribere cogatur detrectantes sacramentum præstare; aut paterfamilias seruos contumaces cum liberis admittere; quid erit aliud quàm dissipationem exercitus familiæque dissidium exitiumque procurare? Sic ergo stabat Academicorum argumentum *Non arabis simul in boue & asino*. Vnde inferebant secundum Glossam, non posse coniungi & cohærere homines *quibus studia & vota essent diuersa*.

Præterea nimium videbantur Mendicantes tribuere summo Pontifici, ad imminutionem nempe Regiæ Maiestatis Principalisque authoritatis, imo & libertatis Naturalis. Non enim minus est Principum quàm Papæ disponere de Scholis & Scholasticis Vniuersitates instituere; vt ait & probat Choppinus de Domanio Franciæ l. 3. Item tam Collegia seu societates eiusmodi, quàm Decreta illicita sunt, nisi Princeps fieri permittat & indulgeat. Illius enim interest maximè, videre, quinam homines coniungi debeant & collegia possint instituere; cuius est Regni sui saluti, quieti & tranquillitati inuigilare. Igitur tribuere summo Pontifici potestatem cogendi Academicos absolutè admittere Mendicantes ad societatem suam Collegiumque inconsulto aut non annuente Principe, cuius est prouidere quid boni maliue ex eo prouenturum sit, ne quid turbarum ex coniunctione eiusmodi corporum potius quàm animorum defluat, omnino est Regiam Maiestatem authoritatemque minuere. Esto enim Pontifex potestatem illam supremam exercere possit in Collegia omnino Ecclesiastica, puta in Capitula Societatesque Canonicorum; in ea tamen quæ sunt alterius generis quæque à Principe seculari dependent, nemo est qui non videat parem non esse rationem.

Quid quod eiusmodi coactio videbatur libertatem naturalem minuere? Nihil enim est magis naturale, quàm amicos sociosque deligere, quibuscum viuas pa-

-tificè ſeu in perpetuum ſen ad tempus. Alioquin inteſtinis odiis eſſet dare locum, quæ ſæpe in exitium publicum erumpunt. Ex his ſibi perſuaſum habebant Academici nullatenus ſe cogi poſſe legitimè ad contrahendum illam ſocietatem, & contra omnia fulmina auſi ſunt Romanam Eccleſiam Conciliumque Generale appellare. Nec fateri detrectauit Anagniæ Guillelmus de S. Amore præſente Alexandro Pontifice & Collegio Cardinalium, ſe factâ congregatione Magiſtrorum & Scholarium monuiſſe, poſſe eos *nihilominus ius ſuum defendere ſecundum Deum & iuſtitiam, quia credebat hoc expedire ſucceſſoribus eorum futuris.*



ACADEMICORVM ARGVMENTA CONTRA Iurium Parochialium vſurpationem.

EX quo inſtituta ſunt Mendicantium ſodalitia, hic fuit ſemper lapis offenſionis. Academici qui Eccleſiæ Gallicanæ Libertates ab omni æuo pro poſſe propugnarunt, eorum priuilegia non ſemel quoque oppugnarunt, quia ad libertatum illarum aut ſuppreſſionem aut depreſſionem ea tendere videbant. Igitur M. Guillelmus & qui cum eo ſentiebant, negabant 1. Eos poſſe prædicare niſi legitimé & Canonicè miſſos. 2. Confeſſiones Laicorum excipere 3. Prælatos licentiam prædicandi & confeſſiones excipiendi dare poſſe. 4. Neque ipſummet ſummum Pontificem poſſe concedere niſi ſub certa ratione. Vnde 5 inferebant nec poſſe Religioſos facultatem eiuſmodi citra ambitionis notam petere; qui verò contra facerent, eos Pſeudo-Prædicatores appellabant.

Pſeudo-Prædicatores, inquit Guillelmus Tractatu de Periculis nouiſſimorum temporum c. 2 ſunt omnes qui prædicant non miſſi, quantumcunque litterati & ſancti ſint, etiam ſi facerent ſigna vel miracula. Rom. 10. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Gloſſa *Non ſunt veri Apoſtoli niſi miſſi.*

Nulla enim ſigna virtutum eis teſtimonium perhibent. Et ſicut dicit Cyprianus diſt. 50. Can. Si quis præpoperè; *Mandant Martyres aliqua fieri.* Sed ſi in lege Domini ſcripta non ſunt quæ mandant, ante eſt vt ſciamus eos à Deo impetraſſe quod poſtulant. Miſſi autem non ſunt, niſi qui ab Eccleſia rectè eliguntur, ſicut nec à Deo vocantur niſi qui eliguntur Hebr. 5. *Nec quiſquam aſſumit ſibi honorem niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Gloſſ. à Deo vocatur qui rectè eligitur. Ab Eccleſia verò rectè eliguntur Epiſcopi qui Apoſtolis ſucceſſerunt, & Parochiales Preſbyteri qui Diſcipulis 72. ſucceſſerunt & eorum loca tenent. diſt. 21. Can. in Nouo Teſtamento. Vnde Lucæ 10. in Principio dicit Gloſſ. ſicut in 12. Apoſtolis forma eſt Epiſcoporum, ſic in 72. Diſcipulis forma eſt Preſbyterorum. Nec plures ſunt in Eccleſia Gradus ad regendam Eccleſiam conſtituti. Vnde Chorepiſcopi quia Officium Epiſcoporum in aliquo vſurpabant, ab Eccleſiâ ſunt ſublati. Cum enim non amplius quàm duos Ordines inter Diſcipulos Domini eſſe cognouerimus, id. 12. Apoſtolorum & 72. Diſcipulorum, vnde iſte tertius Ordo proceſſerit, funditus ignoramus, & quod ratione caret, extirpari neceſſe eſt. Ita legitur diſt. 68. C. Chorepiſcopi.

Si quis verò obiiciat de Archidiaconis aut de Vicariis, qui vice aliorum exercent curam animarum, dicimus quod tales poteſtatem habent in Eccleſia tanquam Opitulatores, id. opem maioribus ferentes. Vnde Apoſt 1. Corinth. 12. *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundò Prophetas*, tertiò Doctores: deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, id. vt inquit Gloſſa, *Qui maioribus ferunt opem, vt Titus Apoſtolo, vel Archidiaconi Epiſcopis.* Nullus ergo habet regimen animarum niſi Epiſcopi & Parochiales Preſbyteri, aut eorum Opitulatores eis opem ferentes, vel ab eis legitimè inſtituti aut vocati.

Sed dicet quis, Omnes prædicare poſſunt qui habent authoritatem D. Papæ aut Epiſcoporum Diœceſanorum: cum dicatur Extra de Hæret. Cap. *Excommunicamus.* §. Quia verò, Omnes qui prohibiti vel non miſſi præter authoritatem à Sede Apoſtolica vel Catholico Epiſcopo loci ſuſceptam, publicè vel priuatim

prædicationis officium vsurpate præsumpserint, Excommunicationis vinculo innodentur. Respondemus quod de potestate D. Papæ aut Episcoporum nolumus disputare; veruntamen cum secundum iura tam diuina quàm humana in vna Ecclesia non possit esse Rector nisi vnus, alioquin Ecclesia non esset sponsa sed scortum. q. 2. cap. Sicut in vnaquaque. Et in vna Ecclesia non debeant esse plura Capita, ne sit monstrum. Extra de Officio Iudicis Ordinarij. Cap. quoniam in plerisque. Quoniam etiam in Ecclesiarum regimine Officium prædicationis existit præcipuum, sicut Ordo Prædicatorū est præcipuus. Extra de Hæret. Cap. Cum ex iniuncto. Si forte D. Papa aliquibus personis concedat potestatem prædicandi vbique, intelligendum est, vbi ad hoc fuerint inuitati: quia etiam Episcopi nisi inuitati fuerint ad hoc, vltra diœcesim accedere non debent super aliquibus Ecclesiasticis disponendis. 9. q. 2. cap. *Non inuitati*. Non enim Princeps per mandata sua vult præiudicium Iurisdictioni alterius generari. Extra de vsupallij Cap. Ex tuarum tenore. Extra de Off. Iud. Ordin. Cap. Licet. ff. Ne quis in loco publico. Lege 2. §. Si quis à Principe. Ne quod absit, inde videantur nasci iniuriæ, vnde iura nascuntur. Cap. Vnde vi. Meminerint cuncti. Et Extra de Accusationibus. cap. Qualiter & quando. Imò sibi iniuriam facit Apostolicus qui fratrum suorum iura perturbat 25 q. 2. cap. Quod verò dicitis. Et cum secundum Apostolum nullus debeat gloriari in commissis alterius regimini. 1. Cor 10. *Non in immensum gloriabimur vltra mensuram regulæ quā mensus est nobis Deus*. Gloss. id. vltra mensuram à Deo mihi populum, cuius ego sum regula ad dirigendum. Non est verisimile quod D. Papa contra doctrinam Apostoli Pauli infinitis vel pluribus licentiam concedat prædicandi plebibus alienis, nisi á Plebanis fuerint inuitati; cum dicat Capitulum *Sunt Quidam* 25. q. 1. Quod si Rom. Pontifex, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur. Ipse enim Apostolus plebi alienæ prædicare nolebat ob rationem iam dictam: & ne super alienum fundamentum ædificaret, vt legitur Rom. 1. *Sic autem prædicaui Euangelium, non vbi nominatus est Christus*, ne super alienum fundamentum ædificarem Gloss. *ne prædicarem iam per alios conuersis*. Et 2. Cor. 1. Non in immensum gloriantes in alienis laboribus. Gloss. vbi alius fundamentum fidei posuisset. Et infra. *Non habentes spem gloriari in aliena Regula*. Gloss. in commissis alterius regimini.

Item si vna persona vel infinitæ personæ habeant potestatem prædicandi vbique non inuitati, cum hoc sit potissimum officium Episcoporum, iam erunt infiniti Episcopi vniuersales, quod est contra Iura, videlicet vt aliquis sit Episcopus vniuersalis vel esse dicatur dist. 99. cap. Nullus. & cap. Ecce.

Item constat quod omnibus illis qui prædicant ex potestate, debetur Procuratio siue sumptus. 1 Cor. 9. *Ordinauit Deus iis qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere*. Ergo si infinitæ personæ habeant potestatem prædicandi in qualibet Ecclesia, debebit infinitas procurationes, quod est absurdum dictu. Presbyteri enim Parochiales, qui suos habent Apostolos id. Episcopos & eorum Opitulatores, scilicet Archidiaconos & Archipresbyteros, quibus visitantibus eos debent impendere Procurationes secundum Decreta Ecclesiastica. Et fideles Laici, qui suos habent Presbyteros, quibus exhibent stipendia debita secundum Ordinationem Ecclesiæ, vlterius grauari non debent 10. q. 3. cap. *Cauendum* Vnde si Episcopi mittant Prædicatores per suas diœceses ad prædicandum, debent eis ipsi Episcopi, non Presbyteri nec fideles Laici vitæ necessaria exhibere. Extra de Off. Ord. cap. Inter cætera. Nec debent noui Apostoli constitui in Ecclesia Dei, Cum ipsa Ecclesia tam de Apostolis, id. Episcopis, quàm de aliis ministris olim per Apostoli & SS. Patrum Consilia instinctū Spiritus Sancti ad exemplar monstratum Moysi in monte Sina diuinitus exciterit ordinata, & dicit B. Dionysius in Eccles. Hierarch. cap. 5. Cum igitur in Ecclesiastica Hierarchia quæ adinstar Cœlestis Hierarchiæ ordinata est, vt ibidem dicitur, non sint nisi duo Ordines, scilicet *Ordo perficientium* qui est superior, habens tres gradus, scilicet Episcopos, Presbyteros, & Diaconos siue ministros. Et *Ordo perficiendorum*, qui est inferior, habens similiter tres gradus, Viros scilicet Regulares, qui & ibi Monachi appellantur, & fideles Laicos, & Catechumenos, nulli autem spiritu Angelico licitum sit operari, præter quàm ordinatum sit à Deo, vt dicit Dionys. in

coel. Hierarch. Cap. 3. à Deo autem ordinatum sit, vt nullus inferior exerceat officium superioris, nec influat super eum sed contentus sit officio suo, vt dicitur in eodem Capitulo; relinquitur quod viri Regulares qui à B. Dionysio Monachi appellantur, dum manent in ordine perficiendorum qui est Ordo inferior, superiorum & perficientium officium quod est purgare, illuminare & consummare, vt dicitur in eod. Cap. 16. officium docendi, prædicandi, & sacramenta ministrandi nequaquam poterunt exercere. Et ideo dicitur in 6. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ quod Monachatus ordo non debet aliis esse prælatus: vel secundum aliam translationem, Monachatus ordo non est aliorum adductiuus, scilicet per prædicationem & doctrinam. Vnde super hoc emanarunt Constitutiones Ecclesiasticæ, Quod Monachi sicut & Laici quantæcunque scientiæ nomine glorientur, prædicare publicè non possint. 16. q. 1. cap. Adiicimus cum suis concordantiis, licet ad officium prædicationis id. ad Episcopatum vel presbyteratum per electionem Canonicam possint assumi, vt dicitur 16. q. cap. sic viue. Et hoc sic determinat Gratianus 16. q. 1. §. Ecce sufficienter. Non est autem verisimile quod prædictam sacratissimam Hierarchiam liceat homini mortali immutare. Præcipuè cum dicat Leo Papa 25. q. 1. Cap. Quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter instituta sunt, nullâ debere commutatione variari. Et sic non potest Rom. Pontifex destruere, quod ab Apostolis & Prophetis decretum est, alioquin errare conuinceretur, vt dicit Vrbanus Papa 25. q. 1. cap. Sunt quidam. Sed quomodo diuinitus ordinatam sacratissimam Ecclesiasticam Hierarchiam poterit quisquam mortalium immutare aut etiam reuocare, cum nemini Prælatorum data sit potestas in destructionem sed in ædificationem 2. Corinth. 10? Et si ergo aliis quàm Regularibus viris possit committi Prædicationis officium, videtur ex iam dictis quod saluâ Ecclesiasticâ Hierarchiâ Regularibus viris, dum in suo inferiori Perficiendorum gradu manent, prædicationis officium cōmitti non possit. Igitur si viri Regulares prædicationi se immisceant, videtur quod non sint à Deo missi, & ideo Pseudo sint reputandi. Sic ergo patet ex prædictis qui sunt penetrantes domos, & qui sunt pseudo: patet etiam quod per tales instabant, vel instant pericula nouissimorum temporum Vniuersæ Ecclesiæ. Longè plura habet in Tractatu Collectionum scripturæ sacræ distinct. 3. *De Pseudo Prædicatoribus & Penetrantibus Domos.*



CONTRARIA MENDICANTIVM argumenta.

AD euertendam Guillelmi Doctrinam plures ponit Thomas conclusiones. In 1. 16. rationibus ex Decretalibus, patribus, sacra Scriptura & glossis desumptis probat Episcopos in qualibet Parochia plenam habere potestatem. In 2. ex commissione Episcoporum posse aliquos prædicare & absoluere à peccatis in Parochiis, etiam inconsultis Parochis. In 3. Religiosos huic obeundo muneri esse idoneos. In 4 expedire animarum saluti, vt Religiosis & aliis quàm Parochis munus prædicationis conferatur.

In 5. nihilo minorem eorum esse necessitatem in confessionibus audiendis propter ignorantiam plurimorum sacerdotum. In 6. posse salubriter institui Religionem aliquam ad cooperandum Episcopis.

Postea dissoluit argumenta Guillelmi & cæterorum Magistrorum, fateturque quoad Confessiones, Religiosos eas audire non posse propriâ authoritate; posse tamen ex Papæ aut Episcoporum, si ab iis mittantur, & posse vbicunque eis commissum fuerit, authoritate. Ea tantum referre iubet, quibus summi Pontificis potestatem hac in re adstruit. Sic autem ille.

Ad ea quibus probare nituntur quod nec ex Priuilegio Papæ Religiosi prædicare nec confessiones audire possunt, nunc respondendum est. Quod ergo 1. obiicitur quod Ro. sedis authoritas non potest aliquid condere vel mutare contra statuta S. Patrum, dicendum quod verum est in illis quæ statuta sanctorum determi-

nant esse de iure Diuino, sicut articuli fidei qui determinati sunt per Concilia. Sed illa quæ SS. Patres determinauerunt esse de iure positiuo, sunt relicta sub dispositione Papæ vt possit ea mutare vel dispensare secundum opportunitatem temporum vel negotiorum. Sancti enim Patres in Conciliis congregati nihil statuere possunt, nisi authoritate Rom. Pontificis interueniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest.

Nec tamen Papa quando aliquid aliter facit, quàm à sanctis Patribus statutum sit, contra eorum statuta facit quia seruatur intentio statuentium, etiamsi non seruantur verba statutorum, quæ non possunt in omnibus casibus & in omnibus temporibus obseruari ser. atâ intentione statuentium, quæ est vtilitas Ecclesiæ; sicut & in omni iure positiuo accidit. Derogatur enim prioribus statutis per statuta sequentia. Nec tamen hoc quod aliqui Religiosi, qui non sunt Episcopi vel Presbyteri Parochiales, prædicant & confessiones audiunt, est contra Decreta Patrum, nisi ex sua authoritate hoc facerent sine authoritate Papæ vel Episcopi, vt ex prædictis patet.

Et per hoc patet solutio ad id quod postea obiicitur, quia Papa ex hoc quod dat alicui licentiam vel priuilegium audiendi confessiones vel prædicandi, non facit per hoc contra Apostolum, quia tales Religiosi non prædicant plebibus alienis, vt supradictum est. Nec tamen hoc est verum, quod Papa non possit aliquid facere contra Apostolum. Dispensat enim cum bigamo, & in pœna quam Canones Apostolorum statuerunt Presbytero fornicanti. Ex decreto autem inducto non potest amplius haberi, nisi quod Papa non potest destruere Canonicam Scripturam Apostolorum & Prophetarum, quæ est Ecclesiasticæ fidei fundamentum.

Ad id quod postea obiicitur, quod Priuilegia Principum sunt intelligenda sine præiudicio alterius, dicendum quod præiudicium dicitur fieri alicui, quando subtrahitur ei aliquid quod in fauorem eius introductum est, vel quod ad vtilitatem eius ordinatur, sed subiectio alicuius subditi ad Rectorem Ecclesiæ non est ordinata principaliter ad vtilitatem Præsidentium sed ad vtilitatem Subiectorum. Vnde Ezechiel. 34. 2. dicitur *væ Pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à Pastoribus?* Et ideo nullũ præiudicium fit Ecclesiæ Rectori, quando subditus eius à sua potestate eximitur sine præiudicio eius. Sicut Papa eximit Abbatem à potestate Episcopi sine eius præiudicio, & similiter Episcopum à potestate Archiepiscopi. Si autem ipsemet operetur in subditis quæ pertinent ad salutem, vel aliis hoc ipsum committat, non solum non facit eis præiudicium, sed præstat ei magnum beneficium quod maximè acceptatur à cunctis Rectoribus qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Vnde super illud Num. 11. 29. *quid æmularis pro me?* dicit Glossa Gregor. *Pia mens Pastoris quia non propriam gloriam sed authoris quærit, ab omnibus vult iuuari in ea quod facit. Fidelis enim Prædicator optat si fieri valeat, vt veritatem quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent.*

Ad id quod postea obiicitur, quod Princeps, quando alicui committit liberam testamenti factionem, intelligitur tantum concessisse legitimam & consuetam, dicendum quod similiter Papa quando committit alicui quod prædicet vel confessiones audiat, committit ei vt legitimè hoc faciat. Vnde per hanc commissionem, non potest prædicare aliqua quæ non decent; sed ex quo ab eo datur libertas prædicandi, non requiritur ad hoc quod eius prædicatio legitima sit, quod ab alio potestatem accipiat, quia sic inutilis esset ei potestas à Papa accepta. Sicut & ille qui habet licentiam ab Imperatore quod testamentum condat, non oportet, quod ab alio vlterius licentiam petat, sed quod obseruet ea quæ pertinent ad debitum modum testandi. Similiter & Prædicator, cui datur licentia à Papa prædicandi, debet debito modo prædicare, vt scilicet alia pauperibus, & alia diuitibus, quod obseruent huiusmodi quæ Gregorius in Pastorali docet.

Ad illud quod postea obiicitur, quod Monachus cum ordinatur, non accipit executionem officii, nisi cum cura plebis ei committitur, dicendum quod potestas Ordinis sacerdotalis ad duo ordinatur. Primò & principaliter ad Corpus Christi verum consecrandum; & huius potestatis executionem statim cum ordinatur, accipit, nisi sit defectus in ordinatione vel in ordinato. Secundariò ordinatur ad Corpus Christi mysticum per claues Ecclesiæ quæ ei committuntur; &

huius potestatis executionem non recipit, nisi cura ei committatur, vel nisi authoritate alterius habentis curam hoc agat. Nec tamen potestas sacerdotalis frustra datur ei quia habet executionem in hoc, ad quod sacerdotii potestas principaliter ordinatur. Sed officium prædicationis non ordinatur ad aliud quàm ad prædicandum. Vnde cum priuilegium principis non debeat alicui esse inutile, vt iura dicunt, oportet ex hoc ipso, quod Papa committit alicui officium prædicandi, quod ille habeat executionem officii quicunquè sit. Et tamen quando Papa dat Priuilegium alicui Religioso quod possit prædicare, non propter hoc committit ei officium, sed magis officii executionem. Quia Religiosi tales non prædicant quasi vtentes sua potestate, sed alienâ sibi commissâ, sicut dictum est.

Ad aliud dicendum, quod Dionysius ibi loquitur de Monachis Laicis, qui non sunt Episcopi, Presbyteri vel Diaconi: si tamen de omnibus intelligeretur, non destruit Hierarchiam Ecclesiasticam Papa mittens Monachos ad prædicandum, quia in Ecclesiastica Hierarchia ille qui est inferioris ordinis, potest superioris officium exercere, etiam in suo ordine manens, sicut etiam & in cœlesti; & vlterius potest ad superiorem ordinem promoueri, quod non est in cælesti. Vnde & Innocentius III. ante Concilium Generale quosdam Cistercienses Ordinis misit ad prædicandum in partibus Tolosanis.



DISSERTATIO X.

DE MORIBVS ET INSTITVTIS QVINTI Seculi Vniuersitatis.

SAt bene compositos fuisse mores hoc seculo faciunt vt credam, tum præclara Ludouici IX. instituta legesque salutares, quas in toto Regno suo obseruari voluit, tum inclyta virtus Blanchæ Matris, eiusque prudentia in Regni moderamine mirabilis. Neque Academicis nostris video quidquam obiici etiam ab aduersariis & inimicis, quod bonis moribus aduersaretur, præter incredibilem constantiam & fortitudinem in tuendis Academiæ iuribus & Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, quam illi contumaciam appellabant.

Paulo plus forte impensum est studii promouendo Theologiæ Scholasticæ Imperio, Dialecticisque subtilitatibus excogitandis, quàm cæteris liberalibus artibus excolendis. Gregorius IX. expressâ Bullâ significauit an. 1228. quàm grauiter & molestè ferret Theologos nostros ad varias descendisse Philosophorum tricas futilesque quæstiones exercitandi tantum ingenii causâ excogitatas & adinuentas. *Tacti dolore cordis intrinsecus, amaritudine repleti sumus absinthii: quod sicut auribus est nostris intimatum, Quidam apud vos spiritu vanitatis vt vter, distenti positos à patribus terminos profanâ transferre satagunt nouitate, cælestis Pagina intellectum SS. Patrum studiis, certis terminis limitata, quos transgredi non solum est temerarium sed profanum ad doctrinam Philosophorũ Naturalium inclinando, ad ostentationem scientiæ non profectum aliquem auditorum: vt sic videantur non Theodacti seu Theologi, sed potius Theophanti.* Videantur reliqua ad an. 1228.

Primus autem è Theologis nostris M. Petri Lombardi Sententias Commentariis illustrasse dicitur Alexander Alensis, factus deinde Minorita; cuius exemplum imitati Albertus Magnus & Thomas Aquinas Theologiæ Scholasticę Regnum longè amplificarunt. Et ab hoc seculo communiter secunda eius ætas ducitur, ab Alensi scilicet & Alberto ad Durandum de S. Portiano, hoc est ab an. fere 1200. ad an. prope 1300. Tum ergo potissimum distingui cœperunt duo Theologorum Ordines, Veterum scilicet & Nouorum, seu Biblicorum & Sententiariorum. Veteres antiquæ Disciplinæ methodique tenaces *Biblici* dicti, eo quod Postillis & Glossulis sacros Codices enarrarent, nudè simpliciterque fidei

dogmata enucleare contenti. Noui, *Sententiarij* appellati, eo quod materias Theologicas subriliori quadam merhodo conuenienriorique ratione digestas per capira & articulos exponerent. Baccalarij verò non abre licentiari poterant, quàm Biblia Senrentiasque exposuissenr, vt docer Filesacus in lib. de Origine Prisca Faculratis Theologiæ pag. 43. *Biblia cursum dixere veteres Sacra Scriptura tempus aliquod addictum. Ab eo verò docendi munere Theologicum cursum suum ordiebantur Nuperi Baccalarij Cursores; ac postea Sententiarum Petri Lombardi libros 4. interpretabantur. Hinc nata illa distinctio Bacalariorum apud Maiores, vt alij* Biblici *alij* Sententiarij *nuncuparentur.*

Cum ergo sacra mysteria viâ quadam naturali explicandi curiositas Theologorum animos occupasset, coacti sunt plurimas exercitationes adinuenire ad consecutionem Doctotalis Gradus vt periti ab Imperitis discernentur. Notauit id quoque Filesacus pag. 27. *Ne in facultatem Theologicam etiam Imperiti irrumperent, hinc Sacra Theolog. Facultas in 4. velut Ordines distributa*, Magistrotum, Licenriatorum, Baccalariorum formatorum & Baccalariorum Cursorum. *Inde publica exercitationes indicta* (Actus Theologicos appellant) Expectatoria siue expectatiua, Tenratoria siue Tenrariua, Sorbonica, Ordinaria, Quodlibeta, Collationes, *Disputationes in Resumptis & similia. Iis Theologicis progymnasmatibus originum dedisse videtur, qua tum inualuit consuetudo publicè interpretandi libros Sententiarum.*

Et quia longè pluris æstimabantur Sententiarij quàm Biblici Theologi, proptereà quod ingenii acumine præualere putabantur, Philosophi quoque Quæstiones Theologicas suo modo tractare aggressi sunt; indeque in varias opiniones suspectas & in fide periculosas abierunr. Quorum proinde euagationem necesse fuit Edictis & Statutis coercere, vt in Historia retulimus.

Ar bonus Rex Ludouicus tam Theologorum quàm Philosophorum curiositatem suo potius exemplo quàm Legibus & Interdictis refrenare cupiens, plurima SS. Parrum, sacrorumque Bibliorum authentica Exemplaria & Originalia scripta conquisiuir arque in sacræ Capellæ Bibliotheca collocauir, eorum vlrro copiam faciens studere volentibus, seque cum iis in exposirione Sacrorum voluminum exercens, ablegaris magistralibus scriptis, quæ rum inualescere incipiebant. Notauit id Gaufridus de BelloLoco eius Confessarius.

Audiuit fidelis Rex dum adhuc esset vltra mare de quodam magno Sarracenorum Soldano, qui omnia librorum genera qua necessaria esse poterant Philosophis Sarracenis diligenter faciebat inquiri & sumptibus suis scribi & in armario suo recondi, vt litterati eorum librorum copiam possent habere, quoties indigerent. Considerans igitur pius Rex, quod filij tenebrarum prudentiores esse videntur filiis lucis & erroris sui amplius Zelatores quàm sint filij Ecclesia vera fidei Christiana, concepit quod reuertens in Franciam omnes libros Sacra Scriptura quos vtiles & authenticos in diuersis armariis Abbatiarum inuenire valeret, transcribi sumptibus suis faceret, vt tam ipse quàm viri litterati ac Religiosi familiares sui in ipsis studere possent ad vtilitatem ipsorum & ad adificationem proximorum. Sicut cogitauit, ita & reuersus perfecit, & locum aptum & fortem adhoc adificari fecit scilicet Parisius in Cappella sua thesauro, vbi plurima Originalia tam Augustini, Ambrosij, Hieronymi atque Gregorij, nec non & aliorum Orthodoxorum Doctorum libros sedulè congregauit; in quibus quando sibi vacabat, valde libenter studebat, & alijs ad studendum propter dormitionem diurnam, antequam prodires in publicum, siue ad loquendum cum aduentantibus, siue ad vesperas audiendum. Potius autem volebat de nouo facere libros scribi quam emere iam conscriptos: dicens quod hoc modo sacrorum librorum numerus & vtilitas copiosius augebatur. De his autem libris, quos, sicut diximus fecit scribi, & quos in armario Parisius dereliquit, in suo disposuit Testamento, quod vna pars esset Fratrum Minorum, & altera FF. Pradicatorum; reliqua Monachorum Regalis-Montis Ordinis Cisterciensis quos ipse fundauit omnino de suo. Quando studebat in libris & aliqui de familiaribus suis erant prasentes qui litteras ignorabant, quod intelligebat legendo propriè & optimè nouerat coram illis transferre in Gallicum de Latino. Non libenter legebar in Scripturis Magistralibus sed in Sanctorum libris aurhenricis & probatis.

Hæc ingens boni Regis ad studia litterarum applicario non modo litteratorum excitauit ardorem, sed & plerisque etiam piis hominibus studium amoremque inspirauit

inspirauit promouendarum bonatum Attium ad vtilitatem Ecclesiæ Regnique decus & splendorem. Considerantes enim pauperes longè feruentius quàm nobiles ad litterarum exercitia se conferre, paupertatis verò obstaculo plerunque retardari, Hospitia seu Collegia pauperum Scholarium instituerunt & fundarunt, singulisque certos reditus assignarunt: vt sic in studio sustentari possent, & pro peculiola quam à Parentibus vix habebant, quamque in Bursam communem conferebant, partem reditus (quam Bursam quoque appellarunt) ad mensam communem contribuerent. Hæc igitur fuit pietas huius seculi, non Monasteria fundare, vt superioribus seculis factitatum est, sed Collegia pauperum Scholarium, quasi seminaria communia Magistrorum, Ministrorum Regni, Ecclesiæ Prælatorum & Religiosorum seu Monachorum, instituere.

Vt nihil igitur commemorem de veteribus Collegiis quæ à Roberto Rege fundata fuisse existimantur, & ab aliis quibusdam viris nobilibus superioribus seculis, hoc seculo fundata sunt & certis reditibus dotata, aut certè amplificata, Collegium Bernardinorum in Carduneto, anno 1242. Bonotum puerorum ad portam S. Victoris, de quo dictum est ad an. 1248. Sorbonicum anno 1250. Præmonstratense anno 1255. Cluniacense anno 1269. Caluicum circa annũ 1270. Octodecimanum, Thesaurariorum an. 1269. Harcurianum an. 1280. Choleticum circa an. 1290. Cardinalitium circa finem seculi, aut initio sequentis, sicut & Nauarricum.

Eademque pietas sequentibus duobus seculis perseuerauit: adeo profecit Ludouicus exemplo, non modò subditis, sed etiam posteris imitabili.

Sed & aliud præbuit non minus vtile circa dispensationem collationemque Beneficiorum. Vt enim auaritiam & auiditatem ex animis Ecclesiasticorum eradicaret, in personarum merita virtutesque diligenter inquiri faciebat, nemini verò Beneficium alterum conferebat, nisi priore eiurato: vt scribit in eius vita prædictus Gaufredus. *Sanè*, inquit, *in Beneficiis Ecclesiasticis conferendis quæ ad Patronatum siue donationem ipsius pertinebant, Deum semper præ oculis habebat, & electis & probatis personis ea quantum poterat, conferebat*, præcipuè autem in Ecclesiis Cathedralibus, vbi sede vacante, ratione custodiæ Regalis ex consuetudine pertinebat ad eum collatio Præbendarum. Quas personas inquiri & eligi faciebat per Cancellarium Parisiensem & alios viros bonos Atque Clericos in memoriali suo scribi volebat, vt eisdem loco & tempore prouideret.

Nec prætermittendum quando hanc consuetudinem obseruabat, quod nulli quantumcunque litterato vel famoso aliquod Beneficium Ecclesiasticum possidenti conferret aliud Ecclesiasticum, nisi prius Beneficium simpliciter resignaret: nec Beneficium non vacans omnino alicui concedere vel conferre volebat, donec testimonium haberet & certitudinem quod vacaret. Exultabat autem plurimum à Domino cor eius, quando personæ magni ac excellentis famæ aliquod bonum Beneficium conferebat.

Exemplo ergo præiuit Guillelmo Aruerno Episcopo Parisiensi, cuius consilio in multis negotiis vtebatur; & Vniuersitati Magistrorum Parisiensium, qui anno 1238 in celebri conuentu decreuerunt neminem posse duo Beneficia Ecclesiastica simul possidere, quorum alterum ad victum habitumque sufficeret: vt in historia retulimus. Adeo verum est quod eleganter ait Claudianus.

—— Non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita Regentis.

Idem Princeps quanquam Romanæ sedi addictissimus, inhibuit tamen ne manum iniiceret in Beneficia Regni sui vacantia, neve prouisiones & reseruationes quas alibi faciebat, in Francia similiter faceret. Hinc an. 1268. præclaram illam sanctionem edidit quæ Pragmatica solet appellari, quam suo loco retulimus. In quam Glossator tit. de Elect. c. licet. verbo Reseruationes. *Nec inuenies quod à principio Ecclesiæ vsque ad tempora B. Ludouici Francorum Regis, Romani Pontifices se de electionibus Prælaturarum intromiserint, sed quia tunc nisi sunt electiones impedire & onera pecuniaria beneficiis imponere, iterum decreuit electiones in suo Regno fieri debere, exactionesque cessare: quæ Decreta inuiolabiliter obseruari fecerunt Ludouicus Hutenus & Ioannes, multique alii Francorum Reges.*

Sed non erit forſan extra rem noſtram commemorare quibus gradibus Romana Curia Galliam noſtram iſti ſeruituti ſubiicere voluerit. Innocentius III. vt ad ſuperius ſeculum diximus, videtur primus reſeruaſſe Beneficia, quæ deinde conferri mandabat iis quibus volebat. Honorius III. aſſumpto ſubleuationis prætextu per Othonem in Anglia, per Romanum in Gallia Legatos petiit ad ſubleuationem Matris communis ab omnibus Eccleſiis Cathedralibus, duas præbendas ſibi dari, vnam ab Epiſcopo, alteram à Capitulo. Similiter à Cœnobiis, vnum Beneficium ab Abbate, alterum à Conuentu. Sed habitis in eam rem vtriuſque Eccleſiæ ſynodis, reſponſum eſt onera iſta nec debere nec poſſe Eccleſiis aut Cœnobiis imponi. Qua de re dictum eſt ad an. *1226.*

Atque vt Ludouicus omnem Romanis demeret ſpem aliquid einſmodi lucrandi, litteris menſe Aprili datis an. 1228. voluit Vniuerſos Barones & Prælatos Prouinciæ Narbonenſis immunitatibus & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ gaudere. *Ludouicus Dei Gratia Rex Francorum Vniuerſis Baronibus, Vaſſallis fidelibus ſuis, Balliuis & Bonis villis in Arelatenſi, Narbonenſi Prouincia, & Rutenenſi, Caturcenſi, Aginnenſi & Albigenſi diæceſibus conſtitutis. De magnorum & prudentium virorum conſilio ſtatuimus, quod Eccleſia & viri Eccleſiaſtici in terris illis conſtituti libertatibus & immunitatibus vtantur, quibus vtitur Eccleſia Gallicana, & eis plenè gaudeant ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ memoratæ.*

Hæc Ludouici mens, hoc tam conſtans firmumque tuendorum Regni iurium propoſitum prohibuit certè Gregorium IX. quominus idem attentaret, quod ab Honorio tentatum fuerat, aut quominus Franciam eidem iugo, quo Angliam, ſubiicere conarctur. Nam eo ſedente Legati quos in Angliam mittebat, ſeu eius iuſſu, ſeu eo inconſulto Beneficia vacantia ſpretis Patronis impune conferebant, omnem præſentationem præuenientes. Sicque plurimi viri nobiles ſe ſuis iuribus fraudatos conqueſti ſunt. Sed tandem occaſione cuiuſdam eiuſmodi præuentionis quam paſſus fuerat anno 1239. Robertus de Tuinge Miles, omnes Comites Barones & alii Magnates Anglicani dolentes ſe ſuâ libertate priuari, alienigenaſque, quos ne de nomine quidem norant, beneficiis ſuis abſque ſuo conſenſu ditari, ſatis acerbas ad Gregorium dederunt per prædictum Robertum, litteras, quæ leguntur apud Mathæum his verbis.

Excellentiſſimo Patri & Domino Gregorio Dei Gratia ſummo Pontifici deuoti ſui de Ceſtriæ & de Wincestriæ &c. Salutem, reuerentiam promptam, & paratam ſi placet deuotionem. Mergente iam nauicula noſtræ libertatis progenitorum noſtrorum ſanguine ſubacta, prorumpentibus in nos plus ſolito perturbantium procellis dormientem Dominum in nauicula Petri cogimur excitare, acclamantes iugiter & vna voce *Domine ſalua nos, perimus.* Vt cum iudicium & cum iuſtitia ſint correctio ſedis eius, vnicuique noſtrum ius ſuum tribuat, & conſeruet illæſum. Ne ſi ſecus fieret, corruente charitate, deuotione deletâ, prouocarentur filii contra patris viſcera & mutuæ dilectionis affectus ſub introductâ iniuriâ penitus euaneſceret. *Cum igitur, ſanctiſſime Pater, à prima Chriſtianitatis fundatione in Anglia, tali fuerint hactenus Progenitores noſtri gauiſi libertate, quod decedentibus Eccleſiarum Rectoribus, Eccleſiarum Patroni perſonas idoneas eligentes ad eaſdem, Diœceſanis præſentauerunt, ab eiſdem Eccleſiarum regimini præficiendas. Verum veſtris temporibus de conniuentia veſtra vel voluntate neſcimus, talis contra nos inualuit aduerſitas quod decedentibus Eccleſiarum Rectoribus Quidam Executores veſtri ad hoc dati Eccleſias* de patronatu noſtro paſſim conferunt in noſtræ præiudicium libertatis & in eminens periculum iuris Patronalis, licet ſuper hoc pridem cautione litterarum Apoſtolicarum nobis proſpexeritis, continentium quod decedentibus Eccleſiarum Perſonis Italicis vel Romanis authoritate prouiſionis veſtræ in Eccleſiis promotis, licitè poſſemus perſonas idoneas præſentare: cuius oppoſitum videmus quotidie demandari, de quo plurimum miramur, cum debeat non ab vno & eodem fonte aqua dulcis & amara defluere. Sanè licet hæc contra nos ſit communis peſtis introducta, pro qua contentiones, æmulationes, iræ, nec non & cædes hominum poterunt fortaſſis exoriri, vnius tamen Comparium noſtrorum afflictionem exempli gratia producere decreuimus in medium: vt quod contra eum & iuris ſui Parochiaſis periculum hactenus eſt improuidè procuratum, authoritate veſtrâ ſi placet, reuocetur in irritum. Cum igitur Robertus de Tuinge Patronanus Eccleſiæ de Luthunum, decedente N. Italico eiuſdem Eccleſiæ Rectore per-

sonam idoneam præsentasset ad eandem, obstante mandato vestro distulit ipsum, admittere D. Eboracensis, licet contra personam præsentatam nihil inueniret, quod obsisteret, sed solam inhibitionem vestram prætenderet. Verum cum in incendio vicinæ Domus nostrarum immineat periculum, vobis tanquam Patri supplicamus, quatenus tam prædictum Robertum quàm nos omnes & singulos prædictâ libertate præsentandi Clericos nostros ad Ecclesias nostras vacantes liberè vti permittatis: iniungentes prædicto Archiepiscopo, quod I. Clericum ad prædictam Ecclesiam ab eodem præsentatum, pro quo etiam preces effundimus deuotas, præsertim cum sit negotiis Regis & Regno nostro necessarius, nisi aliquod Canonicum obstiterit, non obstante priori mandato vestro admittat. Vt ex hoc nos ad propensiorem deuotionem & famulatum Ecclesiæ prouocetis. Ne cum sit ius aduocationis prædictorum feudorum, pro quibus Domino nostro militamus, cogamur illius inuocare subsidium qui iura libertatesque Laicorum protegere tenetur & conseruare. Valete.

His lectis litteris satis acerbè scriptis intellexit Gregorius desistendum esse ab incepto, eo maximè tempore quo Regum Christianorum amicitiam auxiliumque implorabat aduersus Fridericum Imperatorem. Itaque rescripsit nunquam se de Patronatu eiusmodi coercendo & restringendo cogitasse, talesque ad Barones reddidit litteras.

Gregorius Episcopus seruus Seruorum Dei Dilectis filiis nobilibus viris Richardo Comiti Pictauiæ & Cornubiæ, & Baronibus Angliæ præsentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum ex operibus nostris quæ plenum perhibent testimonium veritati, sit liquidum Vniuersis, quod nos personam Charissimi in Christo filii nostri, illustrem Regem & Reginam inter alios Reges & Principes Orthodoxos & Regna, in quibus nomen colitur Christianum, in Charitatis visceribus specialiter gerimus, & pacem ac tranquillitatem eorum propensius affectamus, ritè præsumi non potest, & omnino credi non debet, quod nos quantumcum Deo possumus, agere seu tolerare velimus, quod iustè possit honorem Regiæ Serenitatis offendere, aut in eodem Regno scandalum generare. Vnde cum intentionis nostræ non fuerit nec existat, vt Beneficia in Regno Angliæ constituta quæ ad præsentationem pertinent Secularium Patronorum, authoritate nostrâ cuiquam conferantur, sicut ex quibusdam litteris nostris quondam in Angliam destinatis, quarum tenorem de verbo ad verbum Celsitudini Regiæ sub Bulla nostra duximus destinandum, colligitur euidenter. Nos comperto nuper ex eiusdem Regis & vestrarum continentia litterarum, quod quidam prædicti Regni Miles in Ecclesia de Lurhunum Eboracensis Diœcesis, quam olim cuidam de partibus nostris Clerico, ignorantes quod præsentatio ad Laicum pertineret, contulisse dicimur, ius obtinet Patronatus, prælibati Regis & vestris precibus inclinati concessionem eandem authoritate Apostolica reuocamus, Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Eboracensi nostris dantes litteris in mandatis, vt eum quem dictus Miles ad præfatam Ecclesiam duxerit præsentandum, admittat & instituat in eadem, prout pertinet ad eundem, diuturnitate temporis, cum per ipsum minimè steterit, non obstante, dummodo aliud sibi rationabile non obsistat. Tenore præsentium districtius inhibendo, ne alicui de cætero liceat Ecclesias prædicti Regni in quibus Laici sunt Patroni, præter eorum assensum, Apostolicæ sedis authoritate conferre. Datum.

Iisdem fere verbis scripsit ad Legarum suum in Anglia commorantem. Verum Innocentius IV. nullâ eiusmodi litterarum & declarationis Gregorianæ habita ratione prouisionibus seu collationibus immodicis Ecclesiam Anglicanam aggrauauit. Quâ de re Henricum Regem apud eum conquestum legimus datis litteris an. 1244.

In quibusdam, inquit, *prouisionibus vestris Clericis Angliæ & aliarum Regionum frequenter à vobis concessis, nos & Regnum nostrum sentimus non mediocriter prægrauatum & oppressum. Tot & tantis etenim Ecclesia Anglicana onerata sunt eiusmodi prouisionibus, quod non solum patroni, & hi quorum interest conferre Beneficia Ecclesiastica, iure suo defraudantur, verum etiam, sed proinde multa deficiunt opera Charitatis.*

Hanc partem publicæ calamitatis pauci sunt historici huius seculi qui non com-

memorent. Et nos eorum teſtimonia in Hiſtoria ſæpe retulimus. Nihil enim frequentius apud eos legere eſt quàm deplorationem extorſionum. Mathæus Pariſienſis duos præſertim Legatos Martinum Innocentii IV. Clericum, & Ruſtandum Alexandri IV. infinitis exactionibus Angliam vexaſſe commemorat: adeo vt parum abfuerit quin Barones in Martinum manus iniicerent, vt ipſe refert ad an. 1245. Nam ille à quodam Fulcone verbis minisque territus Regem adiit, petiitque num iſta ſibi tam imperioſè obiici iuberet. *Non*, inquit Rex, *huiuſmodi me rei authorem profiteor, ſed Barones mei vix ſe continent quin inſurgant in me, eo quod tuas in Regno meo, & eorundem quæ ius & modum excedunt, deprædationes & iniurias hactenus toleraui. Quorum etiam furorem vix compeſcui, quin & in te irruentes te membratim non dilacerarent.*

Conquerebantur verò præſertim Angli, quod Martinus Patronos Beneficiorum ſpoliaſſet ſuo iure, aut certè vti ad tempus prohibuiſſet; quodq; Italis & Romanis pinguia ſacerdotia & vni plurima conferret. Itaque Legatos ſuos ad Concilium Lugdunenſe miſerunt expoſtulaturos de tam inſolita agendi ratione. Quorum animos vt Papa mitigaret, has litteras dedit ad Prælatos & Patronos Eccleſiarum tam Laicos quàm Clericos.

„ Innocentius... Vniuerſis tam Cathedralium quàm aliorum Prælatis, necnon „ Patronis Eccleſiarum Clericis & Laicis per Regnum Angliæ conſtitutis Sal. & „ Apoſtol. bened. *Cum noluerimus per Nos aut* alios authoritate noſtra vobis inferri „ grauamina, ſed à quorumlibet moleſtiis defendere, vos potius vt ad nos pertinet „ intendamus, præſentium tenore vobis innoteſcat, quod ſi dilectus filius M. Mar„ tinus Cameræ noſtræ Clericus de mandato noſtro *aliquos veſtrum à Collatione Be„ neficiorum ſeu præſentatione ſuſpenderit, ſuſpenſionem huiuſmodi niſi ſpecialiter pro cer„ tis perſonis, quas duodenario tamen numero comprehendi volumus, facta fuerit, duximus „ relaxandam.* Ita quod inter ipſas perſonas illæ quibus iam aliqua de prædictis Be„ neficiis ſunt collata, vel quæ ſuper obtinendis eiſdem litteras ab ipſorum Pa„ tronis, vel eis ad quos illorum collatio ſpectat, habent, minime computentur.

Noſter Ludouicus Clementis IV. qui per Cardinalem Legatum præbendam in Eccleſia Remenſi abſque conſenſu ſuo contulerat an. 1266. repreſſit conatum, nec paſſus eſt auitas libertates violari vt dictum eſt in Hiſtoria ad an. 1268. Verebatur enim Rex prudens ne niſi initio iſta comprimeret, iiſdem grauaminibus Regnum ſuum premeretur, quibus Imperium, quibus Anglia opprimebantur, imò ne quid peius contingeret. Sciebat enim Gregorium VII. ſummum in Reges & Imperatores dominatum ab ademptione Laicalium Patronatuum auſpicatum fuiſſe: hincque tam ipſum quàm conſecutos Pontifices Imperatoribus ſceptra de manibus, de capite diademata detraxiſſe, ſibique deponendorum Regum authoritatem arrogaſſe. Nouiſſimè verò Innocentium III. de throno Ioannem Anglicum deturbaſſe, eumque ſedi Rom. tanquam feudatarium ſubieciſſe, eo quod ille abſque conſenſu ſuo nominatum & electum Stephanum de Langetona in Cantuarienſem Primatem admittere noluiſſet. Gregorium IX. & Innocentium IV. Friderico II. bellum immortale intuliſſe, Imperiumque primò occupanti attribuiſſe. Sed & Conradum Siciliæ Regem eundem Imperatorem electum idem Innocentius ad inſitas redegit obiectis criminibus plurimis & inter alia *quod bona Eccleſiarum vacantium & non vacantium occupaſſet & occupata detineret, Prælatoſque & Rectores in Eccleſiis Canonicè inſtitutos non permitteret in ipſis Eccleſiis reſidere, alioſque præficeret.* Ad quæ ipſe reſpondit, vt legitur in Additamentis Mathæi Pariſienſis. *Quod bona Eccleſiarum Cathedralium vacantium & non vacantium in Regno ſuo nec occupauerat, nec detinebat occupata, ſed in Eccleſiis ipſis vacantibus ipſius Regni ratione antiquæ dignitatis competentis ſibi & prædeceſſoribus ſuis tantum vſus fuerat iure ſuo, faciens bona eadem per Procuratores ſuos idoneos commodè procurari. Quod ſi videbatur abſonum Apoſtolicæ ſedi, contentum ſe eſſe illo iure in prædictis Eccleſiis vacantibus vti, quo vtebantur Rex Franciæ & Angliæ in Eccleſiis vacantibus Regni ſui.*

Alexander IV. iiſdem veſtigiis inſiſtens Manfredum Friderici II. filium, aut vt alij putabant, nothum bello quoque grauiſſimo inſectatus eſt. Vrbanus IV. & Clemens IV. ſimiliter Regna dare & adimere gloriabantur. Quibus exemplis admonitus Ludouicus noluit tantum licere ſummis Pontificibus in Regno ſuo,

amplificandæque per Beneficiorum dispensationem potestatis ansam sustulit. Sed quod toto hoc seculo nullus eorum potuit aut ausus est tentare, ausus est initio sequentis Bonifacius VIII. contra Philippum Pulchrum, & absque vlla amplius dissimulatione se se Regem Regum & Dominum Dominantium esse professus est. Quod quidem quem euentum habuerit, dicemus suo loco.

Quia autem suasoribus Mendicantibus tantam sibi potestatem arrogare credebantur Pontifices Romani, illi pluribus Magnatibus omnium fere gentium suspecti exosique fuerunt. Videbantur enim contra professionis suæ votum se se negotiis secularibus nimis immiscere, aulas Principum frequentare, societates & amicitias ad libitum coniungere & disiungere, vt Regnum Romanum stabilirent. Iis Legatis vtebantur Pontifices: illis rerum summam committebant, nullusque Princeps ad eos nisi Mendicantium operâ accessum aditumque habere poterat. Vnde neque etiam illis denegabant quidquam Pontifices, quo possent potestatis suæ terminos extendere.

Hinc Episcoporum & Parochorum intra sibi eorum authoritate attribuebant; hinc Vniuersitatibus studiorum molesti erant, quæ non facile patiebantur huiusmodi nouitates in Ecclesiam Dei introduci. Molesti quoque antiquis Monachis, quorum domibus & opibus inhiabant, licet paupertatem & omnium rerum abdicationem profiteri gloriarentur.

Vniuersitas datis ad Alexandrũ litteris anno 1255. hæc de iis scribit inter cætera. *Attendatis Pater sanctissime, qualiter illi qui se mundum asserunt reliquisse, nunc sub quadam falsâ specie pietatis se maioribus huius mundi negotiis implicantes posteriores eius glorias ambiunt & sectantur. Qualiter etiam illi qui ab initio sua conuersionis elegerant in altissima humilitate & paupertate Christo Domino famulari*, nunc sub prætextu consilii & doctrinæ in Palatiis Regum & aulis Principum dominantur, contra Glossam Math. 11. sic dicentem. Rigida vita & prædicatio debet declinare mollium palatia, quæ frequentant induti mollibus adulantes. Nec attendunt quod de viris sanctis cantat Ecclesia, Aulas Regias contemnentes peruenerunt ad cœlestia Regna. Attendatis nihilominus Pater sancte, qualiter illi qui olim cum Apostolo spectaculum huic mundo fieri se gaudebant, aut certè simulabant, tanquam purgamenta huius mundi & omnium peripsema, nunc de Prælatorum licentia prædicando, ad licentiam admittendo, absoluendo, ligando sibi potestatem Ecclesiæ vsurpantes in immensum vltra mensuram Ecclesiæ, gloriantur in alienis laboribus & in plebibus alienis.



DISSERTATIO XI.

DE REMEDIIS VNIVERSITATIS CONTRA Grauamina.

TRiplex potissimum remedium lego fuisse omni tempore vsurpatum ab Vniuersitate contra grauamina & iniurias quæ ipsi inferebantur, cessationem ab omni munere Scholarum, arrogatæ & vsurpatæ iurisdictionis actionem seu querimoniam, & ad futurum Concilium appellationem. Primo vtebatur præsertim aduersus iniurias ciuium, Præfecti Parisiensis vim, & exactiones Publicanorum, qui vectigalia redimentes, nonnunquam Vniuersitatem quoque ipsam eiusque supposita impositionibus grauabant. Cuius rei exempla plurima suppeditat historia omnium seculorum. Non enim præsentius remedium contra vim & iniurias inuenire potuit, quàm cessare à lectionibus. Qua de re satis fusè in 1. dissertatione.

2. Remedium erat prouocatio vsurpatæ iurisdictionis nomine; cum scilicet aut Legatus aliquis Apostolicus aut Executor sententiam ferebat aut tulerat contra Priuilegia Regia Vniuersitatis: aut contra æquitatem, ius Naturale, Gentium aut

Ciuile, tunc enim illos putans aburi suâ porestate sibique iurisdictionem arrogare quam non poterant, ob id ab eorum sententiis & decretis tanquam abusiuis appellabat vel ad ipsum Pontificem, vel ad illum seu ad illos ad quos de iure appellare poterat. Ita se gessit in negotio Mendicantium. Nam cum Aurelianensis & Antissiodorensis Episcopi Apostolici mandati executores excommunicationis sententiam in ipsam Vniuersitatem fulminassent, nisi intra 20. dies ejectos Mendicantes in consortium societatemque suam reciperet, Vniuersitas existimãs id sibi imperari contra ius ciuile, imò & contra naturale, cum secundum iuris formam & dispositionem in communionem aut societatem nemo compelli possit vel detineri inuitus, à prædictorum Executorum sententia appellauit ad ipsum Papam, cuius authoritate fulmina hæc emisisse videri volebant. Qua de re ipsa Vniuersitas in suis ad Alexandrum litteris. *Memoratis Fratres nos inuitos ad eorum consortium contra Deum & æquitatem & præter mandati vestri formam indirectè compellere molientes, venerabiles Patres Aurelianensem & Antissiodorensem Episcopos præfatæ or-*
„ *dinationis* executores adeo seduxerunt, vt cum à vobis receperint in mandatis
„ quod dictam ordinationem faciant inuiolabiliter obseruari, Contradictores per
„ Censuram Ecclesiasticam compescendo, ipsi formam Mandati vestri, nescimus
„ quo ducti spiritu, excedentes, parum attendentes stragem multorum & scandala
„ plurimorum, non in Contradictores, vt eis mandatum extiterat, sed in omnes
„ Magistros & Scholares qui memoratos Fratres & eorum auditores non admitte-
„ rent infra 20. dies ad prædicta, non distinguentes inter illos qui admittere pote-
„ rant nec debebant vt pote non existentes de Collegio & consortio supradictis, de
„ facto cum de iure non possent, post appellationem à singulis nostrum, ne quid in
„ iuris nostri præiudicium attentarent, interpositam, excommunicationis senten-
„ tiam exercuerunt. Propter quod excessum ad pietatem vestram infra tempus le-
„ gitimum iterato *duximus appellandum.* Ipsi verò *nostrâ appellatione contemptâ*, nos
„ paucos qui cæteris Conscholasticis nostris à studio Parisiensi propter insolentias
„ dictorum Fratrum discedentibus adhuc sub expectatione iustitiæ vestræ Parisius
„ commoramur modis omnibus quibus possunt inquietare non cessant, & studium
„ nostrum iam fere dissipatum impediunt & perturbant.

3. Denique in extremis remedium extremum erat, cum neque apud ipsum Papam azylum reperire poterat, aut cum prædecessorum priuilegia quibus substiterat ab omni æuo, subsistebatque, ab eo immisericorditer infringi, violari aut labefactari videbat; seu cum officio suo debitè & canonicè defungens ad vtilitatem totius Ecclesiæ, ad propagationem fidei, hæreseônque & schismatum debellationem & extirpationem, prohiberi vetarique molestè ferebat. Tunc enim aut ad ipsum Papam melius consultum, aut ad futurum Concilium appellabat. Idque ita semper ab ea videmus vsurpatum.

Et 1. quidem in prædicto negotio Mendicantium significauit suis litteris Alexandro Pontifici, se si minus æquas eius aures experiretur, paratam esse in Concilio Generali aut Prouinciali declarare perniciosum sibi futurum eorum consortium. *Propter quas causas & alias plurimas ex Diuinis scripturis assumptas, quas parati essemus in Generali aut Prouinciali Concilio declarare, societatem eorum periculosam quam & nobis arbitramur illicitam, abhorremus.* Et infra. *Nunc autem ad* vestræ paternæ pietatis clementiam recurrentes totis desideriis ob hoc duximus supplicandum, qua-
„ tenus præfatam Excommunicationis sententiam inualidam decernentes, nec-
„ non ad pristinam libertatem nostram & statum antiquum, in quo tempore vestræ
„ promotionis eramus, saluis in omnibus & per omnia libertatibus Parisiensis Ec-
„ clesiæ nos pietatis intuitu reducentes, ad dictorum Fratrum societatem, quam ser-
„ uitutem grauissimam ac nobis illicitam reputamus, nos contra Deum & Canoni-
„ ca & legitima instituta cogere non velitis. *Alioquin cum fine nostris & aliorum pe-*
„ *riculis quæ parati essemus in Prouinciali aut Generali Concilio sicut prædictum est, declarare, ad societatem nostram eos secundum statum eorum præsentem salutis conscientiis admittere nequeamus, non ritis non potius studium nostrum in Regnum aliud transferetur, &c.*

Similiter Guillelmus de S. Amore accusatus apud Papam & Cardinales, quod dixisset opus esse Concilio Generali ad litem illam terminandam, quanquam mitibus alloquiis utendum erat homini in conspectu Papæ constituto, dixit tamen

se pacatum super iis quæ de periculis nouissimorum temporum dixerat, subire definitionem Concilii Prouincialis aut Generalis.

Item dixit quod super istis petebat Concilium Generale. Respondeo. Dixi quod si aliquis vellet se opponere, quod minus deberent prædicari pericula nouissimorum temporum, & quod minus essent illa pericula prædicanda quæ dicebam, paratus essem super his subire definitionem Ecclesiastici Iudicii, aut Concilij Prouincialis aut Concilii Generalis. Item alio loco vbi obiiciebatur dixisse se contra excommunicationes D. Papæ apposuisse bonam Barram, ponendo res suas & Scholarium sibi adhærentium *in protectione Ro. Ecclesiæ ad Concilium appellando.* Respondit se dixisse quod Magistri & Scholares *appellauerant ponentes se sub protectione Rom. Ecclesiæ; ne contra eos quicquam iniuste attentaretur: & eandem appellationem de Mandato Magistrorum & Scholarium innouari.*

Transeamus ad sequens seculum. Cum ann. 1303. Philippus Pulcher conuocato Conuentu frequentissimo Optimatum Regni & Prælatorum Vniuersitatem quoque consuli voluisset, an à Bonifacii grauaminibus legitima futura esset ad futurum Concilium aut ad futurum alium Pontificem appellatio, illa Doctrinæ suæ Maiorumque vestigiis insistens pronunciauit fore legitimam & Canonicam. *Nos autem præmissis considerationibus* & causis inducti conuocationem & congregationem ipsius Concilii reputantes vtilem, necessariam & salubrem ac expedientem fidei negotio & Ecclesiæ sanctæ Dei, eisdem conuocationi & congregationi Concilii assentimus, ac opem & operam libenter iuxta posse; & prouocationi & appellationi præfati D. Regis adhæremus quantum de iure possumus & debemus secundum Deum & Iustitiam, & sanctæ permittunt Canonicæ sanctiones, supponentes nos ac nobis adhærentes & adhærere volentes, statum nostrum & Vniuersitatem protectioni Diuinæ & prædicti *Concilij Generalis*, ac futuri veri & legitimi summi Pontificis. In quorum omnium testimonium sigillum nostræ Vniuersitatis prædictæ præsentibus litteris duximus apponendum.

Eadem Vniuersitas metuens Schismatis diuturnitatem quod Benedictus XIII. fouere & alere meditabatur, vidensque nolle ipsum viam cessionis accipere, in quam omnes Principes & Prælatorum Ordines propendebant & descendebant: aliunde verò certior facta Benedictum sibi valde offensum esse, ne per ipsum indebitè molestari posset, in subsidium iuris appellationem tam à grauaminibus præteritis quàm à futuris interponere decreuit & reuera interposuit, eamque per M. Ioannem de Craona Procuratorem & Procuratorio nomine Rectoris ac Decanorum Theologiæ, Decretorum & Medicinæ Facultatum, & etiam Procuratorum Franciæ Picardiæ, Normaniæ & Angliæ Nationum in Facultate Artium, singulorumque prædictorum, Doctorum, Magistrorum, Licentiatorum, Baccalariorum & Scholarium dictarum singularum Facultatum Regentium & non Regentium studentium & audientium significari curauit, vt habetur in instrumento Procuratorio cam in rem confecto coram Tabellionibus publicis an. 1395.

Hinc excandescens Benedictus terribile fulmen emisit in Ioannem de Craona & in appellantes à summo Pontifice. *Nos igitur* volentes quod sicut appellatio seu prouocatio huiusmodi, de iuris viribus non subsistit & iuris caret effectu, ita eius damnatio & nullitas in publicam notitiam deducatur. Et etiam quod Ecclesiæ Rom. prædictæ illibata semper authoritas præseruetur, authoritate Apostolica de fratrum nostrorum consilio tenore præsentium declaramus, non licuisse seu licere à Rom. Pontifice appellare seu etiam prouocare. Et nihilominus prouocationem seu appellationem à iure prohibitam & damnatam esse, ac nullam nulliusque efficaciæ existere, roboris vel momenti ac omni iuris effectu carere, contra temeratium appellantem huiusmodi & eiusdem appellationi adhærentes ac alios culpabiles, in præmissis aliàs prout eorum culpa seu proteruia exegerit, & iustum fuerit & nobis expedire videbitur, processuri.

Vniuersitas molestè ferens Procuratorem suum malè à Benedicto habitum, iterum ab eo ad futurum Pontificem prouocauit. *Quid profuit*, inquit, *D. Benedicto* Procuratorem piæ Matris insontem, qui nihil egit nisi quod Matri suæ, quæ eundem *in scientiis ablactauit & cui per iuramentum obligatus præbuit obedientiam, detestanda præsumptionis filium & damnandæ temeritatis alumnum indecenter nominare?* Testis est Deus quod pia *Mater Vniuersitas nunquam contra Rom. rebellauit Ecclesiam,*

sed ipsam à tempore quo cœpit, fouit, honorauit, multipliciter & viriliter defensauit.

" Sub finem verò instrumenti coram Tabellionibus facti sic legitur. *Ideo dictus*
" Procurator nomine Vniuersitatis prædictæ, Rectoris ac Decanorum Theologiæ,
" Decretorum & Medicinæ Facultatum, Procuratorumque Franciæ, Picardiæ,
" Normaniæ & Angliæ Nationum, singulorumque prædictorum ac Doctorum &
" Magistrorum dictarum singularum Facultatum & Facultatis Artium, Regen-
" tium & non Regentium, nec-non pro ipsis Vniuersitatis Decanis Facultatum &
" Nationum Procuratoribus ac Doctoribus & Magistris Facultatis Artium, Re-
" gentibus, & non Regentibus Piæ Matris ac quibuscunque ipsi Piæ Matri sin-
" gulisque præmemoratorum adhærentibus, adhæsuris & successuris sentiens per
" dictum sanctissimum Patrem, Commissosque eiusdem, quorum pro nunc no-
" mina & cognomina ignorantur, & committendos ab eodem, eidem adhærentes
" & adhæsuros, ipsius sequaces & secururos eundem, prædictam piam Matrem
" singulosque promemoratorum fuisse & esse læsos, grauatos & oppressos, ac ti-
" mens ex verisimilibus coniecturis potuisse & posse in futurum lædi, opprimi &
" grauari. Et ne idem SS. Pater per se seu prætensos Commissos & Committendos,
" adhærentes & adhæsuros, sequaces aut secuturos, seu aliam quamcunque perso-
" nam quocumque nomine censeatur, contra dictam piam Matrem singulaque
" supposita eiusdem, & quibuscumque ipsis singulisque ipsorum adhærentes, adhæ-
" suros & successuros ad huiusmodi priuilegiorum, actuum, Beneficiorumque pri-
" uationem, seu personarum quarumcunque inhabilitatem, citationem per Edi-
" ctum aut aliam monitionem, contumaciæ reputationem, suspensionem, inter-
" dictionem, excommunicationem, anathema, aggrauationem, reaggrauationem,
" huiusmodique pœnarum & quarumcumq; aliarum Censurarum Ecclesiasticarum
" sententiam, condemnationem, declarationem, fulminationem, publicationem,
" intimationem, insinuationem, seu notificationem procedat seu procedi faciat de
" facto cum de iure non possit. Coram Vobis Tabellionibus probis & honestis vi-
" ris ac publicis personis testibusque hîc assistentibus ad hoc vocatis specialiter &
" rogatis à præfato D. Benedicto prætensisque Commissis & Committendis, ad-
" hærentibus, adhæsuris & successuris, sequacibus & secuturis, & quolibet ipso-
" rum ac contra ipsos & ipsorum quemlibet, necnon ab omnibus & singulis gra-
" uaminibus prædictis aliàs latius declarandis si sit opus, illatis & aliàs inferendis ad
" proximum futurum vnicum, verum, orthodoxum, pacificum & vniuersalem
" Papam eiusque sanctam sedem Apostolicam, seu ad illum qui de huiusmodi cau-
" sa appellationis de iure cognoscere poterit, in his scriptis quibus supra nomini-
" bus prouocauit, appellauit, prouocat & appellat, & à Vobis Tabellionibus & à
" quolibet Vestrum petiit & petit primò, secundò & tertiò, ac instanter, instantius,
" instantissimè Apostolos saltim testimoniales super hoc sibi dari, protestans de
" aliis Apostolis petendis ab illis à quibus de iure fuerint petendi, ac quod huius-
" modi prouocatio in vim veræ appellationis transeat, si contingat contra ipsam
" quomodolibet attentari.

Prætereo quæ in Conciliis Constantiensi & Basiliensi definita sunt de potestate Papæ & Conciliorum Generalium, quæque de hac materia scripserunt Gersonius, Thomas de Courcellis, Alanus Quadrigarius, Theodorus à Niemen & alii eorum temporum. Similiter & ea omitto quæ ab Vniuersitatibus Parisiensi, Coloniensi, Erfordiensi, Viennensi & Cracouiensi responsa & decreta sunt occasione translationis Concilii Basiliensis; qua de re suo loco.

Cum Mendicantes à Nicolao Pontifice Bullam impetrassent iuri communi & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ derogatiuam, eamque Officiali Parisiensi an. 1456. tradidissent, Vniuersitas verò eius sibi exemplar expediri postulasset, habitis 22. Maii Comitiis & lectâ Bullâ decreuit appellare, Mendicantes è gremio suo excussit donec reuocatoriam obtinuissent, indignosque censuit, qui Gradum vllum deinceps apud se obtinerent. Acta sic habent ex Rectoria M. Guill. Riueti.

" Nouerint Vniuersi quod an. 1456 die Sabbati 22. Mensis Maii Almâ Vniuersi-
" tate Studii Parisiensis apud S. Mathurinum solemniter congregatâ & specialiter
" conuocatâ ad audiendum lecturam Copiæ cuiusdam Bullæ per quosdam Fratres
" de Ordine Carmelitarum Officiali Parisiensi præsentatæ, inter cetera conclu-
sum

sum extitit vnanimiter ipsis auditis, quod displicebat Impetratio huiusmodi Bullæ, & videtur quod sit scandalosa, turbatiua pacis & concordiæ, subuersiua Ordinis Hierarchici Ecclesiæ ac subreptitia. *Placet formare appellationem, præsertim in quantum derogat huiusmodi Bulla iuri Communi*, Decretali *omnis vtriusque sexus, &* Clementinæ *Dudum de Sepulturis*. Dicta Appellatio Generali Carmelitarum & cæteris Mendicantibus, D. Episcopo Parisiensi & aliis DD. Prælaris Ecclesiarum rescribatur, Vniuersitatibus Regni & extra Regnum, summo Pontifici, cæteris Prælatis Ecclesiæ, ac etiam D. D. Temporalibus. Conuocentur Mendicantes ad Vniuersitatem die lunæ proxima congregandam visuri suas priuationes, si dictæ impetrationi renunciare noluerint & impetrare reuocatoriam ipsius; in quantum præiudicat & derogat Decretali *omnis vtriusque sexus* & Clementinæ *Dudum de sepulturis*, & habeant ponere ipsam Bullam penes Vniuersitatem. Requirantur Prælati quod non admittant Mendicantes. Iuratos à gremio suo priuat, sed executionem priuationis suspendit vsque ad diem lunæ proximam. Alios autem non iuratos resecat à susceptione Graduum quorumcunque & acquisitione temporis in quacunque Facultate Parisiensi, donec renunciauerint dictæ impetrationi, in quantum præiudicat vt supra.

Quia verò Mendicantes polliceri noluerunt se reuocatoriam obtenturos, die 24. Maii habitis Comitiis à Collegio Vniuersitatis resecati sunt. Ergo Vniuersitas ad cæteras Vniuersitates; ad Prælaros & Clerum Gallicanum scribit, vt velint ad causam cõmunem accedere & appellationi subscribere, ni pareant Mendicantes. Rescribunt se adhæsuros omnibus ipsius Vniuersitatis Decretis. Ita tandem processum est, vt Callixtus Nicolai successor audiens Bullam prædictam discordiæ seminatricem fuisse & fore maioris causam dissidii, priuilegia per illam concessa Mendicantibus in præiudicium & grauamen secularium sacerdotum & contra Decretalem *Dudum de sepulturis* reuocauerit. Cuius Bulla magno omnium Academicorum gaudio lecta est in Generalibus Comitiis die 3. Feb. eiusdem anni apud Mathurinenses habitis.

Vix ea sopita fuerat discordia, cum ecce noua exurgit per Pium II. Callixti successorem, qui sanctionem Pragmaticam tam sanctè tamque concorditer in Concilio Bituricensi stabilitam expressâ ad Ludouicum XI. Bullâ rescidit & reuocauit 26. Octob. an. 1461. ipso Rege annuente. Executio tamen diu dilata est, quia pœnituit Regem annuisse, vbi intellexit Regni libertates iuraque Ecclesiæ Gallicanæ eâ Bullâ labefactari & imminui.

Verum crebris litteris & Legationibus importunis insistente Pontifice rem tandem remisit ad Senatum suum Parisiensem. Balua Legatus Pontificias Regiasque litteras Senatui porrigit. Intercedit Ioannes Romanus Procurator Generalis, intercedit quoque Vniuersitas & Ecclesiæ Concilium appellauit, teste Gaguino. *Erat*, inquit, *in ipso Senatu Ioannes Romanus Regius Procurator. Hic Ioanne Balua ad Curiam Ludouici atque Legati nomine cum litteris veniente petenteque Senatum vt eas suo Decreta roboraret*; Ego, inquit, Iudices, hanc commodissimæ legis abolitionem non approbo, & quatinus ad meum officium attinet, Ioannis Baluæ petitionem impedio. *Ea re incandescens Balua, erat enim ingenio versipelli & doloso nimis, Ioanni Romano multa est comminatus. Cui repugnare etiam Schola Parisiensis non formidauit, Ecclesia Concilium appellans.* Id factum mense Octob. 1467.

Ne tamen ad extrema statim prorumperet Vniuersitas, Legatum, pluries adiit rogauitque vt Pontificem à consilio quod ceperat, dimoueret, secus se coram Concilio Generali ad quod prouocabat de grauaminibus Ecclesiæ Gallicanæ illatis acturam. Cum autem nonnulli qui ab ea ad illum missi fuerant, obmutuissent reponente Legato mirari se quod Vniuersitas tam prædicabilis tamque toto orbe celebris ausa fuisset à Papa ad Concilium prouocare, in Comitiis 15. Decemb. an. eiusdem durioribus verbis excepti sunt, silentiumque eiusmodi fuit omnino improbatum. Qua de re ita scribit M. Simon Caynet Procurator Nationis Gallicanæ. *Non habuit gratos* DD. Deputatos qui obmutuerunt: cum inter cætera dictus Reuerendissimus Pater miraretur, vt retulit, Vnde alma Parisiensis Vniuersitas in vocem appellationis ad futurum Concilium prorumpere non formidaret, viso quod Papa Pius excommunicauit omnes qui ad futurum Conci-

lium appellabunt, per hoc volens innuere aut Vniuersitatem aut eius supposita notari posse Censurâ Ecclesiasticâ contra honorem dictæ Matris Vniuersitatis. Hinc Natio ægrè tulit tacituritatem dictorum Deputatorum; quapropter eos minimè gratos habuit.

Pii II. Pontificis vestigiis & incepto institit Sixtus, institit etiam & suis Vniuersitas quæ die 1 Decemb. an. 1471. congregata decreuit ad Regem legatos suos mittere, interim verò ad appellationis remedium confugit. Acta huius diei sic habent. *Die 1. Decemb. conuocata est per iuramentum Mater Vniuersitas apud S. Bernardum super 3. art.* 1. Fuit super prouisione & promotione suppositorum, pro quo articulo ibi fuerunt lecta quædam appunctuamenta inter summum Pontificem & D. nostrum Regem, in quibus penitus cassabatur & annullabatur Pragmatica Sanctio & contra sacrum Concilium & Sāctorum Decreta penitus agebatur, contra vtilitatem Regni, Ecclesiæ Gallicanæ & Vniuersitatem non minimè ferebatur. Ibique cauebatur de causis perducendis vsque ad Rom. Curiam, ita quod trahi possent supposita Vniuersitatis vltra muros Parisienses, quod est contra nostræ Vniuersitatis antiquissima priuilegia. In illis etiam cauebatur quod Prælati haberent sex menses, & summus Pontifex totidem ad conferendum Beneficia vacantia, & aliqui quos Rex, Regina, aut D. Delphinus nuncupare vellēt, primi ad maiora Beneficia prouiderentur. Sed de studentibus in Vniuersitate ad populum instruendum, & de petitis nulla facta est mentio. Idcirco satis vniformiter deliberatum quod Mater Vniuersitas haberet adire Curiam Parlamenti in suis suppositis, videlicet Rector & nobilis Comitiua cum notabili Proponente qui se haberent his appunctuatis opponere, & si opus esset, *appellare* secundum formam quæ olim de eodem casu retenta est tempore M. Ioannis Maugeri.

Innocentius VIII. anno 1491. exigere voluit quandam Decimam Ecclesiæ Gal. iuribus & libertatibus omnino contrariam: quam ipsa quoque Vniuersitas suis repugnare arbitrata est, ob idque habitis die 13. Septemb. Comitiis apud Bernardinos, ad futurum Concilium appellare decreuit, prout in actis eius diei legitur scribente Procuratore Nationis Germanicæ. *Anno I. C. quo supra 13. mensis Septemb.* conuocata *fuit alma Parisiensis Vniuersitas* super iuramentum apud S. Bernardum super 2. Art. 1. Erat super impositione Decimæ à supremo D. nostro Papa institutâ super Scholasticis ac studentibus huius almæ Vniuersitatis Parisiensis. 2. Erat super supplicationibus & iniuriis. Quantum ad primum art. viso quod hæc impositio Decimarum cadit in maximum detrimentum suppositorum Vniuersitatis, & contra plurima priuilegia nostræ Matris Vniuersitatis & suppositorum eiusdem, placuit Nationi ab huiusmodi impositione Decimæ *appellare ad futurum Concilium*, seu à Domino nostro summo Pontifice minus bene consulto ad ipsum melius consultum, & omnibus viis huic institutioni Decimarum obuiare.

Idem conclusum à cæteris Nationibus & à Facultatibus superioribus; in eamque rem extat instrumentum publicum eodem die confectum sub hisce verbis. *In nomine Domini Amen.* Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat euidenter & sit notum, quod anno eiusdem Domini 1491. indict. 9. mensis vero Septemb. die 13. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & D. nostri D. Innocentii Diuina Prouidentia Papæ VIII an. 8. in nostrorum Notariorum subscriptorum testiumque infra scriptorum præsentia personaliter constituti, Rector, Vniuersitatis Paris. nec non sacræ Theologiæ, Decretorum & Medicinæ Facultatum Decani, ac Franciæ, Picardiæ, Normaniæ & Alemaniæ Nationum in dicta Vniuersitate Procuratores, vice ac nomine dictæ Vniuersitatis, singulorumque Doctorum, Magistrorum, Licentiatorum, Baccalariorum & Scholarium singularum Facultatum, Regentium & non Regentium & aliorum suppositorū eiusdem Vniuersitatis, & tam pro ipsis quàm pro aliis sibi adhærentibus & adhæsuris in hac parte quendam codicem papyrceum, scripturam quæ sequitur, continentem nobis exhibuerunt. Et sub finem.

Quod si in exactione & leuatione eiusmodi Decimæ perseuerarint, & ab illa non destiterint, ab ipsius Decimæ Decreto, mandato, impositione, indictione & publicatione, dictorumque DD. Collectorum, Processus fulminatione, mo-

nitionibus insuper per eos aut ab ipsis Deputatis factis & fiendis, censurisque & pœnis per eosdem aut aliquos ipsorum illatis & comminatis, in quantum Vniuersitatem prædictam & eius antedicta concernit supposita, nec non ab omnibus & singulis aliis supradictis grauaminibus & quolibet ipsorum, & specialiter vt ipsi Domini, eorum Commissi aut ab ipsis Deputati vel Deputandi non per monitiones, citationes, interdicti, suspensi, aut excommunicationis sententiarum fulminationes, aut Beneficiorum priuationes vel priuationum declarationes, & brachii secularis auxilii requisitiones procedant siue procedi faciant, à sanctissimo D. nostro Papa Innocentio VIII. minus debitè consulto ad seipsum melius consulendum & ad S. sedem Apostolicam etiam melius consulendam, *nec non ad sacrosanctam Synodum Vniuersalem celebrandam*, illumque vel illos, ad quem seu ad quos de iure prouocare & appellare nobis licet, in his scriptis tam pro nobis quàm pro nostris adhærentibus & adhæsuris, quàm etiam pro Vicariis dictorum Magistrorum Doctorum & Scholarium eorumque in Beneficiis diuinis deseruientium prouocamus & appellamus, protestantes nominibus quibus supra, de prædictis sententiarum & censurarum nullitate iuxta Canonicas sanctiones, submittentes tamen omnia iudicio *Vniuersalis Ecclesiæ Concilii*, ad quòd super omnibus præmissis habere recursum intendit præfata Vniuersitas.

Anno 1516. rursus materia incidit Ingentium turbarum, Pragmaticæ sanctionis abrogatio; & Concordati inter Leonem Papam X. & Franciscum, I. Regem institutio. Cui primum Senatus obstitit, obstitit quoque Vniuersitas: sed tandem victa succubuit. Prætereo plurima quæ tum deliberata & gesta sunt. Sufficiat hic meminisse Vniuersitatem, vt vidit Senatum Parisiensem Concordatum prædictum toties reiectum & repulsum tandem promulgasse & publicasse, habitis Deputatorum Comitiis die 29 Martii an. 1517. accepto prius Consiliariorum suorum & Patronorum Curiæ Paris. & Prætorii Vrbani seu Castelleti, consilio solenniter appellasse ad futurum Concilium. Acta Vniuersitatis sic habent.

Anno 1517. die 24. Martii in vigilia Annunciationis B. Mariæ Virginis apud S. Eligium comparuerunt quamplures Deputati Vniuersitatis singularum Facultatum & Nationum, & Consiliarii Vniuersitatis vocati etiam comparuerunt cum aliis, videlicet DD. Vallin, Bouchart, de Lantier, Alligret & Disome de Parlamento; Versoris & Iulien de Castelleto. Coram quibus fuerunt præsentati & lecti certi articuli per Vniuersitatem dati ad petendum consilium super eisdem & referendum ipsi Vniuersitati, super quibus DD. Consiliarii deliberauerunt responsionem & dederunt, prout in singulis articulis continetur. Sequuntur articuli.

Quæritur 1. ex parte Vniuersitatis, nunquid est appellandum à futuro grauamine & Censuris ac aliis pœnis, quæ promittuntur dictis Concordatis Contradicentibus. Et coram quo.

2. An sit appellandum nunc de nouo à publicatione Concordatorum Apostolicorum facta, attento quod Vniuersitas non fuit audita in suis causis Oppositionis.

3. Vtrum virtute dictorum Concordatorum sint Beneficia acceptanda, vbi Ordinarii darent sub illa qualitate. Et si debeat Vniuersitas prohibere suis suppositis ne accipiant sub illa qualitate.

4. Nunquid videtur bonum quòd Vniuersitas debet prohibere suis Librariis & Officiariis, ne imprimant huiusmodi Concordata nec vendant.

5. Paucis aperire grauamina Capituli de Collationibus.

Item inquirere an sit procedendum ad cessationes, & ad priuationem contra perturbantes supposita Vniuersitatis Et an sint mittendi oratores ad Regem. Sequuntur Responsiones Consiliariorum.

Ad 1 art. *Fiat appellatio nomine totius Vniuersitatis*, omnium & singulorum suppositorum & Officiariorum eiusdem, ac adhærentium & adhærere volentium. Quæ quidem appellatio sit bene facta, & contineat grauamina à Decreto prætensi Concilii Lateranensis à summo Pontifice statuente in certis Concordatis in deformationem Ecclesiæ & Reipub. Vniuersitatis & suppositorum ad futurum Concilium coram Officiali Parisiensi aut aliquo Conseruatore, & affigatur.

Ad 2 m. Accumulabitur cum prima appellatione, & fiet appellatio *ad futurum Concilium*, ad futurum Papam, ad D. nostrum Regem & ad Curiam Parlamenti. Significabitur in Curia protestatio de prosequendo per viam nullitatis, supplicationis, querelæ. Et quod non intendunt per quemcunque actum, factum vel fiendum recedere à dicta appellatione, & reiterare dictas protestationes & appellationes in singulis Rectoris & Processionibus.

Ad 3 m. Beneficia possunt acceptari per singulares, quocunque modo conferantur, attentis protestationibus factis; & prosequantur Nominationes more solito.

Ad 4 m. Non fiant cessationes. Sed loco cessationum fiant preces, orationes & processiones. De modo appellandi & coram quo, dictum est &c.

Iuxta hos articulos, seu potius iuxta consilium Patronorum Vniuersitatis confectum est instrumentum publicum appellationis, his verbis conceptum.

"Vniuersis præsentes litteras inspecturis Rector & Vniuersitas Magistrorum, Doctorum & Scholarium Parisius studentium salutem in Domino. Notum facimus... præmissis expressè protestationibus, quod contra vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quam totius orbis esse Magistram & obtinere principatum credimus, sanctæque sedis Apostolicæ authoritatem ac sanctissimi D. nostri Papæ bene consulti potestatem nihil dicere intendimus: & si quid ex lubrico linguæ forsan malè dictum sit, parati emendare. Sed quoniam is qui Dei vices gerit in terris, quem Papam dicimus, quamuis à Deo potestatem immediatè habeat, per hanc potestatem non impeccabilis efficitur, nec potestatem non peccandi accipit; Equidem si quid quod iniustum est, faciendum esse præceperit, patienter sustinere debet, si non fiat quod ei praua insinuatione suggestum, eique non pareatur si quid contra Diuina præcepta statuendum esse decreuerit. Nam in hoc ei resisti iure potest... Ad huiusmodi ergo appellationis remedium, quo oppressi releuantur, confugientes Nos Rector & Vniuersitas studii Paris. Illustrissimi ac Christianissimi Francorum Regis filia primogenita, antiqua studiorum parens, vice ac nomine nostris singulorumque Doctorum, Magistrorum & Scholarium Parisiis studentium, animoque & intentione prouocandi & appellandi à pressuris & grauaminibus infra scriptis dicimus & proponimus, nosque loco & tempore opportunis & congruis probaturos offerimus quæ sequuntur... Et ad finem.

" Postmodum verò præinsertâ appellatione sic interiectâ, die 1. mensis April. Vir venerabilis M. Arnulphus Monatt in Artibus Magister, & in Iure Ciuili Licentiatus, noster Procurator Generalis, & ad hoc specialiter constitutus coram Venerabili & circunspecto viro M. Guiliel. Huë vtriusque Iuris Licentiato, insignis Ecclesiæ Paris. Decano tanquam coram persona authentica & in dignitate constituta personaliter comparens, cum illum seu illos, ad quem seu ad quos appellamus, adire non possimus, huiusmodi appellationem & contenta in ea nomine nostro & pro nobis intimauit, insinuauit & notificauit; Apostolos cum instantia debita sibi dari petiit & requisiuit. Qui quidem D. Decanus cum reuerentia & honore debitis eidem appellationi reuerenter detulit & Apostolos reuerentiales, & tales quales de iure & consuetudine vel priuilegio dare poterat & debebat, dedit & concessit.

Non refero recentiora exempla quorum facilis & frequens est vsus inter Doctos. sufficiat antiquiora retulisse, vt constet talem fuisse Maiorum nostrorum consuetudinem.



CATALOGVS ILLVSTRIVM ACADEMICORVM QVINTI SECVLI.

A

ÆGIDIVS *Hispanus* (quibusdam *Aspanus*) Alexandro III. sedente Lutetiam venit ad Scholam publicam. Vnde reuersus ad Curiam Rom. adscitus Cardinalitium honorem obtinuit, magnæque fuit apud Pontifices, præsertim verò apud Gregorium IX. & Innocentium IV. authoritatis. Defuncto Gregorio vnus è quinque fuit qui Galfridum Mediolanensem in Papam electum voluerunt. Innocentio, ne in M. Robertum Capitonem Lincolniensem Episcopum sæuiret, dissuasit: eo quod teste Mathæo, magnus haberetur Philosophus, Latinis & Græcis litteris ad plenum eruditus, zelator Iustitiæ, Lector in Theologiæ Scholis, Prædicator in populo, castitatis amator, & persecutor esset Simonialium. Obiit an. 1255. prope centenarius. De quo sic habet Mathæus. *Obiit eodem tempore M. Ægidius Hispanus Cardinalis. Qui ætate fermè centenarius, singularis, pare carens, extitit columna in Curia Rom. veritatis & Iustitiæ, & munerum aspernator, quæ rigorem æquitatis flectere consueuerunt.*

Ægidius Romanus aliâs *de Columna*, ex nobili nempe Columnensium Gente oriundus, Ioannis de Columna Cardinalis qui an. 1244. obiit, abnepos Thomæ Aquinatis auditor fuit in Gymnasio Parisiensi; adeoque in omni litteraturæ genere profecit & inclaruit, vt Philippi IV. Regis, quem Pulchrum appellarunt, meruerit esse Didascalus seu Præceptor. Quo deinde impulsore librum de Regimine Principum composuit & edidit. Ad Augustinenses Eremitas se contulit, quorum & Prior fuit. Reuertentem è Sacris Remensibus Philippum an. 1286. eleganti oratione nomine Vniuersitatis excepit. Demum an. 1295. post Simonem de Bello-loco factum Episcopum Prenestinum & Cardinalem à Bonifacio VIII. postulante Rege ad Archiepiscopatum Bituricensem prouectus est. Multa Opera scripsit quæ commemorant Trithemius & Iacobus Bergomensis in supplemento Chronicorum: *Ægidius* Romanus Ordinis Eremitarum Generalis Prior & Bituricensis Archiepiscopus ac Primas Aquitaniæ declaratus, his temporibus ob ingenii magnitudinem Theologorum Princeps est appellatus. Quod quidem conijci potest, si à curioso lectore eius volumina perspiciantur. Hic namque ex illustri Columnensium Romanorum familia natus, cum longo tempore Ordinem suum omnemque Ecclesiam doctrina & moribus illustrasset, plurimoque labore præceptoris sui sancti Thomæ Aquinatis Opera apud Parisios defensasset, tandem miraculis clarus beato fine quieuit. Qui sanctitatis merito *Beatus Doctor* est appellatus. Qui & hæc quæ sequuntur, edidit librorum volumina, videlicet *De*

Corpore Christi. De mensura Angelorum. De Generatione Angelorum. De Gradibus formarum. De esse & essentia. De Generatione & corruptione. De formatione Corporis humani. De peccato Originali & prædestinatione & inferno. De Resurrectione Mortuorum. De distinctione articulorum. De fide Catholica. De Officio Missæ. De regimine Principum. *De renunciatione Papæ. Item super 1. 2. 3. & 4. Sententiarum. Compendium Theologiæ. Quodlibeta. Correctorium Correctorii B. Thomæ. Super lib. 3. de anima. Super 8. Physicorum. Super omnes Aristotelis libros. Super lib. Ethicorum. Examerom libros suos. De intellectu possibili. De laudibus Diuinæ sapientiæ. De Carcere & bona fortuna. De subiecto Theologiæ. De Ecclesiastica potestate. Super Cantica Canticorum. Super Ep. ad Romanos. Super primam ad Corinthios. Super omne quod in mundo. Sermones præterea multos perutiles per totum anni circulum, & alia multa quæ videre non potui.* Hactenus Bergomensis. Alia multa opuscula addunt aliqui. *In Cap. firmiter, & in Cap. Martha, Expositiones. In Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam Explanationes.* De Corpore Christi, & de distinctione articulorum fidei, & de arca Noe. Theoremata de Sacramento altaris & de Corpore Christi. Lib. occasione Clerici minus sufficienter ad Subdiaconatum promoti. Quomodo Reges possint Bona Regni Ecclesiis elargiri. Tractatum contra Exemptos. De diuina influentia in beatos. *De defectu malorum culpæ. De peccato Originali,* Tam tenacis autem eum memoriæ ait fuisse Ambrosius Coriolanus in Chronico Augustinensium, vt in tot tantisque Operibus, in nullo vnquam sibi repertus sit contradixisse. Interfuit Concilio Viennensi cum Clemente V. Papa, & Philippo Pulchro Francorum Rege. Obiit verò die 22. Decemb. an. 1315. sepultusque est Lutetiæ in æde Augustinianorum cum hoc Epitaphio.

Hic iacet aula morum, vitæ munditia, Archiphilosophiæ Aristotelis perspicacissimus Commentator. Clauis & Doctor sacræ Theologiæ. Lux in lucem reducens dubia. Frater Ægidius de Roma Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini.

Alanus Bello-clius Angliće *Beuclif* Oxoniensium Scholarium decus Lutetiam venit, vbi partam Oxonii laudem vehementer auxit. Publicè enim Philosophiam, deinde Theologiam legit tanta cum dignitate & existimatione nominis, vt ornamentum planè eximium doctis etiam Gallis videretur, inquit Lelandus. Claruit an. 1230.

Alanus Teukesbury Nationis quoque Anglicanæ confectis Oxonij studiis Lutetiam ad maiora profectus M. Stephano de Langerona adhæsit, eique familiaris valde fuit: & eius hortatu piæ Thomæ Cantuariensis memoriæ parentauit, cui etiam familiarissimus fuerat. Obiit anno 1201.

Alanus de Insulis malè ab aliquibus reponitur hoc seculo, aut duo fuerunt, Prior qui & *Magnus* dictus an. 1180. florebat, vt dictum est suo loco. Posterior, qui hoc seculo. Author Chronici Belgici Magni Alanum Insulensem distinguit ab Vniuersali. Illum scribit obiisse an. 1202. hunc verò circa finem huius seculi floruisse cum Ioanne Scoto Minorita Doctore Subtili, & Ioanne Andrea qui Bononiæ maximus Iurista habebatur; citatque Collectorem Fasciculi temporum.

Albericus Decanus Turonensis nominatur in Charta quadam parui Pastoralis an. 1232. confecta *De nemoribus apud Rosetum & Vernotum à Capitulo Paris. M. Alberico concessis.*

Albericus de Lauduno aliàs de Humbert, ex Archidiacono Paris. Archiepiscopus Remensis, insignis Theologus & Concionator. De quo ad pag. 39. Albericus de Remis Rector an. 1273. de quo vide p. 401.

Albertus Magnus in oppido Laningensi seu Laugingensi Sueuiæ ad ripas Danubii an. 1205. vel vt legitur in Indice Chronologico, an. 1193. ex clarissima Bolstatensium Comitum prosapia natus. Patauium missus est ad studia litterarum. Ille cum Iordanum 2. FF. Prædicatorum Magistrum Generalem concionantem audiuisset, S. Spiritus numine afflatus & tactus ad Dominicanos se conuertit. Post obitum Iordani Coloniæ primum docuit: ibique habuit Discipulum Thomam Aquinatem. Deinde à FF. Prædicatoribus qui Cathedram Magistralem inuaserant, euocatus Lutetiam, tertius post Rolandum Cremonensem & Helyam Gallicum Cathedram ascendit, tantàque cum celebritate & Auditorum frequentia docuit, vt cum non possent omnes in vna Schola contineri, coactus fuisse dica-

tur in Platea docere quæ etiamnum hodie ab eo nomen retinet M. Alberti. Non diu tamen Lutetiæ moratus Coloniam rediit Thomamq. Pariſios miſit, quem quaſi Proſcholum ſeu Promagiſtrum ibi reliquerat, vt in eius vita legitur. an. 1254. Prouincialis Teutoniæ, Vormaciæ & Vangionum delectus. Romam deinde ab Alexandro IV. accerſitus & Magiſter ſacri Palatii factus publicè docuit, & cum Guillelmo de S. Amore decertauit. Tum Ratiſponenſis Epiſcopus creatus circa an. 1262. Epiſcopatu verò eiurato Scholam reſumpſit. Ad Concilium Lugdunenſe venit an. 1274. à Gregorio X. aduocatus. Obiit Coloniæ 17. Kal. Nouemb. an. 1280. ſepultuſque eſt in medio Choro Conuentus ſui. Aiunt autem eum quinquennio ante obitum omnia oblitum quæ de Philoſophia didicerat, idque à B. Virgine Deipara precibus imperraſſe, ne ſe in Philoſophorum opinionibus, ſed in ipſa Chriſti fide ac charitate mori ſineret. Teſtis Ferdinandus Caſtillus Centur. 1. Hiſtor. Dominic. ducentis poſt annis ſcilicet pridie id Ian. an. 1483. aperto eius loculamento maxima hominum celebritate & frequentiâ adſtantibus Colonienſis Academiæ Rectore cæteriſque Magiſtris & Scholaribus corpus illæſum incorruptumque planè inuentum omnes qui aderant ſtupore & admiratione defixit. Eius Opera plurima refert Trithemius lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, aitque non ſurrexiſſe poſt eum ſimilem ei virum, qui in omnibus litteris, ſcientiis & rebus tam doctus, eruditus & expertus fuerit.

Albertus Galioti Pariſienſis Bononiæ in profeſſione iuris ciuilis claruit. De quo vide pag. 154. Eius opera Trithemius commemorat, Margaritam Quæſtionum 1. & Declarationes Iudiciorum l. 1.

Albertus de Parma quem Innocentius IV. in Angliam miſerat anno 1254. ad offerendum Richardo Comiti Henrici Regis Franciæ Siciliæ & Apuliæ Regnum, quo Conradum ſpoliare intendebat, conatus eſt Vniuerſitatem Pariſienſem Mendicantibus conciliare. Eiuſque rei meminit Cantipratanus. *Audiuimus*, inquit, *ab eo in Galliis conſtituto quod dicti Magiſtri ex parte Vniuerſitatis & Fratres Prædicatores datis ſuper hoc litteris in ipſum finaliter conuenerunt, vt omnes querelas inter ipſos proprio arbitrio terminaret.*

Alexander Alenſis Nationis Anglicanæ ex oppido Alenſi poſt longam inter ſeculares Magiſtros conuerſationem ad Minoritas ſe tranſtulit, primuſque eorum Doctoralem in Theologia Lauream aſſumpſit. Bonauenturæ de Balneo Regio & Thomæ Aquinatis præceptor fuit. Iuſſu Innocentii IV. Summam Theologicam in 4. partes & per articulos diuiſam ſcripſit, & primus omnium dicitur in 4. libros Sententiarum Lombardi commentaria edidiſſe: quem ſcribendi modũ nullus adhuc attigerat: eum imitatus eſt Thomas Diſcipulus. Totam fere ſacram ſcripturam poſtillauit & expoſuit. In Pſalmos Dauidicos Commentaria lucidiſſima edidit. Scripſit vitam S. Thomæ Cantuarienſis. Vitam Regis Richardi. Annotationes Bibliorum l. in Epiſt. Pauli l. 4. in Metaphyſicam & librum 1. de anima. De factis Machometi egregium Tractatum B. Mariæ Virginis, in quo ſuſtinet eam ab originali labe fuiſſe immunem Repetitiones lectionum l. 1. Summam Virtutum &c. Obiit an. *1245* videantur ea quæ ad eum annum de eo fuſius ſcripſimus, Eiuſdem meminit Trithemius in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. *Alexander de Ales Natione Anglicus, Ordinis Minorum, Præceptor Euſtachy Cardinalis; vir in Diuinis ſcripturis eruditiſſimus & in ſeculari Philoſophia nulli ſuo tempore ſecundus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, cum eſſet Doctor ſacrarum litterarum in Gymnaſio Pariſienſi, vt cæleſtis Philoſophiæ verus efficeretur diſcipulus, Ordinem pauperum Chriſti intrauit, quem ſuâ eruditione & ſanctitate mirabiliter illuſtrauit. Scripſit iubente Innocentio Papa IV.* inſigne opus 4 voluminibus partitum, multas vtilitates complectens, quod *prænotauit* ſummam Theologiæ. Sicque incepit. *Quoniam, ſicut dicit Boetius.* Declarationem Regulæ Minorum l. 1. Reuerendo in Chriſto Patri. Cætera eius non vidi. Dicitur autem quod tam vetus quàm nouum teſtamentum ex magna parte poſtillauerit: & de concordia Iuris Diuini & humani multa ſubtiliter diſſeruerit, aliaque compoſuerit varia, quæ ad manus noſtras non venerunt. *Claruit ſub Friderico II. an. Dom. 1240.* Balæus verò Centur. 3. ſic eius vitam breuiter deſcribit. *Alexander* de Hales relictâ patriâ dum adhuc iuuenis eſſet, Gallica ſtudia petiit. Qui in Gymnaſio Pariſienſi *Doctor Irrefragabilis* appellatus ſuperbam Minoritarum Sectam lecturæ ſuæ tempore vix mentis compos intrauit

præcedenti ductus Ioannis Dominicani exemplo. Ingenio & eloquio peracutus. A multis iactitabatur in Ariſtotelicis diſciplinis ætate ſua nulli cedere. Propterea Thomæ Aquinati, Bonauenturæ & Guillelmo Guarroni qui ex locuſtis macilentis primi equi erant ad prælium parati, in Theologia Scholaſtica præceptor accitus. Diem obiit vnà cum Ioanne de Rupellà Lutetiæ Pariſiorum, vbi & ſepultus inter ſuos Franciſcanos an. 1245. 6. Kal. Septemb.

Alexander de Villa Dei, patria Dolenſis minoris Britanniæ, quem aliqui reponunt inter Minoritas, fuit inſignis Grammaticus, Philoſophus, Aſtronomus & Calculator inſignis. Scripſit teſte Trithemio, tam metro quàm proſâ opuſcula non pauca, inter alia verò, volumen de Grammatica metro Leonino ſcriptum, cuius ad tempora vſque Trithemij, hoc eſt vltra an. 1500. vſus fuit in Scholis aſſiduus, illudque intitulauit *Doctrinale puerorum*, & ſic incepit, *Scribere Clericulis paro Doctrinale*. Scripſit etiam de Sphæra l. 1. De Computo Eccleſiaſtico l. 1. Quamuis modo in fine temporum. De Arte numerandi l. 1. Sermones, Epiſtolas & alia quædam. Claruit ſub Friderico Imperatore & Ludouico IX. Rege Francorum an. 1240. Vide pag. 65.

Amalricus de Bena, ſeu *Almaricus Carnotenſis* de Villa Bena natus, vir egregius ſi modum & medium tenere potuiſſet: ſed altiora ſe ſapiens abiit in reprobum ſenſum, & Albigenſium nouitatem amplexus eſt. Ioannes Fraſquetus qui Chronicon ſcripſit ab Origine mundi ad an. 1272. de eo ſic habet. *Fuit eo tempore M. Almaricus Carnotenſis Philoſophus & Catholicis Quæſtionibus ſingularis, qui doctrinâ peruerſam confingens charitatem ſic reſpondebat, quod id quod aliàs peccatum, ſi in charitate fieret, peccatum non eſſet. vnde & fornicationes & alia nefanda occultè ſub charitatis ſpecie cum deceptis ſimplicibus committebat. Qui cum pluribus Clericis & Laïcis iuſſu Regis Philippi in Campello Pariſ. ſunt combuſti.* Addit Ioannes à S. Victore. *Ipſe ergo primò ab Vniuerſitate Magiſtrorum Pariſienſium condemnatus, & poſt à Papa Innocentio: & tunc errori ceſſit & abiurauit. Sed qui ab eo fuerant ſeducti, plures erant qui ignorabantur.* De eo eiuſque ſequacibus ſatis fusè in Hiſtoria ad an. 1204. & 1209.

Arnoldus ſeu *Arnulphus* Ambianenſis, Rogerij de Furniualle Medici Ludouici VIII & IX. priuignus, inſignis Theologus & ex iis vnus qui an. 1235. vel 1236. pluralitatem Beneficiorum cum Philippo Cancellario defendit. Factus eſt an. 1238. Ambianenſis Epiſcopus. Dominicanos & Franciſcanos annis 1243. vel 44. Ambiani collocauit. Obiit poſt an. 1250. Vide in Hiſt. ad pag. 161.

Aymericus de Ripis Cenomanenſis (malè Alberico Henricus) vir excellentis ingenii, Iuri Canonico præſertim animum applicuit: de quo ſic habet Albericus (Monachus Ordinis Ciſtercienſis in Cœnobio Trium-fontium qui Chronicon ſcribit ad an. 1241.) *Henricus*, reponendum, *Aymericus, Iuris Canoni Doctor Studioſus, Studioſorumque amator præclarus*. Fuit primum Archidiaconus Pariſienſis, & ex
» Archidiacono an. 1236. electus Archiepiſcopus Lugdunenſis, Interfuit Concilio
» quod contra Fridericum habuit Lugduni Innocentius IV. Demum eiurato Ar-
» chiepiſcopatu apud Papam ſeceſſit ad Grandimontem, in eoque Monaſterio ali-
» quandiu verſatus multis bonis collatis obdormiuit in Domino an. 1257. ſepul-
» tuſque eſt in medio Chori ſub lamina ærea, cui tale inciſum eſt Epitaphium
» ex Chronico Grandimontenſi.

Laus Cenomanenſis & gloria Lemouicenſis,
Quo Doctore prius & iuſto Iudice fulſit
Inclyta Pariſius; & quo Paſtore reluxit
Lugdunum, patria decus & larga arca ſophia.
Largus, famoſus, ſubtilis & ingenioſus
Hic Aymericus iacet, Ordinis huius amicus.
Et quoniam voluit in Grandimonte locari,
Fac Deus illius animam ſuper aſtra leuari.

Azo celeberrimus Iureconſultus Natione Italus, patria Bononienſis, non quidem ex Academicis noſtris; ſed ab iis ob ingentis peritiæ famam frequentatus

multorum

multorum didascalus seu doctor fuit. Idem verò Ioannis Bosiani Cremonensis viri doctissimi quondam auditor & discipulus iuris Ciuilis famosissimus interpres inquit, Trithemius, fons legum, copia verborum, lucerna iuris, qui sua doctrina, eruditione & scientia omnes iurisconsultos qui praecesserunt, facile praecelluit. Scripsit autem Summam iuris Notabilem l. 1. super digesto veteri lib. 34. super Codice quoque l. 9. plurimos Apparatus in legibus, aliosque Tractatus. Hunc aiunt nonnulli morte mulctatum fuisse an. 1200. eo quod Bulgarum Iureconsultum aduersariū suū in disputatione occidisset. Verum fabellam istam rectè refellit Sigonius Histor. Bonon. l. 4. ad finem, tum quia Bulgarus longè ante an. 1200. obierat, tum quia in Actis Bononiensibus habetur Azonis memoria post an. 1200. testisque est Othofredus eum non iudicio sed morbo sublatū vacationum tempore, quo solebat ægrotare. Vnde etiam si ita est, conuincitur erroris Index Chronologicus, vbi ad ao. 1200. scribitur Az onem obisse Bononiæ, idque ex Epitaphij inscriptione probare Fichar. Fend. Forst. Certius Othofredus, qui de Azone scribebat an. 1262. quique fuerat auditor Balduini, Balduinus Azonis, Azo Ioannis Boziani, Bozianus Alberici de Porta Rauennaris æqualis, Bulgari, Martini aliorumque primorum iurisconsultorum. Trithemius ait Azonem sub Friderico Imperatore claruisse anno 1230. & multos insignes discipulos post se reliquisse. Vide de eo pag. 89.

B

Biardus qui fuerit nescio; sed in Indice seu Catalogo librorum ab Vniuersitate certo pretio addictorum, seu vt aiunt taxatorum qui legitur in vetusto Codice Rectoris, fit eius mentio his verbis. *Sermones Biardi de Dominicis & festis. Item distinctiones.*

Bonauentura qui & Eustachius natione Italus, patria Balneo-regiensis, Alexandri Alensis auditor & discipulus, quem Bucholcerus ait natum an. 1221. ad Minoritas se deinde contulit, fuitque Ordinis Minister Generalis, ac postea Albanensis Episcopus & Cardinalis à Gregorio X. creatus an. 1273. mense Decembri. vt nonnulli volunt. vel an. *1274*. in Concilio Lugdunensi, cuius prima sessio celebrata est die 7. Maii in dissidio Vniuersitatis cum Mendicantibus pro iis scripsit contra M. Girardum de Abbatis-villa & paupertatis voluntariæ votum propugnauit. De eo sic Trithemius. *Eustachius qui Bonauentura de Balneo Regio natus Ordinis FF. Minorum Minister Generalis, ac deinde Episcopus Albanensis & sacro-sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalis, Alexandri de Ales quondam auditor & discipulus, vir in Diuinis scripturis eruditissimus & in seculari Philosophia nobiliter doctus ingenio subtilis & clarus eloquio, vita & conuersatione deuotus atque sanctissimus, cuius ingenium, doctrinam, naturæ & vitæ puritatem, præceptor eius Alexander contemplans dicere solebat, in Fratre Bonauentura Adam peccasse non videtur.* Scripsit multa & profunda & deuotissima Opuscula, quibus ardentia proferens verba non minus affectum legentis in Christi amore accendit, quàm intellectum doctrinis sanctis illuminat. Omnes enim sui temporis Doctores vtilitate Operum facile præcellit; si spiritum diuini amoris & Christianæ deuotionis in eo loquentem attendas, profundus est, non verbosus, subtilis, non curiosus; disertus, non vanus, flammantia, non inflantia verba proferens. Vnde & securius legitur, facilius ab amante intelligitur, vtilius frequentatur, dulcius & fructuosius retinetur. Multi doctrinam proferunt. deuotionem prædicant multi, pauci scribendo libros docuerunt vtrumque. Bonauentura autem & multos superauit & paucos, dum eius doctrina deuotionem, deuotio instruit doctrinam. *Si ergo doctus esse vis & deuotus, illius opusculis esto intentus.* Tum multa eius scripta enumerat, quæ quia à Doctis quotidie teruntur, hic commemorare supersedeo. Obiit 15 mensis Iulii an 1274. in Concilio Lugdunensi, sepultusque est in Cathedrali, & anno 1483 à Sixto Papa IV. propter vitæ sanctitatem & miracula in Cœlitum catalogum adscriptus.

Bonifacius Bruxellensis vir insignis pietatis & doctrinæ Lausanensis fuit Episcopus, & curato Episcopatu ad docendum reuersus est, vt innuit Cantipratanus lib. 2. c. 30. parte 6. his verbis. *Venerabilis Bonifacius quondam Lausanensis Episcopus, nunc Rector in Theologia Parisius.* Eiusdem meminit c. 51. p. 4. & cap. vltimo p.

32. relicto verò docendi munere ad Cameram, Sanctimonialium Cœnobium Cisterciensis Ordinis iuxta Bruxellam se contulit, vbi mirâ sanctitate celebris obiit. Eius verò ossa de terra eleuata sunt an. 1600. ab Abbate Camberonensi, consentiente vero Archiepiscopo Mechliniensi, vt scribit Coluenerius in Notis ad Cantipratanum.

Bonifacius Papa VIII. ante promotionem Benedictus Caietanus dictus, patria Anagninus, in Musæo Paris. diu versatus, Canonicatum obtinuit in Ecclesia Parisiensi, vt ipse testatur in Bulla quadam quâ Cancellarium, Cantorem & Decanum residentiæ necessitate adstringit. Sic autem habet. *Digna nos prouocat & excitat ratio, legitima & efficax animum causa mouet, vt inter cæteras orbis Ecclesias, quibus nos prætulit benigna clementia Saluatoris, Parisiensem Ecclesiam fauoribus prosequamur eximiis, & ad statum eius votiuum & prosperum vigilantibus studiis intendamus. Non enim nostri sacrario pectoris obliuio damnosa subripuit, quin potius tenaci memoriâ retinemus*, quod eiusdem Ecclesiæ copiosa benignitas nos olim dum in minoribus " ageremus, de ipsius honorabili gremio existentes fouit & tractauit vt filium, " maternis fouit & refecit vberibus, respersit gratiis, beneficiis honorauit. Ideo- " que non immerito illam interna Charitatis viscera gerimus & spiritualis fauo- " ris affluentiâ fouemus, Apostolicæ sedis partes solertius adhibendo, vt eiusdem " status Ecclesiæ honoris multiplicis incrementa suscipiat, felicibus fulciatur euen- " tibus & successibus prosperis fœcundetur, vt ipsa quasi per condignæ retributio- " nis officium, in nobis gratiosum Patris affectum per effectum inueniat, quæ an- " teactis temporibus nostro dulcia Matris vbera gustui propinauit.

Iuris Ciuilis & Canonici peritissimus est habitus, quo nomine apud Curiam Rom. conspicuus fuit, & ad res gerendas potissimum adscitus & S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis factus. Hinc Cœlestinum Papam hominem simplicem & Eremiticæ vitæ studiosiorem quàm politicæ, facile adduxit vt Pontificatum alteri cederet, & ipsemet occupauit. Vnde nonnulli in eum luserunt hisce versibus.

Audi, tace, lege, benedic, benefac Benedicte,
Aut hæc peruerte, maledic, malefac, Maledicte.

Hinc eum vocarunt *Bonifacium alteratum* seu *Malefacium*. Anno [illegible]i Pontificatus statuit festa Apostolorum & 4. Euangelistarum, item & 4. Doctorum, Gregorii, Augustini, Ambrosii & Hieronymi sub honore festi duplicis ab omnibus vniuersaliter celebrari. Paulo superbior fuisse dicitur, & acta probant: dare enim Regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio affectauit, tributa à Clero Principibus absque assensu suo & concessiune dari prohibuit. Mendicantium Ordines frustra renitentibus Prælatis, Priuilegiis & immunitatibus mirum in modum promouit. Regem Philippum Pulchrum sacris arcuit, Regnoque spoliare conatus est. Sed qui intrauerat vt vulpes, regnauerat vt Leo, vt canis vulgo dicitur interiisse an. 1303. Trithemius hæc eius Opera solummodo commemorat. Sextum Decretalium, & Epistolas plures ad Diuersos.

Eiusdem Bonifacii legitur in paruo Pastorali Ecclesiæ Parisiensis fol. 21. Bulla ad Decanum & Capitulum eiusdem Ecclesiæ, quâ eos eximit à censuris quæ à Conseruatoribus aut Executoribus Priuilegiorum vibrari possent, talisque est.

Bonifacius Episcopus S. S. D. Dilectis filiis. Decano & Capitulo Eccl. Parif. Sal. & Ap. bened.

Meritis nostræ deuotionis inducimur, vt vos gratâ beneuolentiâ prosequamur. Hinc est quod meritorum huiusmodi obtentu volentes vobis gratiam facere specialem, authoritate vobis præsentium indulgemus, vt nullus Delegatus vel Subdelegatus ab eo, Executor aut etiam Conseruator à sede Apostolica deputatus, seu Legatus sedis eiusdem possit in vos excommunicationis seu Interdicti sententiam promulgare absque speciali mandato dictę sedis faciente plenam & expressam ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Anagniæ Non. Iulii Pontif. nostri an. 1.

Innocentius Papa IV. idem.
Martinus IV. idem.
Nicolaus IV. idem.

Et nota quod Conseruator Vniuersitatis Parisiensis non habet clausulam huic derogatoriam, quare, &c.

Item Cancellarium Paris. speciali bullâ adstrinxit continuæ residentiæ: quam ad sequens seculum referemus.

C

CÆsarius Heisterbackensis Natione Teutonicus, Patria Coloniensis Lutetiæ litteris operam dabat circa ann. 1180. Ad Cistercienses se contulit Nouitiorumque instructor fuit, In quorum gratiam simplici & aperto sermone nonnulla scripsit opuscula. Et prætetea Opus prolixum de miraculis & visionibus diuersis suo tempore factis in Germania, inquit Trithemius, Dialogorum lib. 12. In Euangel. Dominical. l. 2. In Euangelia de Sanctis Sermones ad Nouitios l. 1. & alia plura.

Christianus Belnacensis vnus ex iis est qui pro Vniuersitate contra Mendicantes dimicarunt, sed Anagniæ seu metu seu ratione coactus palinodiam cantauit. Reuersus Lutetiam & morti propinquus apud Prædicatores sepeliri voluit. Cantipratan. l. 2. c. 10.

Clemens IV. Pontifex Maximus, ante promotionem dictus Guido Grossus, aliàs Fulcodius, Natione Gallus, Prouinciæ Narbonensis ex oppido S. Ægidii ad Rhodani ripam; adolescens pro more huius seculi Scholas parisienses adiit, litteris animum apprimè excoluit, Iurisprudentiæ verò præsertim totum se addixit, & ita addixit, vt à Durando *Lumen Iuris appelletur*, à *Platina Iurisconsultus totius Galliæ sine contentione primarius*; *ob Onuphrio Iurisconsultorum peritissimus.* In Prætorio Regio causas diu egit, deinde à Ludouico IX. ad secretius Consilium adlectus omnium amorem sibi conciliauit. Vxore mortuâ factus est primum Archidiaconus Podiensis deinde Archiepiscopus Narbonensis an. 1260. paulo post ab Vrbano IV. item Gallo patriâ Trecensi Cardinalis Sabinensis factus an. 1261. postremo papa post Vrbanum. Quomodo verò id factum, scribit Frasquetus in Chronico his verbis. « *Clemens IV.* Guido Fulcodii vocatus Natione Prouincialis, Miles vxorem & liberos habuit. Primò fuit famosus Aduocatus & Regis Franciæ Consiliarius: de- « inde vxore mortuâ propter vitam & scientiam laudabilem primò Podiensis Epis- « copus & post Narbonensis Archiepiscopus, tandem Sabinensis Cardinalis effici- « tur. Sed cum post in Angliam propter pacis reformationem à papa Vrbano IV. præ- « decessore suo Legatus missus fuisset, absens à Cardinalibus perusii est electus in « Papam. Sic ieiuniis, vigiliis & orationibus & aliis bonis operibus intentus fuit, « quod multas quas tunc Ecclesia sustinebat tribulationes, Deus suis meritis cre- « ditur extinxisse.

Eo sedente in Cathedra S. Petri Simon de Bria Cardinalis S. Cæciliæ Vniuersitatem reformauit, Nationesque dissidentes ad amicam pacis compositionem adduxit. M. Guill. de S. Amore ab exilio reuocauit. Circa Prouisoris Sorbonici institutionem & electionem statuit an. 1268. quo anno obiit piè & sanctè vt semper vixerat, sepultusque est Viterbii 3 Kal. Decemb. apud FF. Prædicatores in Ecclesia S. Mariæ ad Gradus, cum hac inscriptione.

Lector sige pedes admirans quam breuis ades
Pontificem quartum Clementem contegit arctum.
En datur in cineres Petri successor & hæres,
Cuius si memor es, non mundi gaudia quæres.
Hic Iudex primum, quem sic successus opimum
Reddidit vt fertur Miles probus efficeretur.
Taleque sortitus nomen Iurisque peritus.
Virginis vnius fuit vnicus ipse maritus.
Qui viduatus eâ mox Christi sorte potitus
Aniciensis ita dignus fuit Archileuita,

Præsul ibi factus, post Archiepiscopus actus.
Pastor vt egregius Narbonæ præfuit auctus.
Vtque Deo gratus & Cardinalibus sociatus,
Papatus nomen clarum suscepit & omen.
Sic sublimatus, sic denique clarificatus
Perficiendo gradus censetur ad astra leuatus.
Annis sex denis octo cum mille ducentis
Transactis Christi, Clemens tumulo datur isti,
Vt finalis ei det gaudia summa diei. Amen.

D

D*Auid Dinantius* viuebat initio huius seculi & regebat in Artibus atque in Theologia: sed eius doctrina improbata est à Roberto de Corzon Legato Apostolico Vniuersitatis Paris. Reformatore an. 1215. sic enim legitur in eius litteris.

Non legantur libri Aristotelis de Metaphysica & de naturali Philosophia, nec Summa de eisdem, aut de doctrina M. Dauid de Dinant, aut Almarici hæretici aut Mauricii Hispani.

Desiderius Longobardus vnus est è quatuor Athletis Academicis, qui contra Mendicantes scripserunt: quemque proinde ipsi inter Hæreticos reponunt. Thomas Aquinas Opuscul. contra Impugnantes Religionem c. 6: eum vocat Hæresiarcham sui temporis, eo quod paupertatem voluntariam impugnaret: atque hanc opinionem à Iouiniano & Vigilantio ortam, à Desiderio fuisse propugnatam. *Hic error*, inquit, *per successiones errantium vsque ad hodierna tempora peruenit, & in hæreticis quibusdam qui Cathari nominantur, permansit & adhuc permanet: sicut patet in quodam Tractatu cuiusdam Desiderii Hæresiarchæ Lombardi nostri temporis, quem edidit contra Catholicam veritatem, in quo inter cætera condemnat statum eorum qui relictis omnibus egere volunt cum Christo. Nuper autem quod est horribilius, antiquus error renouatus est ab his qui fidem defendere videbantur, qui more errantium in peius procedentes non sunt contenti diuitias paupertati æquare vt Iouinianus, vel diuitias paupertati præferre, vt Vigilantius: sed paupertatem totaliter condemnare, dicentes non esse licitum sua omnia pro Christo relinquere, nisi talem Religionem intret quæ possessiones habeat, vel nisi talis sit qui labore manuum viuere intendat.* Verum neque iste neque alii qui cum Guillelmo de S. Amore Mendicantibus aduersati sunt, ab Alexandro IV. licet impensè his contra Academicos addicto, inter Hæreticos vnquam annumerati sunt.

Dominicus Hispanus Canonicus Oxomensis, occasione Albigensis Hæreseos Collegium seu Sodalitium Fratrum Prædicatorum instituit, qui ab eo Dominicani dicti sunt: deinde Iacobini seu Iacobitæ, postquam Parisiis in via San-Iacobæa sedem posuerunt. Obiit autem Dominicus anno 1221. Bononiæ 8. idus Augusti, plenus miraculis plusquam annis.

Dudo Doctor Medicus Ludouici IX. Archiater, de quo habentur in eius vita
» per Guill. Carnotensem, quæ sequuntur. M. *M. Dudo Physicus* & Clericus D. Regis,
» qui cum ipso S. recordationis Rege Ludouico in partibus Carthaginensibus fue-
» rat, assistens ei in infirmitate pariter & in morte, cum D. Rege Philippo reuer-
» sus est. Paulo post ipsius gloriosi Regis sepulturam, dum esset apud S. Germa-
» manum in Laya die Pentecostes, vbi D. Rex Philippus festum suo more Regio
» tenuerat, sensit se grauiter infirmari. Inuasit enim eum febris satis acuta.
» Die tamen crastina sicut potuit, venit Parisius & iacuit in domo Regis, & tan-
» tum inualuit ægritudo, quod omnes Medici desperabant, & ipse etiam cum aliis
» de seipso. Quarto die ægritudinis confessione factâ & dispositione de rebus suis
» habitâ cum dolorem intolerabilem sentiret in capite, cœpit benedictum Regem
» Ludouicum totis affectibus inuocare sic dicens. Ha! Domine Rex. *Ego fui*
» *Clericus vester, & credo vos esse Sanctum. Succurrite mihi obsecro in hac necessitate, &*
» *ego vigilabo per noctem ante tumulum vestrum.* Quid plura? conualuit. Et mane vi-
» sionem istam scripto tradidit F. Guillelmo Carnotensi, qui S. Ludouici vitam &
» miracula conscripsit.

E

EDmundus Richius Abbendoniæ In Anglia Patre Eduardo, Matre Mabilia natus, à qua post mortem mariti missus Lutetiam cum Fratre Roberto. Ibi dicitur vidisse Christum specie infantis & cum eo collocutus fuisse. *Magister Artium factus*, inquit Vincentius Bellouacus lib. 31. spec. hist. c. 73. *preter morem tunc legentium Missam & Horas Canonicas quotidie priusquam legeret, audire consueuerat.* Rexit in artibus per sex annos, deinde ad Theologiæ studia se contulit admonitus à Matre in somnis: tunc prope S. Mederici manebat, & in eius Ecclesia quotidie Missam antequam Classem peteret, audiebat. Post cursum confectum Doctoralem lauream consecutus est, & Magistralem quoque Cathedram ascendit, *& tanquam Lucerna super candelabrum positus*, inquit Vincentias, *omnibus proficere studuit, ac si omnibus esset notus. Erat enim Prædicator egregius, disputator acutissimus, lector pius, & in his omnibus effundebat aliis quod ipse hauserat de fontibus Saluatoris.* Hinc electus ad Archiepiscopatum Cantuariensem multa à Rege, Clero, Optimatibus perpessus est, ita vt sponte ex Anglia in Galliam exularit. Obiit Ponciniaci 16. Kal. Decemb. anno 1247. & paulo post ab Innocentio IV. & Alex. IV. in Sanctorum numerum adscriptus. Vid. Math. Paris. Inter alios discipulos habuit M. Seuualum qui suo tempore Episcopus fuit Eboracensis, & multas iniurias à Curia Rom. perpessus fuisse dicitur. Hæc de re sic Mathæus Paris. ad an. 1258. quo Seuualum obiisse refert. *Iste verò Archiepiscopus Seuualus B. Edmundi sequens vestigia pedetentim, vt pote ipsius in Scholis auditor, Discipulus & Conscholaris, ipsi nitebatur prorsus feliciter assimilari, & in moribus conformari. Nec censeo præter eundem, quod huic suo Carissimo B. Edmundus Lector in Theologia Oxoniali dicere consueuit Discipulo speciali. O Seuuale Seuuale Martyr ab hoc seculo transmigrabis &c.* Fratrem habuit Robertum Richium qui vnà cum illo Oxonii, Lutetiæ & Romæ versatus est, cumque eo abiit in exilium voluntarium. Eiusdem olim discipulus fuerat Stephanus de Lexintona, factus postea Abbas Clareuallensis, de quo suo loco. Plura de Edmundo Historici Angli Scripsit vtilem librum qui *Speculum Ecclesiæ dicitur*, legiturque in tom. 5. Bibliothecæ Patrum.

F

FRancifcus Assisias Minoritarum Institutor ob hoc Academicis accensendus, quod ex ipsius Ordine complures prodierint viri illustres, qui hanc Academiam parentem illustrarunt. Euangelicæ paupertatis ardentissimus sectator fuit, & amator Christi tam feruens, vt in contemptu mundi & omnis consolationis transitoriæ vix parem habuerit, inquit Trithemius.

Fridericus Decretorum Doctor commemoratur in Historia Ordinis Vallis-Scholarium pag. 17. diciturque ibi electus Catalaunensis & confirmatus. Verum eam dignitatem vnâ tantum nocte sustinuit, teste Alberico ad an. 1215. *Episcopus Gerardus Catalaunensis Episcopatum dimisit: in electione nominatus est Fridericus Archidiaconus, qui per vnam noctem solummodo onus istud portauit & in crastino renunciauit. Vnde electus est Guillelmus de Pertica consobrinus Regis, frater Rotroci quondam Episcopi.*

Fridericus II. Imperator Henrici VI. filius, Friderici I. cognomento Barbarossæ nepos, ab ineunte pueritiâ plurimis artibus animum excoluit, plurimasque linguas adprimè didicit, Græcam, Latinam, Germanicam, Italicam, Gallicam & Saracenicam. Omitto commemorare quàm potens bello fuerit, quàm armis conspicuus Ad rem nostram maximè pertinet, quod Aristotelis Opera, Ptolomæi magnam Syntaxim, Gregorii Nysseni libros de natura hominis, Medicæque artis authores primarios de Græco & Arabico in Latinum à litteratissimis viris conuerti & Bononiæ doceri curarit. Idem Mathematicas disciplinas in Italia exercitauit; Neopolitanam Academiam instaurauit, Viennensem erexit, Bononiensem & Salernitanam reformauit. In Consilium suum claros viros & magni nominis Iureconsultos adhibuit, Petrum de Vineis, Odofredum Beneuentanum & Thadæum Suessanum, quos Præfectos Prætorio & Præsides Curiæ fecit. Et licet fa-

tali Gentis suæ malo à tribus Pontificibus Honorio III. Gregorio IX. & Innocentio IV. exagitatus fuerit, & hostis Reipub. atque Religionis Christianæ declaratus, non est tamen veritus Nicolaus de Cusa Cardinalis eum *post Carolum M. potentissimum, sapientissimum & Reipub. Christianæ vtilissimum Principem* appellare: eumque Ægidius Romanus in libris quos ad Philippum Pulchrum de institutione Principis scripsit, velut exemplar summi Principis proposuit. Obiit an. 1250. 13. Decemb. & Panormi sepultus est.

G

G*aufridus* Archidiaconus Ecclesiæ Parisiensis instituit duo anniuersaria anno 1236. in prædicta Ecclesia celebranda, de quorum institutione vide ea quæ referimus infra in verbo *Petrus Puluerellus*. Ille est fortassis, cuius commemoratur *Summa* in vetusto codice Rectoris.

Gaufridus de Barro vel de Barbo Burgundus ex Decano & Officiale (vt arbitror) Parisiensi & Doctore Theologo Cardinalis S. Susannæ factus à Martino IV. cui familiarissimus ante promotionem fuerat, & à quo in lite Academicorum damnatus nihilominus fuerat iussusque Officialitatem abiicere. Obiit Romæ an. 1284. vt scribit Ciaconius, vel potius an. 1286. 12. Kalend. Sept. vt est in Paris. Necrolog.

Geruasius Giancoletus de Clinchamp Cenomanensis ex Doctore Theologo & Decano Parisiensi ad Cardinalatum assumptus SS. Siluestri & Martini tit. Equiti à Martino IV. legatus est ad Regem Francorum Philippum, vt auxilium mitteret aduersus Petrum Aragoniæ Regem. Obiit Romæ an. 1287. sede vacante post obitum Honorii IV.

Gerardus Sagarellus Italus Doctor Parisiensis in illo dissidio Dominicanorum & Academicorum scripsit contra Minoritas librum vnum, cui per Apologiam respondit Bonauentura Franciscanorum Generalis. Ille autem Parmæ dicitur fuisse combustus, operâ Mendicantium. Communiter vocatur Gerardus de Abbatis-Villa, quem aiunt Mendicantes paralysi dissolutum & leprâ percussum obiisse, quasi in vindictam odii quod aduersus eos conceperat. Contra eum Bonauentura scripsit Apologiam Pauperum, quam sic incipit. *Tantum sibi præsumptionis assumpserunt quidam homines &c.*

Gilbertus cognomento Magnus Nationis Anglicanæ ad Cistercienses se contulit, eorumque fertur fuisse Præpositus Generalis. Ille vt scribit Balæus, ætatem doctrinâ, patriam eloquentiâ splendidiorem reddidit. In Gymnasiis Anglicis litterarum studia incunctanter coluit, bonasque disciplinas in aliis regionibus fouit & potissimum Parisiis & Tolosæ vbi prælegit publicè. Claruit an. 1280. & Tolosæ obiit. Scribunt aliqui eum Commentatorem fuisse Euangeli æterni. Fecit etiam Sermones. Nam in lib. vetusto Rectoris ita legitur, *Sermones Gilberti ad status.*

Godefridus de Fontanis duplex occurrit hoc seculo: alter initio, alter sub finem. Prior Rogerii Toparchæ Condatensis in Hannonia filius, Cameracensis Episcopus inauguratus Remis an. 1220. dictusque Bonus Episcopus. Libros scripsit de Diuinis Officiis obiitque anno 1238. successorem habuit M. Guiardum de Launduno; & iste M. Nicolaum de Fontanis Godefridi nepotem; qui Coadiutorem & Coëpiscopum sibi adlegit Thomam Cantipratanum. Alter Godefridus scripsit contra Mendicantes, id præsertim oppugnãs quod illi vitæ solitariæ laudem & gloriã affectantes vellent se Parochialibus curis immiscere, nec Prælatis parerent. Initio autem Tractatus nonnulla præmittit de dissidio quod Prælatos inter & Mendicantes intercessit an. 1283. occasione priuilegiorum à suprema sede obtentorum. Cuius verba nos in historia retulimus. In vetusto Codice Rectoris commemorantur Quodlibeta *M. Godefridi, & Summa Goffridi.*

Gregorius IX. summus Pontifex Innocentii III. nepos, Natione Campanus, patria Anagninus è Comitum familia, Luteriæ summum in Theologia apicem consecutus est, vt ipse dicit in quibusdam Priuilegiis Vniuersitati concessis: peruenit ad Pontificatum anno 1227. Obiit an. 1241. in antiquo codice Vaticano sic de eo-

dem legitur. *Hic natione Campanus de Anagnia nobiliori eiusdem Prouinciæ ciuitate, Patre de Comitibus Signiæ, felicis memoriæ Innocentium Papam III. consanguinitatis tertio gradu attingens, Matre verò de potentioribus Anagninis exortus; formâ decorus & peruenustus aspectu, perspicacis ingenii & fidelis memoriæ prærogatiua dotatus, liberalium Artium atque vtriusque Iuris peritia eminenter instructus, fluuius eloquentia Tulliana, Sacræ paginæ diligens obseruator & Doctor, Zelator fidei, disciplinæ virtutis, rectitudo Iustitiæ, Solatium miserorum, Religionis plantator & custos, castitatis amator & totius sanctitatis exemplar de Capellania D. Innocentij Papæ III. in honorando Collegio in Cardinalem S. Eustachii modica interiectione promotus, ac non multo post in Ostiensem Episcopum ordinatus.*

Gualterus Cornutus Decanus Ecclesiæ Parisiensis, Henrici Clementis Franciæ Marescalli ex Sorore nepos, Simonis verò Cornuti Villæ nouæ prope Musterolum oppidum filius, ad Archiepiscopatum Senonensem assumptus est an. 1221. alus 1223. Quo anno Philippi Augusti exequias celebrauit. De eius promotione Guillelmus Brito in Philippide, cuius versus nos ad an. 1221. retulimus fol. 104. Cum verò à Rege contra Honorium Papam stetisset, vix confirmationem obtinuit; obtinuit tamen, & duorum Regum consequentium à secretis fuit. An. 1239. spineæ Coronæ quam, Ludouicus IX. in sacra Capella reposuit, historiam latinè conscripsit; & nos retulimus. Obiit 11. Kal. Maii an. 1241. sepultusque est in Choro Metropolitanæ à parte dextra Aquilæ sub hoc Epitaphio.

Præsul Gualterus iacet hic in puluere, verus
Cultor Iustitiæ, Cleri Pater, Arca Sophiæ,
Non parcunt generi nec honori fata, nec arti.
Traditur hic cineri fæx modò, præsul heri.
M. Scribe ad bis C. quater X. addens quoque scribe I.
In summa appositæ sic finitur sacra vita.

Dum viguit tua, dum valuit Gualtere potestas,
Fraus latuit, pax magna fuit, regnauit honestas.

Hic M. Gilonem Cornutum de quo suprà, successorem habuit, & iste Henricum nepotem. Itaque ab an. 1221. aut certè ab an. 1223. ad an. 1258. tres Archiepiscopi Senonenses ex eadem Cornutorum Gente assumpti sunt, magno Vniuersitatis Parisiensis gaudio, quæ tres istos viros tam insignes, tam sui amantes suo gremio fouerat & litteris claros effecerat.

Gualterus Cancellarius Ecclesiæ & Vniuersitatis Parisiensis, vir multiplicis doctrinæ, commemoratur in quibusdam Chartis ab an. 1244. quo Cancellariatum iniit ad an. 1248. quo videtur ad Episcopatum Parisiensem fuisse promotus sub nomine Galteri de Castro-Theodorici; quam dignitatem tenuit ad an. vsque *1250.* successoremque habuit M. Reginaldum de Corbolio.

Guiardus seu Wiardus, aliàs Guido, Godefridus & Gilo de Lauduno Cancellarius Vniuersitatis factus an. 1237. post Philippum de Greua; celeberrimæ disputationi de Beneficiorum pluralitate interfuit an. 1238. quo post Godefridum de Fontanis factus est Episcopus Cameracensis. Eius facit honorabilem mentionem Thomas Cantipratanus pluribus locis. c 19. part. 8. eius sententiam de materia supradicta refert his verbis. *Hoc idem M. Guiardus Cameracensis Episcopus verbo huiusmodi confirmauit. Nollem*, inquit, *pro toto Arabia auro vnâ tantum nocte duo Beneficia retinere: & certus tamen essem, quod de mane vnum illorum idoneo homini conferretur: & hoc propter incerta vitæ discrimen.* Hunc virum Theologicis Scriptoribus annumerat Pontanus in sua Chronographia, & Molanus in Bibliotheca Belgica his verbis. *Guyardus vel Wiardus Episcopus Cameracensis obiit an. 1248 qui alio nomine dictus est Godefridus, Guido seu Gilo de Lauduno. Scripsisse fertur de Officiis Ecclesiasticis librũ, cuius initiũ est*, Quoniam sæpe me rogasti. *De Creatione Mundi Dialogũ* qui inchoatur, *Secundum M. Tullium.* Ioannes Garetius eiusdem librum de Diuinis officiis citat in lib. de vera præsentia Corporis Christi in Eucharistia. Ait quoque Coluenerius in Notis ad lib. 1. & c. 4. Cantipratani, se duos sermones eiusdem satis prolixos de *Passione Domini* descripsisse ex antiquo codice MS. Monasterii Fliuensis iuxta

Duacum, quorum prior hunc habebat titulum *Sermo Dompni Guiardi Episcopi. ad Passione Domini in die nostra Redemptionis.*, incipiens. *Christus passus est pro nobis* Alter incipiebat. *Stabat iuxta Crucem Iesu.* Obiit secundum nonnullos Afflinghemij in Brabantia an. 1247. secundum alios an s248. at secundum Gazæum an. s250. nonnulli verò asserunt obiisse anno 1242. Scribit Cantipratanus l. s. c. 4. cum fratri cuidam Prædicatori apud Gandauum apparuisse, eique interroganti quomodo ipsi esset, respondisse, *Morinus sum, debitum commune soluens conditionis humanæ: & ecce ad satis graues transeo pœnas expurgandus, priusquam ad gloriam transferar: nimia securitas me culpabilem reddidit & purgandum; sed via ista quâ contra Hæreticos pro expurganda Ecclesia auidius inhiabam, pœnam meam imminuet & accelerabit gloriam nunc dilatam.* Vide pag. 217.

Guibertus Tornacensis celebris suo æuo Theologus claruit circa an. 1270. ad Minoritas se contulit, & iussu Ioannis Tornacensis Episcopi, S. Eleutherii eiusdem Ciuitatis olim Antistitis vitam scripsit. Tractatum de Officio Episcopi deque Ecclesiæ ceremoniis. Opusculum de pace & tranquillitate animi. Scripsit etiam Hodoeporicon primæ profectionis S. Ludouici Regis ad partes Transmarinas. Item sermones de Dominicis & Sanctis; Quadragesimales; Chronica, quæ nondum in lucem publicam prodierunt.

Guido quis & vnde, mihi incompertum est, sed in vetusto Codice Rectoris commemorantur *Sermones Guidonis.*

Guillelmus de Ioinuilla sacræ Theologiæ Professor è Remensi Archidiacono factus Episcopus Lingonensis excepit primos Ordinis Vallis-Scholarium Institutores Magistros & Scholares Parisienses, & in valle quadam suæ Diœcesis collocauit, vnde Vallis-Scholarium dicta & Ordini nomen dedit. Hinc ad sedem Remensem translatus eam tenuit ad an. 1226.

Guillelmus Anglicus Theologiæ quoque Professor, Ordinis prædicti Institutor primus cum tribus aliis sociis, Richardo de Natecio, Eurardo & Manasse. De quibus in historia p. 15. & seq Fuit iisdem temporibus Guillelmus Scotus, tertius Trinitatensium Minister Generalis. qui obtentâ ab Episcopo Paris. S. Maturini Æde, quo loco sua habebat Vniuersitas Comitia, emptisque propinquis ædibus & inhabitatis Ordini suo Maturinensium nomen primus indidit. Obiit an. 1222 3. Id. Maij.

Guillelmus Pictauiensis Artium Magister, deinde Theologus, Amalricanæ Hæresεos fautor, cum Guillelmo Aurifice & multis aliis, qui temeritatis & impietatis pœnas luerunt, quas merebantur. De quibus pag. 50.

Guillelmus de Archesiis vico Comitatûs Niuernensis, illustris genere & virtutibus conspicuus primos adolescentiæ annos exegit in Academia Parisiensi, tantæ abstinentiæ & austeritatis, vt Guillelmus Eremita vulgo vocaretur. Patruum habuit Guillelmum Suessionensis Ecclesiæ Archidiaconum, cuius operâ & ipse factus est eiusdem Ecclesiæ Canonicus; deinde Parisiensis. Tum seculi fallacis exosus illecebras, Grandimontensem eremum adiit, vbi orta nescio quâ seditione vir quietis & tranquillitatis amans votum concipere distulit, seque postea ad Cistercienses contulit & in Pontiniaco Cœnobio Nouitii habitum sumpsit, vbi factus primum Prior Claustralis, deinde Abbas Fontis-Ioannis, postea Caroliloci. Postremo post obitum Henrici de Soliaco Archiepiscopi Bituricensis, inuitus ad eam sedem raptus est an 1199. impellentibus maximè Abbate Cisterciensi, Legato Apostolico & præsertim Odone Soliacensi defuncti fratre Episcopo Parisiensi, *qui inter cætera bona quibus emicuit*, inquit Monachus Antissiodorensis, *id habebat præcipuum, quod in Beneficiis Ecclesiasticis conferendis non ad genus, non ad munus non ad preces, sed ad mores scientiamque respiceret, nec nisi dignos ad dignitates Ecclesiasticas promoueret. Hinc est quod eius studio Guillelmus ad Bituricensem, Gaufridus ad Turonensem, Albericus ad Remensem Archiepiscopatum promoti sunt: quorum prior Caroli-loci Abbas extitit: alij duo Parisienses Archidiaconi sibi inuicem successerunt, viri insignes ac timentes Deum, honestatisque ac iustitiæ præcipui sectatores.* Factus ergo Archiepiscopus eundem vitæ cursum semper tenuit, nec destitit asperrimo cilicio carnem affligere, vt prius consueuerat, cibis abstinere & humilitatem Monasticam sub archiepiscopali habitu exercere. Erga verò pœnitentes tam benignus & misericors extitit, quàm erga obstinatos seuerus. Albigensium Hæreti-

corum

corum malleus, contra quos Ducem se præstitit Exercitus Cruce-Signatorum, sed vix arrepto itinere subitâ febri correptus interiit an. 1209. vt scribit prædictus Monachus. *Anno*, inquit, *Dom. 1209. Guillelmus Bituricensis Archiepiscopus cum se Cruce signasset, ob hoc præcipuè quia Prouincia sua multas Ecclesias & aliquas vrbes hæresis pestilens occupasset, dum propositum iter aggreditur, ægritudine tangitur & intra 5. dies sancto fine decedit. Vir Religiosus, simplex & humilis: cuius vita quàm accepta Deo extiterit, signorum frequentiâ innotescit.*

Crebris post mortem miraculis claruit; quorum factâ diligenti inquisitione & examinatione Honorius III. eum Cœlitum Catalogo adscripsit. A quo tempore eum Natio Gallicana Patronum accepit, eiusque proinde festum summâ pompâ & celebritate quantâ potuit celebrauit, etiamque num hodie celebrat.

Guillelmus de Scilligniaco seu Selloiaco agri Autissiodorensis, patre Burchardo, matre Aaonora nobilibus parentibus ortus, postquam liberalium disciplinarum sufficienter peritum se sensit, ad Iuris Canonici scientiam se contulit, in eaque excelluit; sed non iis Facultatibus contentus Theologiam amplexus est, in qua tamen non legitur gradum vllum assumpsisse, aut Magistralem Cathedram ascendisse. In Ecclesia Senonensi Thesaurariā & Archidiaconatū Prouinensem adeptus est, in Autissiodorensi Decanatum cum adhuc in Scholis esset. Quomodo verò Decanatum exercuerit contra Hugonem Episcopum, dictum est in Historia. Hugone verò defuncto factus ipse est Episcopus Autissiodorensis anno 1206. deinde Honorii III. iussu ad sedem Parisiensem se transtulit anno 1220. Quomodo autem erga Scholares se gesserit, breuiter refert Ioannes San-Victorinus. Hoc anno (1220.) captâ Damietâ à Christianis reuersi sunt plures in Franciam. Tunc Guillelmus Autissiodorensis Episcopus translatus est ad Cathedam Parisiensem Petro Episcopo Paris. defuncto. Vir quidem nimis seuerus & Regi Philippo infensus *& Vniuersitati Scholarium Parisiensium, cuius improbitate actum est vt per dimidium annum à Lectionibus cessaretur.* Obiit die 23. Nouemb anno 1223. apud S. Clodoaldum ad Sequanam.

Guillelmus Autissiodorensis, quem malè Myræus & alii quidam Scriptores cum superiore Guillelmo Episcopo confundunt. Ille enim insignis in Academia Parisiensi Philosophiæ, deinde Theologiæ Professor fuit, claruitque Gregorii IX. & Innocentii IV. temporibus. Theologiæ Summam edidit in 4. libros Sententiarum, quæ omnium Theologorum manibus hodie teritur, fuitque Parisiis primum impressa an 1500. teste Myræo. Vna eius sententia notatur vt singularis lib. 3. tract. 12. c. 1. q. 2. & c. 2. q. 1. *Quod merita hominum iustorum prius & principalius à fide quàm à charitate dependeant.* Vide Censuram Bellarmini. Eius anniuersarium celebrabatur olim ab Vniuersitate apud Mathurinenses die 3. Nouemb. Sic enim legitur in Kalendario libri Rectorii. *In crastino animarum fit anniuersarium M. Guillelmi Antissiodorensis.* Quo die Natio Gallicana Regentibus suis qui Missæ interfuerant, pecuniam distribuebat. Sic enim M. Guillelmus Ficher eius olim Procurator in expensarum Indice sui Magistratus tempore factarum scribit. *In obitu M. Guill. Antissiodorensis 2. sol. 8. den.* Et Io. *de la Plancke* eiusdem etiam Procurator, *Die Lunæ post commemorationem mortuorum in Missa Vniuersitatis celebrata in Mathurino summam sex solidorum.*

Guillelmus Brito seu Aremoricus duodennis venit è patria Meduntam ad Magistrum quendam qui ibi docebat magnâ nominis famâ, cum non omnes possent Lutetiæ docere. Nec oblitus est in sua Philippide commemorare Meduntensis vrbis laudes, quæ Regi Anglicano oppugnanti fortiter repugnauerat. Sic autem libro 3.

Si mihi sufficeret dicendi tanta facultas,
Quantum velle datur, vt quod mens concipit intus,
Dicere lingua queat, tua fama celebrior esset
Et maiori totus dignam te laudibus Orbis
Diceret efferri. Si quam tamen hæc mea, si quam
Carmina sunt habitura fidem, si me patiatur
Liuor forte legi, tu posteritatis in ore
Semper eris, viuetque tuum per secula nomen.

Hoc tibi lingua tui munus largitur alumni.
Ingratum tibi ne me nutriuisse queraris,
Vndenis tibi quem cano iam vertice lustris.
Patria Britigenum duodennem misit alendum,
Iam tunc Castalij sitientem pocula fontis.

Hæc scribebat paulo post obitum Philippi Augusti, anno circiter 1224. quo tempore natus erat annos circiter 45. assumptus autem à Philippo fuerat in Aulam, vt Petro Karloto primordiales rudimentorum regulas artesque imprimeret. Scripsit metroPhilippidem 12. libris distinctam, nempe gesta Philippi Regis, eamque Ludouico VIII. eius filio, ipso Philippo adhuc viuente cuius Capellanus erat, dedicauit, & sic eum initio alloquitur.

Ergo qui tanto exspectas succedere Regi
Vt primogenitus, vt herilis sanguinis heres,
Dignus qui dignè digno decoreris honore,
Illius atque tuis assurgere laudibus, & te
Authorem Dominumque velis præstare libello,
Ammiranda tui Patris & tua facta canenti,
Qui sibi præscribit titulum nomenque Philippi,
Crescat vt ex titulo maior reuerentia libro,
Audeat & tanto sub nomine tutior ire
In medium, ladique minus liuore pauescat.

Eiusdem Philippi Historiam scripsit etiam solutâ oratione ad annum vsque 1219.

Guillelmus Aruernus patria Aureliacensis, in Diuinis Scripturis eruditus & secularis Philosophiæ non ignarus, inquit Trithemius, ingenio subtilis & apertus eloquio, nec minus conuersatione quàm scientia venerandus. Scribit verò Albericus in Chronico eum Lutetiæ Theologiam interpretatum fuisse, nouam Domum Filiarum Dei inchoasse, & plures mulierculas prædicatione suâ à peccatis retraxisse. Ad Episcopatum Parisiensem post Bartholomæum assumptus est anno 1228. Et sic eum Nicolaus de Braya in Heroico carmine Ludouici VIII. alloquitur.

Et tu quem decorat virtutum schema, Sophiæ
Gratia: quem Genitrix & virgo pudica pudicum
Esse sibi gaudet famulum, quo præsule ridet
Artibus ingenuis vernans Vrbs Parisiensis,
Quo festinat eum Aluernia fomite felix.
Gemma Sacerdotum, Cleri decus huc ades, aures
Huc aduerte tuas, cœptis patiare Camœnam. &c.

Sub eo Præsule multa acciderunt digna memoriâ. Constructio Conuentus S. Catharinæ Vallis-Scholarium, an. 1229. Fundatio Cœnobii Franciscanorum an. 1230. secessio Vniuersitatis Parisiensis eod. anno. Dominicanorum Cathedræ Magistrales. Susceptio Coronæ spineæ. Præterea an 1236. & 1238. Comitia habuit frequentissima in Capitulo Prædicatorum, in quibus damnata est pluralitas Beneficiorum: quâ de re Nos in Historia suo loco. Plurima edidit Opera Theologica quæ fuerunt excusa Venetiis, De S. Trinitate l. 1. De primo Principio l. 1. De Sacramentis l. 1. Cur Deus homo l. 1. Summam Virtutum l. 1. Summam Vitiorum l. 1. De Fide & legibus l. 1. De Animabus hominum l. 1. De Bono & Malo. l. 1. De Vniuerso l. 6. De Professione Nouitiorum l. 1. De dono scientiæ l. 1. De Operibus virtutum l. 1. De remediis tentationum l. 1. De pluralitate Beneficiorum l. 1. De Claustro animæ l. 1. De Rhetorica Diuina l. 1. De Pœnitentia l. 1. De Dæmonibus l. 1. In Hexameron. l. 1. In Psalterium l. 1. In Prouerbia Salomonis l. 1. In Ecclesiasten l. 1. In Cantica Canticorum l. 1. In Euangelium Mathæi l. 1. Sermonum l. 1. Epistolarum l. 1. De Collatione & pluralitate Beneficiorum Ecclesiasticorum l. 2.

Diuitias ex reditibus Beneficiorum Eccleſiaſticorum partas ita oderat, vt inteſtati Canonici diuitis hereditatem quam de iure occupare poterat, ſibi vindicare noluerit. Teſte Cantipratano l. 2. de Apib. c. 56. *Audiuimus*, inquit, *de Venerabili Guillelmo nato Aluernia, Pariſienſi Epiſcopo, quod cum nunciaretur ei quendam Canonicum Eccleſiæ Pariſienſis inteſtatum deceſſiſſe, & ipſe de Iure Canonico in tribus millibus marcharum ſuccedere deberet eidem, comploſis manibus reſpondit, Abſit hoc à me ſed heu miſero pecunia ſua ſecum ſit in perditionem. Et hæc dicens precepit pecuniam in vſus pauperum erogari.* Obiit an. 1248. ſepultuſque eſt in Capella S. Dionyſij apud S. Victorem Pariſienſem cum hoc Epitaphio.

Conditus hic recubat fatali ſorte Guilelmus,
Pariſis Paſtor qui gregis aptus erat.
Repperit illuſtrem cœleſti munere famam,
Quam nequit in tanto mors abolere viro.

Guillelmus de Militona inſignis Theologiæ Profeſſor, Summam Theologiæ Alexandri Alenſis imperfectam abſoluit, quam 72. Magiſtri Pariſienſes ſignis & ſigillis ſuis commendarunt, & Alexandro IV. obtulerunt. Ad Minoritas ſe contulit. Et de eo ſic Cantipratanus l. 1. c. 1. *Vidi alium eminentis vitæ virum de Ordine Fratrum Minorum, F. Guillelmum de Militona, qui Magiſter Theologiæ Pariſiis ſanctiſſimam ac deuotiſſimam vitam duxit. Hic cum die quadam Pariſiis prædicaret, per horam obmutuit, & verbum vitæ reſumens, omnibus cum vultu ſereniſſimo valedixit & ſic in pace quieuit.* Annum non indicat. Eiuſdem meminit Henricus Willotius in Bibliotheca Franciſcanorum. & aliud miraculum refert littera G.

Guillelmus de S. Amore ſic dictus ab oppido huiuſce nominis apud Sequanos, vnde oriundus erat. Philoſophiam diu profeſſus eſt, fuitque Procurator Nationis Gallicanæ & Vniuerſitatis Rector: fuit etiam eiuſdem Procurator Generalis ſeu Syndicus. Ad Theologiæ poſtea profeſſionem ſe contulit. In diſſidio Dominicanorum acerrimum ſe & intrepidum ſemper præſtitit; adeout neque laboribus neque ſumptibus parceret, quo iura Academiæ contra Mendicantes tueretur. In Regeſto Vaticano legitur Ep. 29. ab Innocentio IV. data Idibus Iuliis anno Pontif. 12. ad Guillelmum de S. Amore Canonicum Beluacenſem *Procuratorem Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium*; in qua ei facultatem concedit contrahendi mutui pro expenſis & negotiis vſque ad ſummam 300. libellarum Turonenſium ſuper bonis & facultatibus Vniuerſitatis. Scripſit contra Mendicantes librũ de *Periculis nouiſſimorum temporum*, quem ſic incipit. *Ecce videntes clamabant foris, Angeli pacis amarè flebunt.* Qui liber Anagniæ damnatus eſt & crematus iuſſu Alexandri IV. non propterea quod hæreſes contineret, ſed quia Mendicantes nimis acerbè tractauerat. Tota Monachorum cohors illum inter Hæreticos reponit: ſed longè moderatius de eo loquitur Ioannes de S. Victore ad an. 1254. ſic ſcribens. *Hoc anno* iterum orta eſt diſſenſio in Vniuerſitate pro M. Petro (Guillelmo de S. Amore) contra Fratres, ſed tandem per Regem Ludouicum pacata eſt, vt dicitur. Liber M. Guillelmi non quod hæreſim contineret, ſed quia poterat contra Fratres diſſenſionem mouere fuit per Papam condemnatus & combuſtus. Nam Rex Ludouicus miſerat Romam Clericos ſuos pro negotio Fratrum. *Sic Ioannes poſt Naugium ad an.* 1255. *ſic ſcribentem.* Tandem hinc inde multis propoſitis damnatus fuit & combuſtus liber à M. Guillelmo de S. Amore prædicto editus & intitulatus *De Periculis mundi*, in Eccleſia Cathedrali apud Anagniam, non propter hæreſim quam contineret, ſed quia contra præfatos Religioſos ſeditionem & ſcandalum concitabat.

Sed nec ipſe Alexander quanquam Guillelmo infenſiſſimus, librum illum vllius Hæreſeos notat. Hoc enim tantũ de eo dicit. *Nos eundem libellum qui ſic incipit*, Ecce videntes clamabunt foris, quique *ſecundum ipſius titulum* Tractatus breuis de Periculis nouiſſimorum temporum nuncupatur, tanquam iniquum, ſceleſtum & execrabilem, & inſtructiones & documenta in eo tradita, vtpote praua, falsa & nefaria, *de fratrum noſtrorum conſilio authoritate Apoſtolica reprobamus & in perpetuum condemnamus.* Et poſt pauca *Si quis verò prædictum libellum ore Apoſtol co ſem damnatum approbare vel quomodolibet defenſare præſumpſerit*, tanquam contumax, in-

Pro defendenda Terra-ſanctâ, vel habenda
Pace, decem cum mille libris moriens dedit ille.
Præterea ſenibus, viduis, nudis recreandis
Necnon virginibus propriis ſponſis ſociandis,
Theologis Logiciſque Scholaribus & ſtudioſis,
Cæcis, mendicis, verecundis, Religioſis
Bis decies Chriſto fere millia contulit iſte.
Anno milleno centum bis L. duodeno.
Et quantum numerum complens viuendo dierum
Pariſius moritur, ſed in vrbe ſua ſepelitur
Depoſitus feretro, Cathedrato Simone Petro.

In Necrologio verò vrbis Cathedralis ſic habetur. *IX. Kal. Martii* obiit Guill. de Greſſibus Epiſcopus, qui dedit nobis pro anniuerſario ſuo annuatim faciendo 10. ſolidos annui cenſus, quos reddit domus pauperum Scholarium S. Thomæ. Item 20. ſolidos, &c.

Guillelmus Schirwode quem Mathæus Pariſ. *Dunelmenſem* vocat, teſte Lelando prima litterarum rudimenta & incrementa Oxonii accepit, poſteriora verò Lutetiæ Pariſiorum. Lincolnienſis Eccleſiæ Cancellarius deſignatus, præclarè officio functus eſt, & præſertim in Scholaſticis lectionibus, quas ne inani torpecrent otio, ſuis in dies exhibebat, inquit Balæus. Huius pietatem erga Oxonienſes in Scholarium reductione poſt interdictum Legati, Ioannes Roſſus Waruicenſis in libello de Academiis Britannicis mirum in modum extollit. Quam diſſenſionem nos in Chronologia retulimus ex Mathæo Pariſ. Obiit Rothomagi an. 1249.

Guillelmus de Wara aliàs Guarronis, natione Anglus, Minorita, Oxonii primum, deinde Pariſiis lecturis præfuit Scholaſticis, in quibus auditorem habuit Ioannem Duns cognomento Scotum. Vir fuit ſubtiliſſimi ingenii, & Scholaſticæ Theologiæ plurimum incubuit. Claruit anno 1270. Reliquit quædam ſui ingenii monimenta, & inter alia Commentarios in libros Sententiarum M. Petri Lombardi.

Guillelmus Pagham, quem *de Pagula* appellant, natione Anglus, Doctoralem lauream Oxonii & Pariſiis conſecutus eſt. Scripſit quædam Opera. A Clemente V. factus eſt Epiſcopus Midenſis in Hibernia. Claruit an. 1280.

Guillelmus Hothun vel Hodon, quem de Odone appellarunt Externi, natione Anglus, Pariſiis Doctor Theologus, & Dominicanorum in Anglia Prouinciaſis fuit. Factus eſt Dublinienſis Archiepiſcopus & citerioris Hiberniæ Primas. Româ quo iuerat, regrediens apud Diuionem Burgundiæ vrbem obiit an. 1298. eius vero corpus Londinum deportatum Eduardo I. regnante.

Guillelmus Durantus maior Natione Vaſco, omnis Diuini humanique Iuris conſultiſſimus, Decanus Carnotenſis, & ex Decano Mimatenſis Epiſcopus factus anno 1286. Dictus eſt *Speculator*, quia Speculum Iuris, & Rationale diuinorum officiorum in 3. volumina digeſſit. Quod Opus, cum eſſet M. Henrici de Seguſia diſcipulus, Ottobono Cardinali qui poſtea Adrianus Papa V. fuit, dedicauit. Scripſit etiam Repertorium Iuris, & Commentaria in Canones Concilii Lugdunenſis ſub Gregorio X. habiti. Obiit Romæ an. 1296. Eum aliqui malè confundunt cum M. Guil. Duranto iuniore & nepote, qui Concilio Viennenſi interfuit ſub Clemente V. & cum Durando de S. Porciano Epiſcopo Anicienſi & Meldenſi poſt an. 1320.

Guillelmus de Montemoriciaco Prouiſor Domus Sorbonicæ, ordine tertius an. 1284. electus iuxta Bullam Clementis IV. vid. pag. 236.

H

H*Aymo* de Fauersham Nationis Anglicanæ relictis Patriæ Scholis Pariſios venit, vbi Doctoralem lauream aſſecutus multos ibidem laudabiliter erudiuit. Ingenio ita ſubtilis fuiſſe dicitur, vt inter Ariſtotelicos Ariſtoteliſſimus appellaretur. Ad Minoritas ſe contulit, eorumque fuit Miniſter Generalis. Iuſſu Alexandri IV. Breuiarium Romanum correxit & rubricauit, inquit Trithemius. Non-

nulla Commentaria edidit in Sententias, Sermones quosdam, & alia quædam Opera: florebat anno 1270. Senex obiit Anagniæ, vbi à summo Pontifice consolatorias admonitiones accepit.

Helias Dominicanus primus creditur fuisse ex eo Ordine Licentiatus in Theologia à M. Philippo de Greua Cancellario Parisiensi, & post Rolandum Cremonensem Cathedram Magistralem ascendisse: quam tenuit & exercuit inuitis Academicis cum Bono-homine eiusdem Ordinis Theologo Professore, vt dictum est in Historia.

Henricus de Segusia Gal. *de Suse* in vtroque Iure peritissimus, hortatu Alexandri IV. scripsit in Epistolas Decretales accuratam expositionem. Habuit inter alios in ea scientia discipulum Guillelmum Durantum de quo supra. Ex Archipresbytero Ebredunensi factus est postea eiusdem Ecclesiæ Archipræsul anno 1250. ab Vrbano IV in secunda creatione mense Decembri factus Cardinalis & Episcopus Hostiensis anno 1263. Et ille est qui vulgo Hostiensis à Iure-consultis nominatur. Obiit Lugduni an. 1271. cui in Episcopatu Hostiensi successit Petrus de Tarentasia.

Henricus de Colonia à Patruo viro nobili & Milite Lutetiam missus est ad capescendas bonas Artes & Dialecticam: quo deinde mortuo rediit in Patriam, & in oppido Montis-Martis quod est in Teutoniæ partibus, per triennium scholam rexit: postea reuersus Lutetiam circa an. 1220. inuenit institutum Prædicatorum Ordinem, ad eumque se contulit patrui visione admonitus & incitatus, vt ait Cantipratanus l. 2. c. 43. Habuit, inquit, *Patruum Militem, sedulum in cultu Dei in partibus Teutoniæ oppido Montis-Martis. Hic dictum Henricum iuuenem sagacem videns, ætate adultum optimeque in Grammaticis institutum, misit Parisius vt Dialecticam & Artes cæteras assequeretur. Quod vt factum est, patruus eius defunctus est, & intermissum est eius studium annis tribus, quibus in prædicto oppido Scholas rexit. Et his quidem lapsis apparuit ei Patruus suus dicens: Sumes in remedium pœnæ qua in Purgatorio crucior, Hierosolymitanam Crucem quæ per Teutoniam prædicatur, & transfretabis, & exacto quidem tempore cum redieris, perges Parisius inueniesque nouum Prædicatorum Ordinem, quem intrabis.*

Eo monitore & instigatore Ludouicus libri Thalmudici, quo plurimũ vtebantur Iudæi, exemplaria omnia Parisios mitti iussit, eaque cõburi postquam à Magistris Vniuersitatis doctrina in iis contenta condemnata fuit. Ait etiam Cantipratanus eodem l. c. 10. part. 36. eum Philippo Cancellario Parisiensi de Ordine Prædicatorum detrahenti os obtrusisse & tantam confusionem iniecisse, vt intrinseco dolore tactus mox obierit. *Cum ipse*, inquit, *Philippus* diebus 15. ante mortem contra eos crudeliter prædicasset, sequenti Dominica Fr. Henricus dictus de Colonia dicti Ordinis feruentissimus & discretissimus Prædicator, parisius coram Vniuersitate singulis quæ contra Fratres dictus Cancellarius prædicauerat, tetractatis ad vnguem, omnia luculentissimè per diuinæ Scripturæ paginam improbauit. *Cuius improbationis confusione Cancellarius mox tactus dolore cordis intrinsecus repente contremuit & infirmatus ad mortem obiit.* Ita Cantipratanus in rem suam Philippi obitum conuertit. Denique Henricus cum Ludouico Rege ad Partes transmarinas reuersus obiit Hierosolymis, teste Antonio Senensi in Chronico.

Henricus Bonicollius aliàs Gandauensis vel de Gandauo Belga, Archidiaconus Tornacensis, Parisiis diu litteris operam dedit. Eius meminit M. Ranulphus Normani Canonicus Ecclesiæ Parisiensis in Quodlibeto, anno 1274. *Quæstio est*, inquit, *M. Henrici Archidiaconi Tornacensis, vtrum in Deo sit compositio ex actu & potentia.* Trithemius scribit eum fuisse in Diuinis Scripturis inter omnes Doctores sui temporis eruditissimum, & in Philosophia Aristotelica valde subtilem, tantæ opinionis & authoritatis *in Gymnasio Parisiorum, vt Doctor Solemnis per vniuersum Christianum Orbem vocatus sit.* Addit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, præclarum hoc nomen ei inditum *communi Academiæ suffragio.* Eumque accenset Doctoribus Sorbonicis. Erat autem ingenio subtilis & in disputationibus Scholasticis acutissimus. Scripsit Summam Theologiæ l. 1 Super Sententias l. 4. De Virginitate l. 1. quem sic incepit, *Sacris Virginibus Compilator.* Egregium Opus Quodlibetorum l. 2. In Quodlibeto 2 differit contra dispensationes Papæ de pluribus Beneficiis, eiusque

mandata nihil valere probat contra Dei mandatum. Idque authoritate D. Bernardi confirmat. Quodlibeto 8. q. 27. disputat contra abusum Bonorum Eccles. Scripsit quoque Summam Quæstionum Ordinariarum. De Pœnitentia. In Metaphysicam libros 14. In Physicam Aristot. l. 8. & præterea librum de Viris Illustribus, in quo multorum è nostris meminit. Obiit autem in festo Apostolorum Petri & Pauli an. 1293. sepultusque est Tornaci in Ecclesia B. Virginis. Alij scribunt obiisse 8. Sept. an. 1295.

Honorius III. Pontifex ante promotionem Centius Sabellicus dictus, ex illustri nempe Sabellorum Gente. Innocentio III. successor à Cardinalibus electus est Perusij an. 1216. Iuris Ciuilis disciplinam in Gymnasio Parisiensi exerceri seu publicè legi vetuit, quo Theologiæ & Decretis Apostolicis plus tribueret authoritatis. Indoctos ad sacerdotium admitti noluit. Vniuersitatem Parisiensem contra vim nouitatesque Cancellarii authoritate suâ defendit; quæ omnia fusè descripsimus in Historia.

Honorius IV. ex eadem Gente Sabella, Patriâ Romanus, Patre Luca, Iacobus ante dictus Martino III. successit an. 1285. Parisiis se studuisse scribit in Bulla ad Cardinalem Choletum data pro finienda lite, quæ inter Vniuersitatem & Cancellarium Parisiensem intercedebat. Augustinianorum familiam in Concilio Lateranensi non satis probatam, Parisiis vix receptam & à multis impugnatam confirmauit, eique multa priuilegia indulsit. Carmelitis à Soldano pulsis Album amictum tribuit, qui vestes stragulatas & *pallia barrata*, inquiunt, ante gestabant. Episcopo Parisiensi indulsit, vt nullus Conseruator seu Executor contra ipsum esse valeret. Legiturque eius Bulla in paruo Pastorali. f. 11. his verbis.

Honorius Ep. S. S. D. Venerabili Fratri.... Episcopo Parisiensi Sal. & Apost. "
Bened. Exigentibus tuæ deuotionis meritis, votis tuis libenter annuimus, & peti- "
tiones tuas quantum cum Deo possumus, fauorabiliter exaudimus. Igitur quieti "
tuæ paternâ volentes solicitudine prouidere, vt nullus exemptus Ciuitatis vel "
Diœcesis Paris. contra te vel Parisiensem Ecclesiam per litteras Sedis Apostolicæ "
Conseruator seu Executor esse valeat, authoritate tibi præsentium indulgemus. "
Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Romæ apud S. Sabinam 10. Kal. "
Martii Pontif. nostri an. 1. Obiit Romæ pridie Non. April. an. 1287. "

Hugo de S. Caro vel de S. Theodorico, de Calidorio, de S. Iacobo (his enim omnibus nominibus appellatus est, vt scribit in eius vita Vincentius Iustinianus Dominicanus Coloniensis) Natione Burgundus, è Diœcesi Ebredunensi in Delphinatu Galliæ, vt ait Posseuinus; Trithemius verò Barcinonensem appellat, certe ex Barcinoneta valle Delphinatus. Primo iuuentutis flore Lutetiæ Parisiorum liberalibus disciplinis operam dedit, tantosque in virtute & doctrina fecit profectus, vt factæ Theologiæ Baccalaureus effectus sacras ibidem Litteras cum laude omnium Auditorumque ingenti frequentiâ publicè docuerit. Prædicatorum habitum sumpsit an. 1227. Celeberrimis de pluralitate Beneficiorum disputationibus interfuit annis 1236. & 1238. Cathedram Theologicam Ordinis texit tertius, vt scribit Vincentius. Alij verò ordine nonum ponunt. Imo Henricus Gaudau. Primum ex eo Ordine scribit Cathedram adscendisse Magistralem, his verbis. *Hugo Ordinis FF. Prædicatorum qui primus ex illo Ordine Cathedram Theologiæ meruit ascendere Magistralem, totumCorpus veteris ac noui Testamenti dicitur postillasse.* Ab Innocentio IV. Archiepiscopus Lugdunensis factus an. 1244. & paulo post Cardinalis tit. S. Sabinæ; apud quem & apud Alexandrum IV. eius successorem semper pro Dominicanis aduersus Academiam Matrem suam stetit. Obiit an. 1262. 14. April. in Vrbe veteri. Deinde longo post tempore translatum est eius corpus Lugdunum, vbi legitur hoc Epitaphium.

In hoc sepulchro iacet vir venerabilis Deo & hominibus gratiosus F. Hugo "
de Calidorio, Viennensis Diœcesis, tit. S. Sabinæ quondam Presbyter Cardina- "
nalis, Luminare magnum Ecclesiæ, Ordinis FF. Prædicatorum Lucerna, Theo- "
logiæ Paris. Doctor egregius, famosus Scripturarum Traditor & Expositor præ- "
lucidus, Verbi Dei Prædicator eximius, Oliua pietatis, palma iustitiæ, specu- "
lum honestatis, Religiosorum patronus, Veritatis præco, Pater pauperum & "
solatium miserorum. Obiit an. 1262. 14. Kal. April. Alii an. 1264. obiisse comme- "
morant. Scripsit autem Commentaria breuia in Vniuersa Biblia, quæ Trithe- "

mius enumerat. Excogitauit quoque Concordantias Bibliorum, teste Antonino 3. Parte Summæ Historialis. t. 1. c 5.

Humbertus Viennensis Hugonis de S. Caro quondam in Parisiensi Gymnasio discipulus, quem secum pertraxit ad Ordinem Dominicanorum an. 1226. vir in Diuinis Scripturis eruditus, inquit Trithemius, & Declamator egregius, vitâ Euangelicus, conscientiâ purus, actione præcipuus, eloquio dulcis & ad persuadendum idoneus. Fuit quintus Ordinis Minister Generalis, & Ioanni Theutonico successit ad Episcoparum Bossinensem in Hungaria assumpto. De eo sic scribit Cantipratanus l. 2. cap. vlt. *Huic* (Ioanni) *successit Venerabilis vir, generosus & & spectabilis genere, de Burgundia partibus natus, qui gratiâ prædicationis insignis, Lector FF. Prædicatorum factus, adeo Rom. Curia gratiosus & charus fuit, vt cum plures Cardinales in Papam eligerent eo tempore quo Dominus Innocentius IV. in Apostolicum est assumptus. Qui postea Prouincialis Franciæ factus, Magister totius Ordinis est effectus.* Eius temporibus orta est illa discordia memorabilis inter Vniuersitatem & Dominicanos. Scripsit deuota quædam Opuscula, quæ commemorat Trithemius Super Regulam Augustini l. 1. Summam Prædicantium l. 3. Gesta FF. Prædicatorum l. 5. De Officiis sui Ordinis l. 1. De tribus Substantialibus Relig. Epistolarum ad diuersos l. 1.

I

IAcobus de Vitriaco ex Argentoliensi vico Diœcesis Parisiensis oriundus relictis Theologiæ studiis, relictâ Luteriâ, relictâ Argentoliensi Parochiâ adiunxit se Canonicis Regularibus S. Mariæ Niuellanæ, primùm *de Villebroncque*, deinde S. Mariæ de Ognies dictæ in Brabantia. Sacris Ordinibus initiatus est à suo Præsule Parisiensi. Multas Legationes obiit. Et primum Episcopus Acconensis factus, deinde Tusculanus & Cardinalis à Gregorio IX. mense Decembri an. 1228. vel vt alij scribunt an. 1230. Hæreticorum Albigensium fortis persecutor, sermonum egregius Declamator. Scripsit non contemnenda Opuscula. De vita B. Mariæ Oigniacensis lib. Contra Sarracenos l. 1. Historiæ Orientalis & Occidentalis lib. 2. Epistolas ad diuersos. Concionum de Tempore magnum volumen. De sanctis Mulieribus Leodien. l. 1. Obiit secundum nonnullos an. 1240. secundum alios verò 30. April. an. 1244. Extant eius gesta per M. Franciscum Moschum Niuigellensem Iuris vtriusque Licentiatum, Pastorem Armentetiensem conscripta.

Doctrina & pietate cluens hac conditur vrnâ
Vitriacus, Myster quondam hic columenque popelli.
Sub modio haud latuit tantum iubar. Exerit ille
Egregias animi doteis, linguáque diserta
Summo Pontifice isthæc munia demandante
Pugnat in Albigeos, Cruce in illos plurima signans
Millia, queis Christi causam victricibus armis
Ingens ardor erat mentis studiumque tueri :
Tantùm flexanima potuit facundia vocis.
Præsul Achonensis factus dum lustrat Ouile,
Mentibus instillat Diuini semina verbi.
Auocat hos vitiis trepida formidine pœnæ
Ast alios placito accendit virtutis amore,
Communique gregis procul à torpore, saluti
Inuigilans commissa salubri pabula furco
Porrigit, ignitasque preces è pectore promit
Perdius & pernox : quin omnibus omnia factus
Munera solliciti patris indefessus obiuit,
Quo multam Christo sobolem Cœloque dicaret.
Quod si forte lupus prædo insidiatus Ouili
Circumeat, mora nulla, armis cœlestibus arcet.
Debitus altior hinc gradus est, & purpura digno

Apta

Apta fuit capiti, toto applaudente Senatu
Cardineo, & celebri Tuſclum cognomine donat.
Quid referam monimenta exantlatoſque labores?
Texuit hiſtoriam cui nomina fecit ab Ortu.
Hic rerum fatique vices, hic bella recenſet,
Et clades Domino plebem quatiente flagellis,
Et quas Mahumetes ſcelerati dogmatis Author
Vrbibus infectis animas demiſerit Orco.
Sermones habiti ad populum prægrande volumen
Implent eximiæ frugis doctique laboris.
Oegniaca vitam Mariæ dum duplice libro
Scribit, ad ætherium Lectorem inuitat Olympum.
Sunt alij ingenij fœtus, quos ſupprimit ætas
Fœta malis, bellorum alij periêre tumultu.
Qui ſunt præ manibus, doctrinæ laude perennem
Promeritos vitam nullum detriuerit æuum.
At pius & ſapiens Antiſtes luce potitur
Æternâ, meliore ſui iam parte beatus.
Corpus ab hoc tumulo ſurget, cum buccina voce
Terribili, vitâ functos tellure vocabit.

Eiuſdem vitam non inelegantibus verſibus deſcribit M. Andreas Hoïus Brugillenſis, Regius Duacena in Academia litterarum Græcarum Profeſſor.

Vitriaci â magni Manes & nobilis Vmbra,
Ne graue ſit decies ſeptem poſt luſtra moueri.
Natales Argentolei puer editus auras,
Sequana quam liquidis argenteus alluit vndis,
Hauſiſti, & Mariæ Niuigellidis inclyta famâ
Gloria, & egregij vitæ cœleſtis amores
Pariſiis mouêre ſcholis, patriiſque Paræcum
Sedibus, ad dictas Lothari agnomine terras,
Quà lato Ogniacum perfundit flumine Sabis,
Brabantum Niuigellam inter Namurque Eburonum.
Hîc plebis Mariæ hortatu ſolenne docendæ
Curio munus abis, & culta fulmine lingua
Corda feris hominum Chriſtique incendis amore.
Nec ſatis id. Patris te legibus Auguſtini
Anguſtis per vota ſacras, & nomen in arctam
Militiam das rite tuum, quà publica curas,
Quà priuatus agis, vicina per oppida latè
Eximiæ geminum famæ diffundis odorem.
Leodius ſua tranſcribit tibi munia Præſul
Imperijque vices ſacri. Tu diuite præſtas
Eloquio, Oratorque patris delecte Quirini,
In Gentem Albigenûm dirâ impietate nocentem,
Exciſti Belgarum animos, ſanctaque vocaſti
Armatos ſub ſigna Crucis. Te ſuſtulit Aca
Phœnicum Ptolemaïs Eoa ad Sceptra Cathedræ
Remque Palæſtinûm curans Legate, propinquam
Chriſticolis peſtem Mahometi ab ouilibus arces.
Inde vltro poſitoque ad priſtina lætus honore
Septa redis & amica pia ſecreta quietis.
Quà Mariæ te buſta tuæ, quæ præſcia vatis
Dicta vocant, quiniſque ſacranda altaribus ædes.
Sed nec clauſtra tenent nec dulcibus otiá curis,
Quin te dîus amor per compita raptet & vrbes,
Cœlipotens humana ſerentem in pectora verbum

Inque viam errantes prauo de calle vocantem.
Fors iterum inuidit sibi te, aut malè numen amicum,
Fors iterum ingratis aut numen honoribus auxit.
Hugo olim longo tibi coniunctissimus vsu
Ostia cui nomen dedit & decus Ordinis ingens
Cardinei summâ Roma iam sede potitus.
Te quoque purpurea vestis donauit amictu,
Telegonique vrbem Patri commisit habendam.
Curia dum Roma te limina sacra terentem
Detinet, aut studiis florentem ignobilis oti
Quo gemitu, quibus Ogniaci te septa querelis
Queis Eburonum omnis latè vicinia votis
Te Patrem vitaque ducem Parochumque vocarunt,
Quis fando memoret?

Iacobus Cistereiensis cognomine ac natione Anglicus, Bernardinæ familiæ Monachus, Doctor Parisiensis, & Collegio Bernardinorum à Stephano de Lexintona Abbate Clareuallensi instituto præpositus, vbi suis Scholastico more Artes & Scripturas interpretatus est. Clatuit an. 1270.

Innocentius IV. ante promotionem Sinibaldus de Flisco dictus, ex Iauaniæ Comitibus, Genuensis, Bononiæ totum se ad Ius Canonicum contulit, in quo tantum profecit vt Canonistarum Pater & splendor nuncupari meruerit. Multa Opera in lucem edidit. Iacet in Cathedrali Neapolitana, cum hoc Epitaphio.

Hic superis dignus requiescit Papa benignus,
Latus de Flisco, sepultus tempore prisco,
Vir sacer & rectus sancto velamine tectus.
Vt iam collapso mundo temeraria passo
Sancta ministrari vrbs posset quoque rectificari,
Concilium fecit, veteraque iura refecit.
Hæresis illisa tunc extitit atque recisa.
Mœnia direxit, rectè sibi credita rexit.
Strauit inimicum Christi Colubrum Fridericum,
Ianua de nato gaudet sic clarificato,
Laudibus immensis Vrbs tu quoque Parthenopensis,
Pulchra decore satis dedit hic tibi plurima gratis.
Hoc situ [illegible] Vmbertus Metropolita.

» *Innocentio* IV. Pontif. Max. de omni Christiana Rep. bene merito, qui Nata-
» li S. Ioannis Bap. 1241. Pontifex renunciatus, die Apostolorum Principi sacro
» coronatus, cum purpureo primus Pileo Cardinales exornasset, Neapolim à Con-
» rado euersam S. P. restituendam curasset, innumerisque aliis præclarè & prope
» diuinè gestis Pontificatum suum quàm maximè illustrem reddidisset. An. 1254.
» B. Luciæ Virginis luce, hac luce cessit. Annibal de Capua Archiepiscopus Nea-
» politanus in sanctissimi Viri memoriam abolitum vetustate Epigramma restituit.

Ioannes de Villa-Abbatis vulgò *de Abbatis-Villa* Nationis Picardicæ, Decanus Ambianensis post laudabilem Artium liberalium professionem ad Theologiam se contulit, in qua plurimum excelluit, eamque *multis annis in Studio Paris. egregiè docuit*, inquit Trithemius. Hinc, vt ait Albericus, an. 1225. authoritate Romani S. Angeli Cardinalis Diaconi Apostolicæ sedis Legati *Remis postridie B. Lucæ M. Ioannes de Villa-Abbatis, vir honestis moribus præditus, ad prædicandum optimus Theologus, Ambianensis Decanus consecratur in Archiepiscopum Bisuntinensem.* Hunc Iacobus Chiffletius confundit cum Ioanne Halgrino authore Sexti Commentarii in Cantica: sed ab aliis reprehenditur. Idem Anagniæ à Gregorio IX qui eum certe in Scholis parisiensibus nouerat, mense Sept. an. 1227. Cardinalis creatur Episcopus tit. S. Sabinæ. Statimque ad prædicandam Cruciadam vt vocant, contra Sarracenos mittitur in Lusitaniam & Hispaniam. Ab eodem legatur ad Fridericum II. quem ad amicas pacis conditiones adduxit. Hunc

ex Hiſpania redeuntem M. Raimundus de Penna-forti ſubſecutus eſt valido & irreſolubili mutuæ & indeclinatæ neceſſitudinis nexu adſtrictè deuinctus. Scripſit ſermones de tempore lib. 2. & de ſanctis l. 2. Eidem tribuitur Expoſitio in Cantica Canticorum. Obiit Romæ an. 1236. aut 1237. & Gaufridus de Caſtilione à Gregorio donatus eſt eodem S. Sabinæ titulo & Cardinalis creatus. Eius meminit M. Ioannes de Columna Cardinalis in Ep. ad Legatum in Anglia commorantem an. 1237. Itaque malè aliqui eum fato functum ſcribunt an. 1240.

Ioannes Ægidius, ſeu *de S. Quintino* Nationis Anglicanæ Oxonii primum, deinde Lutetiæ Artes liberales magnâ Diſcipulorum frequentiâ docuit, item & Monpeſſulani Medicinam, fuitque Philippi Auguſti Archiater: poſtremo Theologiam. Cum autem certâ die de duobus Mendicantiũ Ordinibus temporibus ſuis exortis diſſereret, præſente populo è ſuggeſtu deſcendit, depoſitaque veſte ſeculari Dominicanam induit an. 1222. & iterum ſuggeſtum conſcendit. vide pag. 82. 83.

Ioannes de Columna natione Italus ex illuſtri Columnenſium Gente, magnæ in Curia Rom. ſub Gregorio IX. authoritatis. Eius meminit Mathæus Pariſienſis in multis locis. Ad an. 1232. ait eum examinaſſe cum quibuſdam aliis Cardinalibus Ioannem Priorem Auguſtinenſium Cantuarienſium in Archiepiſcopum electum. *Venit*, inquit, *eodem tempore Romam Prior Ioannes*, electus Cantuarienſis in hebdomada Pentecoſtes. Et cum litteras ſuæ electionis D. Papæ exhibuiſſet, præcepit M. Ioanni de Columna & aliis quibuſdam Cardinalibus, vt examinarent illum ſi dignus eſſet ad culmen huiuſmodi promoueri. Qui cum examinaſſent per triduum electum illum, in decem & nouem, vt dicitur, articulis diligenter, proteſtati ſunt coram D. Papa ſe cauſam in ipſo legitimæ recuſationis non inueniſſe. Veruntamen viſum eſt D. Papæ de electo memorato, quod nimis eſſet ſenex & ſimplex & ad tantam inſufficiens dignitatem.

Hic autem Cardinalis addictus initio Gregorio Pontifici contra Fridericum Imperatorem, neſcio quâ poſtea Romanæ Curiæ inconſtantiâ leuitate & confuſione offenſus, animum mutauit. Extat eius Epiſtola ſecreta apud Mathæum Pariſ. ad Legatum ſedis Apoſtolicæ in Anglia commorantem amicum ſuum, quâ Curiæ confuſionem deſcribit. *Hæc*, inquit, *Charitati veſtræ celare non debeo*, quod nimis auidè vel potius inconſultè ſe Mater immerſit fluctibus & in fauces luporum vltronea ſe iactauit: duorum tantum fuit conſilio, tertiò annuente: quin verius greſſu præcedente conſilium & cocis præcedentibus cum tractatu. Hinc eſt quod libertas abiicitur, ſeruitus inchoatur, ſanctuarii ſidus effunditur, ancillatur patrimonium, ſuperbia exaltatur tonantium, carcer emitur, honor contemnitur, appetitur confuſio, armatur moleſtia, tranquillitas effugatur, non curatur de fratrum & exterorum ſcandalo, irriſionibus itttdetur, cœcus loco diuiditur, differuntur negotia, inſtantes protracti ſermonibus diutinâ expectationum laſſitudine fatigantur. Voluimus reformare ſtatum vt ſæpe tentauimus, & ecce deformis deſtitutio ſubintrauit. Incaſſum traduntur conſilia, vbi voluntas non ſiſtitur fræno prudentiæ, ſed impetu agitata proſilit ad procliuia, nec patitur retardari. Accedit ad doloris cumulum nobilis illa Columna quæ tam magnificè ſtructutam Eccleſiæ ſuſtentabat, recolendæ videlicet memoriæ *D. Sabinenſis* (Ioannes de Abbatis-Villa) ſubitò ſubſtractus de medio, moleſtiæ primum dolore percuſſus, ac poſtmodum infirmitate lentâ vexatus obiit in Domini potentias ingreſſurus, ruinæ caſum occaſionaliter Matri relinquens cum gemitu & mœrore. Hæc ad an. 1237.

Ad annum verò 1240. refert idem Mathæus, quo pacto M. Ioannes à Gregorio defecerit, propterea quod iubenti Papæ vt inducias quas cum Imperatore pepigetat, reuocaret, & reſcinderet *Papa pœnitens & dolens quod treugas acceperat, vocauit M. Ioannem de Columna & D. Raimundum excellentes Cardinales, dictarum treugarum* Mediatores & aduerſus Imperatorem interceſſores. Et dixit Ioanni. Confundor in memetipſo, quod treugas conceſſi inimico Eccleſiæ Friderico. Vnde igitur tu, qui interpres fuiſti ſuper hoc inter Nos, feſtines ad ipſum, ipſas me nolle acceptare denuncians, me illi inimicum fore ex hoc nunc & antea ſub diffiduciatione audacter atteſtando. Cui Ioannes, *Abſit Domine* hæc leuitas verborum in ore tanti viri ad tantum Principem deſtinanda præcipuè per nos, qui non vulgares reputamur. Huic enim conſilio inſtabilitatis ac infidelitatis

nequaquam consentio, sed constanter contradico. Cui Papa, Nec *ego de catero* *te habea pro Cardinali. Et ait ei Ioannes, Nec ego te pro Papa.* Et sic recessit de amico factus aduersatius. Obiit anno 1244. mense Feb. in octauis Purificationis. Et de eodem sic Mathæus ad illum annum. *Obiit vas superbia & omnis contumelia Ioannes* *de Columna Cardinalis Roma.* Qui inter omnes Cardinales in possessionibus secula- tibus claruit potentissimus. Vnde efficacissimus discordiæ inter Imperatorem & Papam seminator extitit & sustentator.

Ioannes Bonus-Valetas, vulgo de Cantiprato, quia apud Cantipratense Canonico- rum Regularium Cœnobium nomen dedit, Discipulus olim fuit M. Petri Can- toris, de quo diximus ad superius seculum. De hoc autem Ioanne sic scribit Thomas Cantipratanus l. 1. de Apib. c. 1. *Alium*, inquit, *vidi emerita vita Cano-* *nicum in Monasterio Cantipratensi diebus vndecim ante mortem*, qui Ioannes nomine, cognomento. *Bonus-Valetus*, vir litteratus & bonus, innocentissimam vitam duxit ab annis puerilibus vsque in æuum vitæ. De hoc Bono viro mihi sui Conoano- nici referebant, quod cum esset Parisius, & auditor esset beati & magni viri M. Petri Cantoris Parisiensis, quibusdam dubitationibus & tentationibus fluctua- bar, & supplex super hoc in oratione factus, vidit manifestissimè beatos Apostolos Petrum & Paulum, & mox eorum solatio ad spem gratioris vitæ meritò confor- tatur. Hic gloriosissimam Christi Matrem miro feruore complectens inter cæte- ta quæ de ea composuit, duos istos versus incomparabiles edidit.

Felix Mater aue, quâ mundus soluitur à va
Qua Genitricis Eua va facis esse breue.

Ioannes de Niuella Leodiensis Ecclesiæ Decanus è Fulconistis Concionatoribus vnus fuit, vt ad superius seculum & in Catalogo virorum illustrium retulimus. Placet hic referre tantummodo quæ de eo scribit Cantipratanus l. 2. c. 31. *M. Ioannes de Niuella Leodiensis Ecclesia Decanus diuitias* contempsit & gloriam & in Monasterio de Oignies ad Regularem Ordinem venit. De hoc beato viro quæ- dam audita narramus. Vix vnquam indulsit otio vel quieti, quin semper indefessè in reuocatione animarum pereuntium laboraret. Et vide zelum. Eo diutinâ & graui podagræ molestiâ laborante, quidam nominatissimus Physicus à superiori- bus partibus Galliæ, vt eum propriis expensis curaret, aduenit. Cumque à Me- dico quæreret, quantum se temporis expendere in morbi remedium oporteret, respondit, perfectissimè, inquit, infra menses 4. vos curabo. Mox ille tibiam ma- nu percutiens clamosè dixit. *Heu me miserum tunc*, si pro ista, cum Deus vo- luerit in proximo, putredine resoluenda, à prædicatione & salute hominum etiam 3. Hebdomadibus cessem; & animæ quas Christus pretio sui sanguinis emit, per me interim liberandæ à Dæmonibus distrahantur. Vos autem Magister Cha- rissime, ad patriam redire poteritis cum placebit, bonam voluntatem vestram at- que labores vobis Christus ipse restituat.

Ioannes de Candelis vulgò de Candel Cancellarius Ecclesiæ & Vniuersitatis Parisiensis successit anno 1208. M. Præpositiuo: sic enim legitur in Chronico Alberici. *Post Cancellarium Parisiensem M. Prapositiuum* virum mirabilem, Na- tione Lombardum, qui fecit optimos sermones & quasdam postillas sententia- rum, fuit Cancellarius Quidam M. Ioannes de Candel, & post eum M. Stepha- nus Decanus Remensis.

Ioannes de Cella S. Albani in Anglia Abbas, de quo vide quæ retulimus p. 77. & si plura cupis, lege Mathæum Parisiensem in vitis Abbatum San-Albanen- sium.

Ioannes de Rupella insignis Theologiæ Magister in Academia Parisiensi, se cum Alexandro de Ales in declaratione Regulæ FF. Minorum ad Ministrum Genera- lem subscripsit, inquit Trith. cum quo etiam obiit eadem die. 6. Kal. sep. anno 1245. & sepultus est Luteriæ in æde Franciscanorum. Primus omnium dicitur li- bros sententiarum M. Petri Lombardi commentarus fuisse. Scripsit certè super sententias l. 4. summam virtutum & vitiorum l. 1. De anima quoque l. 1.

Ioannes Blondus natione Anglus, inter Doctos Doctissimus Lelando teste, Oxo- nii primum, deinde Lutetiæ Parisiorum studuit tantâ cum felicitate, vt Oxonium

denuò reuersus vnus ex multis publico stipendio illic Theologiam professus fuerit. Quod cum aliquandiu cum ingenti fructu fecisset, accepit in Ecclesia Eboracensi honestissimum doctrinæ & virtutis suæ præmium, nempe Præbendam seu Canonicatum: nec multo post electus Cantuariorum Archiepiscopus, quo nomine Romam petiit anno 1232. vbi Archiepiscopatu spoliatus, inquit Balæus, quia contra Synodi Oecumenicæ decretum duo Beneficia absque Papæ consensu occuparat. Obiit an. 1245. & est ille Ioan. Blondus qui simul cum aliis Anglis Lutetiam reliquit ob seditionem anni 1229. tuncque Theologiam Oxonij profitebatur.

Ioannes Basingus aliàs de *Basyngstoke* fundamenta disciplinæ Philosophicæ Oxonii iecit; deinde Lutetiam Parisiorum, morem studiosorum sui temporis secutus, peragrato itinere petiit, inquit Balæus. Tum Athenas profectus omnium bonarum artium parentem simul & nutricem vbi Constantinam Virginem de penitioribus operosæ naturæ causis magna cum authoritate disputantem audiuit, sub quâ plus profecit quàm vllibi sub Magistris. Inde exemplaria Græca in Angliam transtulit, quæ in Latinum vertit. Hinc factus primo Archidiaconus Londinensis, deinde Locestriensis. Obiit an. 1252.

Ioannes Belin Gallicus ex iis vnus, qui contra Dominicanos pro Academicis Romam profecti sunt: de eo sic Mathæus. *M. Ioannes Belin Gallicus, nominatissimus Philosophus, Regens in Artibus.*

Ioannes Dritonus aliàs de Sicca-Villa dictus, ex illustri Anglorum familia natus pueritiam in Anglia artibus liberalibus instruxit; deinde ad Academiam Parisiensem de more maiora studia sectatus concedit. Philosophiam primum professus, deinde Theologiam, in quâ Doctor factus. *Rector* Vniuersitatis erat, cum exarsit an. 1256. discordia inter Dominicanos & Academicos. Quâ de re sic Balæus. *Contigit graues fieri molestationes & schismata suscitari per Dominicanos ac Minoritas, dum ille anno Domini 1256. summus esset Gymnasii moderator. Nam quidam eorum in summum Christi vituperium, Sathanicum illud opus ex Ioachimi & Cyrilli Monachorum somniis conflatum, pro æterno Dei Euangelio in apertis Scholis exponere præsumpserant. Quorum impudentias horribiles post Guillelmum de S. Amore atque alios pios Theologos & iste tam voce quàm scriptis peracriter tetigit.* Scripsit de Principiis naturæ, vt legitur in Indice Scriptorum Originalium in antiquo libro Rectoris.

Ioannes Gualensis, vel *Wallevs* Natione Anglicus, Magnus Theologus & in omni Doctrina Scholastica doctissimus ea ætate habitus, relictis Oxoniensibus Scholis Parisiensem Academiam petiit, vbi tantam diligentiam & operam studiis adhibuit, vt *Trismegistus & arbor vitæ* appellaretur, testibus Trithemio & Balæo. Ibi diu Theologiam docuit maximo auditorum suorum applausu. Minoritarum habitum sumpsit. Multa extant eius Opera, quæ Balæus & Trithemius enumerant. Claruit an. 1260.

Ioannes Grammaticus Natione Anglus, sic dictus quod insignis Grammaticus esset. Oxonii primum deinde Lutetiæ studuit & docuit. Reuersus in patriam Nobilium ac Magnatum filiis Didascalus præpositus. Scripsit multa Opuscula metricè. Inter alia, super *Ouidii Metamorphosin* lib. 1. qui sic incipit *Paruus maiori paret*. De arte Metrica lib. 1. *Parisiana iubar diffundit gloria*. Compendium Grammatices lib. 1. *Grammaticam triuialis apex*.

Ioannes de Parma Bononiensis Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, qui sententias legens Lutetiæ detestandum illud Euangelium æternum circa an. 1254. edidisse fertur: contra quod Academia Parisiensis vno ore declamauit in Scholis & in publicis suggestibus. Qui liber cum ad Alexandrum IV. delatus fuisset, crematus quidem fuit iussu Pontificis, *Sed clam*, inquit Mathæus Paris. ne Ordini Franciscanorum probro daretur. Sunt tamen qui Ioannem de Parma ab hoc ce crimine absoluunt. Cum autem in Gymnasio Parisiensi sententias legeret, absens in Generalem electus est.

Ioannes Parisiensis Magister in artibus publicè aliquandiu docuit, deinde ad Theologiam se contulit, in qua Lauream Doctoralem consecutus publicam etiam in ea Facultate Cathedram tenuit magnâ discipulorum frequentiâ. Demum Dominicanorum habitum sumpsit. Scripsit super sententias. Florebat an. 1270.

vsque ad an. 1300. vixit:nam à Rege contra Bonifacium VIII. scripsitde potestate Papæ & Regis. Is est forte Ioannes de Allodio, de quo infra.

Ioannes Londinensis,iuuenis fortunæ destitutus bonis Rogero Bacono innotuit, quo præceptore vsus est,quemque ad Academiam Parisiensem secutus Liberalibus artibus & imprimis Philosophiæ strenuam nauauit operam,vt patet ex fragmento Epistolæ Baconi ad Clementem IV. in qua continentur hæc verba. *Non remansit vnus Parisiis qui plus nouit de Philosophia radicibus,quamuis & fructusnondum produxerit propter iuuenilem ætatem.* Hunc Romam misit Baconus ipse cum libellis & organis Mathematicis à se compositis ad Clementem IV. hoc nomine, vt Interpretis in rebus difficilioribus partes egregiè præstaret. Hæc ex Lelando. Claruit Ioannes circa an. 1270.

Ioannes Cioleti aliàs Cholet Beluacensis ex oppido Nointel,in Academia Parisiensi olim Iuris Doctor & Professor , Simonis de Bria Cardinalis S. Ceciliæ familiaris, ab eodem in Pontificem Martinum electo ad Cardinalatum euectus titul. S. Ceciliæ , legationes obiit in Galliis plures. Composuit litem inter Academicos & Cancellarium Parisiensem exortam iuxta mandatum & Bullam Honorii IV. Collegium Choletæum fundauit. Obiit an. 1292. & sepultus est in Abbatia S. Luciani apud Bellouacos. Cuius ibi legitur hoc Epitaphium rudi carmine conscriptum.

Hac in Cappella latet Orbis fulgida stella,
Cuius fulgore Regio hac fuit in honore.
Francia Legatum suscepit eum sibi gratum,
Formam virtutum, Francorum nobile scutum.
Hic vir compositus , vir verax, virque peritus,
Iustus , munificus ,Regum specialis amicus,
Ergo necem plores praclari Patris & ores
Vt post hos flores fructus capiat meliores.

Ibidem in pariete.

Ista legens siste , pensa quantus fuit iste,
Cuius tam pulchrum cernis fulgere sepulchrum,
Est rosa sub petra , quam premunt subdita metra,
Et tanti floris vis se diffundit odoris.
Ecce sub hoc tumulo Venerabilis ossa Ioannis
Cecilia titulo decorati pluribus annis.
Postea Legatus fuit inclytus atque probatus
Vir magni cordis , cuius mens nescia sordis.
Gloria Francorum , decus orbis , formaque morum,
Fautor iustorum , constans vltor vitiorum,
Canonis & legum Professor erat Generalis.
Francorum Regum Consul bonus & specialis.
Pronocet ad fletum pietas recolendo Choletum,
Tanquam deletum fontem bonitate repletum:
Mors quid fecisti vita resecans iter isti?
Multi Gregis Christi charismata subripuisti.
Dapsilis & mundus ,verax fuit atque fidelis.
Floreat in cœlis , quia nunc sibi nemo secundus,
Annos depromas octo de mille trecentis
Augusti nonas quarto,lux est morientis.

Ioannes Frasquetus Monachus Antissiodorensis scripsit Chronicon breue & Compendium ab orig. mundi vsque ad an. 1272. quod extat in Bibl. Victorina.

Ioannes Wallius ex Diœcesi Wigorniensi Theologiam magna cum frequentia & discipulorum applausu Lutetiæ docuit obiit an. 1300. Idem forte cum Ioanne Gualensi.

Ioannes Peckam S.Bonauenturę Discipulus,Theologiam Lutetiæ diu professus est,deinde Oxonii: ad ordinem Minorum se contulit ; in Angliam profectus à

D. Papa in Cantuarienſem Archiepiſcopũ conſecratus eſt. Deinde Miniſter Prouincialis Angliæ, ac tandem lector Palatii in Romana Curia factus eſt. Ordinis ſui zelator eximius, carminum dictator egregius: affatus pompatici fuit, mentiſque que benignæ extitit & animi admodum liberalis, inquit Tho. Walſingham. Malè cum Myræus ait deſiiſſe viuere an. 1200. ſiquidem vt ipſe ait *Bonauenturæ fuit Diſcipulus*. De eo ſic breuiter Harſpfeldius. *In prima adoleſcentia in Galliam profectus eſt, litteriſque dedit operam apud Lutetiam pariſiorum, vbi & Oxonii atque adeo Romæ ſacram Theologiam cum magna ſua laude magnoque Diſcipulorum profectu profeſſus eſt.* Vide plura 13. ſecul.

Ioannes de Allodio, ſeu de Aurelianis Cancellarius Eccleſiæ & Vniuerſitatis Pariſienſis, eximiæ vir Doctrinæ, nec minus inclytæ virtutis. Cum quo tamen Vniuerſitas, quod inconſultis Examinatoribus Fernandum Aragonum Regis filium licentiâ donaſſet, litem exercuit, vt dictum eſt in hiſtoria: ob idque ſubſtituit alium ipſi Cancellarium: qui Licentias impertiretur, vt notauit Chronicon Rotomagenſe. Poſt mortem Stephani Tempetii puſtulatus in ſucceſſorem non acquieuit poſtulantiũ votis, imò nec iuſſis Nicolai Pontificis. Quippe relictis mundi occupationibus ad Dominicanos ſe contulit. Et ille cum aliis ſui Ordinis appellationi ad Concilium Generale per Philippum Pulchrum à Bonifacio VIII interiectæ adhæſit an 1303. Vide ſupra *Ioannes Pariſienſis*.

Iordanus ſeu *Iordanes* Natione Teutonicus, poſt S. Dominicum Magiſter Generalis, non minus ſanctitate quàm doctrinâ eximius, qui ſuis prædicationibus, integritate vitæ, probatis moribus & exemplo plus quàm mille Fratres in Ordinem pellexit. Sub eo primùm Licentiari Fratres ad legendum Sententias Pariſius, & duas Cathedras obtinuerunt, in quibus docuerunt F. Rolandus Cremonenſis & F. Helyas Gallicus. Ille Pariſiis inſtituit *Collationes Scholarium*. Item vt cantaretur *Salue Regina poſt Completorium*. Multos Vniuerſitatis Magiſtros, Doctores in Theologia & in Iure Canonico in Ordinem ſuum admiſit, qui cum ante profeſſionem docuiſſent in Vniuerſitate, poſt indutum Monachiſmum idem ius retinere voluerunt. Hinc orta diſſidia in Vniuerſitate. Obiit an. 1237. Vide quæ de eo diximus in Hiſtoria. Vide etiam Cantipratanum.

L

Laurentius Anglicus florebat eo tempore quo Academici cum Dominicanis contendebant. Doctor Theologus, & Collegii Anglici apud Lutetiam inſtituti Præpoſitus Gymnaſiarcha. Acriter & in Scholis & in ſacris ſuggeſtis Academiam contra Dominicanos defendit cum Guillelmo de S. Amore & Geraldo Sagarrello: longè verò acrius & vehementius poſtquam editum eſt *Euangelium Æternum* ex Ioachimi & Cyrilli erroribus conſarcinatum. Tunc igitur edidit ipſe in lucem librum *Contra Pſeudo-Prædicatores*, & Defenſorum Guillelmi. Nihilominus tamen territus Alexandri IV. fulminibus, Prædicatorum clamoribus, Alphonſi Pictauienſis Comitis comminationibus deſtitit inceptorum adeo illum pœnituiſſe, inquit Balæus, vt inter Dominicanos ſepeliri ſe permiſerit. De eo Cantipratanus lib. 2. c. 10. *M. Laurentius Anglicus*, inquit, *poſt grauiſſimam Fratrum perſecutionem datis librorum copiis Fratribus Prædicatoribus Pariſius moritur, apud eos mirè pœnitens delatus eſt & ſepultus*.

Latinus Malabranca Romanus Nicolai III. ex ſorore nepos, cum Lutetiæ Iuri Pontificio multam operam dediſſet, iamque Doctoratus inſignia ſuſcepiſſet, Ordinem Prædicatorum ingreſſus eſt, in quo Magiſter primò in Theologia, mox Prior S. Sabinæ de Vrbe, Definitor Capituli Prouincialis Vrbeuetani creatus eſt, deinde à Nicolao auunculo Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis factus. Obiit Peruſii anno 1294. 4. Id. Aug. ſub Cœleſtino.

Lucas Decanus erat Eccleſiæ Pariſienſis an. 1232. legitur enim in paruo Paſtorali Charta de nemoribus apud Roſetum & Vetnotum à Capitulo Parif. M. Alberico conceſſis, ſic incipiens. *Lucas Decanus totumque Capitulum Pariſienſe*. Eiuſdem mentio fit in Scheda Tabularii Pariſienſis an. 1323 in Archiuio Foſſatenſi 1236. at in aliis in membranis Simonis de Piſſiaco menſe Aprilian 1244. 1253. & 1254. vt legitur in Gallia Chriſtiana. Is eſt Proculdubio M. Lucas, cui Alexan

der IV. cuiusdam suæ Bullæ executionem demandauit contra Vniuersitatem.

Ludouicus Philippi Augusti filius an. 1215. contra Albigenses profectus cum Simone de Monteforti Comitem Tolosanum debellauit. Idem an. 1216. in Angliam transfretauit ad debellandum Ioannem Anglorum Regem. Patri successit an. 1223. summo omnium Francorum applausu & gaudio. Guill. Brito in fine Philippidos.

Hac satis est, Ludouice, tenus cecinisse Parentis
Me tibi gesta tui, dilucida poscimus, ecce
Ilia ducit equus crebro salientia pulsu.
Plurima sunt digesta quidem, sed plura supersunt,
Qua incommittes aliis tractanda Poëtis,
V beriore scient qui venâ excudere versus,
Qui melius poterunt ac plenius omnia digno.
Magnificare stylo sancti miracula Regis,
Signaque virtutum quibus illum Cœlica virtus
Mirificat, ciuemque probat de milite factum.
Hi plectro grauiore canent primordia Regni
Clara tui, quantis iubilis & plausibus omnes
Iocundata nouum suscepit Gallia Regem,
Quàm celebri sumptu, quo lumine, quàm speciali
Ornatu fuerint solemnizata diebus
Gaudia continuis toto celeberrima Regno.

Eidem Ægidius Parisiensis suum Carolinum in quinque libros distinctum dedicauit; & in calce libri 5. de Litterariis Parisinis agit. Eiusdem gesta Heroico carmine complexus est Nicolaus de Braya. Testamentum condidit mense Iunio an. 1225. cuius Executores nominauit Carnotensem, Parisiensem & Siluanectensem Episcopos cum Abbate S. Victoris. Obiit verò an. 1226.

Ludouicus IX. vix duodennis prædicto Ludouico successit & infra mensem à Patris obitu Remis Dominica 1. Aduentus à Iacobo Suessionensi Episcopo, vacante sede Remensi, inunctus est an 1226. In primis adolescentiæ annis litterarum notitiâ animum excoluit, iisdemque liberos suos informati voluit, quò ad Regni gubernacula forent aptiores. Nemini Beneficia Ecclesiastica conferre solebat, qui non esset tam litteris quàm bonis moribus imbutus: neminique plura conferebat, vt ante diximus. Vniuersitatis suæ Parisiensis commodis & tranquillitati consuluit: paulo tamen nimis Mendicantibus ipsius aduersariis fauisse dicitur. Nec mirum, ab illis enim educatus fuerat, eorum consilio vtebatur in omnibus fere gerendis, adeoque ab eis seu seductus seu impulsus fuerat, vt de abiiciendis Regni habenis cogitarit, deq; habitu assumendo Prædicatoris; & fecisset, nisi ab vxore & liberis retentus fuisset. Vnde etiam teste Nangio, *domos quamplures FF. Prædicatorum atque Minorum in diuersis Regni sui partibus ædificauit, & tam inceptas ad consummandum adiuuit.* Obiit anno 1270. in Oriente quò fuerat iterum profectus contra Sarracenos. Eius ossa in Franciam reportata, in æde San Dionysiana recondita sunt an. 1271.

M

Martinus IV summus Pontifex, ante promotionem Simon de Bria dictus, ex Canonico & Thesaurario Ecclesiæ S. Martini Turonensis Cardinalis factus S Ceciliæ ab Vrbano IV. multas legationes sub diuersis Pontificibus obiit. Vniuersitatem Parisiensem cuius se alumnum fuisse gloriabatur, pluries reformauit, statutis muniuit, amotâ seditionum materiâ paccauit & pristinæ tranquillitati restituit. Obiit anno 1285. Vide infra *Simon de Bria.*

Martinus Polonus, Nicolai III. aut Ioannis 21. nô Innocentii IV. Pœnitentiarius, scripsit Chronicon, in cuius præfatione hęc habet verba. *Ego Fr. Martinus D. Papæ* Pœnitentiarius, & Capellanus ex diuersis Chronicis & gestis summorum Pontificum

tificum & Imperatorum præsens Opusculum vsque ad Ioannem XXI. Papam deduxi inclusiuè. Ioannes autem 21. obiit an 1277. eique successit Nicolaus III. à quo ad Archiepiscoparum Gnesnensem in Polonia assumptus est an. 1278. Viterbij 10. Kal. Iulij; sed paulò post obiit. Hinc ergo facile conuincuntur erroris, qui scribunt fuisse Innocentij IV. Pœnitentiarium. Inde verò ortus error, quod ipsius Innocentii Legatus fuit in Anglia quidam M. Martinus, cuius extorsiones pluribus in locis exaggerat Mathæus Parisiensis ad an. 1244. *Circa idem tempus misit D. nouus Papa quendam nouum in Angliam pecuniæ extortorem M. videlicet Martinum, authenticum Papale deferentem, & habentem potestatem excommunicandi, suspendendi & multipliciter voluntati sua resistentes puniendi.*

Mathæus Parisiensis Natione Anglus, professione Monachus San-Albanensis, quod nomen vnde habuerit, ait se ignorare Lelandus. *Nostratem fuisse*, Inquit, *quamuis Parisius dictus sit, mihi quidem constat. Nam Parisiorum cognomen olim apud Anglos erat, quemadmodum & nunc celebre. Nisi quis sentiat illum à vulgo Parisiensem nominatum, quod aliquando Lutetiæ Parisiorum studuerit. Sed in hac re, vt pote incertâ nihil volo statuere.* Scripsit Historiam Anglicanâ ab an. 1067. ad an. 1250. adiecit adhuc nouem annos, hoc est ad an. 1259. quo obiit. Continuator addidit vsque ad an. 1273. quo anno Henricus III. *Ioannis Sine terra* dicti filius obiit. Ab omnibus Scriptoribus laudatur ob diligentiam; quanquam paulò infensior fuisse videatur Romanæ sedi ob exactiones nimis importunas Legatorum.

Mauricius Hispanus floruit initio seculi, sed eius doctrina minus bene suscepta fuit ab Academicis. Vetuit enim Robertus Corceonius seu Curthonius Innocentii III. Legatus an. 1215. legi ipsius libros; item & Dauidis Dinantij & Amalrici Carnotensis. Videatur Reformatio Vniuersitatis ad an. 1215 Fuit & M. Mauricius de Hibernia Nationis Angl. constitutus Procurator an. 1275. à Simone Cardinale. Vtri horum sit adscribendus liber Distinctionum, non liquet: sed in Catalogo Originalium librorum in lib. Rectoris, sic legitur, *Distinctiones Mauricij.*

Mauricius Eboracensis Canonicus, alius credo ab Hispano, initio quoque sæculi floruit & sepulturam elegit apud S. Lazarum Paris. relictis prius plurimis reditibus quos possidebat. Quamobrem S. Lazari Fratres 4. libras quorannis Ecclesiæ Parisiensi per Executores coacti sunt erogare die anniuersarij: qua de re legitur in paruo Pastorali Charta sequens sub hoc titulo. *De 4. libris Parisiensibus pro anniuersario M. Mauricij quondam Canonici Eboracensis.*

Vniuersis Christi fidelibus præsens scriptum visuris vel audituris Guido Prior S. Lazari Paris. & eiusdem loci Fratres tam Clerici quàm Laici æternam in Dom. Salutem. Notum vobis facimus quod M. Helyas Bernardi Canonicus Eboracensis, Iuo Capicerius S. Auiti Aurelianensis & Mauricius quondam Capellanus nobilis viri Philippi quondam Comitis Boloniensis Executores Testamenti *M. Mauricij quondam Canonici Eboracensis*, cuius corpus in nostra Ecclesia requiescit, nobis humiliter supplicarunt, quatinus altare B. Dionysii in nostra Ecclesia iam fundatum per quendam Capellanum ad hoc specialiter à nobis in præsenti prouisum, & in perpetuum successiuè per nos & nostros Successores prouidendum deseruiri faceremus, qui pro memorati defuncti M. Mauricii specialiter, & omnium fidelium animarum salute diuina teneatur tantum ibidem Officia plenariè celebrare. Nos verò iustis eorum postulationibus humiliter inclinati, præmissa eisdem charitatiuè concessimus & benignè. Et ad hoc in perpetuum fideliter & plenariè obseruandum, de communi Fratrum nostrorum voluntate & assensu, Nos & nobis succedentes tam Fratres quàm Priores duximus obligandos & obligamus, volentes & liberaliter concedentes, quod si memoratum diuinum Officium non fuerit plenariè, prout supra dictum est, executum vel aliquo casu prolatum, quatinus venerabilis Pater Episcopus Paris. vel eius Officialis seu Archidiaconus Paris. qui pro tempore fuerint, authoritate suâ ordinariâ, omnis iuris vel priuilegii & appellationis cessante Beneficio, per suspensionis vel excommunicationis sententiam Nos ad id faciendum plenariè compellant, ad instantiam & petitionem Decani & Capituli Paris. qui ad hoc dati sunt & deputati specialiter à dictis Executoribus Conseruatores. Et quia iuxta verbum Domini non est os alligandum trituranti, sed vt veri opera ii digna remunerandus mer-

" cede, præfati Executores circiter decem & octo arpenta terræ ſita verſus Gibe-
" trum, quæ terra vulgariter dicitur Cultura defuncti Garneri de S. Lazaro, &
" quoddam arpentum terræ quod dicitur arpentum Engerberti, & 20. ſolidos in-
" crementi cenſus ſitos apud villam S. Lazari in noſtra cenſiua. Et 4. trigellos vini
" percipiendos apud Capellam S. Genouefæ, quæ omnia fuerunt prædicti M.
" Mauricii; & ſepties viginti libras Pariſ. de bonis ipſius defuncti ad emendos re-
" ditus nobis & ſucceſſoribus noſtris in perpetuum poſſidendos authoritate iam di-
" cti defuncti & ſuâ plenariè contulerunt. Nos verò de voluntate & ordinatione
" prædictorum Executorum conceſſimus & adhuc concedimus, nec-non & pro-
" mittimus de conſenſu & voluntate Fratrum noſtrorum tam Clericorum quàm
" Laïcorum, Nos de cætero ſingulis annis in perpetuum ſine dilatione & contradi-
" ctione de bonis Domus noſtræ ratione dictarum poſſeſſionum & Beneficii nobis
" collati ſeu Eleemoſynæ, cum hoc ſit vtilitas domus noſtræ & nobis & eidem do-
" mui expediat, in craſtino octabarum B. Dionyſii reddituros & ſoluturos Deca-
" no & Capitulo Pariſ. 4. libras Pariſ. ad diſtribuendum in die Anniuerſarii Ma-
" giſtri memorati. Quod anniuerſarium erit in feſto BB. Martyrum Criſpini &
" Criſpiniani. Videlicet ſexaginta ſolidos diſtribuendos Canonicis & maiori Al-
" tari ſeruientibus, & 20. ſolidos diſtribuendos Clericis de Choro eiuſdem Eccle-
" ſiæ Pariſ. & Matriculariis, qui intererunt celebrationi Miſſæ dicti Anniuerſarii
" per ipſos in eadem Eccleſia Pariſ. annuatim celebrandi. Nos verò vnanimi vo-
" luntate Fratrum noſtrorũ tam Clericorum quàm Laicorum prædictas poſſeſſio-
" nes ad dictas 4. libras in perpetuum perſoluendas, vt dictum eſt, ſpecialiter obli-
" gamus. Sicque eaſdem poſſeſſiones obligamus in perpetuum & oneramus de di-
" ctis 4. libris, vt dictum eſt reddendis Decano & Capitulo Pariſ. de voluntate, ſta-
" tuto, præcepto & ordinatione dictorum Executorum ratione dictarum poſſeſſio-
" num Nobis collatarum & pecuniæ nobis collatæ quæ iam conuerſa eſt in
" vtilitatem domus noſtræ. Vt enim poſſimus exonerari vel liberari à ſolutione
" dictarum 4. librorum ratione alicuius excambii à Nobis vel ab alio alibi faciendi
" vel permutationis ſeu aſſignationis alterius redditus, Nec vllo quolibet alio mo-
" do, quod poſſet excogitari ſeu in poſterum adinueniri; Et ſi forte contingeret nos
" vel ſucceſſores noſtros excambium vel permutationem ſeu redemptionem aliam
" vt prædictum eſt, dictis Decano & Capitulo aliquo tempore offerre, idem De-
" canus & Capitulum pro ſe & ſucceſſoribus ſuis bonâ fide & firmiter in Domino
" promiſerunt, Nos in hac parte nullo vnquam tempore ſuper hoc admiſſuros.
" Conceſſimus etiam de ipſorum Executorum ſtatuto & ordinatione nos annis ſin-
" gulis in perpetuum de prædictis bonis 40. ſolidos Pariſ. Fratribus Domus noſtræ
" in die obitus dicti Magiſtri ſoluturos, quibus tandem corporaliter reparati ſpiri-
" tualiter inſtent dicti Defuncti refectioni. Vt igitur hæc omnia cunctis temporibus
" maneant inconcuſſa, ea propriis firmauimus iuramentis, & à Prioribus noſtris pro
" tempore ſucceſſuris volumus ſimiliter confirmari, præſentique ſcripto authenti-
" cum ſigillum Venerabilis Patris Guillelmi Pariſ. Epiſcopi fecimus apponi, nec
" non & venerabilium virorum Decani & Capituli Pariſ. & prædictorum Executo-
" rum & noſtrum in teſtimonium ſempiternum & munimen. Et vt ratum ſit & fir-
" mum in perpetuum, fecimus appendi. Actum anno ab Incarnatione Dom. 1234.
" menſe Febr.

Menendus à S. Victore, Canonicus Regularis Pœnitentiariam exercebat pro more Domus San Victorinæ, cum obiit Innocentius III. an. 1216. aut certè an. 1218. Occaſione enim priuilegii, quo Honorius Innocentii ſucceſſor excommunicari vetuit Magiſtros & Scholares abſque authoritate ſedis Apoſtolicæ, quod retulimus ad an. 1218. vel etiam alterius}, quo Innocentius Abbati San-Victorino Scholarium qui in Clericos manum inieciſſent, abſolutionem demandabat, conſuluit Radulphum Honorii Pœnitentiarium, rogauitque ſibi reſponderi ſuper ſex quæſtionibus, quarum quinque pertinebant ad Vniuerſitatem: vt intelligimus ex Epiſtola authentica ipſius Radulphi quam legi manuſcriptam apud Ioannem de Toloſa prædictæ Domus Canonicum, quæque legitur in Antiquitatibus Pariſienſibus ſub hac epigraphe. DETERMINATIO SVBSEQVENTIVM QVÆSTIONVM A D. HONORIO PAPA DE CONSILIO CARDINALIVM PROLATA. Sic ergo Radulfus.

Discreto viro in Christo charissimo Fratri Menendo........ *Ad hoc autem quod in 2ª* Quæstione quæsistis, cum D. Papa in sua indulgentia, quam fecit Scholaribus Parisius absoluendis per Abbatem S. Victoris de violenta manuum iniectione in Clericos, dicat, *nisi tam graue vulnus fuerit vel enorme, quod meritò propter hoc ad sedem Apostolicam debeant recurrere*, pro quanto graue vulnus debeat iudicari? taliter est responsum. *Quod hoc quis ad plenum interpretari non potest.* Dicitur tamen *vulnus graue vel enorme alicuius grauis vel honestæ personæ læsio licet parua; vel in aliis personis minimis membrorum læsio vel mutilatio grauis.*

3. Quæstioni, videlicet vtrum possitis absoluere Scholares Parisienses authoritate iam dicti mandati, si se adinuicem percusserint *cum ad S. Dionysium*, vel ad B. Mariam, vel alios Sanctos peregrè gradiuntur. *Responsum est, quod potestis dummodo ipsi iniectores Parisius faciant mansionem.*

Ad 4. verò quæstionem, scilicet quod Magistri Parisienses dicant quod *Bidellos* & Scholarium famulos, à violenta manuum iniectione supradicti authoritate mandati possitis absoluere, cum viuere nequeant sine ipsis. Recepimus hoc responsum. *Quod vobis est nullatenus concessum, nec eadem authoritate potestis aliquem soluere vel ligare.*

5. Quæstioni, videlicet vtrum authoritate prædictà possitis absoluere Scholares Parisienses, qui Clericos percutiant non Scholares: Responsum est, *quod potestis; sed non è conuerso; cum nolit D. Papa Clericos non Scholares in hac parte Scholarium Priuilegio gaudere.*

Super eo quod in 6. quæstione quæsiuistis, vtrum videlicet Parisienses Scholares qui tempore D. Innocentii Papæ, siue medio temporis ante datum priuilegium Scholaribus in promulgatione sententiæ Canonum inciderint, & excommunicati de Ciuitate recesserint, authoritate huius mandati possint absolui, cum postea Mansionarii (mansuri) Scholares ad Parisiensem redeunt Ciuitatem vel hac solà causà redeunt vt absoluantur statim post absolutionem recessuri. Recepimus hoc responsum, *quod tales absoluere non debetis, cum ipsa indulgentia ad tempus præteritum non se extendat.* Hæc, quæ ad an. 1218. omisimus, hoc loco reponimus ad commendationem Domus San-Victorinæ.

Michaël Hispanus, cum Parisiis studeret ad recentem Trinitatensium Ordinem se contulit apud Ceruum-Frigidum in Agro Meldensi, fuitque postea quintus eorum Minister Generalis.

Legitur in Paruo Pastorali Ecclesiæ Parisiensis eius Charta de Æde Mathurinensium, quæ olim ipsius Ecclesiæ fuerat, sub hoc titulo. *Littera Fratrum Ordinis S. Trinitatis*

Frater Michael Ordinis S. Trinitatis & Captiuorum dictus Minister Maior licet indignus, cæterique Ministri & Fratres eiusdem Ordinis in Generali Capitulo apud Ceruum frigidum congregati, Vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem & deuotæ orationis hostiam salutarem. Noueritis quod Fratres nostri receperunt à *Venerabili Patre Guillelmo Episcopo Paris.* & à Venerabili viro Decano & Capitulo Paris. *Ecclesiam & domum S. Mathurini Parisiensis* in omnimoda obedientia, subiectione & reuerentia, in qua Antecessores eorum dictas Ecclesiam & domum tenuerant & possederant. Promittentes etiam se bona fide dictis Episcopo, Decano & Capitulo omnimodam obedientiam, subiectionem & reuerentiam super prædictis in perpetuum seruaturos. Renunciantes omnibus priuilegiis & litteris impetratis & impetrandis super præmissis. Nos verò de consensu totius Capituli nostri Generalis consentimus omnibus prædictis & ea rata habemus & approbamus. In cuius rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri Generalis Capituli munimine roborauimus. Datum apud Ceruum frigidum anno Domini 1230. Obiit eodem anno Cordubæ.

Michael Blanc-pain, Anglicè *Blaunpin*, Nationis Anglicanæ, patriâ Cornubiensis, per excellentiam dictus *Magister*. In Academia Oxoniensi primùm, deinde in Parisiensi scholas habuit. In Arte Poëtica potissimum excelluit, edidditque opuscula nonnulla strictâ oratione. Clarebat Parisiis anno 1250. scripsitque aduersus quendam M. Henricum Abrincensem, cum quo de palma Poëseos latiore contendebat..

Michael Scotus cognomento *Mathematicus*. Oxonii primum studuit; deinde vt ait Balæus, *Lutetiam de more petiit, vbi Philosophiæ ac Mathematicis artibus diligen-*

tissimam exhibuit operam. Tandem factus Doctor Theologus, magnum quoque in ea Facultate nomen decusque sibi comparauit. Claruit sub finem huius sæculi.

N

NIcolaus de Fernham, alias de Fuly Natione Anglus, vnus ex iis est qui Parisiis secessit Oxonium anno 1229. ob tumultum suburbij Sammarcellini, de quo in Historia. Electioni de se in Episcopum Conuentrensem factæ an. 1239. acquiescere noluit. Qua de re sic Mathæus. *Elegerunt M. Nicolaum de Fernham virum optimè litteratum, & quod pluris, multiplici virtutum gratiâ decoratum, staturâ elegantem, discreto sermone facundum* vultu & gestu maturum & modestum, ne næuus reprobationis propositum eorum posset impedire. Quod cum Rex acceptasset & Clerus & Populus, Nicolaus, vt vir profundi pectoris rem videns esse litigiosam & in confinio Regionis Anglicanæ, & reputans se more humilis & discreti tanto oneri insufficientem, ponderansque tot animarum onus periculosum in reddenda ratione, noluit aliquo modo acquiescere, sed oblatum onus cum honore constanter refutando resignauit.

Idem an. 1241. postulatus in Episcopum Dunelmensem non consensit electioni, donec à Roberto Capitone Episcopo Lincolniensi vehementer increpitus & quodammodo coactus est. Hac de re sic idem Mathæus. *Diebus sub eisdem, Monachi Dunelmenses* post multos labores inutiles & sumptuosarum expensarum effusiones multiplices, cedente Priore Dunelmensi prælecto, & sic eiusdem electione cassatâ elegerunt vnanimiter inuocatâ Spiritus S. gratiâ M. Nicolaum de Fernham virum moribus & scientiâ commendabilem in Episcopum & pastorem animarum suarum. Rexerat autem ipse dictus Nicolaus in Artibus Parisius per pluresannos: deinde de Arte Medicinæ Bononiæ in qua claruit gratiosus & peritus excellenter. Hic etiam postquam in Dialectica & Arte Physicali & Naturis ad plenum eruditus ad Medicinam se postea conferens, spiritualem videlicet Theologiam, ipsâ scientiâ & librorum copiâ se adeo restaurauit, vt lecturiens ad Cathedram ascendendam sufficeret Magistralem. Ipsum igitur quasi expertum & scientiâ multipliciter & moribus commendabilibus insignitum peritorum consilio Rex & Regina ad suarum vocauerunt animarum & corporum custodiam & consilium familiare, hoc consulentibus & procurantibus *Othone tunc* Legato & *Episcopo Carleolensi* & aliis secretis Regis Consiliariis. Vbi cum prosperè & prudenter se haberet, ad dicti Pontificatus dignitatem electus non adquieuit. Videbatur enim ei inhonestum illi consentire electioni, cum paulo ante quando in Episcopum Couentrensem eligeretur, renunciauit, nolens quomodolibet consentire. Igitur vt obstrueretur os loquentium iniqua, qui forte dicerent, Ecce hic hypocrita pauperi Episcopatui renunciauit, exspectans vberiorem, summo conamine reluctabatur. Donec Episcopus Lincolniensis R. eum super hoc grauiter redarguens efficaciter ipsum ad hoc persuasit vt consentiret hoc modo. *Ecce Monachi Dunelmenses & eorum Ecclesia destituta Pastore lachrymis obortis solatium flagitant Pastorale nec consentis cum canonicè eligaris? Adiuro per adspersionem sanguinis I. C. vt hoc onus subeas & honorem: quia Rex nullo modo, nisi manifestè desiperet, vestram reprobabit electionem. Si autem non consentias, Rex ibi apponet suâ machinatione aliquem alienigenam & degenerem, nec non & imperitum in subuersionem Ecclesiæ dignitatis & periculum totius Regni cum sit Dunelmensis Episcopatus in confinio Regnorum Angliæ & Scotiæ, & sint castra Dunelmensia, scilicet Norbam & Dunelmum Angliæ ex parte illa repugnacula contra omnium inimicorum insultus.* Quod cum audisset dictus M. Nicolaus, ab imo trahens suspiria ait. *Amplector virtutem obedientiæ. In diœcesi vestra meamox habui ex gratia vestra qua obtinui Beneficia: Paternis igitur vestris monitis obtempero.* Cæterum ille est Nicolaus Dunelmensis à quo Mathæus ait se didicisse historiam Simonis Tornacensis, de quo suo loco.

Nicolaus Trinitatensium sextus Minister Generalis Michaeli Hispano successit in regimine Ordinis an. 1230. eumque rexit ad an. vsque 1256. Extat eius Charta in Paruo Pastorali Ecclesiæ Paris. de quibusdam domibus Parisiis à Fratribus sui Ordinis emptis ad amplificandam habitationem. Estque eiusmodi.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis Frater Nicolaus Maior Minister totius

Ordinis S. Trinitatis Captiuorum salutem in Domino. *Notum facimus quod cum Decanus totumque Capitulum Ecclesiæ Paris. haberent quandam domum sitam Parisius prope Termas contiguam domui Fratrum nostrorum de S. Mathurino in fundo S. Genouefæ pro qua tenebantur soluere singulis annis Canonicis B. Benedicti Paris.* quinque solidos Paris. eandemque dedissent Roberto dicto Comiti homini de suo corpore pro centum solidis Parisiensibus augmenti census, singulis annis illis ab eodem R. reddendis duobus terminis inferius annotatis, scilicet 50. solidos in Octabis S. Martini hiemalis, & totidem in Octabis B. Ioannis Baptistæ quandiu idem R. viueret. Ad eos siquidem post eius obitum si sine hærede ex legitima vxore & de proprio corpore suscepto decederet, ratione manus mortuæ reuersuram. Ipsi ad preces & maximam instantiam FF. nostrorum de S. Maturino, quibus domus illa valde necessaria erat propter nimiam angustiam domus ipsorum, dictam domum dicti R. valentem præsentialiter 12. libras de locatione annuatim concesserunt eisdem Fratribus nostris ab ipsis suisque successoribus nomine Domus suæ habendam in perpetuum & possidendam tali modo, quod ipsi suique successores nomine dictæ Domus ipsorum tenebuntur amodo & in perpetuum soluere singulis annis Canonicis B. Benedicti Paris. in festo B. Remigii illos quinque solidos quos pro ipsa domo dicti R. dictis Canonicis B. Benedicti & illis scilicet prædictis Decano & Capitulo Ecclesiæ Paris. 100 solidos reddere amodo & in perpetuum singulis annis pro dicta domo dicti R. in festo B. Dionysii in Capitulo Paris. tenebuntur & de dictis 100 solidis sic reddendis prædicti Fratres se suosque successores & domum ipsorum nec non & domum dicti R. superius nominatam omnesque alias domos quas habent in vico Termarum & omnia bona sua mobilia & immobilia vbicunque sint specialiter & expressè obligarunt illis & Ecclesiæ Paris. Præterea dicti Fratres nostri in recompensatione gratiæ & liberalitatis quam ipsis fecerunt concedendo eisdem domum prædictam dicti R. secundum formam prænotatam, dederunt & concesserunt illis assensum suum & potestatem emendi vel alio quocunque modo licitè acquirendi alias sex libras annui reditus cum illis 100. solidis quos illis debent sicut prædictum est pro domo dicti R. cum voluerint in suo fundo sito in vico Termarum incipiente ad cuneum dicti vici versus magnum vicum, videlicet in domo quæ dicitur Domus Fulconis Cordubanarii & extenditur ab illa domo dicti F. vsque ad quandam magnam domum quam Domus Dei dicitur habere in eodem vico, volentes & concedentes expressè vt quandocunque contigerit illas prædictas sex libras in fundo ipsorum titulo emptionis, donationis vel alio quocunque modo licitè acquisiuisse, quod ipsi easdem sex libras nomine Ecclesiæ Paris. habeant & possideant in perpetuum in manumortua sine coactione vendendi. Promiseruntque dicti Fratres nostri in verbo veritatis quod per se vel per alium non impedient latenter vel alio modo quominus possint acquirere ratione emptionis, vel alio quocunque modo licitè prædictas sex libras annui reditus in fundo ipsorum præfato. In cuius rei memoriam &c. Datum anno D. 1238. mense Maio.

Nicolaus Græcus Officio Clericus, Natione Anglus Oxonii & Lutetiæ bonis litteris diligentissimè studuit: cuius opera vsus est M. Robertus Capito Episcopus Lincolniensis in vertendis è Græco in Latinum Testamentis 12. Patriarcharum. Claruit an. 1250.

Nicolaus Gallus, Decanus de Barro super Albam, eodem tempore cum MM. Guillelmo de S. Amore, Odone de Duaco, Guidone Bonato & aliis Academiæ Parisiensis Proceribus causam Martis contra Dominicanos inuasores turabatur. Eiusdem meminit Mathæus ad an. 1256. his verbis. *M. Nicolaus de Barro super Albam, qui rexerat in Artibus, Legibus & Decretis ad legendum in Theologia præparatus.* Ille cum aliis Romam profectus est, & Anagniæ Palinodiam cecinit.

Nicolaus Anglicus Franciscanus Lutetiæ claruit. Innocentio IV. innotuit, eius ab auriculari fuit confessione. Assisiensi Episcopatu ab eo donatus est.

Nicolaus IV. Hieronymus ante promotionem dictus, patria Picentinus, vel vt alii scribunt, Asculanus, scripsit super librum 4. Sententiarum, & super reliquos tres multa edidit. Tractatus multos in vetus & nouum Testamentum. Sermones quosdam. Vide Trithemium.

O

ODo de Duaco clarus Theologiæ Doctor, quem cum aliis Academicis Romam profectum fuisse scribit Mathæus ad annum 1256. *Electi sunt cum magna deliberatione quidam celeberrimi Magistri Lectores, videlicet M. Guill. de S. Amore & M. Odo de Duaco, qui nobiliter rexerant in Artibus, in Decretis & tunc in Theologia.* Ille autem Beneficiorum amittendorum metu Anagniæ Palinodiam cecinit.

Odofredus Beneuentanus Azonis Bononiensis quondam Auditor, multorum verò & nostratum etiam nobilis Magister & Præceptor, in vtroque Iure peritissimus fuit, multosque post se celebres discipulos reliquit. Scripsit de libellorum formatione l. 1. De Ordine iudiciario l. 1. de Arte Notariatus l. 1. Obiit Bononiæ 3. Decemb. an. 1265.

P

PEtrus de Colle-medio Rector olim Vniuersitatis, eximiæ vir doctrinæ & in rebus agendis peritiæ, accitus ad Curiam Rom. varias legationes obiuit, præsertim sub Gregorio IX. à quo missus est ad stabiliendam pacem inter Ludouicum IX. Franciæ Regem & Raimundum Comitem Tolosanum, quæ vt scribit M. Guill. de Podio Laurentii c. 40. mense Iulio anno 1229. *Per M. petrum de Colle-medio gerentem vices Legati celebrata est Parisius.* Præpositus fuit Ecclesiæ S. Audomari in Flandria. Et ex Præposito postulatus in Archipræsulem Rotomagensem anno 1235. vixque etiam iubente Papa precibus postulantium acquieuit. Acquieuit randem eodem anno in Octauis D. Dionysii in Domo Templariorum. Diu tamen remansit electus, nimirum ad Vigiliam vsque B. Laurentii anno 1237. Tunc verò consecratus est ab Episcopo Abrincensi præsentibus plurimis Prælatis & Nobilibus. Anno 1240. vt legitur in Chronico Rothomag. idem citatus fuit, & multi alii Prælati de Regno Franciæ ad Concilium Generale celebrandum in Curia Rom. qui iter arripuerunt mense Februario sequenti. Obiit anno 1244. aut 1245. eique successit Odo Abbas San-Dionysianus.

Petrus Pictauinus de quo diximus in Catalogo superioris seculi, Academiæ Parisiensis Cancellarius erat anno 1200. Hinc assumptus ad Archiepiscopatum Ebredunensem teste Alberico in Chronico, vbi refert *eum scripsisse librum Theologicarum sententiarum ad Guillelmum Senonensium Antistitem, Postillas & distinctiones; qui cum egentibus Clericis consuleret, excogitauit Arbores Historiarum veteris testamenti in pellibus depingere, & de virtutibus & vitiis similiter disponere.* Obiit an. 1205. Eique successit in sede Archiepiscopali M. Bertrandus, qui successerat in Cancellariatu.

Petrus Puluerellus Gall. Poudreaux, Canonicus Parisiensis, de quo nihil habemus, nisi quod eius & M. Gaufridi Archidiaconi legitur institutum anniuersarium in Paruo Pastorali, & distributio pariter quotannis facienda, his verbis. *Concessimus autem præfato G. Archidiacono quod prouentus trium domorum prædictarum distribuentur in duobus anniuersariis quæ fient annuatim in Ecclesia Paris. vnum videlicet patris & matris dicti G. Archidiaconi & ipsius Archidiaconi, & fratris sui primogeniti post mortem ipsorum: & aliud pro animabus Venerabilis Guillelmi quondam Archidiaconi, &* M. *Petri Pulucrelli quondam Archidiaconi Parisiensis.*

Fiet autem hoc modo distributio in dictis anniuersariis. M. Matricularii Clerici qui vigiliis interfuerunt, sex denarios, & qui Missæ, alios sex percipient & habebunt in vtroque anniuersario. Matricularii verò Laici omnes insimul 12. denarios in vtroque anniuersario percipient. Totum verò residuum Canonicis & maiori altari deseruientibus distribuetur, qui vigiliis interfuerunt & missis. Rogauit autem nos idem Archidiaconus, vt Canonici qui tempore oblationis Missæ interfuerunt in anniuersario dictorum Guill. Archidiaconi & M. Petri offerant Presbytero Missam celebranti, & similiter in anniuersario eiusdem Gaufridi Archidiaconi post decessum suum, siue noster Canonicus siue non Canonicus moriatur. Actum anno D. 1236. mense Maio.

Petrus Egeblankins Natione Burgundus, vel vt ſcribit Mathæus, Prouincialis Henrico III. Regi Anglorum adhæſit, fuitque Herfordienſis Epiſcopus, quanquam ægrè ferentibus Anglis: *Non indiget*, inquit Mathæus, *Anglia extra fines ſuos in remotis regionibus perſonas regimini Eccleſiarum idoneas mendicare, quæ ſolet aliis tales ſæpius miniſtrare.* Conſecratus eſt autem in Eccleſia S. Pauli Londinenſis menſe Decembri an. 1240.

Petrus de Aluernia an. 1275. Rector Vniuerſitatis conſtitutus eſt à Simone Legato. Scripſit Quodlibeta, quæ legi digna reputata ſunt; ſiquidem in Tabula Scriptorum Originalium, quæ extat in lib. Rectoris, eorum mentio fit.

Petrus de Saluus ſeu *Saluienſis* ſcripſit Summam Theologiæ, & Commentaria in Decretales.

Petrus de S. Benedicto conſcripſit plurimos Sermones de Dominicis, vt habetur in Indice prædicto Scriptorum Originalium.

Petrus Cornulnenſis, fortè, Cornubienſis, Nationis Anglicanæ Procurator erat an. 1267. vt legitur in Procuratorio publico p. 387.

Petrus de Tarentaſia in diuinis Scripturis eruditiſſimus, in Philoſophia Ariſtotelica nobiliter doctus, Theologiam pluribus annis ſummâ cum laude docuit inter Dominicanos, quibus ſe adiunxiſſe dicitur anno ætatis 9. & is forte vnus eſt è ſexaginta paruæ litteraturæ pueris quos Iordanus ad Ordinem recepit Pariſius, vt loquitur Cantipratanus l. 2. de Apib. c. 19. p. 2. ex Prouinciali Franciæ factus an. 1271. Archiepiſcopus Lugdunenſis; tum Cardinalis Hôſtienſis à Gregorio X. poſtremò Papa Innocentius V. an. 1275. Gregorio ſucceſſit. Scripſit in 4. libros Sentent. Poſtillas ſuper Epiſtolas Pauli & ſuper Lucam, in Pſalmos, in Pentateuchum: ſcripſit etiam Compendium Theologiæ. Non caruiſſe tamen dicitur reprehenſione in ſcriptis; quippe fuerunt qui plus quam 100. eius propoſitiones reprehenderent, quas Thomas Aquinas iuſſu Ioannis Vercellenſis Magiſtri Generalis defendit, vt ex eius Opuſculo conſtat.

Petrus de Tikeham patriâ Cantianus, & vt ſuſpicatur Balæus, Cantuariæ natus & educatus. Ætate maturior Lutetiam profectus eſt: quo tempore Philippus erat Academiæ Cancellarius, cui valde fuit familiaris. Scripſit linguâ Gallicâ Genealogiam Regum Britanniæ.

Philippus de Grena Cancellarius Pariſienſis, vir in diuinis Scripturis eruditus, inquit Trithem. & in ſeculari Philoſphiâ, nobiliter doctus; cum eſſet ſacrarum Litterarum egregius & famoſus Magiſter, Theologicæ Scholæ multo tempore glorioſè præfuit, vbi diſcipulos legendo, populos prædicando magnificè inſtruxit. Idem aduerſus Mendicantes acerrimè prædicabat, & cauſam Academiæ fortiter tutatus eſt, vt habet Thomas Cantipratanus. Pœnituit enim eum tandem tempore ſeceſſionis quæ accidit an. 1229. aut 1230. admiſiſſe Dominicanos ad Cathedram Magiſtralem: quâ ſemel occupatâ dominari voluerunt. Scripſit Sermonum lib. 1. Summam Theologiæ, & alia nonnulla Opera. Sententiam de pluralitate Beneficiorum acerri nè defendit. De ea re ſufficienter dictum in hiſtoria ad an. 1238.

Philippus II. cognomento *Adeodatus*, & ob rerum geſtarum magnitudinem *Auguſtus* nuncupatus, de quo in 2. volumine multa, initio huius ſeculi ſingulare Priuilegium indulſit Vniuerſitati de immunitate Magiſtrorũ & Scholarium, eiſque voluit à Thoma Præpoſito Pariſ. ob nonnullorum Scholarium necem ſatisfieri. Inſuper futuros Præpoſitos Pariſienſes eidem Vniuerſitati ſacramento addixit, Priuilegiorumque Cuſtodes conſtituit. De eo hæc præclarè ſcribit Ioannes de S. Victore ad an. 1223. *Hoc anno obiit Philippus Rex Francorum*, ab aliquibus Auguſtus cognominatus, huius nominis II. fortunatiſſimus, qui Regnum Francorum fere duplo ampliauit. Hic in omnibus actis felix, Eccleſiarum & perſonarum Religioſarum amator & fautor, & ſpecialiter Eccleſiarum S. Dionyſii & S. Victoris Pariſius. De ipſo referebat B. Ludouicus nepos eius ex filio, quod cum dictus Philippus Rex reprehenderetur à quodam Milite ſuo Conſiliario, quia tot dabat Eccleſiis, & quod perſonæ Eccleſiaſticæ multa damna ei inferebant, iura ipſius videlicet vſurpando, multique mirabantur quomodo hæc ita pacificè ſuſtinebat & ſub ſilentio pertranſibat, reſpondit *Bene credo id quod dicitis, ſed quando cogito Beneficia quæ Deus mihi contulit cui ipſi deſeruiunt, & ad quem pro-*

me preces & pro Regno fundunt, malo hoc pati pro Deo, quàm inter me & Ecclesiam scandalum generare vel suscitare. & eos quorum orationes scio mihi prefuisse, contra me prouocare. In fauorem etiam Ecclesiæ constituis ne Iudæi apud se quocumque modo vestimenta Ecclesiastica vel ornamenta Altaris vel Cruces aut libros vt Missalia & Textus retinerent & retenta redderentur absque pecunia, & quod dicti Iudæi nulli Religioso mutuarenr pecuniam sine licentia Abbatis sui. In Ecclesia B. Mariæ Parisiensis 4. Capellanias constituit pro anima Gaufridi Comitis Britanniæ, & etiam pro anima Isabellis Reginæ, & multa alia bona, propter quæ Deus contra omnes inimicos suos victorem semper fecit. Nam Normaniam, Pictauiam, Andegauiam, Cenomaniam, Aquitaniæ magnam partem contra Regem Anglorum inobedientem acquisiuit. Flandriam, Hanoniam, Boloniæ Comitatum. Sed etiam tantæ benignitatis & liberalitatis fuit, quod Comitatum Flandriæ quem Ferrandus iustè amiserat, reddidit Margaretæ satis iuueni & eius sorori Ioannæ vxori Ferrandi. De laude igitur Philippi Regis dicere possumus quod à tempore Karoli Magni non fuit Rex in Francia, qui tot agones habuit pro Regno suo gubernando, nec aliquis tot victorias. *Fortunatus enim in omnibus fuit, & multas bonas constitutiones in Regno Franciæ fecit.* Vide quæ de eo retulimus ad an. 1223. p. 109. 110.

Philippus III. cognomento *Audax* Ludouici IX. filius, Patri in Orientalibus Terris an. 1270. defuncto successit, regnauitque annis 16. Auiti paternique in Vniuersitatem Paris. amoris hæres, vt testantur præclara Priuilegia quibus eam tutam & securam esse voluit, & quæ in Historia passim retulimus. Cum rediret ex Aragonica expeditione, febri correptus vehementissimâ in Carcassonensi agro interiit. Eius autem caro & viscera Narbonæ reposita sunt, ossa apud S. Dionysium iuxta tumulum patris, Cor in æde Prædicatorum Parisiensium. Nec sine tumultu id factum: nam viuens ordinauerat Corpus in San-Dionysiano tumulo sepeliri; at filius eius Philippus successor & hæres, Cor FF. Prædicatoribus concessit. Et hinc orta inter Doctos quæstio; an Rex illud concedere potuerit. Et definierunt Theologi reste Nangio, *quod neque Rex, neque Monachi dare, nec Fratres prædicti possent illud Cor Regium a sque dispensatione duntaxat summi Pontificis retinere.*

Præpositinus natione Lombardus, ab Alberico dicitur *vir mirabilis*, fecisse *optimos sermones & quasdam postillas Sententiarum.* Primus ille Odoni Episcopo iurauit se statutum quod de residentia Cancellarij fecerat, obseruaturum. Fuit autem Cancellarius post Bertrannum ad sedem Ebredunensem assumptum an. 1207.

R

R*adulfus* insignis Hæreticorum Albigensium aduersarius, qui vt ait Guill. de Podio Laurentii, cum esset *persona litterata & multum honesta*, additus est Collega F. Petro de Castro-nouo Ordinis Cisterciensis. Et illi cum Hæreticis Tolosanis apud Montem-Regalem congressi sunt an. 1207. præsentibus plurimis Proceribus: & vtraque pars scripto suas assertiones tradidit. Arnaldus Othonis Hæresiarcha dicebat inter cætera Ecclesiam Rom. non esse sanctam Ecclesiam neque sponsam Christi, sed Ecclesiam Diaboli & doctrinam Dæmoniorum, Babylonem, matrem fornicationum & abominationum, ebriam sanguine Sanctorum & Martyrum I. C. eiusque Ordinationem non esse sanctam, neque bonam nec statutam à Christo Domino: neque vnquam Christum aut Apostolos ordinauisse aut posuisse ordinem Missæ, qualis est hodie. Deplorat autem prædictus Guillelmus scripta huiusmodi tradita fuisse Laicis Iudicibus, *quibus definitionis data erat authoritas ab ipsis partibus* Is est opinor Radulphus cognomento de Nameteio, qui Almaricanam hæresim detexit, eiusque fautores prodidit, vt in Historia retulimus pag. 49.

Radulfus de S. Victore scripsit super Leuiticum, vt legitur in Indice lib. Origin. in libro Rectoris.

Radulfus de Alnussone Canonicus Ecclesiæ Ebroicensis, post mortem Episcopi Ioannis de Aubergen-villa quæ accidit an. 1256. postulatus in successorem, & electus libens iuri suo cessit in gratiam Radulfi de Grosparmi Cancellarij Franciæ

ciæ, vt diximus ad an. 1264. Ille autem legauit Pauperibus Scholaribus Parisiensibus plateam quandam suam inter Portas FF. Minorum & S. Germani Pratensis extra muros sitam, cuius sui legati tutricem esse voluit Vniuersitatem. Itaque Vniuersitas anno 1292. cum Monachis San-Germano Pratensibus pacta, licet pro bono pacis, reprehensione non caruit, quod absque consensu Scholarium quorum alimentis & sustentationi à testatore destinata fuerat platea, eius dominium ad Monachos transtulisset. Videantur quæ ea de re scripsimus ad annum 1264. pagina 369.

Raimundus de Caturco à Natione Gallicana sola seorsim ab aliis Rector electus an. 1249. contra quem tres aliæ Nationes Robertum de Colernia sibi Rectorem præfecerunt. Vide pag. 122.

Raimundus de Penna-Forti nonnullis Prouincialis, aliis Catalaunus Barcinonensis, Dominicanorum familiæ se adiunxit an. 1217. Gregorii IX. Capellanus & Pœnitentiarius obiit Barcinone 6. Ian. an. 1275. Libros 5. Decretalium collegit, quos Gregorius Vniuersitatibus Parisiensi & Bononiensi auditoribus prælegendos misit. In iis dicitur multa suppressisse quæ faciebant ad laudem Franciæ. Scripsit præterea Summam de Casibus pœnitentialibus cum Apparatu. Eiusque credo, mentio fit in Catalogo librorum Originalium ab Vniuersitate æstimatorum, seu vt vocant, taxatorum. Sic enim legitur in libro Rectoris *Summa Fratris Raimundi cum Apparatu*, Tunc (nempe circa an. 1300.) æstimata 3. solidis. Diu autem cum iacuisset in tenebris, rediit in lucem Romæ anno 1603. operâ Ioannis de Friburgo Dominciani.

Raimundus Lullius Maioricanus à nonnullis inter Hæreticos, ab aliis inter Orthodoxos accensetur. Hinc aliqui duplicem Raimundum constituunt, vnum Balearicum seu Maioricanum, alterum de Tarraga dictum seu Neophytum è Iudæis ad fidem Christianam conuersum: & hunc plurimorum errorum authorem faciunt, qui leguntur in Directorio Inquisitorum. Cæterum Raimundi Lullii Maioricani, de quo passim in Historia, hæc sunt Opera. Generales Artium libri, Logicales, Physici, Metaphysici. Variarum Artium, Medicinæ, Iuris vtriusque, libri Contemplationum, libri Prædicabiles, Quodlibetici. Ars Magna, & Parua. Obiisse dicitur in ora Mauritaniæ an. ætatis 80. die 26. Martii anno 1315 à nonnullis pro sancto habetur & Martyre.

Reginaldus S. Aniani Aurelianensis quondam Decanus, scientia, virtute conspicuus, & opinione præclarus, Iuris Canonici Doctor & Professor eximius, qui cum Manasse Episcopo Aurelianensi Romam profectus audito Dominico Ordinis Prædicatorum Institutore, ei se familiæ adiunxit. Et de eo scribit Theodoricus in vita S. Dominici l. 2. c. n. apud Surium tom. 4. hunc virum, qui Parisiis quinque annis ius Canonicum prælegerat, ingenti miraculo B. Virginis interuentu ex desperata valetudine restitutum sanitati, in Prædicatorum Ordinem ingressum miris modis institutum illud doctrinæ & sanctitatis suæ præconiis illustrasse. Bononiæ M. Rolandum, Parisius Iordanum & Henricum de Colonia ad eundem Ordinem pellexit. Obiit verò Parisiis dum prædicaret an. 1219. sepultusque est apud S. Mariam de Campis, eo quod Fratres nondum haberent propriam sepulturam. Vide in Histor. p. 9.

Richardus Natione Anglus, cognomento *Theologus* relictis patriæ studiis ad maiora & solemniora profectus Lutetiam venit, vbi publicè summâ cum laude docuit & docebat adhuc an. 1213. San-Victorinis Canonicis adhæsit, æmulatusque est aut imitari conatus magnum illum Richardum à S. Victore Scotum, de quo ad superius seculum. An. 1215. ex Decano Saresberiensi factus Episcopus Cicestrensis. An. 1217. translatus ad sedem Saresberiensem, postea ad Dunelmensem Obiit an. 1237.

Richardus Normanus vir litteratus & pius, cuius meminit Cantipratanus l. 2. c. 29. referens ab eo miraculum in Normaniæ partibus factum de quodam flagitioso latrone, cuius caput à reliquo corpore abscissum clamauit, *Virgo sancta Maria da veram confessionem*; & suo corpori subitò compaginatum sua peccata sacerdoti deplanxit.

Richardus Rufus patriâ Corinianus vulgó Cornubiensis non modo Oxonii sed & Parisiis quoque melioribus inuigilauit litteris, inquit Lelandus, ex Thoma Franciscanæ Historiæ Collectore, cuius hæc verba refert. *Richardus Rufus Cornubiensis, qui eo tempore quo Frater Helias de Assisio Religionem turbauit, Parisium ingressus est, vbi postea cursoriè legit Sententias, & admirabilis Philosophus iudicatus.* Claruit circa an. 1270.

Richardus de Wendoure Canonicus S. Pauli Londinensis, professione Medicus nomen sibi Lutetiæ inter plurimos suæ Nationis Professores eodem tempore comparauit. Gregorii IX. Archiater fuerat, eique moriturus Gregorius Crucem plurimis insignitam Reliquiis dedit. Obiit an. 1252. vide Mathæum Paris.

Richardus Wichius Anglicus Oxonii & Lutetiæ Dialecticam, Philosophiam atque alias artes combibit. Deinde Bononiam vbi Ius Pontificium didicit profectus. Rediit postea in Galliam, vbi Theologiam percepit. Postremo reuersus ad suos obiit anno 1252. ætatis 56. tunc Episcopus Cicestrensis, cum ante Oxoniensis Gymnasii & Cantuariensis Ecclesiæ sub Edmundo Archiepiscopo Cancellarius fuisset.

Richardus Fishaker aliàs Fisachrius Anglus ex Excestriensi patria, Roberti Baconi comes indiuiduus cum quo Oxonii & deinde Lutetiæ conuersatus est. Dominicanorum familiæ se adiunxit. Philosophicas subtilitates quæ tunc temporis in Scholis magni fiebant, imprimis professus est. Obiit Oxonii reuersus ad suos an. 1248.

Richardus Mydleton vel Midietonus seu de *Media-Villa* sub finem huiusce seculi claruit. Oxonii Scholasticis doctrinis impensè operam dedit. Ingenio acutissimus
„ erat & in altercationibus Sophismarum soluendis subtilissimus. Ius Canonicum
„ apprimè dicit. Et his fulcitus armis, inquit Balæus, grandia quædam, sed minus
„ vtilia, atque vtinam non perniciosa, Parisiis iste in conspectu Sorbonicorum Rab-
„ binorum disputauit, docuit & exposuit. Eius etiam Censorio Iudicio post Fran-
„ ciscanorum Regulæ declarationem, quæ tunc à multis impugnabatur. Bona-
„ gratia decimus eorum Minister Generalis commisit examinationem doctrinæ F.
„ Petri Ioannis, quem ipse cum assidentibus hæreticum declarauit, quod in suis
„ Commentariis Romanam Ecclesiam Diaboli Synagogam vocasset. Ex quo effos-
„ sum est eius cadauer & à Clemente Pontifice exemplo comburi iussum. Lutetiæ
„ nomen inter Doctores consecutus est *Doctoris solidi*, copiosi fundatissimi & au-
„ thorati. Scripsit in 4. lib. Sententiarum, in 4. Euangelia, in Regulam FF. Mi-
„ norum & contra, Petrum Ioannem l. 1. Florebat an. 1290.

Robertus de Curson vel *Curchon* vel *Corsion*, ex nobili Anglorum genere ortus studuit primum feliciter in Oxoniensi Academia: deinde ad ampliora & locupletiora studia profectus, Lutetiæ circa an. 1180. Philosophica & Theologica studia amplexus est; in quibus Gradus omnes consecutus est. Effectus itaque Doctor Theologus, deinde Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis & Vniuersitatis: postremò Romam ab Innocentio III. cum quo in Scholis & Graduum cursu fuerat, accersitus Cardinalis tit. S. Stephani in Celio monte creatus est. Legatus rediit in Gallias anno 1212. Concilium celebrauit Parisiis, & pacem quæ à Petro Cambio Episcopo Parisiensi facta fuerat inter Academicos & Cancellarium Paris. confirmauit an 1215. vt in Chronologia retulimus. Deinde sub Honorio III. in Anglia Legatus fuit, post Guallonem Cardinalem seu Guallom de Bicheriis. Quo modo verò multorum offensionem incurrerit, diximus in Historia & narrat Ioannes San-Victorinus ad an. 1215.

Robertus Bacon Natione Anglus Edmundi Abyndonii qui Cantuariensis fuit Archiepiscopus, olim in Theologia Discipulus. Reuersus ad suos Oxoniensis Academiæ Doctor fuit, & in Theologia Regens seu prælector. Ordinem Prædicatorum senex amplexus, habuit perpetuum Comitem etiam in morte Richardum Fizacrium. Eadem enim die obiisse dicuntur. an. 1248. de quibus sic Westmon. *Obierunt quoque eodem anno* 2. Fratres de eod Ordine, quibus maiores non erant,
„ imò nec pares, vt credimus in finibus Christianorum, in eruditione scientiæ,
„ præcipuè Theologiæ, videlicet Frater & *Magister Robertus cognomento Bacon* &
„ *Richardus de Fishakele*, qui egregiè plurimis annis in eadem Facultate Clero le-
„ gerunt, atque populo prædicarunt.

Robertus Capito, Grosse-teste, patriâ, hoc est Anglicâ linguâ *Grentcheade* diu in hac Academia litteris operam dedit, in qua Gradus omnes Magisterii consecutus est. Vir fuit impatiens Pontificiæ potestatis; itaque non poterat sibi temperare quin publicè aduersus fastum Romanum, exactiones & auaritiam declamaret. Reuersus in Patriam Legicestrensis primum Archidiaconus, deinde Lincolniensis Episcopus fuit. Et tunc liberius seueritatem Ecclesiasticæ disciplinæ exercuit. Incontinentes sacerdotes seuerè castigauit, quosdam flagellando, aliosque ab omni administratione priuando & ab Ecclesiis pellendo, teste Mathæo Paris. Demum ita in odium Innocentii IV. incurrit, vt ab eo excommunicatus fuerit & postremò ad Curiam Romanam vocatus & citatus vt præsens compareret. Sed eo anno obiit, scilicet anno 1253 & Lincolniæ in maiori templo sepultus fuit. Quem Innocentius extra Ecclesiam voluit proiici vt Ethnicum, rebellem & contumacem. At paulo post aiunt in visione nocturna ab eo ad mortem percussum. Ita refert Mathæus Paris. Qua de re nos fusè in Historia.

Robertus de Colerna electus Rector à tribus Nationibus contra Nationem Gall. anno 1229.

Robertus Oxfordius Natione Anglus Lutetiam ad maiora studia missus in philosophicis disputationibus, argutiis, subtilitatibus excelluit. Dominicanorum familiæ se adiunxit Thomæ Aquinatis Discipulus fuit; cuius Doctrinam oraculi loco habebat, & ita acriter tuebatur, vt Henrici Gandauensis & Ægidii Romani qui tunc temporis celeberrimi erant in Academia Professores, famam & existimationem leoninis dentibus morderet, quod Thomæ in suis Sententiarum lecturis quosdam taxassent errores Scholasticos. Quo crescente iurgio permisit Episcopus Parisiensis ex consensu Facultatis Theologicæ disputare & opinari super nonnullis articulis aduersus eundem Thomam collectis, quidquid vellent, vt ex Baconthorpio refert Balæus.

Robertus Kilwarbius vel de *Kile Warby* seu *Kilenerdecky* Anglus in Academia quoque Parisiensi excelluit, antequam ingrederetur Ordinem Dominicanorum. De eo sic Continuator Historiæ Mathæi Paris. *ante Ordinis ingressum* Parisius rexit in Artibus, cuius in his peritiam præcipuè quæ ad Grammaticam & Logicam redacta in scriptis edocent monumenta. Post ingressum Ordinis studiosus in Diuinis scripturis Originalibusque SS. Patrum, libros Augustini ferè omnes aliorumque Doctorum plurimos per parua distinxit capitula, sententiam singulorum sub breuibus verbis annotando. Euectus est ad Archiepiscoparum Cantuariensem anno 1273. Obiit Viterbii an. 1275. vel 1280. Balæus eum vocat *Garrulum Sophistam*, & post imbibitas Parisiis profanarum artium fæces, Oxoniensis Academiæ Scholasticum Doctorem effectum scribit, Dominicanique Sodalitii per Angliam Prouincialem non modicæ in Clero Papistico authoritatis Rabbinum emicuisse. Scripsit super lib. Sententiarum Petri Lombardi.

Rupertus vel Robertus Bilibris Anglus, ingenuis à iuuenta disciplinis excultus, Lutetiæ Liberales Artes diu professus est. Scripsit in Priscianum. Dominicanum Ordinem ingressus in Angliam reuocatus est, & Oxoniæ Theologiam audiuit & docuit. Posttemo ad Cantuariensem Archiepiscopatum euectus à Nicolao III. an. 1278. & ad Cardinalatum tit. S. Rufinæ. Aliqui scribunt eundem esse Kilwarbium.

Robertus de Sorbona, sic dictus à Natali vico *Sorbona*. Ludouici IX. Pœnitentiarum Oeconomus, vt ait Myræus, scripsit de Conscientia, de Confessione, & Iter Paradisi: quæ 3. Opuscula extant tom. 3. Biblioth. Paris. fundauit in Academia Paris. celeberrimũ illud Theologorum Collegium circa an. 1250. quod ab eo *Sorbonicum* nuncupatur. Vixit vltra an. 1271. nam Gerardus de Abbatis-Villa Archidiaconus Ambianensis, eum inter Testamentarios executores primum nominat, facto apud Pontiuum testamento die Lunæ post Inuentionem S. Firmini anno 1271.

S

Simon de Tornaco Presbyter in Scripturis diuinis eruditus, inquit Trithemius,& in seculari Philosophia subtiliter doctus, Dialecticus acutissimus & omnium Liberalium artium peritissimus, factus Theologicæ Scholæ Magister multis annis in Gymnasio Parisiensi docuit, vbi plurimos auditores erudiuit. Sed dum Aristotelem nimium sequitur, errasse in quibusdam inuenitur. Hæc Trithemius. Anglicani scriptores hunc hominem sibi vindicant, eumque de Curnaio vt Mathæus Paris. Vel *de Turnayo* cognominant; sed corruptè, pro de *Turnaio* Gall. de *Tournay* erat enim Tornacensis Flander. Balæus de eo sic scribit.

Simon Thurnaius Presbyter Anglus, patria Cornubiensis, cum esset Dialecticus acutissimus, & omnium Liberalium Artium peritus, relictis Anglorum Academiis Parisiensi Theologorum scholæ multis annis præfuit. Tam excellens erat in illis scientiis, quæ instruunt, vt Gymnasii Magistros tam admiratores quàm auditores haberet. Sed dum suo Aristoteli superbus & arrogans nimium inhæreret, & contemptâ Euangelicæ Doctrinæ humilitate plures in Mosen & Christum effutiret blasphemias, diuinâ vltione tactus omni scientiâ priuatus est, ac mugitum humanæ locutionis loco deinceps edidit. Eiusdem historiæ meminit Polydorus Vergilius l. 15. Histor. Angl. De eo diximus in Catalogo superioris seculi, & in historia ad an. 1201. quo obiit.

Simon de Langton, vulgò de *Langetona* Natione Anglus, Stephani Cantuariensis frater iunior, Ecclesiæ Cantuariensis Archidiaconatum obtinuit an. 1215. Postulatus est in Archiepiscopum Eboracensem, sed nec ab Innocentio Papa probata est eius electio, quia cum esset Stephani frater quem Ioannes publicum hostem Patriæ esse dicebat, si futurus quoque ipse esset Archiepiscopus Eboracensis, pax Regis & Regni non posse diu stare videbatur. Hinc offensus, Ludouico nostro Vltra-marino Philippi Augusti filio adhæsit. sed infeliciter, vt dictum est in Historia. Obiit an. 1248. & de eo sic scribit Mathæus ad an. 1248. *Sub eodem quoque annali curriculo obiit M. Simon de Langetuna frater præclaræ memoriæ Stephani Cantuariensis Archiepiscopi, Ecclesiæ Cantuariensis Archidiaconus, qui si Ecclesiæ suæ, videlicet Cantuariensis persecutor & perturbator fuisset, non est mirandum. Quinimo Regnum Francorum, Regnum & Anglorum, quandoque cum ex multiplici bello vexaretur, mouit, commouit & perturbauit.*

Simon de Montpincien vel *Montpincien*, vulgò *Simon de Bria*, à pueritia in Scholis Parisiensibus Liberalibus Artibus informatus, Vniuersitatem vt Matrem suam summo semper honore coluit. Fuit primum Thesaurarius Ecclesiæ Turonensis. hinc ad Cardinalatum Ecclesiæ Rom. ab Vrbano IV. promotus an. 1264. Legatus venit in Franciam ad deposcendum Carolum Andegauensium Comitem in Regem Siciliæ: vt ex Nangio retulimus. Fallitur ergo Ioannes de S. Victore aiens eum à Gregorio X. factum Cardinalem an. 1273. Composuit annis 1265. & 1266. discordiam quæ inter Nationes intercedebat, & legationem fere continuam in Gallia obiit sub Vrbano IV. & Clemente IV. item sub Gregorio X. & aliis Pontificibus, donec an. 1280. factus ipse Papa & Martinus IV. dictus. Qua de re sic Ioannes San-Victorinus. *Simon Natione Gallicus de Montpincien in Bria oriundus tituli S. Ceciliæ Presbyter Cardinalis*, quondam Legatus in Francia, & legatione facta reuersus ad Curiam, auditâ morte Nicolai Papæ consecratus est & electus in Papam die Cathedræ S. Petri, & apud Viterbium 10. Kal. April. consecratus Papa vocatusque est Martinus IV. seditque annis 4. Ipseque electus in Senatorem Vrbis ad vitam, loco sui substituit Carolum Regem Siciliæ, de domoque & familia eius accepit Milites ad regendum patrimonium Ecclesiæ Romanæ. Ita Ioannes.

Stephanus Langton vel de Langetona Anglus, ad litteras natus, inquit Balæus, Gymnasii Parisiensis *quondam decus & Rector*, in Diuinis scripturis studiosus & eruditus, atque in Philosophia Aristotelicâ nulli suo tempore secundus, teste Trithemio. Theologiam multis annis gloriosè docuit, & primus Scripturam sacram medullitus & moraliter exponere cœpit. Et hinc mos inualuit, vt Magistri Theologiæ Diuinos libros suis lecturis in Scholis lucidius aperirent Discipulis.

Fuit primum in Ecclesia Eboracensi præbendatus, deinde in Parisiensi, cuius etiam Cancellarius fuisse dicitur; sed id minus certum. Innocentio III. notus in scholis, & ab eo ad Cardinalatum sub titulo S. Chrysogoni promotus; postremò ad Archiepiscopatum Cantuariensem inconsulto Ioanne Rege Anglorum: quæ radix fuit dissidii & exitii Anglicani, vt docuimus in Historia. Post suam verò ad Archiepiscopatum electionem diu substitit in Francia, donec deferuesceret ira Regis. An verò eo medio tempore Ecclesiæ & Vniuersitatis Parisiensis Cancellarius fuerit, ab an. nempe 1209 ad an. 1212. ambigitur. Certè anno 1209. reperitur M. Stephanus Decanus Remensis Ecclesiæ Parisiensis Cancellarius: at ille-ne erat Stephanus de Langetona? Vult Ciaconius, & ita legitur in Actis prædictæ Ecclesiæ: at tum erat Archiepiscopus consecratus, & Cardinalis, qui si Cancellariam insuper gessit, fatendum est hanc Dignitatem tum fuisse inter maximas repositam. Compositis tandem dissidiis Cantuariensem Ecclesiam rexit ad annum vsque 1228. quo obiit: & de eo sic scribit apud Knyghtonem Cistrensis. *Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus obiit, qui Biblia apud Parisium quotauit, libros Regum exposuit, vitam Regis Richardi dictauit, multaque alia industria sua opera posteris reliquit. Cui successit magnus Ecclesiæ Lincolniensis Decanus M. Richardus.*

Stephanus Becardus de Penulo in Facultate Iuris Canonici Doctor egregius, ex Decano Senonensis Ecclesiæ factus eiusdem Archiepiscopus an. 1292. eandem rexit ad an. vsque 1309. sepultus est ante altare cum hoc epitaphio. *Hic iacet* « *bonæ memoriæ Stephanus Becardus de Penulo*, nobilis genere, Doctor in Decretis, « iustè Philosophus, Archiepiscopus Senonensis Ecclesiæ qui rexit eam annis 16. « mensibus 8. diebus 3..... Obiit mense Martio 4. Kal. April.

T

Thomas Cantipratanus patriâ Brabantinus, natus scilicet in villa Lewis S. Petri iuxta Bruxellam in Brabantia, Canonicus primum Regularis in Cœnobio Cantipratensi; deinde Dominicanus. Studuit primum Lutetiæ, deinde Albertum M. Coloniæ audiuit vnà cum Thoma Aquinate. Prædicatorum Louaniensium Supprior fuit; deinde Episcopi Cameracensis Suffraganeus. Magnum habuit cum Academicis nostris commercium. Pro suis contra eos multa passim scripsit. Eius Opera commemorantur hæc: Liber de Natura rerum, sed non extat. Libri duo de Apibus Mysticis, quos Humberto quinto Ordinis Dominicani Generali dedicauit. Vita B. Christinæ, Vita B. Lutgardis Monialis de Aquiria, liber de Vita B. M. Oigniacensis. Vita B. Margaritæ Iprensis. Eidem adscribunt nonnulli versionem Operum Aristotelicorum è Græco in Latinum: quem laborem aiunt suasu & precibus Thomæ Aquinatis suscepisse: sed antiquior est Cantipratano versio Aristotelis, ad quam Thomas Aquinas Commentaria edidit. Obiit secundum nonnullos an. 1263. secundum alios post an. 1270.

Thomas de Aquino natione Campanus filius Comitis de Aquino, inuitis parentibus qui eum monachari nolebant, Prædicatorum Ordinem Bononiæ est ingressus & Muneribus seu Officiis, quæ à Pontifice offerebantur, spretis Coloniam Agrippinam ad Albertum M. se contulit, tandiuque eo in loco studuit, donec Albertus Parisios translatus est, & Theologiæ Cathedram sortitus. Missus quoque Thomas ad studium Parisiense Doctoratus gradum meritò est adeptus. Super libros Sententiarũ 4 Scripta fecit. Scripsit & primam partem de Quæstionibus disputatis de Veritate. Scripsit & 2am partem de Quæstionibus disputatis de potentia Dei: & 3am partem de Quæstionibus disputatis, quarum initium est de Virtutibus. Item contra Gentiles 4 libros scripsit. Item Summam Theol. quam in 3. partes diuisit: & 2am in duas: sed morte præuentus 3am non compleuit. 4. Euangelia continuata expositione de dictis Sanctorum glossauit, litteralis etiam expositionis in Iob edidit librum. Multaque alia scripsit ad vtilitatem legentium, quæ diligens Lector inuenire poterit intitulata in Chronicis Nicolai Triueti. Cum esset in via ad Concilium Lugdunense, in quadam Abbatia Monachorum Cisterciensium quæ dicitur *Fossa-Noua* diem clausit extremum an. 1274. Nocte autem ipsâ, quâ de hoc mundo transiit, apparuit in somnis germano suo Comiti de Aquino in

habitu Ordinis sui, tradens in manu eidem Epistolam clausam. Qui citò post excitatus cum sentiret se litteras habere in manibus, Camerarium suum aduocauit, iussitque lumen celeriter afferi: quo allato litteras aperiens, inuenit ibi aureis apicibus omne humanum artificium sua formositate excedentibus hoc inscriptum, *Hodie factus sum Doctor in Hierusalem.* Conseruatis igitur illis litteris per nuncios ad inquirendum de Fratris statu missos, ipsum ead. nocte quâ apparuit, comperit ex hac luce migrasse. Ita fere Thomas Walsingham ad an. 1275. Tantæ autem æstimationis summã Theol. composuit, vt eam non modo Græci in suam linguam verterint, verum etiam Arabes & Sinenses. Teste Chitræo de statu Beclesf. in Græcia. Sed & Vniuersitas Parisf. tanti eum fecit, vt non eius modo Opera Philosophica, sed & ossa postularit per litteras sibi transmitti ad perpetuam in sehulis suis venerationem, vt dictum est in Historia.

In chronico Regni Bohemiæ sub Ioanne Rege legitur Fratrem Thomam, eum semel in quadam Capella Parisiis ante imaginem B. Virginis deuotus oraret, vocem expresse audiuisse, quæ de imagine ita dixit, *Thoma quid petis?* At illo statim respondente, *Vitam æternam*, responsum aliquod vlterius non accepisse.

Item Abbatem *Noua-Fossa* Cisterc. Ord. iuxta quam obierat Thomas, ea nocte qua obiit, somniasse stellam ardentem de cœlo cadentem ante Altare maius in sanctuario se abscondisse, statimque experrectum de eius morte nuncium accepisse, ipsumque, vt impleret somnium, in eodem Sanctuarij loco sepelisse cum hac precatione.

Grate Deo Thoma quasi thus fragrans & aroma
Nomen odorificum retines, clarescere verum
Doctrina lumen fecisti. Tu quasi flumen
Hanc diffudisti, quia totum scibile scisti.
Sidus in Ecclesia fueras: nunc vera Sophia
Ad se te traxit, ibi quod perpes tibi fax sit.
Iam legis absque sono librum vitæ, quia throno
Doctorum Cœlo resides, & ibi sine Zelo
Cernis Diuinam faciem, mihi fer medicinam
Culpis languenti, propriâ virtute carenti.
Dic verbum dulce, Dominumque Reo mihi mulce,
Scis quia Doctor, vis quia fautor, vis quia ductor,
Me duc, meque doce, rege me pio pectore, voce
Et mihi solamen animæ pie fer Pater, Amen.

Inter sanctos relatus est à Ioanne XXII. an. 1321. anno post mortem 50. solenniter Auenione.

Thomas de Hibernia sic est à Theologis cognominatus, inquit Balæus, quoniam ab illa Gente ac patria originem duxit. Cum esset maximæ spei iuuenis Pari-
» sium vsque relictâ patriâ perueniens litteras sollicitè quæsiuit & inuenit. Qui
» postquam in scientiis Diuinis & humanis longo profecisset studio, *Scholastica*
» *Theologiæ Magisterium suffragiis Doctorum in magna Sorbona suscepit.* Vir ille fuit
» facundiâ atque eruditione clarus, & ex lectissimis Authoribus sedulo collegit
» Flores omnium pene Doctorum, qui super Sacris litteris hactenus scripserant:
» nec-non quorundam aliorum, & in capita seu locos communes alphabetico
» ordine digessit. Fuerat Opus hoc Ioanne Gualense Anglo authore inchoatum
» primò sub *Manipuli florum seu Originalium tabulæ* titulo, sed sine perfectione & or-
» dine, intercedente morte ab eo relictum, à Thoma verò emendatum & perfe-
» ctum. Hæc Balæus. Claruit an. 1290.

V

VIncentius Bellouacenſis non ab Epiſcopatu ſic dictus, vt multi falsò opinantur, ſed à Cœnobio Dominicanorum, in quo Bellouaci degebat: fuit enim profeſſione Dominicanus, natione Burgundus; regnante Philippo Auguſto Lutetiam ad ſtudia profectus ſub initia Ordinis Dominicani, ei ſe adcripſit. Quantæ autem fuerit ille Doctrinæ, indicant 4. Specula laborioſiſſima quæ compoſuit, Doctrinale, Hiſtoriale, Naturale & Morale. *Doctrinale* 17. libros continet deque omnibus artibus à Grammatica ad Theologiam tractat. *Hiſtoriale* libris 32. ab origine mundi ad an. 1244. hiſtorias complectitur. *Naturale* continet libros 33. de rebus omnibus, herbis, auibus, locis, temporibus, &c. quod Opus ſcribebat an. 1250 *Morale* complectitur libros 3. in partes diſtinctioneſque diuiſos, & tractat de motibus animi, de legibus, de gratia, de vitiis & virtutibus. Quod Opus immenſum petente & ſumptus miniſtrante Rege Francorum, non Philippo Valeſio, vt quidam ridiculè ſcribunt, ſed Ludouico IX. compoſuiſſe dicitur, cuius filiorum Præceptor & Inſtructor fuit. De quorum eruditione Opus ſcripſit ad Margaritam Reginam Ludouici Coniugem ſicque incepit. *Filij tibi ſunt, erudi illos.* Scripſit & alia teſte Trithemio, De Gratia Dei lib. 4. de laudibus B. Mariæ l. 1. De laudibus S. Ioan. Euang. l. 1. Conſolatorium de morte Amici ad Ludouicum Regem. Epiſtol. ad Diuerſos l. 1. Obiiſſe dicitur communiter an. 1636. eius tamen vitam nonnulli protrahunt ad an. 1264. imò alij ad an. 1270. Et 1256.
ideo forte, vt veriſimili coniecturâ ſtabiliant plagium *Speculi Moralis*, quod eum ex operibus & verbis ipſis Thomæ Aquinatis compoſuiſſe volunt. Quam litem aliis dirimendam relinquo. Vnum mihi de Vincentio notare ſufficiat, eum ex Helinando & ex vetuſtiſſimis Chronicis inſtitutionem Academiæ Pariſienſis Carolo Magno attribuere & aſſerere; non Philippo Auguſto, non Ludouico Iuniori, quorum memoria erat adhuc tum recens. Vnde conuincuntur erroris, qui putant iis regnantibus erectam & fundatam fuiſſe Vniuerſitatem.

Vrbanus IV. Natione Gallus, Patria Trecenſis, Veteratoris Calcearij filius ad ſupremum Eccleſiæ Pontificatum promotus eſt an. 1261. poſt obitum Alexandri IV. de eo ſic ſcribit Antoninus. *Idem vir dilectus Deo & hominibus, dum adhuc eſſet puerulus, Pariſios mittitur, vt ibi armariolum puri pectoris ſcholaſticis imbueret diſciplinis. Vbi ſic laudabiliter primò in Liberalibus Artibus, poſtmodum in ſcientia Iuris Canonici, ſuperni Numinis benedictione profecit, quod in vtriſque promeruit Cathedrali titulo inſigniri.* Cumque ipſius excellentis ingenii altitudo maiorum profunda requireret Facultatum ad Theologiæ ſtudium ſe conuertit: in qua ſic laudabiliter dignoſcitur profeciſſe, quod lingua eius ſcribæ calamus, *prædicationis verbo ſingulos confouebat.* Hinc Archidiaconus Lugdunenſis, tum Virdunenſis Epiſcopus, poſtremò Pontifex creatus. Extant plurima eius priuilegia, quibus prædeceſſorum ſuorum conſtitutiones firmauit, & noua iura Vniuerſitati parenti ſuæ aſſeruit. Obiit ſub finem an. 1264.

Walterus Maruiſius factus poſt Goſſuinum ſeu Goſcelinum Epiſcopus Tornacenſis an. 1218. aut 1219. Obiit autem 16. Feb. an. 1251. Eius virtutes inſignes complectitur Epitaphium in æs inciſum ad partem Septentrionalem Chori.

Walteri meritum commendat ſobria vita,
Mens humilis, ſimplex oculus, deuotio pura,
Larga manus, doctrina frequens, afflictio iugis,
Vox Crucis, Paſtoris opus, legatio plena.
Ipſe Bonos-pueros, Moniales ac Seniores
Fundat Presbyteros, Beghinas atque Minores,
Et Comminenſes ad ſe vocat ac Aenenſes.

Fuit ille Patriâ Tornacenſis, filius Sutoris veterari, Maruiſius dictus à riuulo quodam Tornacenſi. Vnde eſt ibidem porta de Maruis, Platea de Maruis & Hoſpitale de Maruis. Eum Pater ſingulari curâ litteris imbui curauit, & Officiis Eccleſiaſticis intereſſe, cuius ſtudium admiratus Piſtor quidam, dixiſſe fertur: Cur

» tantâ diligentiâ filium tuum ad Templum deducis? vis-ne eum facete Episcopum Tornacensem? Forrasse fiet, inquiebat Pater. Tum Pistor credens id nunquam futurum, Ego, inquit, panem omnem dabo pro epulo, quod in eius consecratione exhibebitur, si id contingat: quod & postea fecit. Ita refert Colvenerius in Notis ad Cantipratanum. Eum porro tam strenuum tamque laboriosum fuisse ait Cantipratanus, vt nunquam otiosus esset: sic enim l. 1. c. 12. *Audiui & vidi de illo venerabili & Deo digno M. Waltero de Maruis Tornacensi Episcopo, quod vix vnquam otiosus, dum domi sedens viueret, apparebat: aut enim meditabatur, aut legebat, aut confessionibus audiendis incumbebat, aut causis discernendis intentus lites hominum dirimebat. Horum si aliquid exercere taderet, propriis manibus laborabat.*



FINIS.



INDEX



INDEX
RERVM ET VERBORVM
Quæ in hoc Volumine continentur.

A

H

I

YYyy

Q

R

FINIS.



Pag.	Lin.	Errata.	Correcta.
14	23	ide	inde.
20	26	Syballa	syllabs.
21	26	10	26.
ibid.	47	patchianis	parochianis
25	5	ponderaris	pooderatis
3.	52	commutauit	commutauit
43	51	ad an. 1208.	1218.
47	11	habemna	habes.
60	9	dignatemui	dignatemur.
74	47	præficeret	præfieeret.
79	51	d.	de.
80	34	Cencellariua	Cancellarius
89	53	Baldvvini discipulus	didascalus.
109	1	separaret	superaret.
111	52	auth. propriæ	propriâ
ibid.	57.	nominis	nomini.
114	9	fidem	finem
121	1	anon	anno.
ibid	46	minanti	minari.
129	29	imbecillia	imbecilles
147	50	volunt	nolunt
159	14	ad eodem	ab
162	25.	fumiosm	summa
165	51	nulli	nonnulli
278	18	Anglorum	Angelorum
185	17	cætero	cæteroa
185	35	Innocent VI.	IV.
188	25	incuoda	ineunda
193	28	Ludouio	Ludouico
193	54	tutulus	titulus.
199	9	erudelitatis	credulitatis
ibid.	53	dictaa	dietaa
203	15	loca	lora
212	25	ad extant	tolle *ad*
227	28	verberetur	non verb.
232	30	dectfio	derisio
259	38	Richardus	Richerius
263	10	Estquo	Estque.
277	2	Iusia fater	pater,
281	20	1254.	1255.
288	57	resisti	resisti
ibid.	57	habitam	hebetant
297	22	Cistereienses	Cisterciensis
310	1	vestra	vestram
ibid.	41	emisir	emisit
	52	maiotia	maiori
	54	stimultis	stimulis
315	16	effiescite	efficacitet
318	47	impotentim	impotentiam
323	54	Apostorum	Apostolorum
357	25	ne	vt
	57	possit	possint
558	45	vobia	verbia
	48	sine	siue
351	1	obsequentis	obsequentes
355	40	causma	causam
354	10	Parsulia	Præsulis
361	44	Theologos	Theologus
377	54	recusaret	recusarent
415	47	decursus	decursia
433	21	insanais	iosaniaa
	31	sapienoiam	sapientiam
448	1	tremorum	tremorem
450	17	auna	aula
451	49	nec attentis	vt

Pag.	Lin.	Errata.	Correcta.
457	53	nouos doctor	nouus.
466	29	lermonem	sermonem
	50	soqui	loqui.
	57	ite	ita
467	27	reditum.	tedituum
472	58	sactis Remensia	Remeosibus
	13	promouit	promouerit
488	8	insitur	iosligatur
	29	publicè	publica
499	5	vltra	vltra
500	2	futit	fuerit
	33	exponendim	exponendum
505	51	potuisset	potuerat
516	9	Cootiunator	Continuator
518	45	nouit	nont
522	52	probante	probanti
525	50	pateere	patere
527	23	protestationis	protestationes
553	17	qui sup. seculo	toll. *qui*
5.9	10	1231.	1236
	38	Gitardus	Guiardus
	52	Alex. IV.	III.
554	5	128.	1281.
554	5	na	nam
556	7	vulneiarunt	vulneratant
ibid.		interfeeerunt	ioterfecerant
561	36	antiquirus	antiquitus
	53	conucnientibus	conninentibus
565	41	alia quidam	alis quædam
	52	sublaa	sublata
566	17	discipline	disciplinarum
568	7	distinctorum	distinctarum
	2	natinnum	nationum
571	47	Ecclesia	Ecclesiæ
572	7	litteria	libris
573	49	ædes sues	suas
	57	ab eoque	ab oaque
575	34	exempl.	exempla
578	5	& prædictum	tolle &,
	8	statui	statuit
580	15	potsimum	potissimum
581	16	easihus	casibus
582	54	initlo	initio [nem simul
583	53	ab eod. homine	per eundem homi
589	40	Mart. V.	IV.
591	58	post deligende	adde *Comitiis*
593	36	aliquid iua	aliquod
600	28	sie	die
601	16	sere	fere
602	35	uamuis	quamuis
604	50	innanes	inanea
608	48	possent	possent
609	15	Ioanni	Ioanne
620	52	delationem	dilationem
631	30	ordinarum	ordinarum
636	40	pertinentis	pertinentiis
640	2	procuratio	procuratione
666	14	promemoratorum	præmemoratorum
	37	vostrum	vestrum
667	6	post Mendicantibus	adde *significetur*
669	16	de prædictia	de prædictarum
	27	confilio	consilio
674	32	defendit	defendetunt
677	16	caoctus	coactua
679	11	Vineentias	Vineeotina
	42	conpicuus	coospicuus

Pag.	Lin.	Errata.	Correcta.	Pag.	Lin.	Errata.	Correcta.
680	2	declatus	declaratus			Papitulum	Capitulum
	29	eo	eos		54	1323.	1233.
683	27	obiis	ubiit	702	5	feceſſit	feceſſerunt
685	11	Pariſis	Pariſii	708	25	dicit	didicit
689	16	Martino III.	Mattioo IV.	713	20	1655	1256.
697	45	Nicolao III.	Nicol. IV.	ib.	54	Veterarl	Veterarii.

CORRIGENDA.

Difficile eſt tam multa vetera conſcribenti non labi iu aliquo, ant multa non prætetire. Ignoſce Lector, ſcientes enim oou fallimus, quibus propoſitum eſt quoties ooua lectio aot cogitatio priorem corriget, admouere te, ne authoritate noſtra perperam vtaris. Igitur tn 1. vol. pag. 243. l. 23. vbi dicimus *per Ægidium Romanum tunc ex Academico Profeſſore Bituricenſem Archiepiſcopum*, repone *per M. Simonem de Bello-loco tunc Bitur. Archiep.* uam an. taotùm 1295. aut 1294. Ægidius factus eſt Bituricenſis Archiepiſcopus.

Pag. 275. l. 6. tolle *Remis*: nam iu Academia Remenſi Cancellarius alius eſt ab Archiepiſcopo. In 2. vol. p. 212. l. 27. ita poſuimus. *Guillelmus iſte Roſchildenſis vnus eſt è Victorinis, qui cum Odone Magiſtro ad S. Genouefam miſſus eſt*. Corrige iſta. Nam vt me benignè admonuit Reuerendus T. Molinetus Canonicus San-Genouefianus, Guillelmus Victorinis tantùm ſe adiuuxit, cum eſſet ante Secularis San-Genouefianus, & ita habetur iu MS. Bibliothecæ S. Gen. *Suſcepto habitu Regulari Vuillelmus appoſitus eſt ad cæteros Fratres & annumeratus eſt cum illis 12. & mutato habitu mutatus eſt in virum alterum.*

ADDENDA.

IN 3. vol. p. 18. l. 40 poſt ea verba quæ de ſupradicto Guillelmo fecimus, adde quæ ſcribit Pontanus l. 6. rerum Danicarum p. 294. *Eum è Collegio D. Genouefæ quod erat Lutetiæ Pariſiorum, euocari in Daniam vnà cum aliis eiuſdem Cœnobii Sociis curauerat Abſalon.* Hi apod Danos vitam Monaſticam ad Regolam S. Auguſtini, cuiuſmodi Lutetiis ex inſtituto S. Victoris coluerant, ſunt auſpicati. Guillelmus verò cum ob vitæ ſanctimoniam, tum quod facta quædam miraculoſa (ita traditur) poſt eius obitum eſſent obſeruata, inter Sanctos exinde relatus eſt, *appellatuſque S. Guillelmus Pariſienſis.* Epitaphium eius eiuſmodi circumfertur.

Pariſiis natus, dictis factiſque beatus,
Mundo ſublatus, iacet hic Guillelmus humatus.

